11461

67/71





ENARRATIONES IN SACROSANCTVM Iesu Christi Euangelium secundum Ioannem, ad sensum literalem, historicum, & mysticum, immistis multis sermonibus moralibus non contemnendis.

AVTHORE MAGISTRO MICHAELE DE PALACIO, Granatensi, Philosopho, atq; Theologo clarissimo, Ecclesiæq; Ciuitatensis à sacris concionibus: & Philosophiæ atq; Theologiæ in Salmanticensi Academia olim professore.

TOMVS PRIMVS.



fray Alonso de Villagomez ad usum

CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE,

Excudebat Ioannes Ferdinandus.

M. D. LXXXI.

APPROBATIO operis.

IVSSV *supremi ac Regij senatus vidi ac perlegi hæc commentaria in duodecim B. Ioannis Euangelij capita, & nihil Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium in eis contineri deprenhẽdi; sed sanam & piam doctrinam, ideoq; digna esse quæ typis mandarentur iudicaui. In cuius rei testimoniũ has literas dedi, easque mea manu subscripsi in hoc nostro collegio Societatis Iesu. Mantuæ Carpentaneæ, die 19. Ianuarij. 1579.*

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro Miguel de Palacios Canonigo en la santa Iglesia de Ciudad Rodrigo, nos fue hecha relacion diziendo que nos os hauiamos dado licencia para imprimir vn libro intitulado primera y segunda parte *Enarrationum in sacrosanctum Ioannis Euãlium*. Y porque para le hazer hauiades puesto mucho trabajo y cuydado, nos supplicastes os mandassemos dar priuilegio, para le hazer imprimir, por tiempo de diez años, o como la nuestra merced fuesse: lo qual visto por los del nuestro consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia, que la pragmatica por nos agora nueuamente sobre lo susodicho hecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien, por la qual os damos licencia y facultad para que vos o la persona que vuestro poder huuiere, y no otra persona alguna, podays hazer imprimir el dicho libro que de suso se haze mencion, en estos nuestros Reynos, por tiempo y espacio de diez años cumplidos primeros siguientes, que corren y se quentan desde el dia de la data desta nuestra cedula: so pena que la persona o personas que sin vuestro poder le imprimiere o vendiere, o hiziere imprimir o vender, pierda toda la impression que hiziere o vendiere, con los moldes y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere, la mitad de la qual dicha pena sea para la nuestra camara y fisco, y la otra mitad para vos el dicho Maestro Miguel de Palacios. Y todas las vezes que se huuiere de imprimir el dicho libro durante el tiempo de los dichos diez años se trayga al nuestro consejo juntamente con el original, que en el fue visto, que va rubricada cada plana, y firmada al fin de Alonso de Vallejo nuestro escriuano de camara, y vno de los que en el nuestro consejo residen, para que se vea si la dicha impression esta conforme al original, y se os de licencia para lo poder vender, y se tasse el precio en que se huuiere de vender cada volumen, so pena de caer è incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes de nuestros Reynos: y mandamos a los del nuestro consejo, y otras qualesquier justicias destos nuestros Reynos, que guarden, cumplan y executen, y hagan guardar cumplir y executar esta nuestra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en nuestra Señora de Esperança, à treynta dias del mes de Mayo, de mil y quinientos y setenta y nueue años.

Yo el Rey.

Por mandado de su Mageſtad.

Antonio de Eraſſo.

PRAEFATIO
ad Lectorem.



Prodítum est memoriæ, candide lector, ab Hebræorũ illo concionatore sapientissimo, Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Quæ verba quippe quæ ænigmatica sunt, aliud quidem præferunt in cortice, aliud verò in medulla recondunt. Præferunt enim non cessandum esse, neq; matutino, neq; vespertino tempore, à seminandis agris, non tamẽ istud est quod intimius cõtinent. Sapiens enim iste, quando hæc memoriæ prodebat, vtique non de semine materiali, aut de agrorum cultura exteriori, curam agebat: aduertebat enim horũ curam agricolarum necessariã esse. At verò de semine alio loqui intendebat, quod seminare multis hominibus minimæ curæ est, at illud seminare maximi refert. Quod sanè semen, est incorruptibile semen, quippe seminanti immarcescibilem refert fructum. Hoc autem semen est, studiosum opus, quod vitæ æternæ parandæ nobis est seminare necessariũ. Namq; bonorum operum gloriosus est fructus, vt malorum exitiosus est exitus. Iuxta qualitatem enim seminis, qualis erit reportãdi fructus. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Qui enim seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, qui verò seminauerit in carne, de carne corruptionẽ metet æternam. Semen igitur spirituale, est semen cuius seminãdi perpetuò, cõcionator cõmemoratus, nos admonere studuit, dicens, mane semina semen tuũ, &c. non aliud sub ænigmate nos docere volẽs, quã quod iugiter, sanctis incumbamus operibus, siue mane, quando ætatis nostræ viget flos, siue vesperi, quãdo humana ætas iam decumbit, & arescit. Quocirca cum hæc mecum voluerem verba Deo opitulante florem ætatis meæ in Philosophicis, & Theologicis edisserendis arcanis detriui. Hoc tamen decidente flore, marcescenteq; ætate, non cessauit ab huiusmodi studijs manus mea. Quippe quædam opuscula in Esaiam prophetam, in libros q; quatuor Magistri Sententiarũ, quatuor quoque Disputationum libros composui, & extussi typis. Nunc verò ne ocio torperem, enarrationes quasdam edidi in Euangelium Ioannis duobus distributas tomis, secundum literalem sensum, & mysticum: quas exornaui moralibus multis sermonibus. Multò profecto labore, edidi, nescio, si pari fructu Deus scit. Existimaui autem me in hoc opere non iniucundũ Deo exhibiturum obsequium. Siquidem recolebam Christi verbum, si quis recipit discipulum in nomine discipuli, mercedem discipuli accipiet. Is porrò recipit discipulum, qui doctrinam discipuli amplectitur, quod si huiusmodi mercedem accipiet, qui non solum amplectitur, sed etiam interpretatur multis sudoribus doctrinam dilectissimi discipuli à Christo Ioannis, nonne Deo aspirante vberiorem reportabit mercedem? Vtique si non ab homine, certe à Deo.

Eccl. 11.

Sap. 3.

Ad Gal. 6.

Matt. 10

PRAEFATIO IN EVANgelium beati Ioannis.

DILECTVS DOMINI IOANNES APOSTOLVS & Euangeliſta, qui in ſymbolum dilectionis eximiæ Chriſti, erga ipſum, ſupra pectus Domini in nouiſsima cæna recubuit: poſtremum ſcripſit Euangelium, poſt alios tres Euangeliſtas. Siquidem tres alij Euangeliſtæ, non omnia Domini geſta, & verba complexi fuerunt, ea namque, quæ Dominus geſſerat ante carcerem Ioannis Baptiſtæ, illi præteri erant: vt vinum illud nuptiale nobis eſt teſtimonio Ioã. 2. & rurſum miraculum illud clariſsimum reſurrectionis Lazari, quod oppido fidem reſurrectionis conſtituit, ſuppreſſerunt. Adde etiam verba quaſi teſtamentaria illa ſummæ charitatis diuinæ erga homines, quæ iam iam Chriſtus moriturus diſcipulis loquebatur ſub ſilentio continuerunt. ¶ Ad hæc & diuinã quoque Chriſti ex patre generationẽ lucide non explicarũt. Nam tametſi apud Matth. 16. Petrũ confitentẽ Chriſti legimus diuinã filiationem ex patre. Tu, inquit, es Chriſtus filius Dei viui, cæterũ verba hæc quãuis naturalẽ ex patre generationẽ doceant, non tamen perſpicuè hoc præſtãt. Quo circa Ioãnes vt hæc vniuerſa cõplecteretur quartũ vltimumq; Euangeliũ tribus adiecit prioribus. Quod ſanè quanquã ſit vltimum tẽpore, eſt tamen perfectione primũ, vnde non temerè, illud Ariſtotelicũ. 1. Methaphy. tex. 14. prima perfectione ſunt poſtrema generatione aptare poſſumus Euãgelio Ioãnis. Verum ne ex hoc verbo, halucineris illud ex eodẽ Ariſto. recolendũ tibi eſt, dixit nãque in proœmio ad libros de Anima, ſcientiã vnam, excedere alterã, aut excellẽtia materiæ, quã verſat, aut ex certitudine methodi. Nãque mathematicę ſcientiæ certitudine methodi, phyſicas cunctas ſuperant ſciẽtias: quæ tamen à phyſicis ſuperãtur ex ſubiecti dignitate, & has ſcientia de Anima facile antecellit, quia formarũ phyſicarũ Anima eſt præſtantiſsima. ¶ Quãobrem ſi certitudinẽ obſerues, omnia ſancta quatuor euãgelia, eiuſdẽ ſunt autoritatis, & eiuſdẽ fidei, & certitudinis. Quodcũq; enim horum reſpueris, hæreticus eris: enim vero omnia hæc quatuor euangelia, vnus idẽque Magiſter Spiritus ſanctus dictauit: & dictata ab illo Euangeliſtæ exceperunt: ſcripſerunt ſanè ſtylo humano, at ex magiſterio diuino. Si autẽ ſublimitatẽ materiæ conſideres, hac ratione Ioãnis Euangeliũ cætera facile ſuperat: quando vnus eſt Ioãnes qui diuinitatis arcana reſerauit. Cæteris nãque omnibus euãgeliſtis circa Chriſti humanitatẽ maxima ex parte occupatis, hic ſolus ad faſtigiũ ęternę Triadis contẽplandũ aſſurrexit, & medulã cedri excelſiſsimæ decerpẽs, nobis credendã & contemplandã obtulit per euangelium ſuũ. Hocque Beatus teſtatur Baſilius in homilia ſuper verba illa, In principio erat verbum, in hæc verba, Omnis quidẽ Euangeliorũ vox,

Ioan. 19. *Ioan. 13.*

Ioan. 3. *Luc. 3.* *Ioan. 24.* *Ioan. 11.*

Ioan. 17.

Cur Ioannes vltimũ ſcripſit euangeliũ

Euangelium Ioãnis eſt tẽpore poſtremũ, & perfectione primũ

Ezechie. 17.

reliquis omnibus Sãcti Spiritus præceptis, eminẽtior esse dignoscitur. Quod in alijs per prophetas seruos, in Euangelijs autẽ ipse per se Dominus, nos est allocutus, In ipsius autẽ Euangelij laudibus, & sermonis magnitudine, & sententiarũ grauitate Ioãnes filius tonitrui primas obtinet. Et D. Augustinus in præfatione ad Ioannẽ, si tamen vera est præfationis inscriptio, cæteros Euangelistas hunc ante cellere confitetur, cæteri nãque sermones Dñi morales tradiderunt, at hic totus assurgit ad diuinitatis syncerrimã contemplationem. Vnde, & soli Ioanni ex omnibus Euangelistis nomenclaturam Theologi tribuit doctorũ antiquitas. ¶ Apud Græcos enim theologizare solum est diuinitatis arcana disserere, & Theologum hunc solũ, qui hæc vel verbo, vel scripto tractat vocant, Humanitatis autem Domini Iesu mysteria docere, studiũ uè illis ediserẽdis impendere, non theologizare esse putant, aut theologiam esse, sed œconomiã, vocãt nãque œconomiam, totum illud diuinæ prouidentiæ consilium, quo vt à diaboli tyranide nos assereret humanitatẽ induit, & salutare generi humano vniuerso suppliciũ pertulit. ¶ Quamobrem tres Euãgelistæ alij hanc diuinã œconomiã scriptis Euangelicis maxime mandarũt, Ioãnes vero Theologiã fideles docuit ex suo Euangelio Christi diuinitatẽ denarrans, & à patre æternã fuisse originem cõmemorans. Nãque etiam si Paulus Apostolus Epistola ad Hebræos cap. 1. hanc eandẽ insinuet, dicens cũ sit splendor gloriæ: & figura substantiæ eius, at explicatius Ioãnes, dicens, In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, Latinis porro vox hæc Theologia latius patet quã Græcis. Si quidem studiũ literarũ diuinarum, siue id sit diuinitatis, siue Christi humanitatis, siue sacramentorũ Theologiã appellant. Græci vero obseruata verbi Etymologia de diuinitate sola studium Theologicum esse voluerunt. Est enim θεολογεῖν, de Deo fari. ¶ Qua propter vt dicebam solus Ioãnes Euangelista ex omnibus Euangelistis illustri hac nomenclatione Theologi est insignitus. Neq; ob dissimilẽ rationem Gregorius Nazianzenus à Græcis nuncupatus est Theologus. Hincque vulgo Theologi, cum Augustino, hunc Euangelistam aquilæ contulerunt. Et in quatuor illis animalibus, quæ Ezechiel in spiritu vidit, sub aquilæ typo Ioannẽ esse præsignatũ tradiderunt, vt aquila enim in arduis ponit nidũ suum, Iob. 39. & procul admodum cibum sibi conuenientẽ cernit Iob. 9. quia acerrimi visus esse describitur, in eum modũ & Ioãnes in sacerrimo, & arduo maxime Triadis arcano, Euangelium suũ collocauit, & in terris degens, cælestia penetralia contẽplatus est. ¶ Quamobrem illi contemplationis tribuitur dignitas, alijs vero Euangelistis actionis vtilitas. Hæc autem intelligas rectè oportet, etenim alij Euangelistæ nõnulla scripserunt, quæ non sunt aliena à diuinitatis contẽplatione, vt etiã Ioã. alia quæ ad actionẽ etiam pertinẽt dirigendã, siquidem pleraque de charitate Dei erga homines scripsit, veruntamen, quia Ioãnes exordium sui Euangelij à diuinitatis contemplatione incepit, & in progressu multa cõmemorat

Euangelium Ioãnis cur cætera euangelia præcellat

Quid Græcis sit theologizare.

Ioannes aquilæ confertur.

cap. 1.

Aquilæ ingenium.

Ioãnes inspector diuinorũ arcanorum.

de

dè Patre & Filio Domino Iesu Christo, itemque de Spiritu paracleto, de quo æterna vita, quæ alij non tam aperte, neque tam vberi stylo disseruerunt Euangelistæ, etiam si omnes sanctæ Triadis mentionem fecerunt. Ideo Ioāni contemplationis dignitas iure optimo ab Augustino tribuitur loco prænotato.

Hæreses contra Ioannis Euangeliū.

¶ Aduersus autem huius Euangelij maiestatem fuerunt olim oblatratores canes impudentes hæretici Alogi nuncupati: quorum meminit Philastrius in catalogo hæreseon, & Epiphanius lib. de hæresibus. hæresi. 15. quos ipse hoc nuncupauit nomine. Siquidem infestum habebant Ioannis Euangeliū, quod initium habet illud In principio erat verbum, verbum autem Græcis, est logos. Vnde addita particula priuatiua alogi appellati, quippe sunt sine verbo, aut quia logos, Græcis est etiam ratio, ideo alogi, dicti, hoc est, sine ratione, & bruti homines. Et equidem, hoc bruti nomine illis quam germanissimo dignissimè appellandi, siquidem hoc Euangelium Cerinthum habere autorem testabantur. At quæ maior dementia Cerinthum autorem Euangelij huius fuisse asserere? Quæ namque conuentio lucis ad tenebras, aut quæ societas Ioannis ad Belial filium Cerinthum? autor enim Euangelij huius fuit Domini discipulus, & Dominum vidit carne indutum, vt ipse autor testatur. Qui vidit inquit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. At vero Cerinthus non vidit Dominum, neque fuit discipulus eius. Et quid si Cerinthus autor esset, non ascripsisset suum Euangelium Ioāni, quippe maximè Ioannes fastidiuit Cerinthum, illumque plurimum est auersatus.

Logos Græcis verbum & ratio.

Cerinthus filius Belial, & non autor euangelij Ioānis.

¶ Cæterum Faustus Manichęus vr indicat Augusti. libro. 16. contra Faustum. cap. 2. aliud est cōmentus friuolum & hæreticum cōmentum, credebat sanè Euangelij huius autorē discipulum Ioānem Dñi fuisse: at vero hoc Euangeliū quod credit ecclesia, non esse syncerum & purum, at corruptum, atque viciatum à falsarijs existimabat, & multis equidem, etsi iniquis ducitur, ad hoc existimandum coniecturis, cui tamen hac ætate subscripserunt Anabaptistæ garrientes cum historiā illam mulieris adulteræ, Ioan. 8. fuisse assutam, tum, historiam de languido ad probaticam piscinam iacente, non esse probādam, quia nullibi de hac probatica piscina literæ sacræ meminerunt.

Faustus hostis fuit euangelij Ioannis.

Anabaptistæ inimici euangelij Ioānis.

¶ Hæc autem esse nugamenta suis locis ostendemus duce Christo. Rursus Ioāni opponunt, quod dixerit. cap. 2. miraculū illud quod nuptijs fuit celebratum in Cana Galilææ, fuisse primum, cum constet ex Luca. 2. primum omniū miraculorum fuisse, quando Dominus duodecim annos agens, cum scribis legis in tēplo Hierosolymitano cōferebat de lege & prophetis, & mirabantur omnes super responsis eius. ¶ Cæterū quod Ioannes inquit, si intelligatur esse primum miraculum editorum à Domino post baptismum ruit obiectio, vt etiam quod Ioan. ait. c. 4. miraculum sanationis filij Reguli, esse secundū, quod verum est cum venisset Iesus à Iudæa in Galilęam, testāte Euāgelista, & non simpliciter secundum, quia multa alia illud miraculum præcesserant.

Miraculum nuptiarū post baptismum Christi primum.

¶ Creden-

¶ Credendum igitur est hoc Euangelium esse Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, & rursum non solum tanto gaudere autore, sed esse inuiolatum, & syncerum hoc Euangelium Ioannis, quod Ecclesia Dei probatum habet. Hoc autem Euangelium Ioānes flexus precibus Asiaticorum Episcoporum scripsit, Græco sermone, vt depelleret audaciam Cerinthi hæretici, & ad reprimendos hæreticos Ebionitas qui id, temporis pullularant, negantes Christum fuisse ante Mariam matrem eius. ¶ Tiberinus Comes hoc Euangelium in Gazophilacio Tyberiadis translatum in Hebraicum incerto autore inuenit. Vitam Ioannis Simon Metaphrastes Græcus autor conscripsit: & Iosephus Iudæus. Vixit annos penè centum, ex quibus ferè quadraginta Ephesi Transegit, vsque ad Domitianum, à quo in Pathmos insulam fuit relegatus, eo interfecto, & decretis eius recisis, sub Nerua reuersus est Ephesum, vsque ad Traianum perseuerans. Fuit autem Ioannes hic filius Zebedæi, & frater Iacobi maioris. Matthæ. 20. & annos natus octoginta, hoc Euangelium scripris mandauit. Euolutis. 36. annis à Domini ascensu in cælos Nicephoro autore, sed iam Spiritum sanctum per seruum suum Ioannem audiamus, loquentem.

Euangelium Ioan. in Hebraicum sermonem trās latū fuit, vt Matthæi in Græcum.

Libr. 3. histo. eccles. c. 45. Theo. post. 32 in præfatione ad Ioānē.

ENARRATIONES IN EVANGELIVM Beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ.

Autore M. Michaele de Palacio Granatensi, Ecclesiæq; Ciuitatẽ. à sacris concionibus.

ENARRATIO PRIMA; IN CAPVT PRIMVM.

Super illis verbis, *IN principio erat Verbum, &c.*



ERBA HAEC altissimi sunt sensus, quæ vix ab humana mẽte assequi possint: vtpote quæ à Spiritu sancto, qui scrutatur solus profundissima quæq; diuinitatis sunt arcana. Nanque autore Paulo, quæ Dei sunt solus nouit Dei spiritus, qui est sanctus Spiritus. 1. Cor. 2.

¶ At qui facit infantiũ linguas disertas, item fecit idiotæ hominis, qui erat Ioannes, mentem acerrimam, & calamũ disertissimum. Acutissima enim philosophorum vincit ingenia: philosophi nãque subtilissimis rationibus diuinitatis naturam indagantes, tandem post laboriosas & anfractuosas disputationes vnitatem diuinitatis inuenerũt: & hanc veritatem vnitatis diuinæ multis inuolucris errorum miscuerunt. ¶ Porrò Ioannes ex idiotissimo piscatorio ad Apostolatum á Domino subductus, suprà quã fari possit ab spiritu cælesti imbuitur, & ex perenni diuinitatis fonte hæc hausit cælestia sacramenta: quæ philosophorũ nullus attingere potuit. Docet nanque verbis prænotatis verbum Dei esse æternum verbum, & esse Deo consubstãtiale & illi coæternum. Docet rursum hoc verbum realẽ habere distinctionem ab illo, cuius est verbũ, adhæc filij processionem à patre non esse carnalem, qualis est naturalis filiorum à patre generatio: sed esse intellectualem, & spirituale, qualis verbi mentalis est ab ipso intelligente. Præterea omnipotentiã diuini verbi ostendit, cum ait, omnia per ipsum facta sunt. Hoc deniq; verbum nõ esse accidens, sed verè subsistens ostendit, dum ait, esse vitam & lucem, & demum testificatum fuisse à Ioan. Baptista, & carnem induisse. ¶ Hęc autem omnia nõ habent promptam expositionẽ, idcircò, vt illa vtcunq; propalemus, à significantia huius vocis, verbũ, inchoãdum erit: verbum autem, polysimõ, seu multiuocum est. Etenim vsurpatur aliquando translatitiè in scripturis, quibus est familiare admodum res ipsas, vel facta, appellitare verba. Transeamus, dixerũt pastores illi, verbi incarnati primi inspectores, vsque in Bethlehem, & videamus verbum hoc, quod factum est, idest, gestum hoc, quod nobis denuncia runt angeli. Et Ezechias rex culpatur, quia nullum fuit verbũ in domo Dñi, quod Chaldæis non demonstraret, nempe quia diuitias, & gloriam templi Salomonis illis patefecit. Luc. 2. Esai. 39.

¶ In quem modum omnes creaturę verba sunt creatoris, cæli enim enarrant gloriã Dei: & inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Verbi Psalm. 18. ad Rom. 1.

Philosophi laboriosis disputationibꝰ & anfractuosis vnum esse Deũ inuenerunt.

Verbum Dei æternũ Deo cõsubstãtiale à Deo procedens mẽtaliter; ab eo vnde procedit realiter distĩctũ, & omnipotens, & subsistens.

nanq; est, manifestare loquentis animũ, creaturæ autẽ manifestant autorẽ suum esse optimũ, omniscium, & omnipotẽtẽ. Quippe optimus est, qui vniuersa fecit valde bona, & omniscius, qui mirabiliter omnia cõposuit, & omnipotẽs, qui ex nihilo illa edidit. ¶Cæterùm huius trãslationis, modo non est habẽda ratio: creaturæ enim nõ sunt verbũ illud Dei singulare, Deoque cõsubstãtiale, q̃ Ioã. tradit, sed sunt multa verba creata, quia substantiæ creatæ, nõ increatũ verbum sunt, quale est diuinũ verbũ: q̃ propria ratione, & non translatitia verbum est.

Creaturę sũt verba à Deo creata.

¶Sũt porrò alia verba, quæ propriè quidem verba sunt, at nihil cũ verbo diuino illis est: sunt nãq; voces significãtes, & scripturæ verba. At verò huiusmodi verba, nõ sunt huius instituti: quia Dei filiꝰ, neq; vox est, neq; scriptura est, quia intelligibile & mẽtale verbũ est. Ex verbo igitur mentali nostro assurgendũ nobis erit, vt illius ineffabilis diuiniq; verbi scintilla quædam sui immensi luminis nobis suffulgeat. De nostro autẽ mẽtis verbo, variæ fuerunt sentẽtiæ, nũ sit intelligibilis species, num actus simplex intelligẽdi, num affirmatio, vel negatio quas mens secum agens cõponit, & per eas tacita sibi loquitur, nũ sit ens quoddam fictũ ab ipsa mente, q̃ illi nõ hęret, sed adhæret, habetque in ea esse obiectiuum. Hasce autẽ disputationes reijcimꝰ in. 1. libr. sentent. vbi nos quoad licuit dist. 27. disp. 1. illas dilucidauimus. Solũ autem in medio proferemus Damascenum lib. 1. de fide orthodoxa. cap. 18. de verbo paucula cõmemorantem sub verbis istis, Verbum est naturalis mẽtis motio, secundũ quam mouetur, intelligit, & cogitat, veluti lux ipsius, atq; splendor. Verbum rursus est, q̃ internũ & in corde promitur. Et iterũ, Verbũ est nuntius intelligẽtiæ. Est igitur Deus substãtiale verbũ, & in propria subsistens hypostasi. Sunt autem, & tria alia verba, in potẽtia animæ, & nõ in propria substantia cõsiderata: quorũ primum quidẽ naturale mẽtis est germẽ, ex ipsa naturaliter scaturiens, secundum est internũ, tertiũ verò prolatum. Quę sanè verba multa caligine sunt obducta: ex illis nãque nõ facile iudicabit aliquis, quid Damascenus de verbi senserit natura.

Ineffabile Dei verbũ indagandũ est per nostrum quod nobis concipimus verbum.

Damascenus de verbo.

Obscura de verbo Damasceni verba.

¶Porrò arbitror priora Damasceni verba de diuino Verbo esse subaudienda, quando ait, Verbum est naturalis mẽtis motio. Enimuero vocat naturalẽ motionem mẽtis ipsam diuinam verbi à patre dicente processionẽ. Est namq; hæc prima diuinæ mẽtis motio, diuini verbi generatio, vt secunda motio in beata Trinitate est Spiritus paracleti processio. Non quod in beata Triade sit motus, aut motio propriè si loquamur: sed videtur processiones illæ esse quædã motiones. Vnde quod ait, esse motionẽ secundũ quã mouetur, & intelligit, & cogitat, ne accipias sinistrè intelligendo, Patrẽ intelligere per Filium, aut cogitare: hoc enim procul sit à sensu tuo. Pater enim si per Filiũ intelligeret, cũ intelligere Deũ, sit esse Deũ, idem nãq; est Deo esse, & intelligere, iam tunc conficeretur Patrem esse Deum, per Filiũ, & habere esse à Filio diuinũ, cum tamen cõtra doceat Catholica fides, Filiũ habere esse diuinũ à Patre. Verùm quia Verbũ diuinum manifestat intrinsecus, siue in eo manifestãtur omnes paternæ mẽtis cogitatus, omnisve intelligentia paterna ex verbo demonstratur, ideò ait, verbũ Dei esse motionẽ, idest generationem à Patre, secundum quã quod intelligit Pater, & cogitat fit manifestũ. Post hæc autẽ, quæ de Verbo edixerat diuino Damascenꝰ, alia tria cõminiscitur esse verba, quæ sunt in potẽtia animæ, & nõ in propria substantia cõsiderata: idest, quæ sunt in animæ intellectu, illiusque formæ & accidentia, vel ab alio pendentia: & nõ sunt subsistens verbũ Dei, quod non est diuinæ paternæq; mentis accidens, sed per se subsistens. ¶Est igitur primũ horum mentis nostrę intellectio, vel actus intelligẽdi, qui est forma nostri intellectus: & hæc actio intellectualis est nostri intellectus naturale germẽ, siue mentalis propago, vt palmes propago est vitis. Rursum est aliud verbũ, q̃ vocat internum mẽtis nostræ verbũ, videlicet, affirmatio, & negatio, quas secum cõponẽs, vel diuidẽs intellectus sibi loquitur vniuersa. Hoc autem verbũ, quia fit diuidẽdo, & cõponendo intra mentis penetralia, nõ vocat mentis naturale germẽ, quale erat intellectualis simplexque intellectio, sed vocat internũ verbũ seu internam

Duplex motio in sancta Triade.

Pater nõ intelligit per filium.

Diuinũ verbum nõ accidens paternę mẽtis sed est per se subsistens.

nam loquelam. Demum est aliud verbū sensibile, & est illud, quod voce vel scripto pronunciamus: quod eatenus dixit esse in animæ potentia, quatenus est effectus in causa: siquidē quod ore proferimus priùs mēte cogitauimus: ex abū dantia enim cordis os loquitur.

Nostris ex verbis notis, verbum Dei ignotū est vestigandum.

¶ Iā verò ex istis nobis notis verbis, assurgamus ad verbum illud arcanū, quod conditur in sinu æterni patris. Est igitur nostrum verbum quoddam simplex, vt est apprehensio simplex lapidis: hæc enim quia manifestat mēti lapidem verbum appellare vetat nihil. Est & aliud verbum mentis cōpositū, vt enuntiatio mētis, est deniq; verbum sensibile. Et sanè hoc sensibile verbū, illi ineffabili & intellectuali verbo Dei, aptari nequit, nisi ea ratione, qua Verbū caro factum est, hac namq; ratione sensibile factum est, quod erat mentale Dei verbum. Vnde Ioannes hic non formidat affirmare. Vidimus gloriā eius, gloriā quasi vnigeniti à Patre: quia illud in monte illo præexcelso transformatum aspexit. Et rursum: Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ cōtrectauerunt de verbo vitæ. 1. Ioan. 1. Cæterū, vt ad alia me cōuertam verba, scito diuinum verbum, verbum quidem esse, at eminentissimè comprehendit omnem rationem verbi. Diuina namq; omnia eminentiora sunt nostris, & quæ humiliter sunt apud nos in Deo perfectissimo continentur modo, vt in. 4. Sentent. distinct. 50. & dist. 35. 1. lib. Sentent. disput. 1. tradidimus. Quamobrem simplicitatem nostri verbi, si obseruas diuinum verbum, est infinitis partibus illo simplicius: ideo pronuntiare poteris, diuinum verbum esse simplicissimū, quod alioqui nostrū simplex refert ex sua simplicitate verbū. Sin verò nostrum compositum verbum mentis consideras, illud diuinum longè est eminētius, quia quod nostrum componendo prædicatū cum subiecto præstat, hoc illud Dei verbum citra vllam compositionem enunciat. Si verò verbum nostrum, quod habet in nobis esse obiectiuum, inspexeris, vt rosa, vel domus repræsentata intellectui, est suo modo verbum domus, vel rosæ, quia ostēdit intellectui domum exteriorem, vel rosam exteriorem, itidem dices conuenire hanc verbi rationem summo Dei verbo, & multo excellentiùs, quam nostris verbis mentalibus. Enimuerò Patre se, & vniuersa alia à se, vel creata, vel creanda, vel possibilia omnia intelligente actu intelligendi suo diuino, & æterno, & infinito, ex illa intellectione resultat in sua diuinitate, quoddam intellectum, quod vniuersam patris intelligentiam repræsentat. Quapropter hoc opportunè appellatur, Dei Verbum: quando quidem quicquid Deus pater intelligit, totum hoc productum intellectum repræsentat & demonstrat. Et quia hoc diuinum intellectum loquitur totum quod Deus loquens ad intra intelligit, idcircò verbum nuncupatur. Et quia Deus intelligendo se, & vniuersa, hoc produxit à se intellectum, ideò intelligere istud vocatur dicere diuinū, Psalmo. 110. concinente, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Est autem dicere ad extra, & ad intra. Ad extra enim est producere creaturas, ipse dixit & facta sunt. Ad intra verò dicere, est in propria substantia Deum generare Deum, non faciendo, vel creādo, sed intelligendo.

Dicere bifariam cōtingit & ad extra & ad intra.

¶ Hoc autem verbum adæquat totam intelligentiam dicentis: & ideò Christus veritas appellatur. Veritas namq; est adæquatio rei ad intellectum: verbū autem hoc adæquat totam dicentis intelligentiam. Tale namque est hoc verbū qualis est dicens. Infinitus est enim dicens, & infinitum est hoc dictum. Talis enim pater, qualis filius.

¶ Creaturæ autem non adæquant dicentem Deum, etiam si dicendo ad extra illas creet, quia creationis natura est limitibus comprehensa, ideò cùm finita sit, infinitum Deum dicentem non adæquat. Neque enim Deum repræsentant, nisi ænigmaticè. At hoc dictum diuinum, hocque verbum dicentem adæquat: quia infinitum est, & non creando dicitur, sed solum intelligendo: & non ad extra dicitur, sed in propria Dei substantia fatur. Sunt speculum Dei creaturæ, at vero deficiens, propter causam commemoratam, hoc autem verbum est speculum sine macula: namq; sine defectu dicentem adæquatè repræ-

Diuinū verbum adæquat totā intelligētiam loquētis illud.

Verba mentalia nostra ducunt nos in notitiā qualē qualē diuini verbi.

Locus Sapientiæ exponit.

sentat Sapient. 7. candor est lucis æternæ, & speculum sine macula: id quod Paulus ad Hebræ. 1. commemorat dicens, Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Hoc enim est candor lucis æternæ, quod splẽdor gloriæ. Per gloriam enim Paulus claritatem æternam, vel lucem incomprehensibilem à nobis intellexit: candidum autem esse lumen videmus. Vnde per candorem lucis æternæ, nõ aliud intelligas, quam quod symbolum concinit fidei, Deum de Deo, lumen de lumine. Verum, vt candor luminis est ab ipsa solari luce, ita & verbum à patre procedit intellectum æternum, vt ab intelligente æterno.

¶ Sunt sanè creaturæ intellectæ à Deo ab æterno, & habent esse intelligibile in Deo æternum. At verò hoc esse intellectum nõ est reale esse creaturę in Deo, sed solum esse intellectum, ideo nõ sunt æternum Dei verbum.

¶ Porrò esse verbi diuini, est esse reale intellectum à Deo per diuinam intelligentiam productum.

Creaturæ etsi habeant esse intellectũ in Deo æternum nõ sunt verbum Dei.

¶ Distingue igitur hæc, loquentem, locutionem, locutum: loquens enim intrase Deus pater est: locutio est interna Dei intelligentia eiusdem loquentis patris. Verum est intelligere Dei essentiale, & est notiale: illud quidem est cõmune beatæ Triadi, hoc verò est proprium loquenti Patri. Est enim intelligendo se, & alia à se eloqui suum verbũ, loquenti sibi adæquatum, locutum autem internum est verbum diuinum, id namque quod loquimur verbum appellamus.

Loquens, locutio, locutum.

¶ Hoc autem verbum est simile loquẽti, quia totum loquentem, & totaliter repræsentat, iuxta illud Ioann. 14. Philippe, qui videt me videt & patrem meum: est autem simile in persona. Nostrum autem verbum non repræsentat intellectum nostrum loquentem, sed externa repræsentat: vt rosa intus concepta non demonstrat clarè nisi à posteriori intellectum, qui illam intelligit, sed rosam: siquidem rosa concepta non sortitur eandem substantiam cum intelligente: quoniam ipsum rosæ verbum, & qui illam loquitur sunt diuersarum naturarum. At verò hoc verbum Dei, & dicitur, non extra naturam loquentis, sed in ipsa loquentis natura, & ipsum loquentem ad intra Deum exacte repræsentat: hac causa loquens, & locutum, dicens, & verbum dictum, & verbum hoc proferens ad intra, & verbum ad intra prolatum eiusdem substantiæ sunt.

Verbum Dei dicitur intra substãtiam dicentis.

¶ Et quia hoc verbum est veluti proles quædam proferentis, quia procedit, ex ipso repræsentando ipsum, idcircò non solum verbum, sed & filius rectissima appellatione appellatur, & verbum hoc proferens, non solum loquens, sed & pater nuncupatur. Nam verbum mentale nostrum, etiam est mentis nostræ germen, vt Damascenus aiebat, & veluti propago, etsi longe diuersa ratione. Est enim germen nostrum, non quia eandem assequitur substantiam, atque mẽs nostra: sed quia est effectus eius. At Dei verbum non est effectus Dei, sed eiusdem substantiæ cum Deo. Quapropter diuina scriptura non solum verbum illud cognominat sed filium, vt ex appellatione verbi spiritualem processionem eiusdem intelligamus, ex appellatione vero filij consubstantialitatem eiusdem cum patre. Hincque disces vnde sapientia Filio Dei tribuatur: nempe, quia totum, quod sapit Pater ostenditur in Filio, non quod pater per Filium sapiat. At sciscitaris, quid ergo ad hanc rationem, & ipsam diuinitatem dicemus verbum, quia omnia creata, & creabilia, & posibilia illa lucidissimè demonstrat. Porrò diuinitati non congruit verbi ratio, non enim sat est demonstrare vniuersa, vt verbum concinnè dicatur, sed quod originem ab illo ducat, verbum enim refertur ad proferentem. At verò Deitas à nullo originem ducit, aut ducere potest. Si demonstrat omnia, non habet hoc ex ratione suæ originis, qua caret, qua verbum potitur, sed ex immensitate suæ naturæ.

Dei verbum germen diuinæ mentis.

Cur sapientia filio in diuinistribuatur.

Diuinitas nõ est verbũ formaliter etsi realiter sit verbum.

¶ Demum diuinæ musæ multis & illustrissimis Christum Dei filium nomenclaturis insigniunt, illum iam Verbum Dei nuncupantes, quia dicit, intrinsecè, & æqualiter quæ sunt Dei Patris, iam Filium, quia Deo est cõsubstantialis, & ab eo genitus.

¶ Sed considera mecum verbum nostrę mentis

Verbũ nostræ mentis nõ est de substantia nostræ mẽtis, sed est intra substãtiã eius

mentis nõ esse de substantia mentis nostræ, esse tamen intra substantiam mentis nostræ, filius autem apud nos, est de substãtia patris, non tamen intra substãtiam patris. Porrò Dei verbũ, est de substantia dicentis Dei, nedum intra substantiam. Et Dei filius, est de substantia patris, & intra substãtiam patris. Nam quãuis apud nos pater habet intra se fœcunditatem gignendi filij, quia in vasis seminarijs prolificum continet semen, at verò non intra se generat prolem, vt fœmina. ¶ At verò Deus pater in se habet fœcunditatem infinitam generandi filij infiniti, & intra suã Deitatem illum generat: & hoc poetæ gestiebant veteres canentes, Deum vtriusq; sexus fœcunditate esse fœcundum.

Christus Deo verbum, splendor, lux, imago, speculum, figura substãtiæ, vita, & veritas, sapiẽtia patris, & ars.

¶ Ad hæc vocatur splendor, vt originẽ esse illius à patre nos docerent diuinæ literæ, sed & vocatur lux in hoc Euangelio Ioann. Et vita erat lux hominum, vt non minorem credamus filium esse patre, quia splendor non tam intensæ claritatis est, quantæ est lux ipsa. Rursum imago Dei inuisibilis, quia in persona est Deo patri quam simillimus, ex ratione suæ originis patrem adæquat è repræsentans, at in substantia idem. Appellatur item figura substantiæ paternæ, id est expressio clarissima hypostaseos paternæ: siquidem Paulus hoc loco substãtiæ vocem ad hypostasim retulit. Laborat igitur diuina scriptura varia nomina Christo tribuere: quia vno simplici nomine, maiestas illi exprimi nõ potuit. Cur autem veritas, & sapientia appellatur, dudum exposuimus. Quæ nomenclaturæ illi congruunt ex diuina à patre generatione. Nos vberius hæc excussimus. libr. 1. Sentent. distinct. 27. ideò ampliori tractatu horum supersedendũ esse censeo. In declamatione quoq; nostra de incarnato Dei verbo ad Esaiam, alia tradidimus, quæ volenti videre ibidem patebunt.

2. Obseruatio principiũ multifariã capitur.

¶ Secundò obseruabis, principij vocem item esse multiuocam docente Arist. 5. Metaphys. text. comm. 1. Primò enim dicitur, quod est primum in magnitudine, à quo aliquis primo mouetur, vt principium viæ, vt oriens est principiũ diurni motus cæli. ¶ Secundò dicitur vnde aliquid optimè fit, vt doctrinæ, vbi non semper, à principio simpliciter exordiũ fit docendi, sed ab eo, vnde melius & facilius discamus. ¶ Tertiò dicitur pars, quæ primo fit, vt cor in homine, & carina in naui. ¶ Quartò principium dicitur, vnde primo fit aliquid, eo pacto, vt non insit, & vnde prius motus mutatiove incipere solet, vt filius ex patre & matre. ¶ Quinto principium dicitur ad cuius electionem mouentur, quæ mouentur, & mutãtur, vt Magistratus. ¶ Sextò dicitur, vnde res primò cognita est, vt suppositiones demonstrationum in scientijs. ¶ Septimò dicitur principium causa alicuius.

¶ Porrò, vt ad rem nos accingamus enodandam, istis enumeratis principij modis, quos Aristot. recensuit, nullum horum modorum inueniemus congruere verbo Ioannis, In principio erat verbũ: vt, si vacat, aut si libet, discurrere poteris sigillatim illos discutiendo, & videbis. Quocirca oportebit inuestigare quid sibi velit Ioann. per hoc quod ait, In principio. Alij enim, vt Augustinus exposuerunt, ideſt, ante omnia, alij, vt Caietan. & Iansenius, in principio dixerunt durationis. Alij, vt Theophilactus, in principio, id est, à principio. Quia. 1. Ioann. 1. Quod erat ab initio, quod vidimus: ab initio autem significat ante omnia.

Quid est in principio erat verbum. Placita autorum.

¶ Ego verò paucis dixerim Ioannem Euangelistam hoc sermone suo alluſisse ad capit. 8. ex libro Prouerbiorum, vbi æternitatem diuinæ sapientiæ docens Salomon inquit. Ab æterno ordinata sunt, & ex antiquis antequam terra fieret. Nec dũ erant abyssi, & ego iam concepta eram. Et sigillatim deniq; describit primaria vniuersi opera, & ait, sapiẽtia se ante omnia hæc esse conceptam, & ordinatam: ideò ait, quando præparabã cælos aderam, & reliqua.

Autoris decessio.

¶ Et Ecclesiasticus. 24. idem versans argumentum, sapientiam introducit loquentem, ego ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam: & paulò inferius, Ab initio & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum seculũ non desinam. In principio igitur, quod ait Ioannes erat verbum, idem est atque si dixisset, ab initio & ante secula erat verbum, & hoc, idem est atque si dixisset,

Concordia vtriusq; testamenti,

set, primogenitum erat verbũ, ante omnem creaturam. Et hæc omnia hunt habent sensum, in æternitate erat verbum. Æternitas enim, quia est ante omnẽ durationem siue æui, siue tẽporis, est nãq; durationum prima simpliciter, & maxima, quare quia simpliciter præcessit omnia, & est prima omnium durationum, ideò scite dixeris esse principiũ simpliciter: etenim ratio principij, est ratio primi, quia omne principium est primũ autore Aristot. Æuum namq; ab æternitate procedit, itemq; tempus: & sunt quasi quædam æternitatis vestigia, obscuræ ve participationes. Siquidem æternitas principiũ non habet neq; finem: at æuũ si finem non habet, principio nõ caret. Igitur in hoc principio simpliter omnis durationis, quod prorsus caret principio, scilicet, in æternitate, erat verbum. Hoc enim fuit Ioannis institutũ demonstrare æternitatẽ Christi, & q vt Deus est, matrem præcesserat. Quòd verò traditur, sapiẽtiam esse creatam ab initio, istis non obstat: facilè enim ostendit Ecclesiasticus, creaturã nõ fuisse ex nihilo, quia dixit, ab initio & ante secula creata sum. Quod enim ante secula est, nõ creatur ex nihilo, quia iam tunc fuisset quãdo non erat, quia nihil aliquando fuit. Fieri igitur nequit, creaturã esse Dei verbum, quod sapientia est Dei patris, quia non ab initio fuisset, neq; ante secula extitisset. Arrius autem aiebat, esse creaturam Christũ, & fuisse nihilominus ante quã conderetur orbis. At vero etsi ante secula fuisset, non tamen coæuus patri, iam tunc Christus nõ esset illud verbũ, per quod facta sunt omnia, siquidẽ Christus esset factus per verbũ, per quod facta sunt omnia: & ideò non esset verbũ hoc Christus, Ioanne reclamante, Verbum caro factum est. ¶ Ideo duo coniunxit Ecclesiasticus, esse Dei sapientiã ab initio, & ante secula. Quia verò in creatione propria duo sunt, & accipere esse ab alio & habere esse post non esse, Ecclesiasticus dixit creatam sapientiam propter primũ, non propter secundum. Quòd si rogitas, Cur igitur Ioannes nõ dixit in æternitate erat verbum, sed in principio? Vtiq; quia æternitatis vocabulũ subobscurius est, quã in principio, vel quia voluit suũ euangelium exordiri, vt Moses suũ Pẽtateucũ. Moses enim creaturarũ originem temporalem nobis tradẽs cœpit Genesim ex illo verbo, In principio creauit Deus cælum & terrã. Ioannes quoq; originem æternã demonstrare volens verbi diuini exorsus est simili oratione, in principio. Cæterũ Moses dixit fecit, Ioãnes erat. Quia ille creaturarum docebat principium, quæ factę sunt. At Ioan. verbi docere volens æternitatem, non dixit in principio factum est verbum, aut, fecit Deus verbum, aut, plantauit verbũ, vt de Paradiso Moses dixit Genes. 2. Plantauerat autem Dñs Deus paradisum voluptatis à principio. Vnde Hieronymus propter verbum, in principio, in initio ferè Hæbraicarũ traditionũ videtur sentire Paradisum esse plantatũ ante mũdi constitutionem. At si hoc verum esset, quì cõstabit verbum hoc, In principio creauit Deus cælũ & terram? Etenim paradisus non erat cælum, igitur terra, vel in terra locatus, igitur ante terram esset condita terra. Laborant multi in exponẽdo Hieronymo, alij illi consentiunt, quod longum esset recẽsere. Idcircò ista hæc missa faciamus, quippe quæ non sunt huius instituti, & ad nos redeamus. Non ergo Ioannes dixit, quæ recensuimus, sed, In principio erat verbum, Et nullo cõmodius potuit vti verbo: siquidem si dixisset, In principio fuit, existentiam verbi subnotabat finitam, vt si dixisset, erit, nondum extãtem: at dicens, erat, existentiam verbi significabat, quã dixerat in principio, nõ esse finitã. Simili quoq; verbo Prouer. 8. loquitur diuina sapientia dicens cum eo eram cũcta componens, non enim dicit cum eo fui cuncta componens, ne denotaretur tunc fuisse cũ Deo cõponens, & cessasse iam à compositione. Vt ergo denotaret non cessatum esse à componẽdo cũ Deo vniuersa, inquit, cũ eo eram cuncta cõponens. Quippe Deus semper operatur, si non componendo denuo orbem, operatur nihilominus operatorius naturæ, itemq; & verbum cũ eo. Vnde pater meus, ait Ioan. 5. vsq; modo operatur: & ego operor: ideo dixit sapiẽtia, cum eo eram cuncta componens.

¶ Scito tamen aliquando in diuinis scripturis per verbum præteriti temporis perfecti æternitatẽ etiam notari. Ioan. enim.

Æternitas est principiũ simpliciter.

Quomodo sapiẽtia Dei tradita creata, cũ sit mercata.

Verba dura Hieronymi de paradiso.

Loca Prouerbiorum exponitur.

enim.1.traditur, Clarifica me pater, claritate, quam habui antequam mundus fieret apud te, at verò etiamsi, habui, sit præteriti tẽporis perfecti, nihilominus ait Christus verba commemorata: neque tamen ob id modo significat iam non esse clarificatum.

Concordia vtriusq; testamenti.

¶ Et rursum Psal. 100. Dixit Dñs Dño meo, vsus est Dauid eodem tẽpore præterito perfecto. Et Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et Paulus ad Hebræos, Christus heri, & hodie, & vsq; in secula. cap. 13. cõplexus est perfectũ præteritum, præsens, & futurũ. Nos autem rem hanc alibi disputauimus. 1. Sent. lib. dist. 8. disp. 1. in præsenti verò sat sit dixisse diuinam scripturã multifariam ostendisse æternitatẽ diuinæ generationis, iam per verbum erat, vt Ioan. modo. Et Apocaly. c. 1. Qui est, qui erat, & qui venturus est, vbi non, fuit, scribitur, sed erat. At verò Dauid duo coniunxit, & præteritum perfectũ, & præsens, quando inquit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Namque hodie ad præsens spectat, vt quando inquit. Dixit Dñs Dño meo sede à dextris meis, vt Paulus dicens, Christus heri, & hodie, & vsque in secula, omnes differẽtias tẽporũ Christo tribuens, vt inde eiusdem æternitatẽ insinuaret Chrysostomo ibidem exponente. ¶ Si autem solũ scriptura cõmemorasset verbũ Dei vel Christũ fuisse, ex verbo præteriti perfecti isto, fuit, occasio erat suspicandi illum esse temporalem, at verò dicens Christus heri, adiecit hodie, & in secula. Et dicens ipsum venturum, prædixit Apocaly. ipsum esse, & esse, qui erat: & hoc ex industria Spiritus sancti factum puta, vt resecaret occasionem cõiectandi non esse æternum Christum. ¶ Ioannes verò in hoc Euãgelio solum dixit, erat verbum quippe dixerat in principio, cui non potuit cõmode aptare fuit, aut erit, aut est: ideò illi aptauit erat. Quia institutum erat Ioan. æternitatem verbi subindeq; diuinitatem illius ostendere. Veruntamen nõ semper verbum erat hoc fruitur munere denotandi ęternitatẽ. Paulus enim ait, Erat Deus in Christo reconcilians mundum sibi, at semper ab æterno erat diuinitas in Christi humanitate.

Erat nõ semper æternitatem denotat.

2. Corint. 5.

ENARRATIO II.
in caput primum.

¶ *In principio erat Verbum. &c.*

SVNT qui hunc locũ multò secius exponãt, atq; hactenus exposuimus, videlicet, In principio erat verbũ, hoc est in patre erat verbum: & hanc expositionẽ tribuunt Basilio. Basilius autem in homilia, quam indicauit Enarratio. 1. nõ hoc apertè docet. Ait namque, Hic erat in principio, hoc est semper apud Deum eius patrem. Vnde in principio erat, ex posuit, hoc est, semper erat: non tamen in patre erat. Nam tametsi Patrẽ Theologia vera credat esse. S. Triadis principium: at verò hoc loco, vt videtur, non intellexit Ioãnes, erat in principio, hoc est erat in patre: neque Basilius hoc tradit: sed potius Origenes, quem Thom. in Catena in hanc sententiam indicat. Et glossa Ordinaria, & interlinealis hãc Origenicam sectantur declarationẽ, In principio, ideſt, in patre: quia pater est principiũ principij, scilicet filij. Quãuis interlinealis, & August. 6. de Trinitate non prætereat expositionem, In principio, ideſt, ante omnes creaturas, vel ante omnia quod idem pollet. ¶ Porrò lucidior videtur expositio Basilij, In principio erat verbũ, ideſt, semper erat verbũ, vt nos declarabamus, in æternitate erat verbum. ¶ Origenes autẽ multa denarrat principiorum genera, scilicet, principium itineris, principium generationis, principiũ, quod est causa efficiens, principium quod est causa materialis, principium sanctificationis, quod est Christus principiũ doctrinæ. Verum hæc enodare nõ iuuat, quia plures acceptiones principij prior enarratio docuit iuxta dogma peripateticũ: siquidem modorũ istorum cõgruit nullus nostro instituto. Siquidẽ principiũ sumitur alia ratione modo, scilicet, pro æternitate, quæ omnem creaturam precedit. Qua præmonitione de principio præmissa in prępatulo erit, decernere Ioannẽ dicentẽ, In principio erat verbũ, nõ intellexisse suũ sermonẽ de verbo volatili, quod est vocale verbũ, aut de eo quod atramento pingitur verbo scripto, aut de verbo mẽtali humano,

Esse in principio quid sit

Principium pluriſariã sumitur.

1. Corint. 13. aut angelico, angeli enim etiã potiuntur verbo mẽtali, vt linguã teſtatur Apoſtolus illos habere, id quod verũ eſt, de lingua mẽtali. Non tamen hæc verba ſunt Chriſtus: hæc namque non in principio erant. Quippe quæ ſunt poſt principiũ & ſub principio: ideò creata ſunt verba, at Chriſtus increatũ eſt verbum, à quo fluxerunt iſta creata verba.

Hæſitas forſan cur dixit Ioan. In principio erat verbũ, & nõ, In principio erat Filius? Baſilius loco prænotato, cuius eſt ſubſcriptor Chryſoſtomus hunc enarrãs locum, cenſent, eò factum, quò amputaretur vana ſubrepens cogitatio, Chriſtũ genitum fuiſſe à patre carnali generatione. Verum forſan opponeret quiſpiam Baſilio & Chryſoſt. Ioãnem ex contextu hanc occaſionem amputaſſe. Quoniã ſi dixiſſet, In principio erat Filius, ex eò quod præmiſerat, in principio, carnalis originis delebat ſuſpicionẽ. Carnalis nãque origo in principio nulla erat, nec poterat eſſe. Carnales enim tranſmutationes imò neque ſpirituales æternitas admittit, quia æternis repugnant. Fortaſsis clarius enodaremus dubium hoc dicẽdo ſcripturã diuinam Chriſtũ eſſe Filium Dei frequenter commemoraſſe. Euãgelica enim trium Euangeliſtarũ narratio, non ſemel hoc cõmemorat: imò & Pſalmi illud nõ tacent minimè. At verò modum huius filiationis, Euangeliſtæ tres, & pſalmi aut prophetæ non exprimũt. Quia ex trium Euangeliſtarum euãgelica lectione nõ patet, quo nam pacto filius à patre procedat. Id quod Ioãnes aduertens, qui quartũ & poſtremũ edebat Euãgeliũ, Verbũ poſuit, nõ Filius: nouãque nomenclationẽ, quã alij tres priores Euangeliſtæ ſubticuerunt ipſe indidit Chriſto: vt inde diſceremus modũ generationis Chriſti ex patre, eſſe inſtar verbi mẽtalis noſtri: quod à fæcũditate noſtræ mẽtis procedẽs, apud ipſam manet. Et ſine corruptiõe aliqua ab illa prodit: & eſt mentis egregia proles: in qua ſibi mens oppidò cõplacet. Vt parẽs in perfecta prole, quia imperfecta reinotio verbum nõ eſt. Quãuis diuinũ verbũ cũ ſit infinitũ, vniuerſa hæc facile ſuperat. In ſcriptura porro Dauidica, etiam inſinuatur Chriſtũ eſſe Dei verbũ Pſal. 2. & 10. Cæterũ obſcurè ſatis, & Ioã. clare aperit.

In æternis nulla eſt trãſmutatio.

Ioãnes ſolus clare expreſſit Dei filiũ genitũ à patre inſtar verbi mẽtalis ab intellectu.

ENARRATIO III.
in caput primum.

¶ *In principio erat Verbum. &c.*

ERaſmus Roterod. contendit lectionẽ hanc vulgatam eſſe tolerandã, at germaniorẽ eſſe illã, In principio erat ſermo: cũ hæc vetus fuerit lectio patrum quos indicat nõ paucos, tũ quod ſermo eſt perfectior quã verbũ. Demum quia melior eſt oratio, ſermo caro factus, quã, Verbũ caro factũ eſt. Hæc igitur lectio, In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo, illi probatur magis, quã vulgata: quam alioqui non reprobat. ¶ Credit autẽ ex eo Chriſtum appellari verbum, quia quidquid Deus pater loquitur, per filiũ loquitur. ¶ Verũtamẽ vt ab hoc vltimo principiũ ſumamus diſſerendi rem hanc, alia quidẽ ratio eſt habenda verbi incarnati, alia verbi ante incarnationẽ. Etenim incarnatũ verbum eſt tanquã ſenſibile verbũ, vt ſupra admonebã: at ante incarnationem, mentale ſolũ verbum. Rectè igitur Theologizat Eraſmus, ſi de verbo Dei carne accepta intelligat. Etenim Paulus ad Hebræ. 1. Multifariã, inquit, multiſq; modis olim Deus locutus patribus noſtris in prophetis nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. &c. Et Auguſt. lib. de Fide, & Symbolo. c. 3. Chriſtũ eſſe Dei verbũ tradit, quia Pater innoteſcit nobis per Filiũ. ¶ Cæterũ Ioannes in priore hoc ſermone de verbo ante carnẽ aſſumptam meminit, carnẽ enim nõ in principio accepit, ſed cũ venit plenitudo tẽporis. Antequã igitur hominibus loqueretur, antequã in terris viſus eſſet & habitaret in nobis, iam erat verbũ Dei patris. ¶ Quãobrem nõ propterea verbum in æternitate erat, quia nobis oſtendebat patrem, ſed quia procedebat à patre, per actũ intelligendi, qui eſt quædã locutio mẽtalis, & quod æternò loquebatur Deus pater erat ſuũ verbum, vtſuprà expoſuimus. ¶ Quod verò dixit germaniorem eſſe lectionẽ transferentem, λόγος, per ſermonẽ, quã per verbum, nõ video & cur illi magis placuerit lectio hæc, quam noſtra vulgata: ſiquidem, ſi apud quoſdam Doctores veteres legi-

Eraſmi placitum diſcutitur.

Verbum caro factum eſt inſtar verbi ſenſibilis, vt non caro factum eſt ſimile verbo mẽtali.

tur

tur ſermo, apud plures alios legitur verbum. Et, ſi quia ſermo eſt perfectior, quam verbū, ideò germanior eſt lectio, germana eſſet etiam lectio, In principio erat oratio, vel ratio, oratio enim etiam eſt perfectior quā verbum, itemq; ratio: eſt enim verbum pars orationis rationis, & totum eſt perfectius parte ſua.

Germanior eſt lectio noſtra vulgata, quam lectio tradens, In pricipio erat ſermo.

¶ At verò, λόγος, rationem Græcis, orationem artificioſam autore Baſilio ſermonem, modū, ſupputationē, verbūq; ſignificat ipſo teſtante. Igitur, ſi ratio Eraſmica neruos habet, pro ſuo placito conſtituēdo, cur non hęc mea contra ipſum? At ipſe neq; vllus ſanctorum hanc probauit lectionē, In principio erat oratio, aut in principio erat ratio.

¶ Vnde Auguſt. lib. 83. queſtio. quod logos, inquit, dicitur Græcè, Latinè, & rationē, & verbum ſignificat. Sed hoc loco verbum melius interpretatur, vt ſignificetur, non ſolū ad patrem reſpectus, ſed ad illa etiam quæ per verbum facta ſunt operatiua potentia. Ratio autem etſi nihil per eā fiat rectè ratio dicitur. Namq; verbum, quia ex vi emanationis habet repræſentare patrē, & quæ in patre oſtēduntur vniuerſa, ideò eſt exemplar diuinū verbū vniuerſorū. Quia ex vi emanationis, in illo repræſentātur vniuerſa, quæ Deus fecit, vel facere poteſt. Vnde probè Aug. de verbis Dñi ſerm. 38. Verbum, ait, Dei eſt forma quædā, non formata, ſed forma formatorū omnium, ſignificans hoc ſermone, verbū diuinū eſſe ſupremū exēplar omniū creatorū, nō tamen, quod Dei verbū ingrediatur rerum cōpoſitionē, ſed exemplar eſt vniuerſæ mundanæ cōpoſitionis: quia cum Deo erat cūcta cōponēs. Prouer. 8. Ideò Aug. dixit, verbum Dei eſſe operatoriū.

Diuinū verbum eſt forma omnium formatorum

¶ At verò tu cōſidera verbū ſpeculatiuū non eſſe operatoriū, ſed verbū practicū, item rationem ſpeculatiuā non eſſe actiuam, ſed practicā eſſe actiuam. Verbum autem Dei & praxim, & ſpeculationē, eminentiſsimè comprehendit. Vnde cō mode theologizabimus, ſi dixerimus, verbū Dei eſſe ſpeculatiuū, quia omnia contēplatur, etiā poſsibilia & practicū, quia omnia per ipſum facta ſunt, itemq; eſſe rationē ſpeculatiuam, & practicam ob eandem cauſam. ¶ Verū, quia verbū eſt principium ſermonis, & orationis, & rationis ſiue ſpeculatiuæ, ſiue practicæ. Namq; iſthæc omnia ex verbo pendēt, vt ex principio. Hac ratione cōgruè interpres interpretatus eſt λόγος, per verbum vt ex ipſa ſignificatione verbi ſimplicitatem diuini verbi, & rationē principij cōſideraremus. ¶ Quāquam verbū eſt principium orationis vt componens materialiter illam, at verbū Dei vniuerſorū eſt cōpoſitor vt efficiens principiū. Adde iſtis verbum etiam cōprehendere ſermonem: quippe ſiue oratio, ſiue ſermo verbū dicatur. Non enim modo arctamus verbum ad grammāticalem obſeruationem, vt id ſolum verbum appellemus, quod inflectitur per modos, & tempora, quin imò omnem dictionem ſignificantem aliquid, vel ſermonem nuncupamus verbum.

Verbum Dei & praxim & ſpeculationē cōprehendit

¶ Quia igitur Dei verbū, quā maximè eſt ſimpliſsimum, & quia rationē habet principij componētis vniuerſa Prouer. 8. & quia vniuerſa repræſentat ex vi ſuę emanationis, id quod obſeruanter addo, nam Spiritus ſanctus vniuerſa repræſentat, non ex vi tamen emanationis ſuæ, ſed ex diuinitate ſua, ideò Spūs ſanctus non eſt verbum niſi impropria ratione loquaris, vt Baſilius loquitur Homilia ad. 1. cap. Eſaiæ tractans verba illa. Quia os Dñi locutū eſt, vocat enim Spūm ſanctum os Dei, & alibi illū verbū Dei appellat. Propterea igitur rectè trāſtulit interpres λόγος per verbum, & non per ſermonē. Noluit autem transferre, In principio erat ratio, quia ratio eſt multiuoca vox: ſignificat enim philoſophis, & vim mentis, & illius ratiocinium: quorum neutrum Ioānis inſtituto congruebat. Erat enim Ioānis propoſitū æternitatē Chriſti exponere. Quidā enim ex verbis iſtis, ſi talis fuiſſet tranſlatio, In principio erat ratio, intellexiſsēt, In principio erat mēs, quæ cū nō ſit relatiua, neque notionalis pſonā filij nō declarabat. Alij verò intellexiſsēt, In principio erat ratiociniū, quod magis ridendū forſan videretur: vnde diſcedo à Caietano, qui credit cōmodiorē verſionē fore, In principio erat ratio. ¶ Scite igitur tranſlator vertit, In principio erat verbum. Neq; te moretur Eraſmi ratiuncula alia, quia Sapient. 18. habetur, Omnipotēs ſermo tuus Dñe, exiens ex regalibus ſedibus

Cur germana ſit tranſlatio per verbum?

Spūs ſanctus non eſt verbum Dei.

Caietanus refellitur.

tuis. &c. quem locum multi Doctores sancti de verbo Dei intellexerunt subsistente. Quare non est reijciēda trāslatio λόγος per sermonem. Dixerim quidem locū prehabitum ad literā non de verbo substātiali Dei, sed de mandato Dei esse intelligendum, id quod contextus facilè ostendit. Mandatū enim Dei est omnipotens, quia nihil poterit illi resistere. Deus autem iussit Ægyptios esse orbādos primogenitis nocte vna, ideò ait, omnipotens sermo tuus Dñe. Et Nicolaus Lyranus ad eādem rationem locū hunc elucidat. Neq; puto tamē, translationē per sermonē, esse incōmodam, sed per verbū longe commodiorē, quā obseruat Ecclesia. Etsi Laurētius Vala, ante Erasmū, quia fuit etiā vocum obseruantissimus, etiā desiderauit immutandū hunc à vulgata vt pro verbo, sermo legeretur.

Locus sapientię exponitur

Verbū variè accipitur, in scripturis.

¶ Sciendum porrò est, vt hæc nitescant, maiori claritatis nitore verbum Dei plurifariā capi in diuinis oraculis. Iam enim denotat ipsum subsistātiale, vel subsistēs Dei verbum quod est Christus Dñs. vt hoc loco apud Ioan. & scribitur cum articulo, ὁ, qui articulus est emphaticus, & verbi quādò excellentiam supra cætera omnia verba denotat: vt ὁ λογος significet ipsum verbū, vel illud verbum. Rursus apud Ioan. 1. Ioan. 5. Tria sunt quæ testimoniū dant in cælo, Pater, Verbū, & Spūs sanctus. Quo etiam loco legitur ὁ λογος, hoc est illud verbum, ad significandū non de vulgaribus verbis facere mentionē, sed de singulari diuinoq; verbo. Cuius quoq; & vetusta sunt oraculorū testimonia: quale illud est Serapidis oraculum. Primū est Deus, tunc sermo eius, & spiritus cū istis tria hæc tendentia in vnum. Multa horū testimonia nos in 1. Sentent. loco citato indicamus, quę ideo in præsentiarum valere iubemus.

Subsistēs Dei verbum.

¶ Sumitur & alio modo verbum, pro diuina lege, proque diuina prædicatione seu pro sermone prophetico, vel euāgelico. Vnde Ioan. 13. Iam vos mundi estis propter sermonē meum. Ioan. 13. Et. 2. ad Thessal. 2. laudantur à Paulo Thessalonicenses, quia exceperunt honorificè verbū Dei. Et Act. 6. Apostoli instituunt diaconos, vt ipsi ministrarent verbo Dei. ¶ Et in Psal. Principium verborū tuorum veritas, & sæpè aliás. Tertio verbū significat imperiū vniuersale diuinū: vt in Psalmo, In æternū Dñe verbū tuū pmanet in cælo: & ad Hæbr. 1. Portāsq; omnia verbo virtutis suæ, id est, regens, & cōseruans, & disponēs omnem creaturā, secundū imperiū suæ omnipotentiæ. Quo fit vt impropriè torqueāt hunc locū, quidā ad Spūm sanctū vocantes Spūm sanctū Christi verbum, quo vniuersa regit & dispensat: si quidē & si Spūs sanctus appellatur in scripturis spiritus Christi nunquā tamē verbū Christi. Neq; verbū tribuitur Spūi sancto, esset enim cōfundere beatas Triadis personas.

Acceptiones aliæ verbi.

¶ Accipitur etiā verbum pro creatura: quandoquidē Matth. 4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Quę verba, tametsi vulgatā habent expositionē, de prophetico, & euāgelico verbo, quod pascit mentē, verū videtur illius germana expositio hęc alia, viuit homo, ex omni verbo, quod procedit ex ore, idest, ex omni creatura, quæ à Deo est instituta ad alendā hominis vitā. Quasi apertius Dñs dixisset, Diabolo, Nō est mihi necessarius adeò panis frumētaceus, vt cogar lapides vertere in panē in eduliū, & alimoniā corporis mei, siquidē sunt & alia multa à Deo creata, quæ nutrire me possint sine pane. Et hoc sanè verū est, si quidē Ioānes Baptista vastā eremi soli tudinē colens melle syluestri, & locustis pascebatur, & nō pane. Et sunt qui autumēt ἀκρίδες, nō esse locustas, sed teneras summitates frondiū, ex quibus Ioannes alimentū decerpebat vt Nicephorus existimat. Et in vita S. Hilarionis legimus, ipsum vixisse ex caricis ficorum sine pane. Et Æthyopes, ex oriza victitāt: & Indi ex radicibus arborū sine pane frumēta ceo pascūtur, & alūtur, adeò vegeti, imò vegetiores quā nos qui ex pane alimur. Ideò Dñs dixit, Non in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo. &c. nō quod omnis creatura possit hominē alere, sed quæ à Deo ad hanc nutricationē præstādam paratę sunt. Est igitur creatura etiā verbū subsistens procedēs ex ore Dei, at nō illud verbū singularissimū, procedēs ex ore Dei, quod erat in principio prolatū à Deo in sua deitate, ante omnē creaturam. Creaturę enim sunt plura verba, hoc autē increatū verbū est vnum verbū

Locus Matthæi exponitur.

Matth. 3. Nicepho. lib. 1. histo. Eccles. cap. 14. ἀκρίδες, Nicephoro quid.

quod

quod semel locutus est Deus in sua æternitate, & deitate. ¶Demum, vt absoluamus Erasmũ dicẽtem molliorẽ esse hãc orationẽ, In principio erat sermo, quam hãc, in principio erat verbũ, dixerim nullã me videre maiorem mollitudinem, in illa quã in hac, nisi quod in illa similiter desinunt sermo, & caro, nã desinũt in, o, at verò in secũda non similiter: verũ hęc desinẽtia similis ad rẽ nihil facit hanc.

ENARRATIO IIII.
in caput primum.

¶ *Et Verbum erat apud Deum. &c.*

Græca lectio gemino vtitur emphatico articulo, ad hunc modũ, & ipsum verbum erat apud ipsum Deũ. Primus articulus denotat Ioãnem non de quolibet verbo, sed de verbo creato, & æterno illo, de quo dudum sermonem inchoauerat, de eodẽ se subdere modò sermonẽ. Posterior verò articulus, denotat Ioannem, non loqui de Dijs per participationem, sed de Deo vero, qui per suam naturam, non ex participio deitatis, Deus est. Namq; Paulo docente sunt Dij multi, & Domini multi, & Psalmo, concinente. Ego dixi Dij estis vos. Verũ scriptura quando de huiusmodi Dijs orationẽ texit, non apponit articulũ emphaticũ ὁ, vel οἱ, sed sine articulo illos vocat Deos. Porrò diuinitatis illius singularis, cũ meminit vt tãti numinis maiestatẽ doceat articulum apponit, vt ex articulo appositio, discrimen tãtę deitatis, ab alijs omnibus, qui vocitantur Dij, subaudiamus. Quanuis non est hoc inuiolatę obseruantiæ in scriptura, vt sub hęc patebit, etsi Orig. ita sapiat. ¶Basili⁹ igitur homilia sępe indicata locũ hũc exponẽs inquit, Admirare cuiuslibet vocis virtutẽ. Non enim, ait, in Deo erat verbũ, sed apud Deũ: vt hypostaseos proprietas cõsistat. Non dixit in Deo, ne auferẽdæ hypostaseos occasionem daret. Etenim peruersa est illorũ blasphemia, qui omnia cõmiscẽre & vnum subiectũ statuẽre, patris vero, ac filij, ac Spiritus sancti differentes appellationes, vni rei adaptatas asserere conantur. ¶Quæ verba vt intellecta sint tibi reuocabis in memoriam fuisse Sabellium, qui credidit in Deo esse paternitatem, filiationem, & Spirationẽ: non quod hęc essent in Deo proprietates realiter distinctæ, sed solũ erãt in Deo distincta secũdum nostram considerationẽ. Vnde & si nomina erãt distincta, non tamen realis horũ asserebat distinctionẽ. Vnde diuinitas illi erat quasi vnum subiectum horũ prædicatorum Pater, Filius &c. at prædicata sola ratione distinguebãtur ¶Ait igitur Basilius Ioãnẽ nõ dixisse verbũ erat in Deo, quod perinde erat acsi dixisset, filiatio erat in Deo, sed ad contũdendã Sabellianam hæresim, dixit potius, verbum erat apud Deum vt subindè de notaret Patrẽ & Filiũ, esse duas distinctas realiter personas Nã nihil est apud aliud nisi quod verè ab eo distinguitur realiter. ¶Cyrillus item, & Chrysost. idẽ arbitrãtur prępositionẽ apud, ad denotandã distinctionem realem verbi, à patre proferente à Ioãne appositam esse. ¶Interlinealis verò, verbum erat apud Deum elucidat secundum personam, non secundum substantiam, & rectè, quia substantia filij & patris est vna, ideo non potest esse apud semet ipsam: ideo solũ verum est de persona filij, hæc enim erat apud personam patris. Caietanus autem prępositionem hanc, apud, Gręcis etiam significare putat, quod præpositio, ad: & vtraque ratione locũ exponit. Cæterum altiorem sensum rimandum ex præpositione, ad testatur: siquidem sensus erit esse verbi esse relatiuum esse ad Deum, id quod in nulla substantia creata extat: siquidem nullius substãtiæ creatæ esse est relatiuum ad Deum. ¶Obiurgat Caietanum Ambrosius Catarin. in annotationibus suis libro. 1. & scite, siquidem verbum non includit relationem, ad Deum sed solum ad dicentem: vt filius apud nos non exprimit formaliter relationem ad hominem, sed ad patrem. Et quidem si esse verbi est relatiuum ad Deum, verbum distingueretur realiter à Deo. Namque in diuinis omnia sunt vnum, nisi vbi obuiat relationis oppositio, si ergo per te est oppositio relationis inter Deum & verbum, Deus non est verbum, quod hæreticum esset asseuerare.

¶Et rursum ex creatura si consideras vt

creatura

Articulus, ὁ, emphaticus.

1. Corint. 8. Psalm. 81.

Origenes in principio tomi secundi in Ioan.

Elucidatur Basilius.

Caietanus carpitur

creatura est, esse eius est ad creatorem, si absolutè, tunc esse eius non est ad aliud, ita dicerem de verbo, vt verbũ est ad dicentem refertur nõ ad Deum, vt substãtia est relatiuum non habet esse, sed potius absolutum. Prius dixisset Caietañ. quod transferẽdo verbum erat ad Deũ, prępositio, ad, respondens prępositioni, πρὸς Græcè non significat relationem, ad Deum, sed originem, vt extat in Pausania, νηλειδῶν τὰ πρὸς μητέρος πρὸς, id est à Nelida genus in æternum ducẽtes, itidem verbum erat ad Deũ, id est, à Deo erat genitum.

ENARRATIO V.
in caput primum.

¶ *Verbum erat apud Deum, &c.*

ACCEPISTI HActenus aliena, quæ in quarta denarratione protulimus, & declarauimus, opportunus iam erit locus nostris, qualibusqualibus, edendis. Scito igitur Ioannem huc vsque verbi æternitatem & processionẽ æternã docuisse. Æternitatem quidẽ dicens In principio erat, processionem vero dicens verbum. Verbum namque esse relatiuum habet ad proferentem. Vnde commemorans verbum processionẽ illius ab alio proculdubio insinuarat.

Peripatetici creaturas æternas & à Deo æternò emanantes asseuerant.

¶ Porrò diuinitatem huius verbi nõ hucidè expresserat. Philosophi namq; Peripatetici Aristotelis placita sectantes, creaturas quasdam testãtur esse æternas, & æternam à Deo habuisse processionẽ, aut emanationem (vt voce illorũ vtar) quos tamen non esse Deos indubitatum habent. Angelos enim, quos ipsi intelligentias appellitant æternos testantur, vt & cælestes globos, à Deoque perpetuã sortiri emanationem: cæterũ in istis nõ arbitrãtur diuinitatis esse numen. Quã ob causam non sufficiebat Ioãni palam facere verbi æternitatem, & æternã processionem insinuasse, nisi & diuinitatẽ illius verbi simul exposuisset, per verba commemorata, & verbum erat apud Deum. At mea certe, si non aliorum sententia exponere locum hunc non est in absoluto. Quippe præpositio, Apud, non idem denotat in diuinis eloquijs. Legimus enim in Psal. 35. Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ. Et in Psal. 129. Apud Dñm est misericordia, & copiosa apud eũ est redẽptio. ¶ At vero in locis istis, non significat distinctionẽ realem fontis vitæ à Deo, vel misericordiæ à Deo. Cæterũ sensus est in te, vel intra te est fons vitæ, & in te est misericordia, & redemptio, vt Deut. 7. non erit apud te sterilis, idem est, atque in te non erit sterilis. Et Sapient. 2. Dixerunt impij cogitantes apud se, idem est ac si dixissent intra se male cogitabant de perdendo iusto; vnde si hæc significantia esset solum obseruanda, vtique sensus esset, & verbũ erat apud Deum, id est, erat in Deo: verum altiora nobis promere Ioannes gestit. Nam esse quidem verbum in Deo non est absurda locutio. Cum discamus ex eodem Ioann. 14. Ego in patre, vt ergo filius traditur esse in patre, similiter verbum erit in Deo. Imò glossa intellexit Ioannis verba, In principo erat verbum, id est, in patre erat verbum. Et quid vetat obsecro fateri verbum mentale esse in concipiẽte? Conceptus namque materialis, est in ipsa fœmina, quæ concepit, spiritualis autem conceptus, quid ni erit in mente concipiente.

De significãtia prępositionis apud.

¶ Attamen si ad hanc exponemus Ioannis rationem, non exprimemus prorsus verbi huius, quod differimus, profundam intelligentiam, siquidem nihil singulare expressisset Ioannes de verbo Dei, si hoc voluisset duntaxat, quod est filium esse in patre. Siquidem, & patrem similiter esse in filio locus prænotatus Ioan. admonet.

¶ Veruntamen Ioannes & verbum ait, esse apud Deũ, porro Deum esse apud verbum non dixit. Namque autor est Hilarius. 2. de Trinitate prępositionem istam, apud, denotare autoritatẽ in patre principij in S. Trinitate. Igitur nõ item dicemus Deũ esse apud verbum, vel patrem esse apud filiũ, vt verbũ esse apud Deum, aut filium esse apud patrem, vt aliud est militem esse apud imperatorẽ, & aliud imperatorẽ apud militẽ, tametsi hæc collatio non conquadrat prorsus huic instituto, quia inter patrem, & filium, non est disparitas, quæ inter imperatorem, & militem.

¶ Scrutemur

Quid sit verbū esse apud Deū collatis scripturis demonstratur.

¶ Scrutemur igitur diuinas scripturas presiùs si forsan ex illarum collatione lucebit clarius quid Ioannes nunc velit. Et quidē hoc eodem cap. legimus Deū nemo vidit vnquā, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse narrauit nobis. Puto autē idem esse, verbū esse apud Deū, quod vnigenitū esse in sinu patris. Quæ enim cōdita in sinu tenemus nobis sunt valde cōiuncta, & à nobis alioqui realiter distincta. Ioānes igitur per verba quę disserimus, Verbū Dei significat nō esse extra Deitatē, ab illa separatū sed esse in diuinitate, esseq; vnitū cū Deo proferēte ipsum, & ab eodē realiter distinctum. Itaq;, apud, hoc loco separationē negat, vnionē docet, distinctionē realē, & originē denotat. Optimè igitur expones Ioā. si dixeris, verbū erat apud Deū, quia verbū nō erat extra Deū, neq; ab illo separatū. Quippe, qui est apud aliū, nō est separatus ab eo: verbū itē erat apud Deū, quia illi vnitū, & cōiunctū. Namq; qui est apud aliū illi est coniūctum. Verbū rursus erat apud Deū, quia distincta persona est à Deo patre, apud quem est hoc verbū. Siquidē qui est apud aliū distinctus est realiter ab illo: quia nihil est apud se, verbū iterum erat apud Deum, quia à patre à quo dicitur originē ducit, quippe quod ab illo dicitur. ¶ Et quam quā prępositio, apud, aliàs non denotet originē, at modo originē denotat. Quādoquidē vt annotabā ex Hilario, significat autoritatē principij. Neq; enim dicemus Deū esse apud verbū, vt verbū fatemur apud Deū: id quod facile indicat originē verbi à patre, denotare sermonē hunc, verbū erat apud Deū. Maximè, quia verbo adiūgitur prępositio apud: verbū autē originē significat à pronūtiāte. Itidemq; in verbis relatis paulo ante, vnigenitus, qui est in sinu patris, &c. eadem origo denotatur distinctio, & vnitas. Quippe nemo audebit dicere Patrē esse in sinu vnigeniti, at vero vnigenitū esse in sinu patris fides docet, id quod indicio est esse in sinu significare originē existentis in sinu, ab eo vbi existit. Et apud nos, quod in sinu gerimus, quatenus à nobis fouetur, & sustentatur, quadā ratione originem ab illo habet: distinctio autē contenti in sinu à cōtinēte prōpta est, nemo enim dicet semetipsum cōtinere in suo sinu, itēq; cōiunctio inter hæc nō est obscura. Quia ergo vnigenitus est patri intimus, & ab illo personaliter distinctus, & ab illo originē habens, ideo est in sinu patris, & quia verbū est intimū Deo patri dicēti, & ab illo personaliter distinctum, & ab illo procedēs, ideo verbum est apud Deū. Verūtamē cum audis verbū esse apud Deū, ex prępositione locali, noli rusticè cogitare Deū patrē & verbū esse in eodē loco cōiunctos, & ideo verbū esse apud Deum, etenim nō hoc loco localē subaudi coniunctionē, quia antequā secula cōderentur, iam erat verbū apud Deū, vnio igitur nō secūdū locū, sed secundū essentiā est, & distinctio secūdū personalē subsistentiam. ¶ Obseruabis præter hæc nomen hoc Deus in euāgelicis literis, iam sumi notionaliter pro patris persona, iam verò essentialiter. Enimuero cū audis Ioā. 3. sic Deus dilexit mundū hunc vt filiū suum vnigenitū daret, Patrē subaudi, cuius est filius missus. Cū verò audis spūs est Deus, & eos qui adorant eū in spiritu, & veritate oportet adorare Ioā. 4. diuinitatē intellige. Et essentiam diuinā, non proprietatē relatiuā verba hęc domini indicāt. Porro in verbis prębabitis & verbū erat apud Deū, accusatiuū hunc Deum, Patris personam significat. Nāq; si essentiā diuinā denotares sensus esset, erat apud diuinitatē, & tunc præpositio, apud, nō significaret distinctionē. Siquidē verbū non distingui tur ab essentia diuina cū sit ipsa diuinitas. Et rursum hūc ederet sensum, quem locus ille Psalm. 35. Apud te est fons vitæ, idest, in te est fons vitæ, aut apud Dñm est misericordia: at vt dicebamus, nō hoc vult solū Ioan. nobis patefacere verbū esse in diuinitate, sed sublimiora de verbo gestit aperire. Etenim etiā creaturæ omnes sunt in diuinitate, secūdum earū rationes, vel secundū illarū esse intelligibile. Vnde & aliquis suspicaretur eò solum esse verbum apud Deum, quò in diuinitate, est ratio, & ars, & idæa, vel exēplar faciēdorū omniū. Propterea igitur necesse est fateri Deū, hoc loco personā patris denotare, vt sit sensus, & verbū erat apud Deū, idest erat apud patrē Deū. ¶ Obstat tamē huic sensui, articul⁹ emphatic⁹ adiect⁹, vt prędicebam⁹. Grę

cè legi

Quatuor subnotant à Ioā. in præpositione apud.

Vnigenitus in sinu patris quid velit.

Vox hęc Deus iam personā diuinā, iā essentiā denotat.

cè legi, erat apud illum Deũ, at articulus hic adijcitur, vt ipsa diuinitas subintelligatur. Neque enim Pater est solum ipse Deus, sed Filius, & Spũs sanctus. At si pater per illũ Deũ intelligimus, diceret Arrius hoc fouere suũ dogma, quia ipse negabat filiũ esse ipsum Deũ. Cæterùm hæc obiectio nõ tanta est, quãta diluere possit sensum prænotatum. Quãdoquidem cõfitendo patrẽ esse illum Deũ, nõ inficiamur filiũ esse illum Deũ, qui est pater, nõ quo ad personalitatẽ, & paternã proprietatẽ, nã secundũ hanc discretæ sunt personæ, at quo ad vnitatẽ essentiæ: secundũ quã tres beatissimæ personæ sunt ille Deus vnus, & verus qui est supra omnes Deos. Ex hoc autẽ loco cõfunditur potiùs Arriana peruersitas, dicẽs Christũ nõ esse verũ Deum, sed esse creaturã. At vero in scripturis sacris nusquam extat creaturã aliquam esse apud Deum, neq; angelos supremos, siquidẽ etiam de Lucifero magna prædicentur apud Esai. 14. sub typo Nabuchodonosor, at nunquam describitur fuisse apud Deũ, sed de solo verbo Dei, hoc traditur fuisse apud Deũ, vt vel hinc insinuaret Ioã. verũ esse Deum. Rursum quia si tu Arriane fateris verbũ hoc fuisse semper apud Deũ, quod Ioã. tradit, necesse est cõfiteri verbũ coæternum Deo patri, vt nulla creatura est Deo coæterna.

Arriana peruersitas elicitur.

ENARRATIO VI.
in caput primum.

¶ *Et Deus erat Verbum. &c.*

IN priore clausula disserta Euãgelij huius ostẽderat Ioã. verbũ esse distinctũ realiter à patris psona, quæ dixit hoc verbũ, nõ extra se creãdo illud vt creaturas, sed intra se intelligendo illud. Hãc nãq; distinctionem denotare præpositionem apud, dicebamus: quia nihil est apud se verũetiã dicebamus subnotare vnionẽ, & cõiunctionẽ, vnde ex illa præpositione verbũ Deo esse vnitũ, & illi cõiunctũ Ioãnem insinuasse diximus. Duo igitur hactenus docuerat nos Ioannes de Dei verbo, & quod est æternũ, quãdo dixit, in principio erat verbum, & quod erat Deo patri cõiunctũ, & vnitũ, dicens, & verbũ erat apud Deũ, vnde etiã tertium conficitur, esse ab illo distinctum.

¶ Nunc vero demõstrat, quæ nã sit vnio hæc verbi, cum Deo. At vero, quia vnio est multiplex, quædã essentialis, alia verò accidẽtalis, & nõ expresserat, quę nã esset vnio hæc verbi cũ Deo, verbis istis, Et Deus erat verbum, docet vnionem verbi, cum Deo non esse accidentariam, sed essentialẽ vnionem. Siquidẽ ipsum verbũ erat Deus. Obiectãt autẽ Arriani hæretici, vt Chrysostomus hoc loco insinuat, aduersus hæc dicẽtes hoc loco legi Deus, sine articulo emphatico, nõ enim Ioãnes scripsit, & ipse Deus erat verbũ, sed destitutũ ab articulo protulit, Deus erat verbũ, cũ tamẽ supra quãdo patrem subnotabat, expresserit articulũ, & verbũ hoc loco, & supra itidẽ extulerit cũ articulo. ¶ Quocirca fouent Arriani ex hoc textu suũ errorẽ, Christũ inficiãtes esse verũ Deum, sed solũ ex participio Deitatis: esseq; vnũ cũ Deo patre, non essẽtiali vnione, sed accidẽtali, secundũ gratiæ, & gloriæ supra omnẽ creaturam excellẽtiã. Et D. Augustin. lib. 3. de doctr. Christi. c. 2. quosdã ex Arriana secta hæreticos, ne ex loco isto cogerentur fateri Christũ vnũ patri secundũ essentiã diuinã, textũ hũc sic peruertisse testatur. In principio erat verbũ, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat: hic enim affigebãt pũctũ, & postmodũ sequebatur in contextu, & verbũ hoc erat in principio apud Deũ. Quę pũctorũ distinctio, nõ est Ioãnis, sed peruicacię Arrianæ, ideo spernẽda. ¶ Nãq; quorsum Ioãnes dixisset, & Deus erat: nũ vt doceret Dei ęternitatẽ? nõ hoc erat Ioãnis animus. Quoniã diuinę naturę æternitas, omnibus perspicua est, at verbi æternitatẽ, & quidditatem, & operationem erat vnus scopus Ioanni nobis ex suo Euangelio demõstrare. ¶ Porrò quod scribatur à Ioan. Deus, hoc loco sine articulo, eò factũ est, quò nos personarum distinctionem, scilicet patris, & filij, citra vllam confusionem doceret, ne inquã Sabellius insolesceret ex hoc loco. Enimuero si dixisset, & ipsum verbũ erat ipse Deus, aut illud verbum, erat ille Deus, cum superius per illum Deum, subnotasset patris personã facile quispiam cogitaret verbum esse patrẽ, id quod Sabellius vanè docebat.

Arrianorũ argumẽtum ex Ioanne.

Peruersa puctuatio Arrianorum.

Neq;

Neq; rursus inuiolatæ est obseruationis nomẽ, Deus, inscriptura, quãdo Deum verũ significat affici articulo huiusmodi, etsi Origenes in principio tomi. 2. super Ioan. ita censeat. Magna, inquit, obseruatione, aliquo in loco articulo vsus est Ioannes, in alijs eos tacuit, nomini quidem λογο adiungens, Dei autẽ dictioni alicubi adiungens, alicubi detrahens. Adhibet enim articulũ cum Dei nomẽ de ingenita omnium causa dicitur, eundem autẽ non adhibet, cum verbũ Deus nominatur. Et rursum subdit, dicẽdum igitur, eũ quidẽ qui perse est Deus, esse του θεου, idest Deũ ipsum, omne autẽ ꝙ præter Deũ ipsum, illius diuinitatis participatione efficiatur nõ Deum ipsum, sed Deũ magis propriè dici. Diuersum vero est, ꝙ vere homil. 3. in Ioã. annotat Chrysost. Nãq; Tito scribẽs. c. 2. Paul⁹ Expectamus, ait, aduentũ gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, vbi magnus Deus sine articulo scribitur μεγαλυ και σοτηρος. Quamuis hic locus à Chrysostomo indicatus nõ vacat ab euasione. Siquidem quãuis Chrysostomus, Theophilatus, & Hieronymus totũ hoc magnum Deũ, & Saluatorẽ Christo tribuant: at vero Ambrosius non itẽ, sed diuisum legit vt magnũ Deum in patrẽ referat, & seruatorẽ in Christũ. Et quid diceret Arrius, si hoc loco nõ est articulus, satis est dictio, magnus, quæ afficit vocẽ Deus, vt inde intelligamus de Deo vero esse sermonẽ, quando in patrẽ solum referatur magn⁹ Deus. Tametsi Arrius ad huc ex hoc loco nõ conuincebatur, quia testabatur Christũ esse magnũ Deũ, at non verum Deũ creatorẽ, quia solũ creaturam Christũ esse fatebatur, sed fallebatur, quia magnus Deus nullibi de creatura in scriptura prædicatur, sed semper de Deo, vt Psal. 85. 88. 94. 146. &c.

Nõ quia Deus scribatur nõ affectus articulo, ideo verũ Deũ nõ significat.

¶ Porro si locus hic tibi videtur anceps, est locus, ad Philip. 2. qui cum in forma Dei esset, & ad Rom. c. 1. vbi Deũ verũ nominat citra articulum. Gratia vobis & pax, à Deo & patre nostro, & Dño nostro Iesu Christo. Vbi ἀπο θεου, sine articulo legitur. ¶ Est autẽ sanè verum creaturis cõmunicari nõnunquã Dei appellationẽ, at vero nunquã absolutè, & simpliciter, sed cũ adiecto. Vt illud est ꝙ Dñs Moysi dixit, Ego cõstitui te Deum Pharaõis, & illud, Ego dixi Dij estis vos & filij excelsi oẽs. Nõ enim Moses simpliciter Deus, sed Pharaonis De⁹ à Deo cõstituitur, vt scilicet timetur ab hominibus, & reueretur, Moysen itẽ timebat Pharao. Vnde Hilari⁹. 7. de Trinit. Moyses inquit, Pharaoni datus est Deus dum timetur, dũ oratur, dũ punit, dum medetur, & aliud est Deũ dari, & aliud Deũ esse. Et subdit, Memini quoq; & alteri⁹ nuncupationis, vbi dicitur, Dij estis vos, sed in eo indulti nominis significatio est & vbi refertur, ego dixi, loquẽtis potius sermo est, quã rei nomẽ. Hoc est gratuito Deus donat nominis sui appellationẽ in homines vocans illos Deos, nõ tamẽ, ipsi vere sunt Deus, secundũ naturam. Exodi. 7. Psalm. 81.

Deus verus scribitur sæpe sine articulo.

Appellatio Dei creaturis impenditur.

¶ In quẽ quoq; modum, & Paulus ait, siquidem sunt Dij multi, & Dñi multi. 1. Cor. 8. At vero, appellatione solũ, nõ natura ostendit illos Deos esse. Præmisit enim, nã etsi sunt qui dicãtur Dij, siue in cælo, siue in terra. &c. ¶ Porro autẽ hoc loco Ioan. Deus, prædicatur de verbo simpliciter & singulariter, ait, enim Deus erat verbũ, id ꝙ pollet aliam propositionẽ, verbũ erat Deus, vt prædicetur De⁹ de verbo, quapropter locus hic ostẽdit verbũ Dei esse verũ Deũ contra Arrianos. Quod si totũ contextũ huius euangelij, de verbo Dei loquẽtis aduertis, dubio procul eneruat Arrianã perfidiã, & sentẽtiam Catholicã cõstituit. Et enim ex Ioãnis verbis illis, in principio erat verbũ, verbũ Dei esse æternũ declaratur. Et ex verbis subiunctis: Et verbũ erat apud Deũ, hoc æternò verbũ fuisse Deo cõiunctũ demonstratur. Quia si aliquãdo nõ fuit apud Deũ: igitur, nõ erat hoc verbũ apud Deum simpliciter, quia aliquãdo non erat apud Deũ. Igitur cũ Ioan. absolute, & sine restrictione dicat erat apud Deũ, & infra, Hoc erat in principio apud Deũ, igitur semp erat apud Deum: est ergo coæternum Deo. Et ex verbis, quæ differimus, palam fit esse verbum hoc Deum, igitur verbum est Deus, & coæternus Deus patri Deo. Nã nemo adeo desiperet, vt credat verbum æternũ ex tempore fuisse Deum, vel aliquãdo nõ fuisse Deũ, siquidẽ Deũ esse non est accidens, quod adest, & abest subiecto præter subiecti corruptionem: igitur si verbum semper fuit Deus, est ergo

Verbũ Dei æternum, & æterno Deo cõiunctũ ab æterno.

ergo verus Deus, & vnus Deus cũ Deo vero. Vnde Arrius, dicens Christum esse ante æonas, ex nihilo tamẽ esse factũ, non poterit respondere verbis euangelicis istis, In principio erat verbum, si erat enim æternum verbum, igitur nõ ex nihilo factum, nam quæ facta sunt ex nihilo æterna non sunt.

¶ Rursum si creatum est hoc verbũ, quomodo ergo semper apud Deũ erat hoc verbũ? nunquid creatura est apud Deũ? an potius extra Deum, quia separata est à substantia Dei, quippe quæ ex nõ extantibus facta est. Vel ergo verbum hoc incepit esse, aut nõ incepit, si cæpit esse, igitur non erat in principio: igitur nõ apud Deum erat, sed verius apud nihilum erat, & quod in nihilo erat, apud Deum non erat, quia nihil apud Deum non erat. Si non cæpit esse, igitur æternum est. &c. Nos ad longum declarauimus vanitatem huius pestilentissimi dogmatis, in. 1. lib. sentẽt. dist. 9. dist. 1. quo loco multa protulimus testimonia, quæ diuinitatem domini nostri Iesu Christi probant irrefragabiliter, ideo illis explicandis modo non est immorandum. Et equidem hoc solum, quod ex Ioãne tractabamus argumentum est palmarium, cõtra Arrianorum petulantissimam, & noxiam ecclesiæ Dei audaciam.

Arrius ex euãgelio Ioã. cõfutatur manifeste.

¶ Cæterum obsistes forsan, & si verbũ colligatur ex Ioanne esse Deum, at vero vnde constabit, esse vnum numero Deum cum patre? Etenim etsi Petrus sit verus homo, atque Paulus, non tamẽ sunt vnus numero homo, sed vnus participatione speciei. Et fuerunt sanè, qui penes beatitudinis personas, nõ esse prorsus vnum contenderent, sed sola vnitate collectionis vt populus vnus, id quod Abbas Ioachim asseuerabat. Cuius asseueratio reprobata est ab ecclesia extra de summa Trinitate. & fide Cathol. capit. firmiter.

¶ Scito igitur quod vox hæc Deus, non significat naturã specificam vnam cõmunem multis indiuiduis vt homo. Etenim diuinitas non est natura specifica, sed singularissima, & vnicissima, & indiuidua, si hac ratione loqui fas est. Siquidem non est indiuidua, vt apud nos sunt indiuidua, quæ alijs non communicantur, at vero diuina illa natura etsi singularissima sit, est nihilominus sub sua simplicissima singularitate vna numero in patre, & filio, & Spiritu sancto.

Deus non significat naturã specificã.

¶ Est igitur verbum hic Deus, & hic Deus est, pater, filius, & Spiritus sanctus, quando hic Deus solum demonstrat diuinitatem singularem, quæ est hic Deus, & non proprietatem relatiuã. Et hoc quidem creaturis omnibus negatur, quod singularis natura alteri communicetur, at diuinitas hæc est hæc eadem in tribus beatissimis personis, quia infinita natura est, ideo non coercetur indiuiduationis principijs arctantibus ipsam, ad esse in hoc indiuiduo, & non in altero, qualis est omnis natura creata. At vero proprietates personales, quas Damascenus lib. 1. de fide, & Græcorũ doctores alij, characteristicas cognominant, quodãmodo determinant indiuiduam hanc essentiam, seu hunc Deum essentialiter captũ, vt sit singularis personaalteri non communicabilis.

¶ At incommunicabilitas personæ, non illi prouenit ex hac natura diuina, qua persona gaudet, sed ex proprietate relatiua quasi indiuiduante vt prędicabam, ideo cum sint tres proprietates relatiuę, realiter subsistentes in diuinitate hac, realiterque discretæ, quia paternitas, nõ est filiatio, & hæc nõ sunt spiratio, ideo sunt tres in hac deitate personæ diuinæ, & nõ tres Dij, sed vnus numero Deus, vt nos vberius disseruimus in. 1. lib. Sentent. Ex istis tu esto arbiter, vt sub catholica limites censura Theophilactum in Comment. sequentis textus, qui inquit, Patrem, & Filiũ, esse vnum Deũ, vt Petrus, vt Paulus sunt vnus homo. Et verba illius præferunt diuinitatem esse naturam specificam, instar humanitatis. Porro hoc abhorrere à fide Catholica dudum patefecimus, aliter enim essent tres Dij numero & vnus specie, vt tres homines. Ad hæc neq; Deus genericum, vel specificum nomen est, sed extra omne genus, & supra omne gen', vt in 1. Sentent. ostendimus. Theophilactus vero forsan exemplum cõstituit vt manuduceret lectorem, vt illum ex suo exemplo in fide illius supra mundanæ vnitatis constitueret.

Deus est extra omne genus.

ENAR-

ENARRATIO VII.
in caput primum.

¶ *Hoc erat in principio apud Deum.*

In quo erat, apudquē erat quid erat, verbū Ioā. docet

SIcut Origenes hunc enarrat Iocum in hæc verba. Postquā præmiserat tres propositiones Euāgelista, resumit tria in vnum dicens: Hoc erat in principio apud Deū. In primo enim triuin didicimus, in quo erat verbum, quia in principio erat. In secundo, apud quem, quia apud Deum. In tertio, quid erat verbum, quia Deus. Velut ergo demostrans, verbum prædictum Deum, per hoc quod dicit hoc, & colligens in propositionem quartam, hoc quod est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, ait, Hoc erat in principio apud Deum. Iuxta igitur Origenem, pronomen, Hoc, verbum de quo dixerat Ioan. Et Deus erat verbum demonstrat. Vt sensus hic edatur. Hoc verbum quod dixi, quod erat Deus, non est aliud verbum, ab eo quod in exordio dicebam, esse in principio, & esse apud Deum, sed hoc ipsum verbum quod erat in principio, & erat apud Deum, & erat Deus, hoc, inquam ipsum, quod erat verbum & erat Deus, hoc erat idem in principio apud Deum.

¶ Iam igitur nemo vanè cogitet, hoc verbum, quod erat Deus, non esse illud quod erat apud Deum, sed aliud, hoc, & aliud illud. Imò idem quod erat verbum Deus, erat in principio apud Deum.

Verbū nunquā fuit à dicēte patre diuisum.

¶ Vnde hoc verbum, quod erat Deus, nunquam fuit à patre, cuius erat verbum diuisum, sed semper illi cōiunctum. Non ergo duo sunt Dei verba, sed est vnū Dei verbum: & hoc verbum nunquam à patre seiunctum, quia hoc erat in principio apud Deum.

¶ Quocirca obstruit Euangelista viam cogitandi patrē esse Deum, & verbum esse alium Deum, dum ait, Hoc erat in principio apud Deum. Non ergo alius Deus est verbum & alius pater, quia si alius Deus esset à patre verbum, verbū non erat apud ipsum Deum patrem, sed ab ipso diuisum, at quia hoc verbum in principio erat apud ipsum Deum patrem, ideo non est alius Deus ab eo, sed vnus Deus cum eo. Ioann. Ferus expendens locum ait, Ioānem non dixisse, Hæc erant à principio, sed, hoc erat in principio apud Deum, vt essentiæ vnitas denotaretur. Pernò pronomen hoc, non essentiam diuinā demōstrat sed verbum, vt dudum ex Origene referebam, & contextus idem docet. Namque pronomen hoc, coniunctum sibi atque proximum demonstrat: igitur ipsum verbum demonstrabit: est namque nihil sibi vicinius, quod demonstrare valeat.

Verbum est notionale nō essentiale nomen.

¶ Verbum præterea non est nomen essentiale, sed notionale, quia quod personas distinguit inuicem essentiale non est, sed notionale. Verbum autem denotat originem à dicente, ideoque notionale est, quocirca, ex illo non denotatur essentialis vnitas, sed personalis discretio. Vnitas autem essentialis denotatur ex loco illo, Et Deus erat verbum. Hæc enim oratio autore Origene demōstrat quid sit verbum, quia demonstrat esse verum Deum.

Dubia differentia Euangelium.

¶ Forsan quærat quispiam, cur nunquam Ioannes vocat hoc verbum, Dei verbum, sed solum ait, esse Deum: ex quo sermone origo verbi ex Deo non astruitur. Respondebis, originem denotari ex voce hæc verbum: & quod hæc origo sit à Deo, ex eo denotatur, quod ait, Et verbum erat apud Deum. Et rursum quia verbum est Deus, igitur si verbum est ab altero procedit, quare necesse est fateri, vel quod procedit à creatura, & hoc non, quia Deus est, igitur à Deo procedit: sed non vt creatura, quia Deus est, igitur procedit vt Deus, de Deo lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.

¶ Quod si rogitas adhuc, cur non expressit nomen patris, vel Spiritus sancti de verbo tractans.

¶ Respondebis, Ioannem intendisse mōdo æternam diuinamque enarrationem verbi à Deo exponere. Et quia verbum solum habet enarrationem spiritualem, & non carnalem, quæ tamen in parentibus apud nos, adest, vt nos subduceret à carnalibus generationibus, & subucherot ad spiritualem contemplādam, ideò abstinuit, à nominibus patris, & filij, quorum tamen postmodum longā texet oratione,

post quam iam præstruxit ex hoc Euangelio spiritualis generationis verbi ex Deo fidem, & veritatem. Et quia modo istis paucis commemoratis propositionibus, quas dudum, quatuor esse didicisti hic solum erat Ioann. scopus: ideò de Spiritu sancto modo obticuit, de quo tamen in processu sui Euangelij multa commiscitur.

Extirpatio hæresum ex Euangelio Ioānis.

¶ Accepisti igitur quatuor propositiones ex præhabitis (si tamen diserta non somnolenter, aut oscitanter legisti) diuinas planè, & alta mente reponendas. Videlicet, & quod, In principio erat verbum, & quod verbum erat apud Deum, & quod Deus erat verbum, & demum quod hoc erat in principio apud Deum.

¶ Quæ sanè quatuor, vt quatuor claui firmissimi sunt fixi in Ecclesia Dei, ex quibus pendet omnis armatura fortium, ideſt, fides Catholica diuinæ ex patre generationis diuini verbi, quod est Christus Dominus.

¶ Fides item consubstantialitatis Christi secundum diuinam naturam cum patre.

¶ Fides rursum distinctionis personalis verbi, à dicente hoc verbum patre. Et deniq; eiusdem verbi æternitatis, & coæternitatis cum patre fides ex illis quatuor declaratur. Quod si vt Eccles. 12. meminit, verba sapientum sunt tãquam claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à pastore vno, quid tu arbitraris, de verbis huius sapientissimi, qui à pastore, & magistro vnico Christo, non à magistrorum aliorum documentis hoc accepit diuinũ Euangeliũ? Si sapiẽtum ex humano magisterio, tanti facienda sunt verba, quod in altum sunt defigenda tanquam claui, huius sapientissimi, ex cœlesti Christi pectore edoctus, quando in cœna laticem diuinæ sapientiæ in illo decumbens ex illo hausit, an non hæc verba sunt alta mente reponẽda, & summis honoribus prosequenda? Et sanè vt Iudicum. 4. legimus Iaelem illam fœminam clauo transfixisse cerebrum Sisaræ dormientis profundissimo somno: ita propemodum claui isti transfigunt capita hæreticorũ, qui sub tenebris errorum suorum altissimo iniquitatis demersi sunt somno.

Fuerunt hæretici igitur pleriq; multi, qui parauerunt impietatis arma aduersus hoc Ioannis Euangelium. Eunomius enim, vt meminit Cyrillus Alexandrinus libr. 1. Comment. in Ioannem capitul. 4. duo testabatur esse verba Dei, aliud Deo insitũ, quod propriè erat Dei verbum, & hoc verbum aiebat non esse Christum, aliud vero esse verbum, quod mediante verbo insito Deus pater proferebat, & hoc esse verbum extra prolatum, & esse Dei filium Christum: & hoc secundarium verbum à primario illo verbo cuncta discebat in se illud suscipiens, quia ex illo erat plenum.

Variæ hæreses contrariæ Euangelio Ioannis. Eunomij hæresis.

¶ Probabat suam sententiam primo, quia si Christus est verbum illud internum seu insitum Deo, & est consubstantiale genitori, ergo etiam genitor verbum est, quippe ambo sunt eiusdem substantiæ.

¶ Secundo, quia Psalm. 2. Ego dixi, filius meus es tu, ego hodie genui te: igitur filius est genitus per verbum, siquidem nemo loquitur nisi verbo: pater autem loquendo generat, igitur verbo generat, igitur ante filium est aliud verbum.

¶ Tertio, Ioann. 8. Christus ait, sermonem eius seruo. Et. 14. Sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me: igitur Christus verbum Dei seruabat, & Iudæi audiebant aliud verbum, quod non erat Christus, sed erat in Christo.

¶ Porrò autem, quam væsana sit hæc hæresis, ex ipso Euangelio palàm fit, quia totus contextus Euangelij de vno verbo non de multis verbis loquitur. Et quid est quod ipse nugatur Christum non esse verbum insitũ, quãdoquidem ait, Ioann. Et verbum erat apud Deum, ergo Deo erat vnitum, & de hoc eodem verbo, subdit esse carnem factum. Et Iacobus concinuit, Suscipite insitum verbum quod possit seruare animas vestras. Paulus profligat hoc Eunomianum commẽtum ad Hebræos capitul. 1. de filio enim loquens, inquit, Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, per quem fecit & secula, & reliqua. Quæ omnia de filio Dei Christo à Paulo prædicantur: igitur si Christus est splendor paternæ gloriæ, vel maiestatis, si est figura exprimens adæquatè patris personam, si etiam per ipsum fecit & secula. Igitur cũ Ioann. asserat, Omnia per ipsum facta sunt, id q

de verbo

de verbo insito Eumonius intellectum voluit, idem est filius, & insitum verbum, vt more illius loquamur. Scriptura autem meminit insiti verbi, vt Iacobus dudum memineràt: at non secernit duo verba alterum insitum, alterum non insitum, vt Eumonius est commentus, vt excluderet à dignitate primi verbi Christum, in quam dignitatem scriptura illum vbilibet vocat.

Respõsio argum. Eumonij.

¶ Primo igitur argumento dicito, futile esse argumentum. Etenim esse verbum consubstantiale patri, non colligit patrẽ esse verbum: siquidem consubstantialitas identitatem substantiæ in patre & verbo significat, at verbum non substãtiam, sed relationem denotat. Ideò non quia filius est verbum, ideò pater est verbum: siquidem ex distinctione relationis pessimè colligitur nominis vnitas relatiui. Aut si colligas, colligerem sanè, quia filius est consubstantialis patri, ideò pater est filius, id quod hæreticum esset si asseras.

Locutio & verbum.

¶ Secũdo dices, aliud est locutio, & aliud verbum quod loquimur. Locutio enim est actio formans verbum, verbum verò est ipsum formatum à locutione, & terminus eius. Pater igitur loquitur, & loquendo producit verbum. Hæc autem locutio non est materialis, sed est intelligendi actio, qua ipse pater se intelligit, & quæ in sua essentia repræsentantur, & se hac ratione intelligendo, loqui ad intra dicimus: & sic loquendo, quod producitur ad intra est internum verbum. Quamobrem, non est verum quod assumit Eumonius, patrem alloqui ad filium alio verbo, quia non alloquitur alio verbo, sed loquendo producit verbum, at verè non alloquitur, sed loquitur.

¶ Tertio dices, vt superiora admonent, verbum esse multiuocum in scripturis, & denotare aliquando mandatum. Vnde citata loca hoc solum volunt, Christum vt hominem diuinis paterniſque iussis esse obtemperãtissimum. Cyrillus obscurè satis soluit cauillos Eumonij: ideò nos aliam viam ingressi illos dilutos damus.

Porphyrij hæresis.

Porphyrius quoque hereticus venenũ aspidum sub labijs suis continens, negat in diuinis esse verbum. Argutatur autem: quia, vel mentale, vel pronuntiatiuum vocat hoc, vocale verbum, at neutrum: siquidem vocale Deo non congruit, quod fit plectro linguæ, & dentium ministerio. Sed neque mentale: quippe hoc notitia est diuersa à cognoscente: notitia autem Dei, est idem atque Deus ipse.

¶ Theophilactus hanc indicans hæresim, planè testatur, non esse verbum, vel mentale propriè, aut vocale. At scripturam vsurpasse verbi nomen, vt nos admoneret filium gigni non carnaliter ex patre, sed spiritualiter instar mentalis nostri verbi.

Verbum propriè dicitur de verbo diuino.

¶ Cæterum verbum propriè dici de vnigenito filio Dei inconcussum mihi est. Quandoquidem non est metaphorica, aut abusiua locutio, Filius Dei est verbũ mentale patris. Imò illam arbitror cum vulgata schola theologorum esse propriã locutionem. Est autem verbum mentale diuinum superans perfectione verba mentalia nostra, ideoque aut logicè prædicatur de nostro verbo, & diuino, vt præmonuimus in. 1. Sententiarum. Nostrum enim verbum, est imago rei exterioris, nõ tamen est imago mentis illud formantis: at diuinum, est imago inuisibilis Dei patris. Verba igitur Ioannis, In principio erat verbum, non secundum metaphoram, at secundum sermonis proprietatem sunt habenda. Arrius item, atque Sabellius tetenderunt insidias, vt sagittarent in occulto, seu vaframentis suis immaculatum hoc Ioann. Euangelium. Sabellius enim verbo Dei detrahebat confundens personas credens more Iudaico, vnicam personam esse Deum, ex varijs tamen appellationibus variè appellatam. Arrius verò, non confundebat personas, sed praua distinctione illas secernebat. Aiebat enim patrem, & verbum distingui essentialiter, & non solum realiter. At verò hos item profligat Ioannes ex Euangelio isto diuinitus tonans, Et verbum erat apud Deum, ergo distinguntur realiter, vt Sabellius conticescat, & Deus erat verbum, ergo habent eandem Deitatem, vt Arrius iniquã cõpescat linguam.

Arrius, Sabellius.

Patripassiani.

Rursus ex eodem Euangelio patripassiani hæretici deijciuntur. Testabantur enim idẽ atq; Sabellius, patrem & filium

nomine tenus esse distinctos, indeque patrem subdebant passioni mortis, cui filius sponte se subiecit. Demum Iudæi cõfunduntur irridentes cultũ nostrum Christi, quia fabulãtur nos nouum adorare Deũ, & ideò idololatras nos esse calumniãtur, sed tuba Euangelica, vt olim tubæ illæ sacerdotales Ierichunta, hos prosternit sonans, Et Deus erat verbum.

ENARRATIO VIII.
in caput primum.

¶ *Omnia per ipsum facta sunt.*

DEmonstrarat Ioannes verbi diuini æternitatem, Deitatem, & distinctionem realem à patre, vnde procedit. Quatuor enim propositiones, de diuini verbi infinita dignitate exposuerat priore sermone, nunc verò quintam adiecit propositionẽ, illius omnipotentiam ostensurus.

¶ Quæ quidem propositio virtute comprehendit omnes, quas denarrauerat hactenus. Enimuerò si omnipotens est Dei verbum, Deus est verè, vnde & æternus est: creatura enim nulla est omnipotens. Creationis nanque limitibus circunscripta, ad producendum omnia non se dilatare potest, quando se ipsam facere non potest, quæ alioqui factibilis est.

Verbum Dei est omnipotens & cũcti sapiens.

¶ Euangelista igitur, verbum Dei esse increatum ostendit, ex eo quod est omnipotens, omnipotentiam vero, quia per illud facta sunt omnia: & dicens omnia nihil excepit. Quia non quædam facta sunt per verbum, & alia non sunt facta, sed omnia, inquit, per ipsum facta sunt.

¶ Vnde non excipit, vel visibilia, vel inuisibilia, sed vniuersa intelligens, Omnia, ait, per ipsum facta sunt, Paulo conteſtante ad Colossens. 1. In ipso vniuersa condita sunt, siue in cælis, siue in terra visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes. At verò locus hic Ioann. non est perspicuus, primum, quia ait, Omnia per ipsum, & relatiuum hoc ad Deum, videtur referri, vt sit sensus, omnia per Deum facta sunt, siquidem proximum refert, dixerat autem proximè ante hæc verba, Hoc erat in principio apud Deum, dein subdit, Omnia per ipsum facta sunt. Vnde Erasmus in annotationibus ad hunc locum hoc ipsum disserit credens clarius esse transferendum, Omnia per illud, aut per idem facta sunt, vt ad verbum referretur hæc oratio, & non esset anceps sensus si ad Deum, vel ad verbum esset referendus. Cæterum Latini ita legunt, & ita interpretantur, & Græci, & Latini ad verbum referunt, vt Cyrillus, Chrysostomus, Theophilactus, &c. Veruntamen, etiam referendo ad verbum, id quod institutum Ioannis fuit declarare esse verbum hoc æquale Deo, secundum sapientiam & omnipotẽtiam, etiamnum geminum parit lectio hæc sensum: aut quod doceat Ioannes ipsum verbum esse omnipotens, & omniscium, quia ipso autore vniuersa ex nihilo in lucem prodierunt. Itaque non sit sensus patrem omnia fecisse per filium verbum, sed quod ipsum verbum fuit autor vniuersorum. Alter sensus est vulgatus, scilicet, omnia à patre per ipsum verbum facta esse. Et hic equidem sensus probatur vulgò ab interpretibus, tametsi prior verus est. Nisi quis dixerit obstare illi, quod ait Ioan. Omnia per ipsum facta sunt. Quæ verba præferunt alium per verbum fecisse omnia. Hæc autem oppositio non est multipendenda, quando sermo similis reperitur de Deo ipso in Paulo. 1. Corinth. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis: quo loco ostendit Deum esse autorem vocationis ad Christianissimum, non quidem quod alius esset autor per Deum. Itaque præpositio hæc, per, in scripturis sanctis, non semper significat communionem actionis vnius per alium. Et ad Galat. 4. eadem est locutionis phrasis. Hæres, inquit, per Deũ, & sæpè alibi.

Lectionis ambiguitas varietatem sensus parit.

Præpositio per in scripturis nõ semper denotat cõmunionẽ in agendo.

¶ Veruntamen quia Ioannis scopus hoc loco est verbi diuini declarare maiestatem, & ad patrem habitudinem vnionis, videlicet, ostendere non esse filium contrarium patri, neque voluntate, quia verbum erat apud Deum, sed neque operatione, quia pater per filium omnia fecit, ideò videtur germanior sensus hic secundus: quem Paulus ad Colossens. 1. est amplexus, dicens, In ipso condita

condita sunt omnia. Quippe ex phrasi Hebræa esse in Christo condita omnia perinde est atque si dixisset, vt Ioann. Omnia per ipsum facta sunt. Rursum quia ad Hebræ. 1. eodem modò. Per quẽ fecit & secula. Nisi quod locus iste ad Hebræos ad secularia solum spectare videtur, & de inuisibilibus angelis non meminit, qui non sunt seculares. Verum sermo Ioann. vniuersalissimum docet sermonem, Omnia per ipsum facta sunt, & Paul. ad Colos. 1.

Caietani expositio expéditur.

¶ Vnde Caietani subtilitas non est multi facienda. Non, inquit, dixit, ipsum fecit, sed per ipsum facta sunt omnia, vt denotetur actionis communio inter patrem & filium. Demonstrauimus enim præpositionem, Per, in scripturis non semper denotare communionem actionis. Sicut neque eiusdem ponderatio alia est ponderanda, Ioannem, scilicet, non dixisse, per ipsum fecit omnia, sed omnia per ipsum facta sunt, vt denotetur verbũ esse rationem faciendorum, & factorum non ex parte facientis, sed factorum. Etenim, vt diximus, verus est hic sensus, Omnia per ipsum facta sunt, ideſt, verbũ est vniuersalissimus autor omnium, iuxta illum sermonem Pauli, Fidelis Deus. &c. Et Paulus ad Hebræos. 1. dicens, Per quem fecit & secula, non intellexit filiũ esse rationem patris factorum, sed solum intellexit communem & concordem esse actionẽ creandi vniuersa patri & filio. Et idem intellexit Ioãnes modo dicens, Omnia per ipsum facta sunt, vt Cyrillus capit. 5. tractat. in Ioann. lib. 1. declarat. Ideoque si dixisset Ioannes, Omnia per ipsum fecit, intellexisset idem quod modo intellexit.

Arrij blasphemia.

¶ Porrò autem ex loco isto Ioannis turbulentæ admodum sunt excitatæ ab Arrio tempestates. Etenim Arrius, vt meminit Theophil. hinc collegit patrem esse maiorem filio, & filium minorem. Quia instrumentum faciendi, minoris dignitatis est, quam vtens illo. At filius creandis vniuersis, fuit patris minister, & seruus, quia Ioan. ait, Omnia per ipsum facta sunt. Hoc est, vt ille sapiebat, per ministerium verbi Deus pater omnia fecit. Siquidem hoc est facere per alium, scilicet, per eius ministerium.

¶ Theophilactus subuertere nititur Arrium, quia instrumentum quodlibet, minus seu vilius est quam id, ad quod ordinatur. Omnia namque instrumenta ad aliud faciendum ordinantur, vt securis, & serra, & ita viliora sunt, quam ea, ad quæ facienda, vel agenda seruiũt. Si ergo Deus pater fecit Christum, vt per illum tanquam per instrumentum vniuersa conderet, iam Christus vilior esset creaturis, quod ipsi diffitentur.

Disseritur Theophil.

¶ Porrò hæc ratio non tam palmaria est, quam creditur Theophilact. Siquidem autore Aristot. instrumenta, quædam sunt animata, alia inanimata. Animata, vt manus, quæ est instrumentum instrumentorum, inanimata, vt securis. Dicerent ergo, qui agerent partes Arrianas, per manum hominem operari multa, quæ tamen opera non sunt digniora, imò planè sunt viliora manu. 1. Polit. c. 3.

Origenes videtur fautor in his verbis Arrij.

¶ Adhæc Arriana væsania foueri videtur ex Origenis testimonio. Tomo. 2. in Ioannem. in hæc verba, Nunquam primum obtinet locum per quod, sed secundum semper: veluti in Epistola ad Romanos, Per quem accepimus gratiã, &, Quod antea promiserat per Prophetas. Et in Epistola ad Hebræ. Locutus est nobis in filio, per quem fecit & secula. Ita in hoc loco, Si omnia per ipsum verbum facta sunt, non ab ipso facta sunt, sed à superiore, & maiore, quam sit verbum. Quis autem hic est nisi pater?

¶ Et subdit de Spiritu sancto, Considerandum est autem, hoc extante vero, Omnia per ipsum facta sunt, num & Spiritus sanctus, per ipsum factus sit. Necesse autem ei esse existimo qui spiritum factum esse concedat, fateaturque illud verum esse, Omnia per ipsum facta sunt, Spiritum sanctum factum à verbo, quod illo antiquius sit factum esse concedere, & probare. Quæ verba præferunt duo hæretica dogmata: alterum Christum esse puram creaturam, & patris seruum & instrumentum, & Spiritum sanctum esse etiam creaturam patre, & Christo minorem, & per Christum factum. Et Arrius, & Origenes, (si tamen Origenes non est aliter exponendus, quam facies sermonis eius sonat) occasionem arripuerunt pestilẽtis dogmatis, ex prepositione per, persuasum sibi habentes hanc præpositionem instrumentariam & ministe-

rialem causam denotare, reclamante tamen scripturæ veritate, quæ illam Deo tribuit, vt iam indicauimus ex Paulo. Ideoq; Origenes dicens, Nunquam primum obtinet locum quod per, sed secundum, non certum documentum constituit. Sūt nihilominus, qui Origenis locū hunc in benignum studeant tradere sensum, Patrem, scilicet, esse maiorem filio, non substantia, sed origine: quia pater est principium filij. Id quod asseuerare videtur Cyrillus. 1. lib. Thesaurorū cap. 10. docens esse æqualem patrem filio diuinitate, itemque maiorem origine. Itemque Chrysostomus Homilia in Ioānem. 74. Cyrillo astipulatur.

Origenes benigno donatur sensu.

¶ Cæterum quod pater sit principium filij, dubitari nequit, quandoquidem filius à patre habet esse diuinum quod habet. Veruntamen hæc ratio principij, non appellat patrem maiorem, neque cōstituit filium minorem. Siquidem pater eandem substantiam diuinam, quam habet communicat filio, & secundum illam sunt idem. Vel ergo maior est ex substantia, & hoc non, quia est eadem, aut maior ex paternitate, & hoc etiam non, quia hæc relatio est, vt deduximus apertius in 1. Sentent. Ad hæc, si est maior ex paternitate, igitur quà pater est perfectior est filio, siquidem maius & minus in præsentia perfectionem non molem denotant, at vero nullatenus pater est perfectior filio, nisi quatenus filius homo est, neque perfectione absoluta, neque relatiua. Quod verò Cyrillus, & Chrysostom. paulò ante docebant, accipito esse in patre originis autoritate, non tamen perfectionis excellentiam supra cæteras personas.

¶ Et obsecro quomodo verba Origenis de Spiritu sancto, poterunt sanè interpretari, nisi negaueris commentaria illa super Ioannem esse Origenis, quod multis est confessum.

Comm. Origen. in Ioan. sunt illi falso attributa.

¶ Quam ob rē incōcussæ veritatis est dogma fidei docens filium non esse patris instrumentum in creandis vniuersis. Et quidem si attente rem hanc obseruamus, apparebit omne instrumētum, & moueri, & mouere. 8. Physicor. text. 37. Iam ergo si in creandis vniuersis Christus erat instrumētum, vtiq; mouebatur à Deo patre, & ipse mouebat, & agebat circa creaturas, porrò cū creaturæ factæ fuerint ex nihilo, rogito quā actionē habebat Christus erga nihil? Vtiq; nullam: quia te autore Arri Christus est creatura. At creatura erga nihil agere non potest: creatura enim creare nequit, quia si crearet esset creator, quod tu diffiteris.

Fillus nō est patris instrumentum.

¶ Secundo, Deus in creando demonstrauit omnipotentiam suam, igitur non vsus fuit instrumento, quippe si tum vteretur instrumento creato Christo, vt Arrius fatetur, aut illo egebat, aut non, si nō, superfluum fuisset: si egebat, igitur creator tum eguit creatura occinente Psalm. Ego dixi, Deus meus es tu, quia bonorū meorum non eges.

¶ Ad hæc, varia artis opera, varia exigunt instrumenta: sartor enim acu vtitur vestibus consuendis, pictor penicillo imaginibus pingendis, lignarius malleo, & ascia lignis parandis. Igitur cum alia sit spiritualis, alia corporalis creatura, ad horum creationē varia erant necessaria instrumēta, & cū corporalis alia cœlestis, alia, terrena similiter ista egebant varijs instrumentis: igitur plura sequitur Deo fuisse verba, quod Arrius inficiatur.

ENARRATIO IX.
in caput primum.

¶ *Omnia per ipsum facta sunt.*

VIgati interpretes, siue Græci, siue Latini horrentes hæresim Arrij blasphemātis Christum fuisse creatum à Deo instrumētum ad creationem vniuersorum, itemque hæresim Valentini, cuius meminit Origenes, aiētis, verbū subministrasse causam Deo patri creandis vniuersis, ideoq; per ipsum vniuersa fuisse facta, quia ministrauit causam materialem vniuersis, id quod credere illi accidit ex ignorantia vocum: siquidem Deus vniuersa ex nihilo creauit, igitur nullam illi verbum suum subegit materiam creandis vniuersis, hæc igitur horrentes hæretica commenta, tradiderunt Deum patrem creasse vniuersa per verbū, tanquā per sapientiam, & virtutem patris, Paulo docente. 1. Cor. 1. Christum esse Dei sapientiam, & virtutem. Porrò autem neq; hæc

Disseritur quid sit filiũ esse sapiẽtiã & virtutẽ patris.

hæc expositio animum solicitum absoluit: siquidem esse filium Dei sapiẽtiam bifariam intelligendum venit, aut quod formaliter pater sit sapiẽs per filium, aut sit potens per filium: & istud hæretici essent dogmatis asseuerare. Pater enim nõ dependet à filio, neque ab illo, vel virtutem, vel sapiẽtiam capit: imò cõtra filius à patre accipiens, diuinitatem, sapiẽtiam, & virtutem accepit: sine dependẽtia tamen. Quippe filius non est effectus patris vt ab illo dependeat, sed est patris filius, vt illi sit coæternus & cõsubstãtialis.

¶ Alter autem sensus est, filius ex vi emanationis, quia emanatio eius est, vt geniti verbi, à generante, repræsentat quicquid pater potest, & quicquid pater sapit. Vnde ob eã causam, dicitur verè esse patris virtutem & sapiẽtiam: quia in verbo ex vi emanationis clarissimè ostenditur infinita patris virtus, & sapientia. Ideoque scriptura filium vocat imaginem patris, & speculũ, & reliquas nomenclationes, quas supra retulimus.

¶ Cæterum quanuis Spiritus sanctus eadem ostendat, quæ filius, illa tamen repræsentat ex Deitatis vnitate, non ex emanationis efficacia. Quòd si dixeris etiam patrẽ repræsentare virtutem filij, & sapientiam, est sanè verum: at verò nõ vocat scriptura patrem sapientiam filij, vel virtutem, etiam si vna sit amborum virtus & sapiẽtia. Siquidem, cum sit principium in beata Triade, non sibi cõgruit ex ratione principij repræsentare, quæ sunt in alijs personis. Vnde originis ordo perturbaretur totus si patrem diceremus esse sapiẽtiam, & virtutem filij, quia præfert sermo hic accipere virtutem, & sapiẽtiam patrẽ à filio: vnde ordo originis perueterctur.

Pater nõ dicitur sapiẽtia filij, aut virtus filij ne turbetur originis ordo.

¶ Verum tametsi sensus iste verus sit, nõ explanat, quomodo pater per verbũ vniuersa condiderit: neq; explet desiderium exquirentis veritatem. Quod enim Caietanus inquit, verbum esse rationẽ patris in faciendis vniuersis, nõ respectu patris, sed respectu faciendorum, etiam pendulum relinquit indagantis sensum Ioann. mentem. Enimuerò si est verbum ratio non patris, sed respectu creaturarũ, nõ ergo à patre facta vniuersa sunt per verbũ, siquidem hæc passiuæ vocis oratio, illam pollet actiuæ vocis, pater fecit omnia per verbum. Quia si omnia facta sunt per verbum à patre, igitur pater fecit omnia per verbum, & cõtra, at per te verbũ non est ratio facientis patris, sed factæ creaturæ, ergo pater nõ fecit per verbum vniuersa. Vnde, vt dicebam narratione altera, non frugifera est ponderatio Caietani, ideò dixisse Euangelistam, omnia per ipsum facta sunt, & non, omnia per ipsum fecit, vt denotetur verbum non esse rationem facientis patris, sed factarum creaturarũ.

Caietani expositio refutatur.

¶ Et quidem si dixisset Euangelista, omnia per ipsum fecit, apertius denotaret patrem per filium vniuersa condidisse: & itẽ tum etiam denotaret verbum esse rationẽ factorum si modo denotat, vt ipse cõmemorat. ¶ Cyrillus autem incumbens huius loci expositioni scripsit, sicut ignis agit per calorem, & Sol per lucem, ita pater per filium, quãuis non sit æqualis similitudo. At ex eo dicitur ignem per calorẽ agere, quia quando ignis agit, calor illi inest, itemque de sole. Igitur quia agendo pater, sibi inest filius, nõ vt accidens, sed vt persona ab eo immediate procedens, ideo pater dicitur agere per filium.

¶ At vero, calor est accidentalis forma, per quam ignis calefacit, & lux forma accidentaria, per quam Sol illuminat, filius verò non est forma hærens patri, per quã ipse agit, vt supra exposuimus, idcircò neque hoc dubitationem sedat prorsus.

¶ Quid quod Paulus. 1. ad Cor. 2. Nobis, inquit, reuelauit Deus per spiritum suũ. Non ergo solum modo diuina oracula patrem agere per filium tradunt, sed etiam per Spiritum sanctum. Iam verò Spiritus sanctus nõ appellatur in scripturis patris sapientia, vel ratio, vel virtus.

Deus agit per spiritũ suum.

¶ Itemq; vates regius non solum per verbum cælos esse factos canit, sed etiam per spiritum. Verbo, inquit, Domini cæli formati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quærẽdum igitur est, cur per spiritum Deus operari dicatur qui neque exemplar, neque sapientia patris traditur esse: etsi hoc elucidamus dubium, propositum soluetur apertè, quantum grandis hæc materia humani ingenij solutionem permittet. Dicamus igitur patrem agere per filium duo nobis insinuare, itẽque Deum agere per spiritum suum. Alterum est concors patris & filij, in operãdo consensus, atque communio. Siquidẽ

Psalm. 32.

quicunque per alium facit aliquod opus, necesse est, quod eo ipso, quod per illum facit opus, in eodem opere communicet quia est amborum opus. Vt igitur scriptura doceret nos, patrem & filiū esse in operatione omni concordes, ideo ait, pater operari per filiū, & eadem ratione Deū operari per Spiritum sanctum: siue patrē & filium operari per Spiritum sanctum. Opera namque Trinitatis sunt ad extra indiuisa. ¶ Atqui obijciet aliquis, Eodē pacto dici posset filium operari per patrē, & Spiritum sanctum per patrem & filiū, quia idem denotaretur, videlicet, in operando indiuidua eorum communio. Ideò oportebit addere priori annotationi aliā, nempe non solum præpositionem istam per, in huiusmodi sacris sermonibus, insinuare operis communionem, sed in operando originis distinguit rationem.

Patrem agere per filium duo denotat & cōmunio actionis vtriusq; & ratio originis vni⁹ ab altero.

¶ Quandoquidem, quando audimus patrem operari per filium, & non admittimus filium operari per patrem, itemq; de Spiritu sancto, admonemur ex eo hoc esse, quia filius habet originem à patre, & Spiritus sanctus ab vtroque: ideoq; pater per filium agit, & non contra. Quippe filius originem ducit à patre: vt commodè dixeris solem agere per lucem, & non lucem per Solem, quoniam lux ex Sole est, & non Sol ex luce. Quāquam exemplū hoc non conquadrat ex omni latere, sed nihilominus, quātum instituto est necessarium accommodum satis est. Euangelista igitur volens nos duo hæc docere, & quod pater & filius in operatione vniuersorum fuerunt concordes, & quod filius habuit potentiam ad operandum à patre, & non contra, ideò cœlesti intonuit tuba, dicens, Omnia per ipsum facta sunt.

Notandum argumentū.

¶ Ex istis solues argumentum, quod philosophi obtrudere possent Euangelistæ.

Pater & fili⁹ & Spūs sanctus, vna causa sunt vniuersorum, & nihilominus pater agit p filium.

Pater & Filius & Spiritus sanctus, sunt vna causa indiuisa omnium creaturarum secundum fidē Catholicam: si igitur vna sunt simplicissima causa, nō est quod vnū agat per alterum. Probo consequentiam: quia vbi vnum per aliud, necesse est plures esse causas.

¶ Quibus respondebis verum esse beatā Triadem esse vniuersorum vnicam simplicissimam causam, neque patrem agere per filium, vt quædam causa per aliam causam: sed eo dicitur agere per filium vt communio in operando, & originis ratio denotetur. Hinc iam discestaxandum esse sermonem Græcorum asserētium Spiritum sanctū procedere à patre per filiū. Quoniam in scriptura solū legimus creaturas procedere à patre per filium, vt hoc loco, & ad Hebræ. 1. &. 1. Corint. 8. vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Vnde hæc Græcorum phrasis loquē di insinuat Spiritum sanctum esse creaturam, quod est hæreticum. Atqui operationem exteriorem omnem operari patrem per Spiritum sanctum, aut patrem & filium rectè dixeris, at verò spirationē, quæ est actio ad intra per filium operari patrem scriptura non docet, ne suspicio exoriretur Spiritum sanctum recensendum fore in creaturarum numero, vt Macedonius recēsuit. Lege ampliora si lubet in. 1. Sentent. distinct. 11. Disputat. 1. vbi nos exactius hæc enodamus. Demū ex disertis collige verbum Dei non esse creaturam, quia si esset per ipsum non essent facta omnia, imò præcedit omnem creaturam, quippe per ipsum condita sunt omnia.

Distributio in propositione Ioan. ad factibilia refertur.

¶ Memineris quoq; distributionē hanc, omnia solum extendi, ad ea quæ sunt in ordine & factibilium, vel faciendorum non ad alia, quæ sunt infactibilia vt desinas argutari, si omnia per ipsum facta sunt, ergo pater per verbum factus est, & ipsum verbum per verbum factum est, & per verbum Spiritus sanctus factus est. Hæc namque non sunt factibilia. Manichæum quoque hoc Euangelium profligat, ille namque duo principia constituebat, & malum vnde mala, & bonum vnde bona, at vero Ioan. vnum tantum principium esse testatur vniuersorum. Verū huius hæreseos sub hæc fiet mentio amplior. Neque tamen siniſtre intelligas Ioann. omnia factibilia facta esse per verbum, vt Vvicleffus asserebat non distingens inter possibilia fieri, & facta, omnia igitur quæ facta sunt, per verbum facta sunt, at multa sunt possibilia, quæ non sunt facta, sed per verbum fieri possunt.

ENAR-

ENARRATIO X.
in caput primum.

¶ *Et sine ipso factum est nihil.*

QVanuis Euangelista omni potentiâ verbi diuini, verbis prefatis expressisset, dicens, omnia per ipsum facta sunt, vnde si omnia per ipsum facta sunt, consequens est nihil factum esse sine illo: cæterum adiecit nouâ clausulam hanc, & sine ipso factum est nihil ob duas sanè causas, quarum prior est, ex Lyrano, quia generalis sermo cum sit confusus eget explicatione. Quia ergo quædam sunt visibilia, quæ sola Moyses complexus est in primo cap. Sanè docēs vniuersa visibilia à Deo prodijsse: alia verò sunt inuisibilia, vt sunt angeli, forsan igitur quispiam intelligeret Ioannem dicentem, omnia per ipsum facta sunt, visibilia vniuersa patrem fecisse per filium, nō tamē inuisibilia: propterea adiecit particulam hanc, & sine ipso factū est nihil. Per hanc enim particulam omne quod à Deo factum est seu visibile, seu inuisibile, factū esse à Deo patre per verbū suum docet. Postrema ratio est, ex Caietano vt explicaret amplius Ioannes quod dixerat omnia per ipsum, etenim vt diceba mus Arrius ex præpositione seductus, Verbum esse patris seruum non erubuit dogmatizare: idcircò, quod dixerat per ipsum, modo dicit sine ipso, ex quo sermone clarius docuit verbum non ministerium, sed societatis æqualitatem habuisse cum patre in creandis vniuersis: Caietano verò subscripsit Iansenius in exponē do loco isto. ¶ Mihi verò non admodū arridet hæc explanatio: siquidem non video cur magis sine ipso, explicet societatem, & æqualitatem, quam per ipsum. Namq; per ipsum, & sine ipso ex vi sermonis, hæc possunt significare, & ministerium, & societatem, & neque hoc, neque illud, sed formam. Vtique idem ministerium significabis si dixeris. Rex operatur per suos ministros, & rex non operatur sine ministris. Scriba scribit per calamum, & non scribit sine calamo. Homo operatur per manus, & non operatur sine manibus. ¶ Rursum societatē denotant aliquādo, vt si dixero, ego per te traxi lapidem, & sine te non traxi lapidem, si ego, & alius simul trahamus lapidem. Verū si dixero, homo viuit per animam, & homo non viuit sine anima, neq; ministerium, aut instrumentum, aut societatem denoto: quia anima, neque est ministra, neque instrumentum, neque hominis socia, sed forma, quæ illi est principiū vitæ. Nonnunquam verò intercessionem denotamus in moralibus actionibus per vtramq; propositionem. Vt per amicum verbi causa, fui Episcopus, & sine amico non fuissem Episcopus.

¶ Æqualitas igitur verbi cum patre, ex illa clausula superius exposita apertius denotabatur, quam per præpositionem sine. Videlicet, per illam, & Deus erat verbum. Per hanc enim vt dicebat Origenes, verbi quidditas significabatur, quod erat diuinitas. Per hanc autem, quam differimus, qualitas diuini verbi docetur, scilicet, quod sit omnipotens: idemq; per sequentem, & sine eo factum est nihil. Non quod in Deo sit qualitas afficiens, vt in creaturis, sed quia hoc nomen omnipotens, habet modum significandi qualitatis, vt vberius exposuimus in. 1. Sentent.

¶ Quamobrem forsitan clarius redderemus Ioānem si dixerimus, duas prōpsisse propositiones, declarātes omnipotētiam verbi: alterā vniuersalem affirmatiuam, illam nēpe, omnia per ipsum facta sunt: quæ hunc habet æquipollentem sensum. Quicquid factum est, per verbum factum est. Alteram vniuersalem negatiuam, videlicet, sine verbo nihil factum est. Istæ autem propositiones, etsi videantur idem pollentes, at verò, ista secunda amplius videtur significare, quam illa prima. Vt autem ex sensibilibus assurgamus ad inuisibilia constituamus, & alias duas propositiones, per amicum fui Episcopus, & sine amico non fuissem Episcopus, aut has, per oculos omnia videmus, & sine oculis nihil videmus. Equidem harum negatiuæ, nonnihil magis videntur insinuare, quam affirmatiuæ: siquidem affirmatiuæ hoc significant, vel quod Episcopatus obtigit per interuentionem amici, aut, quod quidquid à nobis videtur, mediātibus oculis videtur. Porrò aliquid amplius negatiuæ insinuant, videlicet, nisi interuenisset amicus Episcopatus nō potuisset obtinge re, & ꝙ sine oculis visio nō potest adesse,

Lyranus.

Caietanus.

Efficacia significationis harū præpositionum per, & sine.

Verbi diuini quiditas, & diuina qualitas à Ioanne docentur.

¶Qua ex re fit Ioānem priori sententię, Omnia per ipsum facta sunt, adijciētem, & hanc aliam, Et sine ipso factum est nihil, per priorem voluisse, quidquid factū est per verbum esse factum. Per posteriorem vero patrem nō posse facere aliquid, sine verbo, aut nihil posse facere sine verbo. ¶Non tamen voluit Ioannes aperte dicere, & sine ipso nihil potest fieri à patre siquidem occasionem arriperet hæreticus dicendi patrem esse per se impotentem, sed habere potentiam à filio.

Expositio autoris cum expositionibus Lyrani & Caietani confertur.

¶Id circo simpliciter dixit, & sine ipso factum est nihil. Et hac ratione Ioannem intelligentes, quod Ioannes intendit ex hoc euangelio declarare omnipotentiam verbi, egregiè hoc modo declarāt siquidē si nihil potest facere pater sine filio, vtiq; filio Deus est ęqualis patri: & omnipotēs est sicut pater. Enim vero etiāsi dixisset. Omnia per ipsum facta sunt nisi hoc addidisset, occineret hæreticus obijciens Ioanni. Omnia sanè per verbum facta sunt, at vero non subinde esse verbum ęquale patri colligitur. Quando quidem poterit Deo, diceret ille, sine verbo facere, quę facit cum verbo, at verbum nihil potest facere sine patre.

¶Vt ergo hanc obstruat calumniam, oportebat declarare patrē nihil posse facere sine verbo, id quod si non declarat insinuat saltem dicens, & sine ipso factum est nihil. ¶Quod si tibi neque hæc ratio vel expositio arriserit nostra, mihi quidem expositio Lyrani supra indicata non placet. Siquidem ipse ait, hoc adiectum à Ioanne, vt inuisibilia etiam facta esse per verbū nos doceret. At vero facilè obsisteret aliquis dicēs, sicut per priora verba nihil cogit ad inuisibilia, ita neq; posteriora. Nāque verba hæc, & sine ipso factum est nihil, qui proteruiret, interpretaretur etiā de visibilibus vt priora interpretantur. Et quidem tā verba priora quā posteriora ad visibilia & inuisibilia se extendunt. Neque video cur magis hæc quam illa iudicēt per verbum facta esse inuisibilia. ¶Sed neque Caietani declaratio nobis nō probatur, propter rationem, quam exposuimus.

Nicolai & Caieta. & expo. non probantur.

¶Quare si Ioannem intelligimus dicētē sine eo factum est nihil, ideſt, nihil potest esse factum sine verbo, promptissimū est argumentum, cōuincens, verbum nō esse creaturā, sed esse creatorem. Etenim scimus vniuersa operari Deū modo per ministerium suarum creaturarum, siue cælestia, siue terrestria, cæterum poterit si volet sine illarum ministerio vniuersa efficere. Si ergo sine verbo factum potest esse nihil necessario est, ęquale Deo patri, & est verè Deus omnipotens.

Argumentū conuincens ex Ioan. verbum non esse creaturam.

¶Iam vero postquam huius loci, excussimus, quoad licuit sensum, de cōmento vano huius loci admonere lectorem opus facto est. Scito igitur Manichęos contendisse ex loco hoc suum firmare fallax commentum. Delirabant enim dicentes, visibilia hæc esse à malo principio producta, inuisibilia vero à bono. Quippe visibilia fluida sunt, & defectuosa, & facilè pereūt, & subito marcescunt: indeque colligebāt à defectuoso item principio exorta.

Manichęorū nugę refutantur.

¶Hoc ergo quod Ioannes ait, & sine ipso factū est nihil, exponūt visibilia quę sunt nihil non sunt facta à verbo Dei: sed sine verbo Dei, vocant autem illa nihil, quia obducta sunt materia, & interitui obnoxia, ideo que, quia sunt prope nihil, vocitantur ab eis nihil. Vsurpantque vocem nihil affirmatiue: & credūt propositionē Ioannis sine ipso factum est nihil, esse affirmatiuā ideſt id quod est fere nihil. Addunt præterea diuersam hanc esse propositionē, sine ipso nihil factum est, ab hac, sine ipso factum est nihil. Priorem credūt esse negationem, posteriorem affirmationem. Et quidem hoc commentum stolidum esse, & nugacissimum Augusti. li. de natura boni cap. 25. ostendit. Et ipso tacente scriptura illud esse meras nugas docet Gene. cap. 1. dicens vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona. Et sanè de visibilibus creaturis ibi agitur, non de inuisibilibus. Quod si visibilia sunt valde bona igitur valde perfecta, ergo à valde bono principio sunt exorta. Verū persequi hæc non est huius instituti. Nā. 2. li. sententiā. rē istam vberiori calamo sumus prosequuti. Et quod ipsi distinguūt propositiones illas duas est delyrium ridēdū siquidem dixi nihil, pollet illam nihil dixi. Et totā noctem laborauimus, & nihil cepimus, pollet illam cepimus nihil.

Omnia visibilia & inuisibilia vno gaudēt principio.

¶Accedit eodem, quia lectio Græca non habet, nihil, sed οὐδὲ ἕν. ideſt neque vnū. Hoc est apertius, sine verbo neque vnum eorū quod factum est potest esse factum.

Cęte-

Caieta. sentẽtia expẽditur

Cęterum quia vnum & ens conuertuntur. Si neque vnum est factum sine verbo, consequitur, igitur neque aliquod ens est factum sine verbo, quod idem est dictu sine ipso factum est nihil.

¶ Et ad hanc rationem Græci & Latini interpretantur. At Caietanus Græcanicã lectionem ad verbum magnifaciens putat legendum, sine ipso factum est neque vnum quod factum est. Et hic sistit sententia tota & punctuatio est adhibenda integri puncti. Vt deinde sequatur noua sententia, In ipso vita erat. Et hic inquit, si interpretamur ad verbum, cessare omnes difficultates ex punctuationibus.

¶ Porrò autem apud nobilissimos theologos Græcos, qui optimè callebant proprium idioma in quo nati, & educati fuerant, Græce florentissimo stylo scripserunt, est suborta hæc difficultas punctuationis vt mox disseremus. Igitur cum ipsi præclarè nouissent scriptũ apud Ioannem καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Et nõ interpretati sunt neque vnum, sed nihil, equidem legitissima est translatio interpretis, per nihil. Et Græcis οὐδὲ ἕν sonat hoc, quod nobis nihil. Vt autem videas quanta sit lectionis varietas scito Chrysostõ. homilia prima in Ioannem damnare tanquam hæreticam lectionem eorum, qui legunt, sine ipso factum est nihil. Vt hic affixũ sit finale punctũ & deinde sequitur. Quod factũ est in ipso vita erat: & legãt nihil vt nos legim⁹. Et tu obserua quo modo admonet legendam hanc sententiam Chrysostomus, simul, videlicet, sine ipso factum est nihil, quod factum est. Vt hic sit finis sententiæ totius.

¶ Et Theophilactus eundem elucidans locum, aliam lectionem, quæ medio integro puncto vtranque clausulã distinguit in sententias duas, arguunt vt hæreticam.

Hæretici. Pneutomachici idest hostes spiritus sancti.

Et indicat quosdam extitisse hæreticos appellatos pneumatomachici, idest, pugnantes contra sanctum spiritum. Qui ex lectione hac spiritum sanctũ asseuerabant esse factum. Quippe quod Ioannes ait, quod factum est in ipso vita erat, ad spiritũ sanctũ referebãt. Ad hunc nãque subdendum modum exponebant. Quod factum est in ipso vita erat, idest, spiritus sanctus, qui factus est per verbũ, vita erat: id quod fuit Macedonij hæresis. Euthimius quoque Chrysostõ. & Theophi. cõsentiens idem sapit atque ipsi, lectionem esse præmemoratam impiam ob eandem causam.

¶ At verò horum doctorum verba ne intelligas, punctuationem prædictam esse hæreticam vt post affixum punctum illi clausulæ, & sine ipso factum est nihil sequatur sententia altera. Quod factum est in ipso vita erat. Enimuerò hæc lectio est iam vulgatior eo que magis probatur. Verum puncto illo vti, ad subuertendam fidẽ de spiritu sancto, istud est hæreticum, & vt tale repudiatur à commemoratis autoribus. Verũ Cyrillus ca. 6. vtrãque sententiam distinguit, vt Augusti. & vulgo Latini.

Varia contentio de pũctuatione.

ENARRATIO. XI.
in caput primum.

¶ *Et sine ipso factum est nihil.*

Nihil ad peccatũ torquẽt per August. & Origines.

AVgustinus tractatu primo super Ioannem expendens dictionem hanc, nihil, asseuerat per nihil, intelligi posse malitiam, & peccatum, similiter & hominem peccatorem, & idolũ, & diabolum, quæ quidem à Deo facta non sunt. Vnde ait, peccatum quidem non per ipsum factum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccãt. Et idolum nõ per verbum factum est, habet quidem formam quandam humanam: sed ipse homo per verbum factus est, nam forma hominis in idolo non per verbum facta est. Et scriptum est, scimus, quia idolum est nihil. 1. Cor. 8. Hiero autem. ca. in Micheã. 2. exponẽs illud, propter immunditiam corrupti, nimis coactam, existimat esse huiusmodi expositionem Augu. & contra scripturæ simplicitatẽ, & artificio potius eloquij, quam vera interpretatione diserta. At vero Origenes ante Augustinum, ad eandem rationem, Ioannem exposuit in hęc verba. Si omnia per verbum facta sunt, de numero verò omnium est malitia, & totus fluxus peccati, & hęc per verbũ facta sunt, & hoc est falsum. Quãtũ igitur ad significata, nihil, & non ens vnũ sunt: videtur autem apostolus, non entia, praua dicere. Vocat, inquit, Deus ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, tota que prauitas nihil dicitur, dum absque verbo facta

Peccatum nõ est factum à verbo.

facta est. Vnde irrepsit inter cõcionatores peccatum pro suggestu proclamare esse nihil ex hoc loco Ioannis illud probãtes.

¶ Cæterum cum in peccato duo sint expendenda, & quod subiectum est peccati, & quod quasi forma est ipsius peccati, vtique subiectum ipsius cum sit actio voluntaria siue exterior siue interior, hęc aliquid cum sit est enim actus vel actio, à Deo est facta.

Rectitudo & obliquitas moralis ex lege pendent.

¶ Porrò forma peccati est obliquitas illi': quippe quæ est contra Dei legem. Testãte Augustino peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Vt enim act' rectitudo est à lege, quia est illi cõsona, ita obliquitas illius est, ex prohibitione legis, quia est contra illius prohibitionem.

¶ Rectitudo igitur actus & illius obliquitas, à lege pẽdent. Namque hac submota, & rectitudo, nõ extaret, & obliquitas nulla esset. Est autem obliquitas ista moralis

Obliquitas duplex intrinseca, & extrinseca.

duplex, altera intrinseca actui: & hæc est ex prohibitione diuinæ naturalisque legis, alia verò extrinseca, & hãc habet actus quãdo fit contra prohibitionẽ positiuæ legis. Hæc autem obliquitas, vt talis est nullam habet per se causam: siquidem lex nõ facit actum esse obliquum, quandoquidem lex vetat ne obliquus fiat: tametsi cessante prohibitione, peccatum non esset, contestante Paulo. Virtus, inquit, peccati lex, & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret non concupisces. Verum tamen actum obliquum lex non facit.

1. Cor. 15. Rom. 7.

¶ Facit sanè obliquum actum voluntas operans aduersus legem: verum tamen ipsa voluntas non intendit actus obliquitatem. Intendit sanè actum, cui est infixa iniquitas, at vero non ipsam obliquitatẽ. Nemo nanque operatur ad malum aspiciens, quod vulgatum verbum est Dionysij.

¶ Est igitur voluntas causa iniquitatis per accidens. Siquidem ab illa non est intenta. Mechus enim vellet non peccare si posset mechando. Ipsa autẽ iniquitas, nõ est purum nihil, quia hoc neque rectum neque obliquum est. Et quidem si peccatũ

Peccatum nõ est purum nihil etiã si formaliter vsurpetur.

simpliciter esset nihil, oportebat fateri, Deum punire hominem propter nihil, & quod esse homicidam, aut furem erat esse nihil quod nemo concederet. Sed iniquitas est priuatio quædam rectitudinis moralis. Priuatio verò non est pura negatio, sed negatio formæ in subiecto apto nato. Peccatum igitur formaliter, idest, pro ipsa obliquitate, non fit à Deo: siquidem nemo peccat autore Deo, Iacob. 1. non quia nihil est, sed quia obliquum est. Sophistæ autẽ garriunt, peccatũ facit Deus: & Deus nõ facit peccatũ, id quod noster liber. sentẽ. 2. disseruit. Hæc autẽ eò dicta à nobis sunt in præsentia, quò explicaremus Augustinum & Origenẽ, asserentes peccatũ quia nihil est à verbo non esse factum, sed esse factum sine verbo. Dist. 37. dict. 1.

¶ Enimuero peccatum nõ habet causam perse, sed solum peccatum habet causam per accidens, si pro ipsa obliquitate capiatur. Vocatur autem nihil, non quia nihil est, simpliciter loquendo, sed obseruata phrasi scripturæ, nihil est, quia impij pro nihilo cõputantur sapien. 3. & prouerbiorum. 10. Cor impiorum pro nihilo &c. Quod verò Paulus Idolum vocat nihil, ex eo est, quod nihil habet diuini numinis: & quidem ea ratione, qua colitur nihil est, quia colitur vt Deus, & non est Deus.

Cur peccatũ appelletur nihil.

Idolũ cur à Paulo dicatur nihil.

¶ Peccatores autem, vt tales, & diabolus vt diabolus, non secundum eorum naturas, quæ bonæ sunt, sed vt tales reputantur à Deo in nihilum. Et expositio origenica, & Augustiniana magis sapiunt tropologiam, quam literalem sensum.

¶ Siquidem Augusti. in lib. de natura boni contra Manicheos cap. 25. literalem est amplexus sensum, sine ipso factum est nihil, idest, nihil est in factibilibus rebus, quod sine verbo factum sit, aut quidquid subsistit in rebus conditis ab eo factũ est.

ENARRATIO. XII.

in caput primum.

¶ *Quod factum est in ipso vita erat.*

HAnc sententiam vt pridem cõmemorabam, Chrysostomus pendentẽ à priori, connexam que illi esse voluit, vt sub vna sententia hæc duo membra comprehenderit Ioannes. Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Cuius sensus est factibilium omnium, nihil factum est sine verbo, vel factorum omnium nihil quod factum est, factum est sine verbo. Quam lectio-

lectionem Theophilactus, Euthimius & Græci alij secuti sunt.

¶ Origenes verò non hanc esse secutum, inde constare videtur, quia, vt enarratione proxima referebam, declarauit Ioan. vt Augustinus. Sine ipso factum est nihil, hoc est prauitas. Cyrillus autem lectionem, quam Latini gratiorem habent, gratam quoque habuit: legit enim, quod factum est, &c. tanquam sententiam particularem à præcedente distinctam: & vt talē interpretatur cap. 6. lib. 1. ad Ioannē.

Hæresis Manichæa omnia asserens viuentia esse.

¶ Admonendi autem in primis sumus, Manichęos, quos notat Augusti. in Ioannem, ex hoc loco toto errasse cælo. Nanque erat Manichęa hæresis, cuncta etiam viuere: & nihil esse ex persvitę, siue terra, siue aqua, siue lapides, siue parietes. &c. Et isti Manichęi hæresim hanc fulciebāt in verbo Ioannis, Quod factum est in ipso vita erat, igitur in verbo subsumebant hoc est, per verbum omnia viuunt. Fuerunt quoque Philosophi, qui turpiter philosophantes vniuersa formari ex anima docebant intellectiua, at hæc anima lapidi verbi causa solū donabat esse, & non viuere, quia actus actiuorum sunt in patiente benè disposito. Ideoque cum lapis sit valde materialis, in illo anima non fungebatur vitalibus functionibus. Plantis verò donabat viuere, quia sunt immaterialiores. Demum in homine vniuersas obibat vitæ functiones, quia capax erat omnium.

Hæresis dicens omnia esse animata refutatur.

¶ Hoc autem dogma, est stultum dogma tantum abest, vt philosophicum dicendum sit. Quoniam anima est actus corporis physici, & organici in potentia vitam habentis: at verò lapis organicus non est, vt neque terra, vel aqua, vel aer, vel ignis, igitur non sunt animata.

¶ Adhęc anima in istis esset semper ociosa, quia fraudata perpetuo suo vitali opere. ¶ Rursum quia operatio est formæ indiculum philosophis; at nulla est operatio in lapide, quæ iudicet illum esse viuentem: igitur pronuntiandum est esse non viuentem.

Operatio indicat formā.

¶ Denique Paulus. 1. Cor. 14. Quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia sit, siue cythara &c. igitur non omnia sunt animata, vt isti non verentur concedere.

¶ Hoc igitur hæretico sensu euangelistæ non congruo explosо inuestigandus est legitimus verborum horum sensus.

Et quidem, cum gemina sit huius loci lectio, altera vt pendeat à priore sententia, vt frequenter commonefecimus: altera, vt sit perse sententia integra, id circo alium & alium patitur sensum.

¶ Quandoquidem, si ab altero membro pendet, quod sequitur poscit expositionem, videlicet, in ipso vita erat, tanquam noua inchoata sententia dimissa priore: sin vero non pendet, totum hoc spectat ad sententiam vnam. Quod factum est in ipso vita erat: & vita erat lux hominum.

¶ Quæ sanè lectio est consentanea magis Ioannis stylo, quem nunc seruat in exordio huius capitis. Si quidem si obseruas, clausula finalis est initium sequentis. Dixerat enim, In principio erat verbum, & hinc exorditur sequentem sententiam, & verbum, &c. Ex fineque huius consequentem, Et Deus erat verbum. Et ex fine huius aliam inchoat, Hoc erat &c. Rursum, Omnia per ipsum facta sunt, & hinc sequentem, Et sine ipso factum est nihil. Vnde videtur etiam quod istam compleat clausulam, addens, Quod factū est in ipso vita erat. Quia finalis prioris erat factum: & vulgatior est hæc lectio apud Latinos, quā Chrysostomi, & Græcorum. Si legamus igitur cum Chrysostomo, vt latinis etiam nonnullis legere placet, per se exponemus textum hunc.

¶ In ipso vita erat. Quj locus bifariam eludidandus venit, aut quia verbum est ipsissima vita, aut effectiue, vt sit sensus, In ipso verbo erat vitæ naturalis principium omnium rerum viuentium, iam enim dixerat vniuersa subsistere per verbum: nūc addit, non solum subsistentiam assecuta esse vniuersa per verbum, sed etiam vitam naturalem, qua omnia viuentia visibilia, & inuisibilia viuunt, subaudi vnū quodq; secundum suam rationem, viuentia scilicet vitam ex verbo hauriunt vt ex fonte vitæ, non viuentia subsistentiam. Cyrillus ad hunc modum exponit, legens, non perse in ipso vita erat, sed cum illa clausula. Quod factum est. Ait nanque verbum esse omnibus rebus creatis immixtum, illis præbere vitam, & subsistentiam. Id quod ne intelligas Dei verbum esse rerum formam, & formaliter præbere vitam: quia Dei verbum nullius rei forma est, quæ sit pars compositi. Est sane exem

plar

plar vniuersorum diuinum, & hac ratione forma, non tamen forma componens formaliter res creatas, siquidem simplicissimum est, & ideo immixtum, & in illius rei compositionem ingrediens: vnde Anaxagoras Deum dixit intellectum immixtum.

Viuificatohomine per Christi gratiam, vniuersum quodam modo viuificatur.

¶ Si verò de vita supernaturali locum istum audire velimus aliter exponemus, vt si dicamus, quia homo est vniuersi finis, ideò restaurato homine per verbum, totum vniuersum restauratsse verbum, ideoque in ipso vita erat, quia ab æterno dispoſuerat Deus pater hominẽ lapsum in mortem animæ & corporis, excitare ad vitam vtranque. Nunc viuificando per gratiam spiritum nostrum, & in finali die excitando à morte, defuncta nostra cadauera.

¶ Vnde Paulus ad Ephesios. 1. vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum bene placitum eius, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quę in terra sunt. Restaurato igitur homine, totum quod factum est restauratur ad vitam. Indeque Ioan. ait: In ipso, subaudi, verbo vita erat hoc est, ab æterno proposuit Deus pater per verbum suum lapsum hominis in mortem, restaurare ad vitam. Vnde ipse ait, Ego sum resurrectio & vita.

Ioan. 11.

¶ Si verò totum simul legimus, multo difficilior est hîc locus. Quod factum est in ipso vita era. At obseruabis non dixisse Ioannem, Quod factum est in ipso viuebat, aut habebat vitam, aut erat viuẽs, sed vita erat. Vnde vtitur verbo substantiuo, erat, præteriti temporis imperfecti, & vtitur nomine abstractiuo, vita. Verbum sanè nota est æternitatis, vt supra docebamus. Nomẽ verò abstractiuum, vita, Deo maximè congruit: quia proprius est Deus vita, quam viuens, & sapientia, quam sapiens. Concretiua enim nomina ex modo significandi compositionem quandam significant, at abstractiua à compositione abstrahunt: & obtinent modum significandi simpliciorem, ideo summopere cõgruunt diuinæ simplicitati.

Verbum erat nota æternitatis.

Abstractiua nomina Deo maximè congruunt.

¶ Quam ob rem locus hic sub eternitate diuini verbi audiendus est, & non ad tẽporalia sacramẽta, vel in carnationis diuini verbi referẽdus de quamox faciet Ioãnes mentionem, vel admortem, &c.

¶ Obseruabis secundo creaturas bifariam considerandas, vel secundum esse actuale, quod habẽt modo, vel secundum esse intelligibile. Atqui secundum actuale esse non erant in Deo ab æterno, ideo Ioannes non dixit, Quod factum est in ipso viuebat, aut erat viuens, &c. Ne intelligeremus creaturas æternò vixisse actualiter, sed ait, vita erat, vt ex nomine diuinam vitam, non creatam subindicaret vitam.

Dupliciter habet creatura esse intelligibile.

¶ Obseruabis tertio esse intelligibile creaturam habere dupliciter, vel in intellectu creato, vel in intellectu increato. Primo modo esse intelligibile creaturæ est diuersum ab ipso intellectu siue sit angelic⁹ intellectus, siue humanus. Enimuero si sit angelicus intelligit, vel per species concreatas intelligit aut per species ãrebus acceptas, & vtcunque censueris, intelligibile esse creaturæ non est mens angelica, item dices, de intellectu nostro.

¶ Secundo vero esse intelligibile creaturę quod est in mente increata, est idem atqueipsa mẽs diuina: si quidem, essentia diuina est sibi mens, & notitia, & obiectũ primum, & nihil est in ipsa, quod non sit ipsa. Et ipsa essentia diuina, vt repręsentans creaturã vocatur esse intelligibile creaturæ, quandoquidẽ Deus in sua diuinitate intuetur vniuersa & non eget obiecto extrinseco, vt illud intelligat. Hocq; esse intelligibile Theologi appellitãt diuinam ideam, vt diximus in primo Sentent. dist. 36. dist. 1.

Essentia diuina est sibi mens & notitia & obiectum.

¶ Postquam igitur tribus istis obseruationibus adornaui mentem lectoris facile erit intelligere Ioannem, Quod factum est, in ipso vita erat dicentem. Hoc est omne quod à Deo factum est omnisve creatura non in se, sed in verbo vita erat, vt terra in se non est vita, sed in verbo erat vita, &c. Si quidem ab æterno fuerãt creata omnia priusquam conderentur à Deo cognita: & illud esse cognitum erat ipsa diuinitas continuoque ipsum verbum.

¶ Quam ob rem etiã si modo creaturæ in se ipsis viuentes sint, at in æternitate non viuebant in se ipsis, sed in verbo erãt vita & quæ non sunt viuentes adhuc in verbo erant vita: quia autore Anselmo, creatura in Deo est creatrix essentia. Tu intellige creatura, non secundum esse reale, sed

sed intelligibile, est ipsa Dei essentia.

Quid sibi velint verba Anselmi creatura in Deo est creatrix essentia.

¶ Ipsum nanque esse intelligibile creaturæ in Deo, est ipsa notitia diuina, & hæc notitia diuina est vita, quia est subsistens notitia: est nanque Deus ipse. In nobis enim notitia est actus vitalis, non tamen vita ipsa quia accidens est: at in Deo rerũ notitia est ipsa vita, quia est Deus ipse.

¶ Igitur vniuersa creatura antequam conderetur in verbo erat vita, quia omnes erant à verbo clare cognitæ, & notitia illarum erat verbum & ideo vita.

Verbum non ex naturali necessitate res produxit creatas.

¶ Demonstrarat ergo Ioan. prioribus verbis, verbum esse omnipotens, quia omnia per ipsum facta sunt: nunc vero demõstrat verbum non ex naturæ necessitate vniuersa condidisse, vt sol illuminat & ignis calefacit, sed ex sua voluntate, siquidem est agens per intellectum, & scientiam, & antequam creaturas conderet, illas nouit omnes, quia omne ab eo factum in ipso erat actualis notitia, subsistens, & sapientia clarissima & intellectus distinctissimus. Hæc omnia sunt à me longo repetita principio, vt Augustinum assequaris ad hanc rationem exponentem locum istum. Ante Augustinum autem Origenes fere ad eundem modum theologizat, In ipso vita erat, quia in ipso verbo omnia subsistebant causaliter, antequam proderentur, & hoc non est aliud quam esse in Deo secundum rationes causales ipsarum. Exemplum autem Augustini, vt rem hanc patefaciat, non est secũdum omnia æquabile. Vt, inquit, domus est in architecto, ita omnia in verbo. Etenim domus cognita ab architecto, non est intellectus architecti, ideò domus in intellectu artificis habens esse intelligibile non propterea viuit, aut est vita.

Lectio latinorum præfertur lectioni Græcę.

¶ Sunt, qui alienam credant Origenis hanc, & Augustini declarationem à Ioannis mente, obijcientes Ioannem non intendisse quicquam exponere de ideis: ideo que alias attexuerunt expositiones, declarantes, quod factum est in ipso vita erat, idest, voluptificum erat verbo Dei spectare creaturas, quas conditurus erat, more vulgato loquendi, quæ nanque nobis sunt singulari oblectamento, vitã esse vocamus. Quia igitur diuinũ verbũ delectabatur in condendis creaturis prouer. 8. Et delectabar per singulos dies ludens coram eo, &c. hac ratione ait, Quod factũ &c. Alij alias introduxerunt elucidationes. Verum hæc expositio non congruit text. non enim per vitam, intellexit Ioã. voluptatem, aut delicias, quia sequitur, & vita erat lux hominum. Nunquid vocat Ioan. voluptatem lucem hominum? Nulla igitur mihi congruentior expositio visa est quam prænotata, quam nos quoad licuit disseruimus. Hoc dixerim si sectemur lectionem quam Latini sectantur, vt paulo ante admonebam. Hilarius autem aliter legit, Quod factum est in eo hic distinguit, vt succedat, Vita erat. Germanior vero est latinorum. Neque obiectio Ioan. Feri est multi pendenda, quia verũ est Ioannem non intendisse ideas commemorare Platonicas: cęterum intẽdebat declarare verbum non naturaliter creasse orbem, sed ex intellectu & voluntate.

ENARRATIO. XIII.
in caput primum.

¶ *Et vita erat lux hominum.*

VT non aliam vitam intelligamus, ab ea, quam prædixerat dicens, Quod factum est in ipso vita erat adiecit articulum, Et ipsa vita erat lux hominum. Vbi vides stylum Ioannis prænotatum: ex finali enim prioris clausulæ, in ipso vita erat, exorditur posteriorem hanc sententiam, dicens, Et ipsa vita erat lux hominum. Antequam locum exponamus præmonendus est lector, si forsan inciderit in Origenem tomo. 2. in Ioãnem, ne impingat in eum. Siquidem ex prætextu literæ videtur verbum esse minorem patre, secundum diuinitatem hunc eundem enarrans locum, in hæc verba, Quoniam, inquit, saluator hoc in loco simpliciter lux dicitur, in catholica vero Ioannis epistola Deus lux esse dicitur, alius quidam putat hinc colligi, patrem non esse à filio essentia distinctum. Sed qui diligentius obseruabit, & rectius locutus fuerit dicet natura non esse idem lucem, quæ in tenebris lucet, ab ipsis tenebris non apprehensa, & lucẽ in qua nullo modo sunt tenebræ. Et subdit infra, Dicitur hæc lux, lux vera, quia pater veritatis amplior est verbo, & maior quam veritas, & quia pater est sapientiæ melior est, atque præstantior ipsa sa-

sa sapientia. Porrò quia Origenes multis locis verbum esse consubstantiale patri prædicat, & constantissimè affirmat, hîc solum contendit forte ex hoc loco non apertè probari consubstantialem esse filium patri. Quamquam re vera sufficienter locus hic admonet consubstantialitatem patris & filij. Si quidem nulla est collectio patrem esse lucē, & non in tenebris, & filium esse lucem in tenebris, igitur differt essentia lux, à luce. Quandoquidem, quamuis filius luceat in tenebris, non tamen in filio sunt tenebræ, vt neque in patre. Sed eatenus lucet in tenebris quia carne assumpta cum hominibus peccatoribus, & infidelibus conuersatus est. Namque secundum diuinitatem non lucet in tenebris sed sine tenebris: est enim splendor paternæ lucis. Vt ergo lux paterna, est micantissima sine tenebris, ita filius, qui est splendor huius immensę lucis est splēdor, & lux sine tenebris. Et fortè Origeni hoc est impositū dogma in hoc loco, ab Arrianis, vt tanti autoris tuerentur testimonio pro sua tuenda perfidia.

Verbi cum patre cōsubstantialitas.

Verbum secundum diuinitatē non lucet in tenebris.

¶ Theophilactus, igitur hunc exposuit locum, de illustratione naturali, qua potiuntur omnes homines: quia à verbo conditi sumus mentales vel mentem habentes ad cognoscendum ipsum Deum. Et ante eū Origenes idem censuit. Quia creatura rationalis per essentiam suam non habet lumen intelligentiæ, ex participio autem diuinæ vnitatis, lumine mentali potitur. Nam ipsa ex se tenebra est, vt aer iste quo fruimur ex se tenebrosus est suapte natura, at eo illustris fit, quia luce solis illustratur. Mentes igitur nostræ, quæ tenebræ sunt lucem diuini verbi non comprehenderunt, quia Deus incomprehensibilis est. ¶ Non solum autem est lux hominū, sed & angelorum: quia omnis creatura rationalis ex se tenebrosa est, nisi à verbo illustretur. Et quamquam Ioannes solum memorierit hominum, non ex eo lux est solum hominum, quin & angelorum. Sicut quamuis scripturā Deum dicat Deum esse Abraham, Isaac, & Iacob, non subinde colligendum, non esse omnium gentium Deum.

Origenes deprauatus ab Arrianis.

¶ Hanc verò expositionem recentiores amplectuntur, vt Caietanus, & alij. Vnde Caietanus expendens libratè locum suo arbitratu, dixit hoc dixisse Ioan. Et vita erat lux hominum vt clideret errorem philosophorum, autumantium, hominē accipere intellectum ab vltima intelligētia, id quod fuit Auicennæ erratum. Ioannes autem docet, non ab vltima intelligētia esse formatam mentem, sed à verbo Dei. Rursum expēdens amplius, inquit, quia Ioan. dixit, Vita erat lux hominum, subintellexit, esse quoque angelorum, quia si homines illuminat dando illis mētem, multo vehementius angelos, vt pote superiores. Porrò, vt ab hac expensione exordiar non video, cur sit consequens ex verbo Ioā. Et vita erat lux hominum, igitur & angelorum. Enimuero, non quia illuminat mentes inferiores inde consequitur, ergo & supremas & si contra melius consequeretur. Si quidem quod agit in minus, non protinus agit in maius. Sol sane non illuminat terram, nisi illuminando aerem: quippe illuminando aerem, illuminat terram, quæ est sub aere. Cæterū si hoc ipse voluit, principium petit. Oportuisset enim probare, quod Deus illuminat homines creando eorum mentes, mediantibus angelis, id quod est falsum. Deus quippe non creat animam rationalem mediantibus angelis. Neque arbitror Ioannis verba illò esse referenda, quo elidatur error Auicēnæ: sat enim sit huic collidendo, quod prædixerat, Omnia per ipsum facta sunt. Mens igitur hominis non ab angelo vltimo, sed à Deo angelorum condita est.

Errores Auicennæ & Platonis ex Ioāne refutātur.

¶ Similiterque error philosophorū aliorum eliditur asseuerantium Deum mundum fecisse, angelico ministerio, vt Platoni visum fuit. Etenim Ioannes per verbū facta esse omnia clamat, non per angelos.

¶ Existimo autem verba Ioannis non ad creationem naturalem vel animarum rationalium, vel angelorum esse detorquenda, sed ad illustrationem super naturalem humanę mentis,

¶ Sunt autem, quod scias, humanæ mentes de se tenebris offusæ, hoc est ignorantes omnes ex suis naturalibus. Quia testāte philosopho, anima nostra est sicut tabula rasa, in qua nihil depictum est. Est porro eodem testante primo poste. ignorantia duplex, alia purę priuationis, ideſt, nescientia rerum: & hæc comes est nostræ natiuitatis. Alia vero est ignorantia, quæ non est priuatio sed contrarius veritati

Ignorantia duplex.

ritati error, quæ prauæ dispositionis ignorãtia nuncupatur. Mentes igitur humanæ secũ ex suis natalibus cõducunt ignorantiã priorẽ, at verò secunda ex peccato primi parentis diffusa est in hominũ genus: fallimur enim sæpissimè in iudicandis rebus. ¶ Rursus, siue vna, siue altera ignorantiã, iã est de rebus naturalibus, & moralibus, iam verò de rebus supernaturalibus. Verbo igitur Dei ab æterno congruebat hoc, quod est illuminare eos, qui in tenebris erant, & in vmbra mortis sedebant, Et enim ex vi suæ emanationis est lux spiritualis de luce, & splendor paternæ claritatis. Ideo quę, quia Ioã. modo ait, Et vita erat lux hominũ, vocarat vitã verbũ quia est sapientia subsistens, cognoscẽs omnia ab æterno: sapere enim est actus optimus vitæ. Ideo modo ait hanc sapiẽtiã esse vitã diuinã subsistentẽ, esseque lucẽ hominũ. ¶ Simul porrò dixit illã esse vitam & lucẽ nẽpe, quia hæc lux illustrãdo viuificat mẽtẽ, quã illustrat si mẽs illustranda viuificationi non obsistat.

Sapere est actus optimus vitę & sapientia est prę-stantissima vita.

ENARRATIO XIIII.
in caput primum.

¶ *Et vita erat lux hominum.*

VErbũ igitur Dei patris lux est hominũ omniũ, & quia dixit, hominum, abstraxit nos à luce hac materiali, quã visu corporis percipimus, quæ est lux etiã pecorũ, & erexit mentẽ nostrã, ad lucẽ spiritualẽ, & super naturalẽ cõtẽplandã. Et quãquã lumẽ intellectuale, quod est natiuum sit à verbo, hoc est creatio illius verbo aproprietur, quia est verbũ ex vi suę emanationis lumẽ est, cũ alioqui creatio mentis, cõmune sit opus Trinitatis quia Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa. At vero non de hac creatione modo Ioãnes cõminiscitur. ¶ Illuminat sanè tenebras mentis nostræ oẽs Dei verbũ: etenim in præsencia illumi nare est docere veritatẽ, vt tenebra est ignorãtia seu error. Quia igitur signatum est super nos vultus diuini lumẽ, ideo omnis veritas ab eo docetur etiã si sit naturalis veritas. Quippe ex lumine indito à Deo nobis de veritate erudimur. Itaq; lumẽ hoc diuinũ, detergit has ignorãtię à nobis tenebras. Et angelicæ itẽ mentes eruditæ sunt à Dei verbo, in naturalibus scibilibus omnibus si credim⁹ cũ Alberto, & Tho. angelicas mẽtes perspecies cõcreatas naturales sciẽtias habere: illis nanq; submotis erant tenebrosę, quia ignorãtes nõ errando, sed nesciẽdo. Porrò autẽ quia, quę nostro studio parãtur magis nostra esse vidẽtur, hęc illuminatio circa res naturales, nõ cõputatur inter ea, quę proprie sunt diuina dona. Ioãnes autẽ altissime intonãs, Et vita erat lux hominũ, illã illustrationem insinuat, quæ est vitalis, & verè donũ Dei est, quia est à luce quæ est ipsa vita. ¶ Hæc autem illustratio supernaturalis est: quippe naturalis illustratio, qua potiti sunt maximi illi philosophi, nõ viuificabat illorũ mẽtes: quia si viuificasset non clamasset Paulus illorũ iustã increpationẽ, dicens, qui cum Deũ cognouissent, non sicut Deũ honorificauerũt, sed euanuerunt in cogitationib⁹ suis. Et vita ergo erat lux hominũ: quia illustrabat homines, & illustrat in cognoscẽdo Deo patre, & filio ei⁹ Christo, & spiritu paracleto, & amãdo eosdẽ super omnia, in cęterisq; gratiæ mysterijs. Hæc sanè est vera illustratio, ex qua homo Deo fit gratior, & charior & æternæ vitæ fit compos, Per quãdenioq; educitur à morte peccati ad vitã gratiæ. Nãq; qui nõ diligit in tenebris, & morte manet, & qui hãc illustrationẽ fidei nõ habet, in tenebris degit, & ęterni luminis exors est. ¶ Addepellẽdas igitur has tenebras errorũ, quib⁹ mortales oẽs detinebãtur circa diuinorũ cognitionẽ: quia alij credebãt Deũ esse solẽ, alij lunã, alij Iouẽ, &c. & ad docendũ homines viã salutis & pacis, quæ est euãgelica via, venit Magister ille cælestis Christus verbum Dei patris, qui est lux & vita. Vnde vos, inquit, vocatis me magister & Domine & benedicitis. Ego ait ad hoc nat⁹ sum & veni in mũdũ vt testimoniũ perhibeã veritati, nõ mathematicę, aut physicę, sed cælesti veritati, quę est fides veritas. Ideo Ioã. ait, Et vita erat lux hominũ. Erat ęterno lux hominũ, Dei verbum, quia sibi ex æterna sua emanatione, hoc sibi congruebat homines illuminare, vnde ait. Ego sũ lux mũdi, qui nõ sequitur me ambulat in tenebris, quibus obsecro tenebris ambulat, qui Christũ non sequitur? Si quidẽ summi philosophi, Christum non sunt secuti, qui illuminatissimas in scibilibus fuerũt illib⁹ mẽtes habebãt. At vero non de illis tenebris sermo est, verũ qui Christi lucẽ sequitur

1. Ioan. 2.

Ioan. 15.

Ioan. 8.

De naturalib⁹ erudimur à verbo ex generali cõcursu & angelicæ item mentes etiam de istis à verbo sunt eruditę.

tur non ambulabit in tenebris infidelitatis, in tenebrisque peccatorum. Porrò quãuis verbo Dei ęterno congruebat esse lucẽ hominũ, non tamen æterno illustrabat, quia nondũ erant creati homines. Ab exordio autẽ humanæ naturæ depulit hasce tenebras, quia primũ hominẽ instruxit per infusam sciẽtiã, & fidẽ de rebus supernaturalibus Eccle. 17. At collapsa iã natura humana per protoplasti lapsum, sapiẽtia hæc Dei se sensim transtulit in mẽtes fideliũ prophetarũ, & patriarcharũ & iustorũ Sapien. 7. ¶ Cæterũ post quam hæc Prou. 1. Dei sapientia carnem nostræ mortalitatis induitiã clamitat in plateis nõ voce aliena, sed propria per euangeliũ suũ erudiẽs paruulos, vt negligãt carnis infantiã, & induãt robur euãgelici spiritus. ¶ Hęc igitur sapiẽtia, quæ est diuina vita, & proinde ipsissima vita, hæc est lux hominũ omniũ. Erat enim lux vera quæ illuminat omnẽ hominẽ veniẽtem in hũc mũdũ. Omnes equidẽ illuminat iustos, sed est etiam lux peccatorũ volentiũ illuminari. Sol nanq; lux est omniũ oculorũ, at sanos illuminat oculos, non infirmos, quou sque sanẽtur. At verò hæc lux, quæ Christus est etiã infirmos sanat mẽtis oculos vt illuminẽtur. Nõ veni, ait, vocare iustos, sed peccatores. Mar. 2. Non enim venit vocare angelos beatos, qui hoc loco iusti vocãtur, aut vocare sanctas animas, quas lymbus tenebat patrũ: at peccatores homines viuẽtes in mũdo, hos semper vocat omnes. Et nisi illi obsistamus, vocando illuminat, quia quos vocat iustificat, & quos iustificat magnificat ad Rom. 8. illo nanq; pergit hæc illuminatio, vt exuamus opera tenebrarũ, & filij lucis simus ad Eph. 5. & huius illustris filiationis honore adepto, ad lucẽ illã inaccessibilẽ quæ Deus est perueniamus.

ENARRATIO. XV.

in caput primum.

¶ *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

HVnc locũ Origenes in Ioãnẽ. 37. tomo secundo ad diuinitatis incõprehẽsibilitatẽ retulit. Atenebris enim non cõprehẽditur lux hæc vocãs tenebras mentes creatas oẽs. At obserua ne decipiaris quia Christũ, & spiritũ sanctũ inter creata cõnumerat docẽs prẽter Christũ & spiritũ sanctũ, ab alijs creaturis nõ posse Deũ cõprehẽdi. Origenes de prauitus ab Arrianis. ¶ Sed equidẽ si Christus pura esset creatura, aut spiritus sanctus, vt quę etiã sub tenebris cõprehẽderẽtur. Sed quid fiet, vt Christũ sub tenebris cõnumeres, quẽ Ioannes vocat lucẽ omniũ hominũ. Et ipse met se ipsum lucẽ appellat mũdi. Ioan. 12. & 8. Et age si creatura est spiritus sanctus finitã habet efficaciã, finitaq; virtutẽ ad cognoscẽdũ: igitur non poterit assequi diuinitatẽ, illãcõprehẽdẽdo, quãdoquidẽ notitia cõprehẽdẽs Deũ, & totaliter Deũ cognoscẽs, & hæc est infinitæ perfectionis, vt in. 4. sent. dist. 50. abũde deduximus, hæc autẽ infinitę nobilitatis notitia creaturis vniuersis repugnat. ¶ Porrò, vt diximus, in enarratione. 12. Origenem Arriani depranarũt, vt sua errata extãto autore fauerẽt. Deus est incomprehensibilis ab humana mẽte. ¶ Porrò misso hoc errore, scito, voces has lux & tenebræ, in diuinis scripturis variè vsurpari, & secũdũ propriã, & secũdũ translatitiã significationẽ. Habes propriã Gene. 1. Fiat lux, & facta est lux. Et tenebræ erãt superfaciẽ abyssi. Habes translatitiã modo in Ioã. Et lux in tenebris lucet, & supra, & vita erat lux hominũ. Nanq; non sit mẽtio lucis huiꝰ visibilis, quã oculis carnis spectamꝰ, quia hæc nõ est ipsa vita, sed facta est lux, à luce, quæ erat ipsa vita. Lux & tenebræ & proprie & impropriè sumũtur Itemque tenebræ hoc loco non tenebras visibiles denotãt quas lux visibilis sua absentia relinquit, sed tenebras alias inuisibiles, quas etiã Paulus cõmemorat dicẽs, Abijciamꝰ opera tenebrarũ, & induamus arma lucis ad Rom. 13. Quę autẽ sint opera tenebrarũ ipse exponẽs subdit, Nõ in comessationibꝰ, &c. Per tenebras igitur mẽtes creatas Origenes intelligit, & tenebrę non cõprehẽderunt lucẽ, quia nulla mẽs creata potest Deũ cõprehendere. Porrò si ad hanc rationẽ exponere libet, cõsequẽs erit & beatas mẽtes, tenebras vocare, quia neque illę Deũ apprehẽdere possunt. At verò nollẽ dicere in cęlestibus regnis lucẽ in tenebris lucere, & tenebras illã nõ comprehẽdere. Nõ enim video, quomodo in luce illa ętena, lux diuinitatis in tenebris luceat. Neque subit vocare mentes beatas tenebras, quia omnes tenebras à se iam excusserunt. Neque subit locus in scriptura, qui iustos vocet tenebras, ne dũ beatos, etiã si mens humana ex se sit ignorans, nisi vel studio proprio ad naturalia, & gra-

& gratia Dei ad supernaturalia illuminetur, quia proprium studiū ad illa etsi exigatur, non tamen sufficit. Neque te turbet, Ioā. dixisse catholica epistola Deū esse lucē, in quo non sunt tenebræ vllæ, nunc vero tradere esse lucem lucentē in tenebris. Etenim in diuinitate secūdū se nō sunt tenebræ vllæ, & lucet sine tenebris: verum quo ad nos lucet in tenebris. Vnde Ioannes. 1. Catho. 1. Deus lux est, & in eo non sunt tenebræ vllæ. Sanè non sunt in eo tenebræ, si quidē Deus secundū suam diuinitatē omnia clarissimè nouit, & nihil potest esse, quod ipsum lateat, indeque omnes ignorantiæ tenebræ infinitū distāt à Dei notitia. Quo circa secundū se lux purissima est, nihil tenebrarū habens, aut potens habere: vbi nanque est infinita scientia, ignorantia quęuis est impossibilis. Si verò consideres Deū relatū ad creatas mentes, item lux est, quia ipse primarius doctor veritatis, nā docet hominē scientiā, & angelum similiter. Et non sunt in doctrina hac diuina tenebræ vllæ, quia Deum est impossibile vel errare vel mentiri: quippe canente Psalmo. Lex Domini immaculata. Cæterū, apud nos hæc doctrina lucet in tenebris, vt post hæc patebit. ¶ Ex quibus conficitur Ioānem voluisse demonstrare Christi diuinitatē compellans illū appellatione lucis, dicens supra, Et vita erat lux hominū, & modo, Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Deus est lux lucentissima lucens sine tenebris secundum se atquo ad nos lucet in tenebris.

¶ Quāquā autē Deus sit lux purissima in intelligibilis & incōprehensibilis. At verò Dei verbū, quod est vita & lux in se, & quo ad nos, secundū quod effectiue viuificat nostras mentes, & easdem vitali lumine illustrat, sic obduxit nostræ carnis nube, vt sese oculis mortalium visibilē & tractabilē preberet, vt sub hęc Ioan. docebit.

Dei verbum quod est lux & vita se obduxit nube nostrę mortalitatis vt se visibilē præberet.

ENARRATIO XVI.
in caput primum.

¶ *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

CAietanus hunc denarrans locū subtilē & elegantē suo arbitratu inuexit declarationē: per tenebras intelligens, res sensibiles omnes, quæ rationis participio sunt orbatæ. In istis ait lucē diuinam lucere, at vero ab illis non cōprehēdi. Lucet sanè quia ad Rom. 1. inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciūtur. Verum, quia sensibilia hæc non possunt Deū per sensum cognoscere, & alia vi cognitiua non fruuntur, ideo inquit tenebras nō cōprehendere lucē. ¶ Et profert exemplum de noctilucis, quæ in mediis tenebris lucent, & à circunstantibus sensibilibus non apprehenduntur. ¶ Verū tamen, nouimus in scripturis sanctis, quod creaturæ istæ sensibiles, vt metalla, lapides, bruta, plantæ appellitentur tenebræ. ¶ Et iuxta Caietanū hoc est sacramentū, quod Ioan. verbis prædictis docet bruta, & lapides & plantas Deū non posse cognoscere. At vero quanti pendes obsecrō hoc sacramētū, quod idiotis est notū, nedū philosophis, Quis enim vel idiotissimus ignorat lapidē, & lapidem non posse cognoscere Deum. Quid quod Manichęus aitbat, hæc sensibilia esse tenebras, & à principe tenebrarum exorta: & si Ioānes per tenebras sensibiles hasce intellexisset creaturas, gloriaretur oppidò Manichęus in tanto Ioannis testimonio suo iniquo cōmento constituēdo. ¶ Vnde neque probo exēplum de noctu lucentibus vermibus, vel scamis, ita lucere Deū in creaturis sensibilibus. Hæc nanque non possunt lucere nisi sub tenebris, Deus autē etiā sine tenebris micantissimus est, vt beatis lucet, reuelata facie gloriam Dei cōtemplantibus.

Caietanus nō probatur.

ENARRATIO. XVII.
in caput primum.

¶ *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

AEra lux, quæ mortales omnes illuminat lux Christi est: hæc autē lux Christi fides eiusdem est, quā diuinæ literæ docēt, & ecclesia catholica prædicauit, & prędicat. Hæc autē fides lucet in tenebris modo, & à suo exordio inter tenebras micauit. Christus enim fidei autor & primari? magister micabat in tenebris, quando Iudęis miracula sua ostendebat, & mirabilē euāgelij sapientiā apud illos denarrabat. Inter tenebras sanè agebat lux vera, quia inter infideles, & rebelles sibi, agebat. Inter contradictores & hostes suos versabatur ipseque lux erat, at Iudei tenebræ, ipseque veritas, at illi falsitatis amatores, atque præfracti defensores.

Veritas & lux Dei semper pręualet contra humanas fraudes & falsitates.

¶ Obscurarę nisi sint hāc lucē dei pharisei,

& scribę hãcque lucẽ impendio infensam habebãt blasphemijs, odijs, falsis testimonis hanc lucẽ conati sunt extinguere: sed tenebræ peccatorum, lucem hanc iustitiæ nõ potuerunt extinguere aut opprimere. ¶Affixerunt Christum cruci, arbitrantes morte extincturos hanc lucem, at deiecta morte surgens à mortuis micantius fulsit: quia á morte clarius ostensa est diuinitatis lux, quę erat abscõdita in Christo. ¶Ascẽdit in cælũ lux hęc mũdi, & filij huiꝰ lucis hoc est apostoli Domini, lucẽt in tenebris etiã, at tenebræ eas non cõprehenderunt. Demonstrant enim lucẽ esse Christũ mũdi, & surgit potestas tenebrarũ: contra eos surgunt tyranni, surgunt mundani principes contra apostolos, cõtra sanctos martyres totũ armatur tenebrarũ regnũ: at verò tenebrarũ potestas, hoc est diabolꝰ, potentissimiq; homines seculi, nõ prævaluerũt cõtra hãc lucẽ, sed vt olim Pharao opprimẽs filios Israel illos vehemẽtius multiplicabat, sic isti nitẽtes summopere euãgelicã obtenebrare lucẽ, illã clariorẽ reddiderũt, rubricatã quidẽ sanguine martyrũ, & miraculis apostolicis obsignatã. Demũ, pstratis iã mundi iniquis principibus lux fidei Christi in tenebris errorum adhuc lucet, sed tenebræ errorũ eã non cõprehẽderũt. Lucet nãq; fides inter varias hęreses, quas tenebrarũ pater diabolus sparsit in orbẽ, per suos filios hæreticos, semper micat tamen. Enimuerò neque argumenta, illorũ, neque vaframenta, neque impostura potuerunt veritatẽ fidei peruertere, imo vexatio hæreticorũ dedit intellectũ catholicis, vt clarius & eruditius intelligerent scripturas, quã prius intelligebãt. ¶Lux igitur diuina in peccatores & malignos homines lucet, & luxit, at verò peccatores nõ potuerũt lucẽ Dei obtenebrare, aut opprimere. Et in diuinis musis cõprehẽdere, vsurpatur sæpè pro eo quo est capere. Vt cõprehẽderũt Iesum Matth. 26. & 2. Cor. 11. Vt me cõprehenderẽt. Et apud Ioãnẽ. cap. 12. Adhuc in vobis modicũ lumẽ est: ambulate dũ lucẽ habetis, vt non tenebræ vos cõprehendant, idest, ne capiant vos tenebræ. Nõ me latet vulgatos interpretes, verbũ cõprehendere, retulisse ad actũ intellectus, explicantes, non cõprehẽderũt, idest, nõ cognouerunt. At vero mihi plausibilior est explanatio hæc altera, quã prosecutus sum, videlicet, per cõprehendere, non actus intellectus negetur, sed potius victoria tenebrarũ super lucẽ. Quã expositionem Theophilactus insinuat intelligens per tenebras mortẽ, & errorẽ, quę cõtra Christũ non prævaluerunt: quia inuictũ fuit semper Dei verbum. Demũ quia neque humana falsitas, neque humanus potentatus, neque diabolica fraus, potuerũt euangelicam superare veritatẽ. Quippe hæc est victoria, quæ vincit mundũ fides nostra, propterea, cũ mundana omnia, quæ per tenebras rectè intelliguntur non potuerunt vincere diuinã veritatẽ, quę nomine lucis designatur, ideo comodè intelligimus hac ratione verbũ Ioã. Et tenebræ eã non cõprehenderunt. ¶Et Philippẽses dixit Paulus cap. 2. esse in medio nationis prauę, inter quos addens, lucetis, vt luminaria in mundo. Sic quoq; lux Dei, quæ est euangelica veritas, à natione praua, impugnatur, at non expugnatur, sed lucet in mundo, ceu mundi luminare maius. Filij quoque lucis, lucẽt in medio nationis praua, vt luminaria huius mundi, In mundo enim hoc micantissima sunt luminaria fuerunt apostoli, sancti martyres, &c. Et vt vnico succingã rẽ istã verbo Christus vita, veritas & lux est quæ tria Ioan. hoc euangelio cõprehendit, Christi vitã, mors nequiuit subigere, Christi veritatẽ mũdanæ calũniæ non potuerunt subuertere. Christi lucẽ denique errores omnes obscurare nequeunt.

Omnes mundanæ & infernales tenebrę non poterũt obtenebrare Dei veritatẽ

Dei veritas à natione praua impugnatur sed nõ expugnatur.

Hæreticis curãtibus peruertere fidẽ catholicã, cõtra successit, quia illustrior reddita est.

ENARRATIO. XVIII.
in caput primum.

¶*Fuit homo missus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes.*

PRiore euangelij parte, quę hactenus diserta est, Ioãnes sedulò nobis tradidit diuini verbi æternitatẽ, distinctionẽ à patre realẽ, vnitatẽ cũ eodẽ essentialẽ illiusque infinitã virtutẽ, & scientiã. Quia verò hęc verbo Dei cõueniũt secũdũ se, oportebat etiã declarare, quonam pacto, hæc diuini verbi infinita maiestas, hominibus innotuerit. Hoc autẽ expositurus Ioannes hac posteriori huiꝰ euãgelij parte, subdit post priora, fuit homo missus à Deo, &c.

¶Hic nanque fuit eius, quę in verbo diuino, maiestas erat, præco clarissimus, & testis longè dignissimus, & præcursor strenuus. Huius clarissimi præconis Christi, vitã, & diuinos mores euangelista noster descri-

describere non curauit, quippe quos apud alios euangelistas diligenter scriptos aduertebat. Quare illa historia prætermissa, quod sui erat instituti dũtaxat persequitur, exponere, inquã, quis fuerit huius diuini, quod describerat verbi, præco, & testis primus, per quẽ omnibus hominib⁹ diuulganda erat diuini verbi infinita celsitudo. Hoc igitur instituens demonstrare, quis is fuerit verbis indicatis declarat dicens, Fuit homo missus à Deo. Obseruat Cyrillus lib. 1. cõm. in Ioã. cap. 7 notãter Ioannẽ dixisse cũ de Ioanne loqui incipit, stylũ mutasse, quẽ de verbo Dei texẽs sermonẽ obseruarat. Dehoc enim loquẽs, In principio erat verbũ, scripsit, & perpetuo filo sermonisque contextura hoc verbo subsũatiuo, erat, locut⁹ est, iã verò de Ioãne loquens, non erat, sed fuit homo scripsit. Nã per verbũ erat quod non significat efficientiã vel effectũ, sed existentiam diuini verbi, æternitas eiusdẽ exposita est, at per verbũ fuit, factum & mortalem fuisse Ioannem, voluit Ioannes ostendere; & ideo non conferendũ cum Christo. Græca autẽ eandẽ differentiã denotãt quia de verbo scribitur ἦν, erat, de Ioan. ἐγένετο, à verbo γίνομαι, quod significat fio, vel nascor. Et etiam si sumatur nõnunquã pro verbo subsũantiuo, ita tamen sumitur, vt efficientia seu effectus significetur. At verò Laurentius Vala contendit aptius trãsferendum, per extitit ἐγένετο, quam per fuit. Quia extitit significat idẽ quod euidẽter fuit, vel prodijt. ¶ Et Erasmus in annotationibus per erat transferri posse, itidẽ tradit, vt diceret, erat homo missus à Deo quia postea Ioannes ait, de Ioanne, Non erat ille lux. ¶ Cæterũ ratio hæc officit nihil, quippe, scribens Ioan. Nõ erat ille lux, negat maiestatẽ verbi congruere Ioãni, & nihil affirmat, æternitatis illi cõuenire imò negat, dicens non erat ille lux illa, at verò si dixisset asserendo, erat missus à Deo, iã verbũ denotans æternitatem si Ioanni tribueretur forsan quispiã deciperetur, existimãs illũ etiã esse æternũ, vt verbũ. ¶ Ad hæc Cyrillus probatã habet trãslationẽ nostrã, quia ipse legit, Fuit homo, & non erat, homo, & denotare mysteriũ supra dictũ docet, quæ Theophilact⁹, & Græci alij nedũ Latini. Quod si Laurẽtius esset audiendus per, extitit, denotaretur Ioannẽ fuisse absc̃ditũ, & tũ primo mũdo apparuisse. Vnde & foueretur error illorũ qui asserũt Ioãnẽ fuisse angelũ & tũ apparuisse in deserto forma humana indutũ. ¶ Neq; enim dogma hoc exiguũ habet autorẽ, sed Origenem in Ioannẽ tomo. 2. vbi quædã docet de Ioanne Baptista. Primũ est animã Ioannis fuisse antiquiorem eius corpore, quãdo hæc anima iuncta est corpori, tunc missus est Ioannes ad prædicandũ. ¶ Secundũ est plerosque angelos fuisse incarnatos, & fortasis vnũ horũ esse Ioãnẽ Baptistã. Probatque prolato loco Mala. 3. Ecce ego mitto angelũ meũ ante faciẽ tuã, qui præparabit viã tuam ante te. Neq; hoc mirũ est, dicit Origenes, si Ioãnẽ angelũ incarnatũ dixerimus cum Dei verbũ carnẽ assumpserit, quid ergo mirũ si ministri eius angeli voluerũt benignitati diuini verbi accepta carne ministrare. Tertiũ est Iacob dilectũ fuisse à Deo, & Esau odio habitũ, ad Rom. 9. quia anima vniuscuiusque horum, antequã laberetur in corpus ex meritis propijs, vel amicitiã Dei promeruit, vt anima Iacob, vel odiũ cõciliauit, vt Esau anima. ¶ Hæc dogmata merito Cyrillus in hoc cõm. & Hero. in epistola ad Pãmachiũ, & Epiphani⁹ Salaminę episcopus lib. 2. Panarij. Et Theophilus Alexãdrię episcopus lib. 1. Paschalis acriter redarguunt. Cæterũ in præsentia non est necessariũ in hæc dogmata agere, quę cõciliũ Chalcedonẽse reprobauit, & nos alibi contra illa longã fecimus disputationẽ. Sed sufficiat contra antiquitatẽ animarũ supra corpora, illud, proferre, Si anima est antiquior corpore & propter culpã, quã admisit, demersa est in corpus, quid dicet autor huius opinionis, de anima Domini Iesu num illa fuit antiquior suo corpore? Si affirmat, quid ergo lapsa est in corpus vt pœnas daret proprij reatus? Hoc Origenes non cõcederet: nã qui venit ablaturus nostra scelera non sua reportauit quę luat scelera, neq; si reportasset illa diuino verbo copularetur. Igitur vnio animæ cũ corpore non est vt pœnas luat antiqui ante corpus cõmissi criminis. Verũ hæc meminisse hactenus sufficiat. ¶ Quod verò nostro proposito cõfert, est tradere hæreticũ esse, Ioannẽ angelũ fuisse secundũ naturã, & incarnatũ fuisse vt Domino ministraret. Enimuero incarnatũ solũ credimus illud verbũ, de quo Ioã. meminit dicens, Verbũ caro factum est.

Laurentius Vala & Erasmus non probantur.

An Ioannes fuerit angelus.

Tria asserta ab Origene refutanda.

Animæ non suntantiquiores corporibus.

Angeli neque boni neque mali in carnari possunt.

¶ Quod si alia ratio non vrget, nisi illa, quia ad ministeriũ Domini incarnati, angeli sunt, vt quando Dominus ieiunabat, angeli ministrabãt, vtique cessante ministerio carnẽ deposuerunt. Igitur cum per carnis mortẽ illã deposuerint, quippe caro assumpta mortalis fuisset, concedendum erit angelos illos ministantes Domino, iã mortuos esse, vt de Domino concedimus mortuũ fuisse carne illius defuncta ex cõmunicatione idiomatum. ¶ Et rursum verè comedisse angelos, & bibisse scriptura contradicente Tobi. 12. quæ omnia sunt hęretica. ¶ Ad hæc Domino ministrare potuissent, etiã non verè accepta carne. ¶ Et quid si angeli sancti possunt incarnari, cur non angeli mali? Igitur quidquid male fecerint in carne dignũ erit supplicio nouo æterno, vt quod bonũ præstiterint sancti corona noua æterna. Igitur resurgent angeli incarnati, & boni, & mali, & recipient prẽmia noua suorũ nouorum in carne meritorũ. Verũ hęc delyria missa faciamus. ¶ Quod autẽ ex Malachia conducit in suffragiũ suum, non est cõuincẽs: siquidem scriptura vocat sacerdotes angelos, & episcoposangelos. Malachiaserlim. cap. 2. scripsit, Labia sacerdotis custodiẽt scientiam & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Et Ioannes in Apocaly. episcopos ecclesiarũ angelorũ vocat. cap. 2. & 3. Qua propter & Baptista appellatus est angelus, nõ natura, sed munere. Angeli enim Græcè, sunt Latinè nuncij: deferunt enim legationes diuinas, ad homines. Omnes enim sunt administratorij spiritus. Ioannes itẽ legationem diuinam detulit hominibus: Christũ enim adesse nuntiauit præsentẽ, quem Dei vates futurum prædixerãt. Neque temoueat vt Ioan. angelum incarnatũ esse credas, quia Lucæ. 2. Exultauit infans in vtero, hoc enim, non quia angelus erat effecit, sed Deo miraculosè operante.

Ioannes Baptista quo modo angelus.

ENARRATIO. XIX.
in caput primum.

¶ *Fuit homo missus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes.*

IVit homo, vtique fuit verus secundũ naturã homo, at munere insigni decoratus, & nobilitatus angelico: Nanque angeli legati sunt diuini, legata diuina nobis legantes: at Ioannes maximus Dei legatus maximũ legatũ nobis detulit dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Qui post me venturus, ante me factus est. Medius vestrum stetit, quẽ vos nescitis. At verò forsan sciscitatur aliquis, cur angelus Dei hoc legatũ non obiuit: siquidem angelus Gabriel missus est ad Mariã virginẽ, & angelorũ chorus missus est, vt pastoribus gaudium magnum nuntiaret de Deo infante recens nato, & angelus nuntiauit mulieribus Domini resurrectionem, & apostolis ascensionem Domini declarat dicens, Viri Galilęi quid admiramini suspiciẽtes in cælum, hic Iesus, qui à vobis assumptus est &c. Si ergo legata hæc diuina, angeli sancti expleuerunt, cur etiã quã Ioannes Baptista præstitit, angeli nõ præstiterunt legationẽ? Aduertendũ igitur est Deũ Christi arcana per Prophetas nunciasse futura, at verò illa iã esse cõpleta, per angelos suos demonstrare voluit, vt incarnationẽ diuini verbi, iam adesse per Gabrielem, & naturalia sua per angelos suos nũtiauit pastoribus, & ita de reliquis. Maioris enim nobilitatis est nũtiare Christũ iam adesse, quam polliceri vẽturũ. Quo circa nobilissimã hanc legationẽ, angelis suis cõmisit Deus, vt nobilissimis spiritibus, qui Deo astant iugiter. Cæterũ angeli sunt legati diuini, non generaliter apud homines, sed in particulari apud quosdam. Nãque angeli eruditi homines, aut per occultam reuelationẽ interiorẽ, aut palã in corporibus assumptis exterius colloquendo. At verò vtroque magisterio angelico paucissimi sunt homines, qui illo digni sunt: ideoque raro hoc vtuntur magisterio, & sanctissimos solũ homines dignantur hac ratione erudire. Quales prophetæ fuerunt, virgo sacra: pastores etiam credimus illos bethlehemiticos tales fuisse, &c. Verum quia generaliter homines non sunt tales, ideo ad generale magisteriũ Deus non angelos, sed homines mittit. Et hoc humanũ magisteriũ cõgruit hominibus: discipuli namque hoc amant colloquiũ familiare cũ magistris: id quod cum angelis habere nequeunt communiter homines. Sunt autem variæ & illæ longe præclarissimæ dotes, quibus hic homo à Deo missus insignitur locupletibusque prærogatiuis exornatur: & quod angelico sit nobilitatus legati munere, & quod

Ioannes ingnis Deile gatus. Ioã. 1.

Deus per prophetas nuntiauit mysteria Christi ventura

Deus per angelos suos nũtiauit Christi mysteria cõpleta.

Angeli bifariam docent homines.

quod præsentia Christi mysteria iã adesse monstrauit, id quod vt supra docebamus angelorum est. Et hæc est insignis ratio, obquam etiam angelus sit appellatus, & quod angelus de hoc Ioanne prophetizauit. Gabriel enim nuntiauit Zachariæ, hunc Ioannem futurum magnum coram domino. Et idem angelus, quod non vacat à mysterio qui Domini nuntiauit incarnationẽ Mariæ, nuntiat Elizabeth natiuitatem Ioannis. Et quod angelus propheticoetiam ore multo ante secula Ioãnis per Malachiãsit nominat⁹, & quod diuino spiritu dictãte, illi sit nomen inditũ Lucę. 2. & quod locus propheticus illum prænuntians futurum angelum domini, à domino de Ioanne exponitur, ne cuiquam fas fuisset locum, in alium prophetam deflectere. Ideo Christus, locum hunc illustrauit interpretatione sua, vt fuit etiam interpres Esaiæ, loquentis de se ipso Spiritus Domini &, Lucę. 4. Et demum in cumulum suorũ præconiorũ quod ore Domini fuit laudatus miris præconijs Matth. 1. vt veracissimum eum esse legatum Christi, credam⁹. Itaq; angelico, & prophetico, & spiritus Sancti, & Christi hic homoà Deo missus testimonijs illustratur. ¶ Fuit equidẽ hic homo aspectu exterior inatione terren⁹, mortalis, sicut cæteri homines, at cõuersatione in terra cælestis. Cui quã aptissimè cõgruit, quod Paulus de se ipso & cæteris apostolis pronũtiat, Conuersatio nostra est in cęlis. Hunc ergo hominẽ tanti exequẽdi legati ministrũ elegit Deus omnipotens. Vt quem angeli, & prophetæ, & Dominus ipse probatum habuerunt, homines quoque vererentur, & fidem illius verbis maximam haberent.

¶ Fuerunt, & aliqui prophetæ à Deo missi, sed non legationem tã illustrẽ obeundã sicut iste susceperunt. Maximus quidẽ est Ioãnes iste & inclytus in ecclesia Dei, cui cõcredita est cælestis hæc legatio, quæ hominẽ restaurat, angelos lætificat, inferosque exterret. ¶ Atqui vocant in dubiũ, qualis nã fuerit isthæc missio Ioãnis, an inuisibilis & interna solum, an visibilis vt fuit Moysi missio, & prophetarũ & apostolorũ. Nicolaus visibilem duxit esse, vt fuit aliorũ prophetarum: alijs aliud collibuit. Mihi tamen videor rẽ hanc certa decisione, nõ posse resolui. Quippe diuina, quæ poterant hoc docere oracula silent.

Præclarissimæ dotes quibus Deus ornauit suũ pręconẽ Ioãnem.

Ad Phili 3.

Missio visibilis & inuisibilis.

Quod vero mihi probatur magis est missionẽ hanc fuisse inuisibilẽ nẽpe per reuelationem internã. Etenim si missio esset visibilis, esset quidẽ mandata scriptis, nã ex eo fiunt sensibiles, vt alijs pateãt, & in notitiã aliorũ deueniant: at quia supprimitur, insinuatur occultã fuisse. Et hoc idẽ Lucæ. 3. insinuatur, Factũ est verbũ Domini ad Ioannẽ filium Zachariæ in deserto. In deserto autẽ cũ sit facta hæc missio nihil opus erat sensibilibus signis. Et fortasse non omnes prophetæ missi à Deo, fuerunt per signa sensibilia missi, saltem istud liquido non constat ex diuinis scriptis. ¶ Tãti porrò fecit Ioãnes vt par erat, fungi hac legatione diuina, vt sub teneris annis antra deserti ciuiũ turbas fugiens peterit. Et deserens paternã Pontificis Zachariæ domum eremũ coluit: & parentũ delicias, atque diuitias cõtẽnens, solitudines, & bestiarũ domicilia pluris fecit.

Ioannes mittitur inuisibiliter.

Ioan. fuit ere micola. 30. annis autore Niccphoro. lib. 1. cap. 18.

¶ Quã obrẽ strenuè sibi concreditam obiuit legationem & verbo & opere illam absoluit. Verbo sanè, quia Christũ Dominũ sedulò prædicauit, illum declarans publicitus esse vnigenitum Dei patris, & esse morte sua ablaturũ peccata mundi. Ecce dicẽs, agn⁹ Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Mundi dixit, quia non Iudęorũ tantũ piacula venerit Dominus expiaturus, sed omniũ hominũ, esseque ecclesiæ spõsum aperta proclamauit voce, seque non sponsum, sed sponsi esse amicũ. Rursum Christũ esse verũ Messiam digito cõmonstrat quẽ lex adũbrauit typis multis, & prophetæ prędixerunt verbis non paucis.

¶ Adhæc sermone etiã suã est executus legationẽ: fastũ enim Pharisaicũ verbo illo terrifico deijciẽs, Genimina viperatũ, quis vobis demonstrabit fugere à ventura ira? hos sanè terrebat, quia illorũ contumacẽ animũ erga Christũ iam ex eremo præsenserat, cæteros verò blando eloquio permulcebat, vt deserta via mala, viã iustitiæ ingrederẽtur. Vnde militibus deprædicat, Cõtenti estote stipendijs vestris, ne minẽ concutiatis, &c. Publicanis vero vt auaritiæ studio depositio bene & parta largirẽtur pauperibus, multaq; alia salubria monita illis instillabat: operevero legationẽ explet suã mirabiliter, Iudæos enim præparãs ad baptismũ Christi, baptizabat ex aqua Iordanis. Et ꝙ est omniũ maximè insigne, ipsum autorẽ, & sanctificato-

Ioannes sermone & opere strenuè functus est sua legatione.

rem baptiſmi, meruit ex eadem baptizare aqua. Hic primus pœnitentibus pollicetur regnum cęlorum. Matth. 3. Pœnitẽtiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorum. Et quod ſummi priſci vates obſcurius & á longe vaticinati fuerant de regno cælorum, hic clara & de prope reſonat voce. Nempe, quia iam aderat, qui regni cęleſtis ianuas cito per mortem ſuam erat reſeraturus. Tandemque, vt glorioſiſsimè legationem ſuam comſummaret, inceſtũ Herodis cum Herodiade acriter obiurgat, quã obiurgationem inceſtuoſus Herodes iniquo ferens animo, gladio huius legati cæleſtis caput amputauit. Sub Tiberio autem Cæſare priuigno Auguſti Cæſaris, hanc exercuit miſsionem ſibi à Deo impoſitam anno. 15. Imperij illius Lucæ. 3. & tertius annus agebatur, quo procurabat Pilatus Iudææ Tetrarchis Herode Galilææ, Philippo Iturææ, Liſania Abilinæ filijs Herodis & fratribus Archelai tyranni ſub principibus ſacerdotum ſeu maximis pontificibus, qui viciſsim fungebantur pontificatu, Ana, & Caipha. Nomẽ verô huius hominis à Deo miſsi exponit Euangeliſta dicens, Cui nomen erat Ioãnes. Hoc nomen interpretatur, gratioſus, pius, miſericors. Nã Ioannan, & Ioannes eodem modo exponuntur, quæ ſanè omnia, quã congruant Baptiſtæ nõ eſt quod multis agamus. Siquidẽ ex ſcriptura ſatis ſuperque patet, quã gratioſus Deo fuerit, is qui ad huc ex vtero matris ſuæ fuit repletus ſpiritu ſancto. Fuit quoque pius quia Dei colẽtiſsimus. Quando quidem pro lege Dei tuẽda funeſto Herodis gladio occubuit. Miſericors vero fuit, quippe, & ſi omnia temporalia reſignaſſet bona eremum petens vnde non habebat vnde pauperes aleret, cæterũ illorum mirã geſsit curã diuitibus mandans, vt duas tunicas habẽs, alterã exhiberet pauperibus. Gratioſus ſanè ipſe, & gratioſum deferẽs orbi nuntium, quod agnus Dei iam aderat præſens, qui expiaturus erat mundi peccata, & ianuas cæli recluſurus. Vt enim gratiſsimus eſt Lucifer ſub aurorã exoriẽs quia ſolem aduẽtare pronũtiat, ita gratus fuit iſte imò longe gratior orbi, qui ſolem iuſtitiæ Chriſtum iam adeſſe hominibus demonſtrauit, non ſolum viuẽtibus, ſed & vita functis, quia animabus ſanctis in lymbo deliteſcentibus, à morte ſua lętum attulit de Chriſti in orbe præſentia nuntiũ, vt Grego. in homi. aduẽ docet.

Nicepho. lib. 1. cap. 17.

Illuſtres nomenclationes Ioã. Baptiſtæ.

Ioannes teſtis aduentus Chriſti apud viuos & mortuos.

ENARRATIO. XX.
in caput primum.

¶Hic venit, vt teſtimoniũ perhiberet de lumine.

EMphaſim quandam inſinuat, pronomen, Hic, demonſtrãdo Baptiſtã. Quaſi dixiſſet, Euangeliſta hic, cui Deus concredidit ſummam de vnigenito legationem, qui non propria, ſed diuina autoritate, & iuſsione legatione eximia fungitur, hic venit vt teſtimonium perhiberet, Græce, vt teſtaretur non enim repetit μαρτυρίαν ſed ſubdit μαρτύριον vt teſtaretur: verum ſenſus idem eſt, ſiue hoc ſiue alio modo interpreteris.

¶Finis igitur legationis Ioanni concreditæ exprimitur hiſce verbis ab Euangeliſta. Fuit nanque finis, vt teſtimonium perhiberet de lumine hoc eſt de Chriſto, quẽ ſupra lucem dixerat. Neque putes diuerſum eſſe lumen à luce, ideóque hic ſubeſſe myſterium. Nam vox greca φῶς lucem ſignificat, & quã ſupra & infra interpres expoſuerat lucem, modo exponit lumen.

¶Et quidem philoſophis non idem lumẽ eſt, atque lux. Lux nanque eſt vt in fonte luminis, & eſt cauſa luminis, lumen vero effectus eius: verum theologi non hanc obſeruant differentiam. Quippe promiſcue vtuntur vtraque voce, ad ſignificandum idem. Vnde in ſymbolo cõfitemur, lumen de lumine, Patrem, qui eſt fons luminis & principium filij profitentes eſſe lumen. Et in vulgata loquela harum vocũ itẽ promiſcuus eſt vſus. Ideoq; interpres hac delectatus eſt varietate interpretandi eandẽ vocem vt etiam fecit Ioan. 12. Eraſmus, qui φῶς, primo tranſtulit per lumen, deinde per lucẽ, vt feceratnoſter interpres in verbis iſtis, Adhuc modicum lumẽ in vobis eſt, ambulate dum lucem habetis. Porrò autem, quia ſupernaturalia Chriſti myſteria facile vincunt ingenia noſtra, ideóque à nobis dũ curſus huius vitæ labitur, videri nequeunt; neceſſe eſt illa per teſtes cõprobari, vt credantur. Naturalia enim, quæ phyſici diſſerunt, nõ teſtes ſed rationes deſiderant: quippe quæ humanæ rationi ſubduntur. Quæ vero hanc admo-

Lux, & lumẽ philoſophis diuerſa ſunt theologis nõ item.

Supernaturalia fidei mysteria testimonia poscũt non rationes conuincẽtes.

admodum superat, quia rationibus non possunt persuaderi, (fides namque, humanis argumentis non subiacet) ad huiusmodi persuasionem petenda sunt testimonia, & à testibus sunt habenda. Etenim apud homines, etiam eorum, quę non videtur fidem faciunt ij, qui illa viderunt, vt qui Romam, aut Indiam viderũt.

¶ Quamobrem Ioannes mittitur à Deo in testimonium, vt testaretur Christum esse verum Messiam in lege adumbratũ, & per vates diuinos promissum: ideò ait, Ioannes, Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.

¶ At sciscitaris fortasis, si Ioannes mittitur in testem digniſimũ, inuisibilium supernorumque fidei mysteriorum, igitur cum nullus possit testari nisi ipse viderit, igitur Ioannes habuit notitiam claram diuinorum mysteriorum. Caietanus hoc argumento permotus nõ formidat illatum concedere Ioann. Baptistam de supernis istis Christi mysterijs notitiam certam, & claram habuisse, aliàs non esset cur testis esset dicendus, si solum credidisset, & non vidisset.

¶ Porrò, si vera Caietanus narrat, Baptista habuit claram diuinitatis notitiam, & adhuc in carne degens erat beatus. Quod si dixerit, non fuisse beatum simpliciter, quia raptim vidit diuinitatem Christi, vtique hoc qua facilitate conceditur, eadem negatur: quia nihil habet autoritatis, & multum nouitatis dogma hoc.

¶ Quod si dixerit clarissimè nouisse Ioãnem Christũ esse Messiam, at non Deũ,

Caietan⁹ nõ probatur.

at si credebat Ioãnes Christum esse Deũ, etiam credebat esse Messiam: quia nõ poterat esse testis perfectus, quod Messias erat Christus, nisi videret quis erat Messias secundum Caietani rationem.

¶ Ego verò lego Act. 1. Apostolos Christi missos fuisse in testes Christi: non tamen puto, quod Apostoli viderunt Christi diuinitatem tunc. Actorum namq; historia refert Christum dixisse Apostolis, Eritis mihi testes in Hierusalem, & omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Viderunt sanè mortem Domini, Resurrectionem, Ascensionem, & miracula: at verò Christi diuinitatem non viderunt. Et nihilominus testati sunt Christum esse Deum, id quod non viderant. Miracula enim Christi, & transfiguratio sufficienter admonebant Christum ex modo faciendi esse Deum, at non clarè ostendebant illius diuinitatem, cessaret enim fidei meritum si euidẽtia fuisset diuinitatis. Et quod Ioannes inquit, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, non illò referendum est, quò Ioannes doceat se vidisse clarè diuinitatẽ Christi, sed quia miracula Christi, quæ vt dicebam dudum admonebant sufficiẽter illum verum Deum, vidit Ioannes, & alij Apostoli, itemq; Christi doctrinam ex illo hauserant, ideò ait, Quod scimus loquimur, &c.

Miracula Christi non ostendebant illũ esse Deũ sed admonebãt illius diuinitatem.

¶ Dixerim Baptistam igitur non vidisse Christi tum diuinitatem, neque ad hoc missus fuerat, vt testaretur se vidisse Christi diuinitatem. At verò ex immediato Dei magisterio, seu reuelatione instructus est à Deo Christum esse verũ Messiam, & esse verum Deum & hominem, & vnigenitum Dei patris, in quem omnia oracula prophetarum conueniebant. Ideò horum, quæ ipse immediatè accepit à Deo, vel per Angelum beatum, potuit esse testis. Nos autem non propriè sumus testes fidei, etiam si illam recipimus probamusq; testes illius, & credimus. Quippe nos non ex immediato magisterio diuino eruditur in fide, sed ex humano magisterio, quia fides est ex auditu ad Rom. 10. Cæterum Ioann. & Apostoli, ex immediata reuelatione diuina fidei arcana didicerunt. Vnde ea, quæ à Deo acceperant, illorum facti sunt à Deo testes, se illa accepisse à Domino, quæ tradiderunt hominibus, vt Paulus ait, Hoc enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. 1. Corint. 11. Et rursus ipse Paulus se Euangelium didicisse à Christo testatur, & non ab hominibus, neque per hominem. ad Galat. 1. Hanc item reuelationẽ adeptus Petrus, Matthæ. 16. fatetur Christum esse filium Dei viui. Et Dominus fidei hãc confessionem magnificat, & beatificat, dicens, Beatus es Simon Bariona. &c. Ioannes igitur Baptista hoc cœlesti imbutus magisterio missus est à Deo, vt testaretur, se accepisse à Deo lucem mũdi, esse Christum.

Ioannes Baptista erudit⁹ est immediate à Deo de rebus Christi super naturã

¶ Sed ais Ioann. 10. opera, quæ Christus fecit testimonium perhibent de Christo, igitur Ioann. testimonium superfluit. Respondeo, non dixisse sola illa testari Christum.

Christus suis miraculis cõfirmauit Ioãnis testimonium.

ſtum. Quia prius teſtatus eſt Ioann. Chriſtum ante omnia miracula, quia Ioann. non ex Chriſti miraculis, ſed ex ſpiritu docente teſtimonium perhibuit Chriſto. Porrò Chriſtus ſuis miraculis cõfirmauit Ioann. teſtimonium.

ENARRATIO XXI.
in caput primum.

¶ *Vt omnes crederent per illum.*

ADmonet his verbis Euangeliſta teſtimoniũ Baptiſtæ, non eſſe neceſſariũ propter Chriſtum. Siquidem docente eodem Euangeliſta, cap. 5. Chriſtus maius teſtimonium habebat, quam fuiſſet Ioan. habebat namque Patris, & Spiritus ſancti teſtimonium. Quippe ſub baptiſmo vox illa de cælo intonuit, Hic eſt filius meus dilectus, &c. Et ipſa volitans colũba ſuper baptizato Domino illi atteſtabatur. Et Baptiſta inquit, Spiritus mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendentem tanquam columbam ipſe eſt, qui baptizat.

¶ Annotante autem Eraſmo lectio Græca ambigua eſt, quia ambiguũ eſt, an pronomen Græcum αὐτῷ, ſit maſculini, an neutri generis. Quippe ſi maſculini eſt, refertur ad Ioannem, & erat transferendũ non per illũ, ſed per ipſum: vt ſit ſenſus, Ioannes perhibuit teſtimonium de lumine, vt omnes crederẽt lumen, per ipſum Ioannem. Si verò neutrum eſt, erat trãſferendum per neutrum, vt omnes crederent per illud: & refertur ad lumen. Putà, vt omnes crederent Deo, per lumen, id-
Caietanus nõ probatur. eſt, Chriſtum. Caietanus autẽ hunc amat ſenſum, quia nõ omnes crediderunt Chriſto per Ioannem: gentes enim non crediderunt Chriſto per Ioannẽ: ſed per Apoſtolos. Et rurſum, quia Ioannes non omnia credenda de Chriſto expoſuit, ſed Apoſtoli illa expoſuerunt.

¶ Veruntamen mihi probatur magis vulgata expoſitio, vt de Ioanne ſit intelligẽdus locus, vt ſcilicet, omnes crederent Chriſto per Ioannem, quippe quandiu non poſſumus decernere de pronomine Græco, cuius ſit generis apud Euangeliſtam, ſequamur quod Græci, & Latini expoſitores, videlicet, eſſe maſculini generis. At verò difficilis videtur ſenſus hic, quandoquidem Matthæi. 11. Dominus increpat Iudæos, quia Ioannem non receperunt. Venit, inquit, Ioann. non manducans, neque bibens, & dicitis dæmonium habet. Et Lucæ. 7. de Phariſæis Dominus inquit, quod ſpreuerunt conſiliũ Dei in ſe ipſis nolentes baptizari ab eo: quomodo ergo verum eſt, quod omnes crediderunt per illum? Aduertendum autem Ioannis prædicationem, & baptiſmum, fuiſſe veluti diſpoſitionem quandam, ad prædicationem, & baptiſmum Chriſti. Et Chriſti prædicatio fuit veluti forma, & complementum prædicationis Ioãnis. Ioannes enim prædicans Chriſtum hoc deprædicabat ipſum eſſe verè Meſſiam promiſſum ex lege & prophetis, ad reliqua autem alia credenda de Chriſto, ſuos remittebat diſcipulos, vt à Chriſto diſcerent. Vnde Dominus ſua prædicatione, & miraculis fidem, quam Iudæi imperfectam conceperant de Chriſto, ipſe perfecit & compleuit. Et ſicut artifex inferior præparat & diſponit materiã, ad ſuſcipiẽdam formam artis ſuperioris, ſicut Grammaticus diſcipulum præparat, vt eruditatur à magiſtro ſuperiori. In quem prope modum Ioannes parabat mentes Iudæorum Domino Matthæi. 11. Et Mala. 3. quippe prædicatio, & baptiſmus Ioannis diſponebant animos Iudæorum, vt crederent Chriſtum eſſe verum Meſſiam. At verò cætera omnia credenda de Chriſto, Chriſtus docuit, ideoque Chriſti prædicatio, & opera compleuerunt & perfecerunt Ioannis doctrinam, & illam confirmauerant. Sic ergo omnes credunt per Ioannem, initiatiuè, & diſpoſitiuè, completiuè autem, per Chriſtum. Et quia per Iudæos, quos Ioannes docuit primo Chriſtum deriuata eſt Chriſti fides ad gentes, ideò rectè mediate ſaltem omnes credunt per Ioannem.

Ioannes erat vt artifex inferior diſponens mentes hominum ad Chriſtum.

Chriſtus perfecit doctrinam, & baptiſmum Ioannis.

¶ Quòd verò, quidem id temporis rebelles extiterint prædicationi Ioannis, & baptiſmo, vt & modo plurimi non credunt, non tanti magiſtri culpa, ſed reluctantis auditoris vicium eſt.

¶ Quod ſi forſan obieceris, Chriſtus eſt vera lux, igitur non eguit alia luce illum manifeſtante, ſiquidem lux ipſa ſe per ſe manifeſtat, quia quidquid manifeſtatur, per lumen manifeſtatur. Reſpondebis

lucem

Deus nõ eget prędicatione humana vt se manifestet.

lucem diuinam vtique nõ egere luce alia creata, quippe Deus si volet se manifesta re potuisset humanis mentibus, sine inter medijs prædicationibus, vt etiam beatis ex potentia absoluta si vellet posset se clarè manifestare, citra interuentum luminis gloriæ, vt in. 4. Sentent. abundè discussimus. Cæterum pro sua infinita sapiẽtia, quæ potest præstare se solo, per medias exhibet causas. Ideoque potens redimere hominem, sine vitali crucis sacrificio voluit mediante illo redimere. Et qui poterat sine sacramentorum opera, hominem beare, per illorum tamen vsum genus hominum beare dispossuit. Quamobrem Ioannem misit in Iudæam, vt testaretur Christum esse verum Messiam, vt ita sensim per illius prædicationẽ, & baptismum homines promouerentur, ad magnifica Christi mysteria excipienda, vt experimur solem paulatim aeris detergere tenebras, donec clara luce illustretur. Et hæc est hominum natura, quæ paulatim est deducenda ad finem suum assequendum. Istis adde Theophilactum exposuisse, vt omnes crederent in illum, vt referatur ad Christum, sed textu repugnante, vbi per, & non, in, legitur.

ENARRATIO XXII.
in caput primum.

¶ *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet. &c.*

GRæcus codex legit, Nõ erat ille lux illa. Cum emphatico enim legit articulo: significatque hic sermo, Ioannem testem fuisse lucis veræ, non ipsam lucem: testem Christi, nõ ipsum Christum. Id quod ipse confessus est. Matth. 11. Lucæ. 7. Et non negauit, se non esse Christum. Increbuerat enim id temporis rumor de Ioanne, quod ipse erat Christus, vt testatur Lucas cap. 3. Cogitantibus, ait, omnibus in cordibus suis de Ioanne ne forte ipse esset Christus. Et ad hoc pertinet etiam quod Hierosolymitæ miserunt primores suos, vt sciscitarentur à Ioanne, si ipse erat, quem ventu-

Ioannes vox proclamãs in deserto Christum.

rum expectabant. Etenim, si non opinarentur illum esse Christum, non tentarẽt se certos facere, de sua opinione ex Ioan. responso. Quapropter etsi Ioannes, semper perstitit in confessione veritatis, dicẽs se non esse Christum, sed esse vocem illum proclamantem in deserto, & mentes Iudæorũ ad illum suscipiendum molliẽtem. Cæterum Euangelista hoc idem inculcat modo, dicens, Nõ erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. At verò sancti Dei lux dicũtur in scriptura, ad Ephesios. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc verò lux in Dño. Et Apostoli lucis nomenclatura ab ipsa luce donantur. Matthæ. 5. Vos estis lux mundi, & ipse Ioannes, item lux cognominatur, Erat lucerna ardens & lucens. Lucæ. 5. Cui etiam non inepte aptabis illud Psalmi, Paraui lucernam christo meo. 131. Vt etiam vocantur christi, fideles ipsi. Nolite tangere christos meos, Psal. 143. & dij appellitantur sacerdotes & iudices, Et vt semel dicã, nomina diuina, quę Deo competunt per essentiam hominibus fidelibus communicantur, per quandam participationem.

¶ Quapropter quod Ioannes Euangelista modo negat, Ioannem Baptistam esse lucem, articulus emphaticus, cur negat illud, exponit, nempe non esse Ioannem lucem illam essentialem, & infinitam, quæ Deus est. At verò est lux ex participatione illius infinitę lucis: quam quò quis sanctior est, & Deo similior vberius participat. Deus namque est ipsum bonum, ipsa lux, & ipsum esse. Exodi. 3. Qui est misit me ad vos, & ipsa sapientia. &c. Creaturæ verò diuina participatione hæc hauriunt, vt dicantur bonæ & existentes, &c. Non erat ille lux, ideſt, non erat Ioãnes ipse Christus, sed Christi testis, & præco: non erat Dominus, sed Domini singularis minister, & seruus. Non erat Agnus Dei, qui tollebat peccata mundi, sed huius agni proclamator insignis. Et esse se ministrum satis exponit dicens, se non esse dignum procumbendo soluere corrigiam calceamentorum Domini.

Ioãnes Bapt. minister & testis Christi.

Matthæi 11.

ENAR-

ENARRATIO XXIII.
in caput primum.

¶ *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum.*

SImiliter lucem modo scripsit Ioannes cum articulo, erat illa lux vera. &c. Itemque adhuc additur articulus, vt sit sensus erat illa lux, vel illud lumen verum, aut ipsum verum. Et quia dixerat dudũ Ioãnem non esse illam lucem, sed testem luminis, exponit modo, qualis illa lux, cuius testis erat Ioannes dicens, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lectio autẽ hæc sit aliquantulum anceps: quia interpres vnam vocẽ Græcam φως, in eadem linea variè interpretatur, dicens, Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Quod si vertisset non erat ille lux, sed vt testimoniũ perhiberet de luce, aut non erat ille lumen, sed vt testimonium perhiberet de lumine, textus præsens esset multò perspicacior. Nam subdens Ioannes post verba hæc dicta, Erat lux vera, quæ illuminat, &c. apertus est sensus Euangelistam, & Ioannem exponere Baptistam, Ioannem fuisse testem luminis, vel lucis, & hanc lucem, quam Ioãnes testabatur esse lucem verã.

¶ Porrò autem etsi cõtextus iam sit apertus, quid scilicet, velit textus, nõ est apertum. Cyrillus enim, cui subscripsit Theophilactus ad illuminationem creatiuam verba hæc referunt. Dei enim verbum illuminat omnes homines, creando in illis intellectum, quia omnes homines sunt intellectualis naturæ.

Expenditur Cyrillus itẽque Theophilactus.

¶ Porrò iuxta hunc sensum dicere oportebit illuminare Deum dormientes, & infantes in maternis vteris, & stultos, & amentes, imò & damnatos omnes, siue homines, siue dæmones: siquidem omnes isti sunt intellectualis naturæ.

¶ Porrò non subit locus scripturæ tradẽs Deum illuminare dãnatos homines, vel dæmones, imò lego, Introibit in progenies patrum suorum, & in æternum non videbit lumen. Psalm. 48. Et rursum, Quoniam impij in tenebris conticescent. 1. Reg. 2. Adhæc ista illuminatio est potentialis, at verò verbum, illumino, nõ potentiam sed actum illuminandi denotat, quippe verbum actiuum est. Et simpliciter loquẽdo nemo diceret infantem in vtero conditum illuminari à Deo, nisi miraculum fatetur.

¶ Nicolaus autem Lyranus distinxit triplex verum, aliud quod opponitur falso, vel mendacio, aliud quod opponitur figurali & vmbratili, aliud denique quod est per essentiam verum, cõtra participatum verum. Et intelligit locum hunc de lumine diuino, quod verum est sine mẽdacio, quale non est lumẽ rationis humanæ, quę est mendax. Est enim Deus verax, & omnis homo mendax. Triplex verũ

¶ Rursum lumen diuinũ, quod est Deus est verum, quia non figuratiuum, vel vmbratile verum, quale fuit lex Mosaica: quę verax erat, at typica, & vmbratilis. Rursum est verum hoc lumen superans etiam legem Euangelicam, quia hæc, etsi vera sit, & vmbris futurorum non adumbretur, at verò est participatum verum. Illud porro verũ, quod est Deus, per essentiã verum est, à quo deriuatur omne verum, quia quod est simpliciter per essentiã tale, est principiũ illius quod est tale per participationem. 2. Metaphys. Creaturæ autem sunt veræ per participationem, Deus autem est verus per essentiam, ideo ipse solus est lux vera. Iãsenius quoque hunc sensum probatũ habet, quẽ à Lyrano accepit.

¶ Porrò vt quod meus dictat sensus, referam, scito lucem comprehendere sub se sensibilem lucem, & intellectualem. Sensibilis vero lux, quædam est solum sensibilis, non tamen sensus, vt lux solis, & aliorum lucentium corporum, & huiuscemodi lux manifestat alijs sensibilia, non tamen sibi, quia sibi non lux est sed alijs, quibus palam facit sensilia, colores, scilicet, & quæ colore sunt infecta. Est porrò alia lux sensibilis, quæ etiam sensus est, vt visus, & sensus interni. Enim verò visus luce quadam gaudet, & sensus interni, & externi omnes, eatenus appellari possunt lux, quatenus manifestant, animalibus omnia sensibilia. Quanuis sensus externus, magis manifestat, & certius ostendit, quam internus sensus, idcirco apud Aristotel. sensus iste simpliciter sensus nuncupatur. Hæc igitur sensitiua lux, sibi manifestat sensibilia præsentia omnia

Expositio autoris. Lux sẽsibilis, lux sensitiua, lux intellectualis, creata & increata

omnia & absentia, quia per phantasiam, etiam absentia sensata iam sentimus, nam imaginatio est sensus quidam docēte Aristot. At sensus est sibi lux, & non est alijs lux, quia visus meus mihi est visus, non alijs. Intellectualis autem lux etiam est lux meliori nomine, quia ostendit intelligibilia, & iudicat de sensibilibus.

¶ Est autem lux hæc duplex, alia creata, quæ est angelica, & humana, alia increata, quæ est diuina mens. At verò infinito interuallo hæc distant: siquidem lux creata intellectualis, est lux finita, & manifestans solum intelligibilia naturalia, at verò increata lux est infinita lux manifestans, vel est manifesta notitia omnium intelligibilium creatorum, creandorum, & possibilium. Et nullum intelligibile, nullūve manifestabile, siue per sensum, siue per intellectū fugit hanc lucem: quia omnia comprehendit. Et nullum horum est sibi proportionatum obiectum, quia omnia superat solumque sua essentia est sibi proportionatum obiectum, quia infinitum intellectum. Vnde quia hæc lux increata est infinita ideò est indeficiens: quæ enim finita sunt deficere possunt. Vnde Apostolus diuitias incertas vocat, & Dominus fallaces, quia facile deficiūt, & temporalia omnia bona ob hoc non appellantur vera bona, quia fugacia sunt, Eccles. 1. Vidi cuncta sub sole, & ecce omnia vanitas. Vana visibilia dicens omnia, quæ interitui subduntur, quia ipso interitu euanescunt, tanquam fumus. Et quanquam, quædam sunt, quæ interitui non sunt obnoxia, vt angeli, & animæ rationales, at verò hæc in nihilum redigi possunt ab ipso conditore.

Increata lux comprehendit vniuersa.

1. Tim. 6. Matth. 13.

¶ Quæ ergo deficiunt, vt sunt generabilia, & corruptibilia, hæc non dicuntur vera etiam collata ad æternum ens, quod Deus est. Quæ verò non subduntur interitui, illa quoque non sunt prorsus verentia, quia quanuis nō deficiant, possunt tamen deficere.

¶ Iam verò in luce creata intellectuali duplex quidem defectus est, duplex vero tenebrositas, præter commemoratum, alteram quidem, quod non omnia intelligibilia manifestare potest: quippe nulla lux creata intellectualis hæc potest distinctè assequi. Vt in. 4. distinct. 49. disputauimus. Quo fit vt necessario laboret ignorātia multorum intelligibilium, vt ex dictis patet.

¶ Vnde lux hæc tenebras ex hac parte habet. Secunda tenebrositas est culpæ, quia huiusmodi lux culpa inficī, & maculari potest. Vnde lux angelica obtenebrata est in diabolo & angelis eius, ex culpa: id quod Dominus insinuat, dicens, Ille mendax fuit ab initio, & in veritate non stetit. Ioan. 8. Itemque lux creata humana, huic se subiecit: Siquidem, homo cum in honore esset non intellexit, & similis factus est brutis insipientibus.

Luxcreata intellectualis duplicem habet tenebrositatem.

¶ Quibus fit, vt verè dixeris lucem hanc intellectualem, non esse veram lucem, siquidem tenebris tingitur, & obscuratur.

¶ Contra vero sentire oportet de luce illa increata, quā memorans Ioannes. 1. Ioā. 1. inquit, Deus lux est & in eo tenebræ nō sunt. In hac igitur nulla est tenebra, vel potest esse, vel ignorantiæ, quia omnia sunt nuda & aperta oculis eius, & vbi est infinitas scientiæ, ignorantiæ nullus potest esse locus. Et quia prorsus est aliena hæc lux à tenebra culpæ, quia implicat diuinam naturam esse culpabilem, siquidē nullius præcepto superioris obstringi potest, quia illi subsunt vniuersa.

Lux increata nullis tenebris obscurari potest.

¶ Adhæc lux hæc est æterna, & ideo indefectibilis secundum suam substantiam. Vndeunde igitur, illa exploretur indefectibilis lux est, & non solum indeficiens. Vndecumq; eōsideretur, nihil admixtionis, vel habet, vel habere potest cum tenebris spiritualibus, ideoq; ipsa sola diuina lux, est vera lux, cæteræ luces non sunt vera lux, sed quod habent lucis ex huius participio consequuntur. Hoc ergo est, quod Euangelista insinuat dicens, Erat lux vera, hoc est erat lux sine vlla tenebricosa admixtione, erat lux indeficiens, erat lux indefectibilis, siquidem diuinum verbum Deus est, & ideo lux vera est. Diximus autem supra verbo Dei appropriari esse lucem, ratione suæ emanationis ex patre, ideoque Ioann. quod est commune S. Triadi esse verā lucem, Dei verbo appropriat.

ENAR-

ENARRATIO XXIIII.

in caput primum.

¶ *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum.*

GRæca non habent pronomẽ demonstratiuum hunc, sed τον, qui articulus est, quo infra vtitur Ioannes dicens, In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & interpres sine articulo, & pronomine eandem clausulã, extulit. Cæterũ Origenes illo etiam vtitur in Homil. ad Ioannẽ, quia legit, in hunc mundum. Exponens hunc mundum, significare non mundum hunc visibilem, quem cernimus, sed mundum inuisibilẽ, videlicet, Ecclesiam Catholicam, nam hanc illuminat hæc lux, fideles enim per aquam regenerationis illuminantur, inde enim consequuntur fidem, & gratiam iustificantem.

Baptismus illuminat.

¶ Augustinus verò ex hoc pronomine errasse Pelagianos docet, lib. 1. de peccato. meritis. cap. 25. credentes, animas infantiles, illuminatas esse à Deo, quando primo formant sua corpuscula. Siquidem putant hoc præferre Ioannem dicẽtem, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, igitur quando formant corpora illuminantur.

¶ In quem lapidem quoque hæretici huius ætui, vt Lutherus, cum suis impegerũt. Quippe cum insaniret semel dicens baptismum sine fide actuali non iustificare, quia iustificationem non baptismo, sed fidei tribuunt. Cum sibi autem opponebatur paruuli per baptismum iustificatio, respondebat illum habere fidem actualem. vt Pelagius, quia vniuersam iustificationẽ meritis tribuebat, paruulos credit etiam meritum habere, qui discretione tum potiebantur à Deo illuminati. Quæ vniuersa sunt dogmata hæretica, vt nos, in. 3. Sent. vberius disseruimus.

Lutherus cũ Pelagio vsũ rationis præbet infantib⁹

¶ Augustin⁹ verò loco præcitato propter pronomen, Hunc, putat Ioannem distinxisse hunc mundum, à paradiso terrestri, quia si inde non discederet homo in tenebras huius seculi, non esset à Deo illuminandus verum ideo illuminatur, quia inde discessit.

¶ Porrò Ioãnes articulo vtitur, quem Hispanè reddes, al mundo. Et vsus est articulo hoc, vt significaret Christum esse lucem veram, non ad illuminandos hos, vel illos homines solum, vt Iudæos, vel Græcos solum, imò ad illuminandum est hæc lux totam vniuersitatem hominum, quæ sub cælo est, vt Petrus exposuit. Act. 4. Non est datum nobis sub cælo aliud nomen, in quo oporteat saluos fieri. & Ioannes. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro nostris, non solum pro peccatis nostris, sed totius mundi. Vnde Dominus. Marc. vltim. Ite in vniuersum mundum. Lux nanque hæc non erat sub modio ponenda, Matthæ. 5. Marc. 4. vt lux veteris legis, sed super candelabrum, idest, in omnes nationes ostendenda. Quid autem sibi velit Ioannes in verbis commemoratis non est in promptu exponere. Quandoquidem Esai. 6. Excæca ait Dominꝰ cor populi huius. Si ergo Deus excæcat, quî fiet vt illuminet? Emerserunt autem huius loci expositiones variæ. Quidam enim, vt Chrysost. & Theophil. intellectum voluntIoannem, Deum esse lucem illuminantem omnem hominem, quãtum est ex parte lucis, quæ de se parata est ad illuminandum vniuersum hominum genus. Si verò quidam nõ illuminantur sibi succenseant, vt qui sitit, & habens fontem paratum, non bibit ex fonte, si pereat siti illi vicio dabitur iuste, quia aquam fontis parati ad præstandum potum neglexit.

Alij verò, vt Augustin. in Enchi. cap. 10. aliter intellexit locũ: illuminat sunè omnem hominem, venientem in hunc mundũ, quia nullus illuminabitur nisi ab hac luce, quem Rupertus in cõment. sectatur.

Alij autem aliter hoc extricauerunt, illuminat omnem hominem, quem illuminat, vt per ostium ciuitatis omnes ingrediuntur in ciuitatem, nempe qui ingrediuntur.

Alius item est sensus, vt distributio sit non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum: quanquam homo non est genus, vt animal, vnde verũ est, quod omne animal fuit in arca Noetica juxta hanc distributionem. Cæterum, quia etiã si multi damnabuntur, veruntamẽ ex omni natione, & tribuerunt qui illuminentur, ideò verum est, Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Porrò autem aduertẽdum est vniuersales

Christus est lux veritatis.

Lucerna lux comprehendit veritatem.

Variæ expositiones.

pro-

Vniuersales propositiones in scriptura sumedæ sunt sæpè secundũ vulgatum loquendi morẽ & non ad rigorem dialecticum.

propositiones in scriptura accipiendas secundum vulgatum loquendi morem, & non ad rigorem vniuersalis significantiæ vsurpantur, vt apud dialecticos: vt. 1. Corint. 15. Sicut in Adam omnes moriũtur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Et rursum ibidem, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. At verò multorum extat decretum non omnes morituros, sed aliquos viuos rapiendos ad æthera. Et rursum si de vita spirituali agatur non omnes viuificantur in Christo, imò pauci collati ad non viuificatos. Multi enim sunt vocati pauci verò electi, & ad Rom. In Adam omnes peccauerunt. cap. 6. At verò excipitur necessario Christus ab hac vniuersali, & Ecclesiæ excepit pietas beatam matrem eius. Ad hæc. Quidquid, inquit, petieritis patrem in nomine meo, ipse dabit vobis. At verò multa petimus sub hoc nomine quæ non impetramus, aut quia malè petimus, aut si benè non oportebit illa impetrare, aut propter alias causas. Talis quoque est huius vniuersalis propositionis quam differimus conditio. Veruntamen si Cyrilli arridet interpretatio de illuminatione creatiua propositio hæc, illuminat omnem hominem venientem, &c. vera est secundum rigorem dialecticum, siquidem omnes homines prædíti sunt lumine intellectuali: id quod rectè dixeris, esse illuminationem naturalem. Verum si de gratuita illuminatione sit locus intelligendus, redditur intellectu difficilior, vt priora docent.

Illuminatio naturalis, & gratuita.

¶ Ego verò locum intelligerem, Deum omnes vocare ad illuminationem hanc obtinendam, & hoc est quod illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum. Quippe omnes homines vocat, vt velint ab hac immensa illuminari luce, & obtemperantes vocationi actu illuminat: alios verò negligit. Vt parabola euangelica de vocatis ad nuptias nos admonet. Matthæ. 22. Quo fit, vt verbum Esaiæ, excæca cor populi huius, non sit audiendũ, quasi verò Deus sit autor nostræ spiritualis cæcitatis, hoc enim falsum est, quia Deus non est autor, sed corrector nostræ culpæ. At verò meminisse oportet Hebræis esse familiare, id quod Latinis non est inconsuetum, vti tempore vno, pro tẽpore alio. Quapropter imperatiuum modum vsurpant sæpè pro indicatiuo. Excæca, ideſt, excæcabitur. Enimuerò quia verbis Esaiæ non præstabãt Iudæi fidem, imò potius illa negligebant, ex prædicatione Esaiæ acceperunt occasionem maioris indurationis, ideò ait Dominus, excæca cor populi eius, ideſt, prædicabis illis, & ad tuam prædicationem erũt duriores. Lege si iuuat declamationem nostram ad hoc Esaiæ caput de excæcatione cordis.

Hebræi modũ vsurpant pro modo.

¶ Scitò tamen hæreticos ex verbis istis captasse occasionem delirandi. Quia enim inquit, Ioann. venientem in hunc mundum, animas dixerunt esse corpore antiquiores, nam qui venit prius erat, quam veniſſet. Id quod Origenistarum fuisse placitum supra demonstrauimus illò referentes, illud Malachiæ. 13. Iacob dilexi, Esau odio habui. Propter mala enim merita, quæ anima Esau exhibuit, antequã in corpus veniret fuit odio habitus, contra verò Iacob propter bona merita fuit Deo gratus.

Hæreticũ dogma.

¶ Verum quam abhorreat à vero dogma istud supra meminimus. Propterea dicamus venire, hoc loco non significare motum localem ex vno loco, in alium locũ: sed idem est quod extare, vbi prius non erat. Generatio igitur hominis, hic dicitur aduentus eius. Quia post generationẽ eius est in hoc mundo vbi prius non erat, vt si dixeris ex non esse, in hoc mundo venit ad esse in mundo.

¶ In quem modũ intelliges Sap. 8. quod scriptum est, veni in corpus incoinquinatum. Non enim anima Salomonis erat in cælo prius, quam in corpore, sed quia adepta fuit corpus sine defectu, ideo ait, Veni in corpus incoinquinatum. Et quid, si animæ secundum Origenem ex peccatis demersæ sunt in corpora luituræ pœnas, quomodo anima Iacob erat Deo grata? siquidem demersa fuit in corpus vt luat sua peccata, quæ prius commiserat?

Locus libr. Sap. exponit.

¶ Lux ergo hæc vera omnes vocat ad suã illustrationẽ, & sibi obtemperantes illustrat illustratione suæ gratiæ, non obtemperantes ab illustratione repellit. Sed ais, pueri qui in originali moriuntur, non vocãtur, cur repelluntur igitur ab hac illustratione? Respondebis omnes homines esse indignos hac illustratione diuina, quia filij sunt iræ à conceptione sua. Esse autem filios iræ est esse Deo offensos, &

in

infestos : idcircò indigni sunt illustratione hac gratuita.

¶ Porrò si quidam illustrantur, istud tribuendum diuinæ clementiæ est. Si alij verò in tenebris relinquuntur, diuina hoc exigit iustitia. Enimuerò si omnes illustrarentur, nullus locus diuinæ iustitiæ relinqueretur: sicut si omnes in tenebris cõquiescerent, nullus locus extaret diuinæ misericordiæ.

Mirabilis Dei dispensatio circa genus humanũ.

¶ Quamobrem disposuit æterna, & inscrutabilis Dei Sapientia ad eam rationẽ temperare suam erga genus humanum dispensationem, vt misericordiã, & iustitiam suam erga illud exerceret. Vnde ex adultis quosdam illustrat, vt fideles, alios verò in tenebris suis delitescere sinit, vt infideles. Circa illos quidẽm impartiens suam misericordiam, circa hos vero suam exercens iustitiam, vt qui in sordibus suis sunt sordescant ad huc. Itidem circa paruulos eodem Deus temperamento vtitur, quosdam enim disposuit, vt ex aqua baptismi regenérentur, & regeneratos è medio tollit, alios vero disposuit sine regeneratione perire, in hos iustitiam suam, in illos misericordiam exercens. Quamuis circa omnes homines suam exercere vindicem iustitiam si voluisset iustè posset: quia totum genus hominum ex propagatione, est illi odiosum. Cur autem in hos misericors ostẽditur, in illos vero vindex, respondebit tibi Paulus ad Rom. 9. O altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, quam incomprehensibiles sunt viæ eius. Sed de his satis quia in. 1. Sent. multa de re hac à nobis sunt diserta.

¶ Vt ad priora autẽ remeet oratio scito Aristotelem. 2. de genera. animalium dixisse animam intellectiuam venire de foris, vt doceret non esse eductibilem de potentia materiæ, id quod Ioann. modo insinuat dicens, Omnem hominem venientem in hunc mundum. Significat enim ànimas humanas de foris venire, quia ex diuina creatione, non ex humano semine procreantur. Quapropter nemo dixerit bruta venire in hunc mũdum, quippe animæ brutales educuntur ab agẽte, ex seminis potentia, vt pullus ex ouo, &c. Christus igitur lux est illuminans, & non illuminatus, Prophetæ, Apostoli, Ecclesiæ Doctores lux illuminans & illuminata: Cæteri fideles, illuminantur sed non illuminant, ideo solum ipse Christus, qui est Dei verbum est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

ENARRATIO XXV.

in caput primum.

¶ *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.*

Tertia Euangelij sectio.

QVia dixerat suprà Ioannes verbum esse in principio, vnde fortasis subreperet cogitatio hoc verbum esse extra mundum hunc visibilẽ, & ab eo semotum exponit modo, hoc verbum esse intra mundum, etiãsi extra mundum sit, vt erat in principio, nihilominus intra mundum est. Et ideo ait, in mundo erat. Duo autem docet, & quod in mundo erat, & quod mũdus per ipsum factus est. Primum horum significat diuini verbi infinitam esse essentiam, quia totum mũdum replet sua essentia: est enim in mundo Deus repletiuè, non circunscriptiuè, aut diffinitiuè. Quia quæ hoc modo sunt proprijs sunt cõtenta locis, & alia simul subire nequeunt: verum Deus omnia replet suprema, media, & infera: ideò ait, in mundo erat. Non sicut alia sunt in mundo, ita verbum erat in mundo, at multo excellentius: verbum enim est in mundo, vt continens mundum, portansq; omnia verbo virtutis suæ, cõseruat enim omnia, & cooperatur creaturis omnibus, & præsens est omnibus, & intimum omnibus: neque solum præsens per operationem, sed per essentiam & clarã vniuersorum notitiam. Creaturæ autem sunt, vt contenta ab hoc verbo, vt portata ab hoc verbo, vt effecta ab hoc verbo, vt directa ab hoc verbo, vt pendentia ab hoc verbo, vt partes mundi totum integrantes mundum, non vt principes mundi, quia nulla creatura vniuersitatis rerum principatum gerit, sed verbũ Dei princeps est vniuersorum, quia vniuersa sunt propter ipsum, & non ipsum propter vniuersa. Et verius hac ratione expones, quam vt Caietanus exposuit esse, dicens, verbum in mundo, tanquam exemplar in exemplato. Si quidem exemplar est in exemplato, vt in signo, vt domus externa est signum domus internæ,

Dei verbum est in mundo alio modo q̃ creaturę sunt in mundo.

Caietan' nõ probatur.

internæ. Et nõ est propriè exemplar causa efficiens exemplati, sed solum exemplaris, quia secundum eam editur exemplatum. At verò verbum est in mundo, non solum, vt in signo, quia hæc non est realis existentia: domus enim idæalis nõ realiter est in domo visibili, at verbũ realiter est in mũdo, vt ipse Deus, quia verè Deus est. Deus autem est in mundo verè & realiter, secundum essentiam, præsentiã, & potẽtiã, vt in. 1. Sent. exposuimus.

¶ Conuenientissimè autem Ioannes hoc adiecit, In mũdo erat, & quod tu scias est tertia euangelij huius sectio.

Tres sectiones euãgelij.

¶ In prima enim sectione, ostẽderat diuinitatem verbi, &c. in secunda verò eiusdẽ omnipotẽtiam demõstrarat dicens, Omnia per ipsum facta sunt, & reliqua. In hac autẽ explanat hoc summũ & præexcelsum super creata omnia verbũ nõ esse semotum à mundo hoc, quem videmus. Forsan enim ex nimia illius maiestate, quam Ioan. prædixerat cogitaremus hoc verbum esse semotum ab vniuersitate omnium creatarum rerũ, proindeque, fugere humanã notitiam, & vicio hominibus nõ esse dandum si hoc verbum nõ cognoscerent, neq; colerẽt. Propterea igitur explanat modo hoc verbum in mundo esse, & illi esse intimè præsens, quia mundus per hoc verbum factus est, & ideo mundũ teneri colere hoc verbum, quia est factura illius, & factura tenetur colere factorẽ. Vt ergo Ioannes carperet mundanã hominũ desidiam nõ colendi Dei verbũ, ideò ait, in mundo erat, Id quod Paulus ait, Nõ lõge est ab vnoquoq; nostrũ Act. 17. Quapropter si ab hominibus distasset lõgè hoc verbum, forsan causam iustam potuissent obtendere ignorãtiæ eius: cum autem nõ lõgè sit ab hominibus, sed sit in mundo cũ hominibus, non relinquitur ignorãtiæ, & cultus nõ exhibiti iusta excusatio. Adhũc quoq; modũ colligebat Paulus ad Rom. 10. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, hoc est Christum deducere, aut quis descendet in abyssum, hoc est Christum suscitare? Sed quid dicit scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, &c.

¶ At forsan sciscitaris, nullius culpæ videtur fuisse, verbũ Dei ignorare homines, quandoquidem etsi vitio sit maximo vertendum hominibus, quod contẽpto vero Deo, Deos mendaces colerent, cæterum quod verbum Dei ignorarent, & illud legitimo cultu non honorarent, nõ est cur illis vitio vertatur. Quia etsi diuinitas ex creaturis pateat hominibus, non tamen diuinitatis patet Trinitas: quandoquidem hæc ex mundo sensibili isto cõspicua esse nequit, vt in. 1. Sent. abunde deducitur.

Trinitas nõ est conspicua ex creaturis.

¶ Respõdetur mundũ non ob hoc carpi à Ioanne, quia verbum Dei ante Euangelica præconia non cognouerit, neq; coluerit, hoc namq; inculpabile erat. Verum mundũ carpit, quod Dei numen non solũ nõ cognouerit, imò maximã cõtumeliã illi intulerit creaturã colens spreto creatore. Et quia Dei verbum hoc numen diuinum est, idcirco irrogantes sua socordia iniuriam diuino numini homines, eandem irrogabant Dei verbo. ¶ Obiurgans ergo Ioannes mundũ quia verbum non coluit, apertè ostendit diuinitatem verbi eãdem esse quæ Dei vnius est. Et ideo adiecit & mũdus per ipsum factus est, vt ex duabus causis omnẽ prętextum præscindat, excusationemq; omnẽ auferat à mũdo cur ipse non coluerit diuinitatẽ verbi. Dixerat enim verbũ esse in mũdo, vnde mũdus qp sibi præsens erat ex creaturis, colere debuisset, & addit nouã rationem, & mũdus per eum factus est: vnde quoque mundus obstringebatur colere verbi diuinitatem, vt creatura creatorem.

Duæ rationes cur colẽda sẽper fuerit diuinitas.

¶ Forsan autẽ & titillabit animum noua dubitatio, cur inculcat denuò mundum esse factum à verbo quod iam supra docuerat dicens, Omnia per ipsum facta sunt? ¶ Auertes porro vt titillatio hæc sedetur, mundum ab Arist. 1. de cœlo. tex. cõm. 95. & 96. finitum, aggregationẽ esse ex omni corpore sensibili, aut esse extra quem nulla est materia. Iuxta quã rationẽ mundus nõ includit angelos, qui nõ sunt sensibiles, sed solũ intellectuales substãtiæ, & nõ sunt materiales, sed materiæ expertes. Verũ mũdus cõprehẽdit machinã vniuersorũ sensibiliũ, quę sunt cæli, elementa, mixta. Et videtur hac ratione mũdum vsurpasse modo Ioannẽ: quia obiurgãs, mũdũ, inquit, Et nõ cognouit eũ, at verò angeli cognouerũt diuinitatẽ verbi, nõ solũ quatenus diuinitas, imò vt verbi, qa in exordio creationis suæ imbuti fuerũt fide diuinę Triadis. Et rursum quia post hæc dicet, In propria venit. At verò nõ venit ad angelos, qppe ad Heb. 2.

Mũdus quid Aristoteli.

Angelos non apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. In diuinis porro literis mundus variè vsurpatur, iam pro machina hac pulcherrima, quæ oculis spectantium vbilibet se obijcit spectandam. Iam verò pro mundanis & scelestis hominibus, id quod familiare est Euangelicis literis. Vos, inquit, quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. Ioan. 7. Ioan. 14. Ioan. 16. Et iterum, Si de mundo fuissetis, mundus quod suũ erat diligeret, Et, mundus non potest odisse vos. Propterea item, mundus vos odit, quia de mundo non estis. Et cum ait, Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Et Ioan. 14. Spiritus sancti memoriam faciens docet esse spiritum, quem mundus non potest accipere, quippe in mũdanis hominibus, quia fallaces sunt Spũs sancti veritas nõ commoratur. Iam verò pro sphæra corruptibilium & generabiliũ. Ioã. 13. Sciens, quia venit hora vt transeat ex hoc mũdo ad patrem, idest, ex mundo caduco & fluxibili, ad cœlestem patriam. Iam autẽ pro genere humano, vt Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundũ, vt vnigenitũ suũ daret, Mũdum sanè, hoc est genus hominũ. Et ad Rom. 6. Mors per peccatum intrauit in hunc mũdum, hoc est, in omnes homines.

Variæ acceptiones mundi.

¶ Frequens autẽ est scripturæ loquela vocare mundũ homines mundanis rebus addictos. Obserua autẽ quod mundus idem est quod ornatus, vnde mũdus muliebris, ornatus mulieris latinis est: & quia hic mundus est longe lateq; ornatissimus, & splendidissimus, ideò appellitatus est mũdus. Quia verò homines plerique; multi illecti mundi pulchritudine, eiusdẽ tenẽtur, & inescãtur illecebris adeo, vt propter visibilem pulchritudinẽ inuisibilem curare negligant, ideò quia horũ affectus in mũdanis infigitur voluptatibus, à mũdo quẽ summopere amant, mũdus nuncupantur à diuinis literis. ¶ In præsentia verò mũdus capitur pro vniuersitate rerũ omniũ visibilium, quando ait, In mundo erat, & mũdus per eum factus est, vt eliditur Manichæi væsania dicens, visibilẽ mundum malũ esse, & à malo opifice editũ. Sed obsecro quomodo Dei verbũ erat in malo? aut quomodo quod factum est à Dei verbo bono malũ est? Vniuersaliter igitur dixerat prius, Omnia per ipsum facta sunt, subaudiens, & visibilia & inuisibilia, nũc autem de visibili mũdo idem replicat clarius idẽ agẽs, vt Manichæorũ ora obstruãtur, qui de inuisibili mũdo nõ inficiabantur ab optimo opifice esse cõditum, at visibilem, insaniẽtes tãto gaudere opifice negabant. Verũtamen quia postmodũ subdit, Et mundus eũ non cognouit, videtur variasse Ioãnes in mundi acceptionẽ. Etenim nõ intelligit cælos, & elemẽta verbum nõ nouisse, sed homines, & hos non omnes negat cognouisse diuinitatẽ verbi, sed mũdanos, quia prophetæ & pij cognouerũt, ideò illos subintellexit appellatione mũdi. Vnde neq; intellexit angelos, vt supra dictũ est. Quocirca mirũ est, cur Caietanus affirmet mundũ hunc vniuoce accipi, motus equidẽ est friuolo argumento. Vnus est, inquit, articulus Græcus appositus huic dictioni, mũdus, quæ hoc loco quater replicatur, igitur dictio vniuocã gerit significantiam. Quasi verò articulus addat aliã significantiã, nisi quãdo emphaticè additur. Hic autẽ nõ additur emphaticè, neq; Græcis semper est emphaticus: sed generis, vel casus est demonstratiuus, vt Hispanè, *el hõbre, del hõbre, al hõbre, &c.*

ENARRATIO XXVI.
in caput primum.

¶ *In mũdo erat, & mũdus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.*

LOcus hic aptè satis explicaretur, si totus referretur ad lumẽ, de quo dudum ante hunc locũ fecerat mentionẽ dicens, Erat lux vera, &c. Vnde si sic ederetur locus, Erat lumẽ verum, quod illuminat omnẽ hominẽ veniẽtem in hunc mundũ, In mũdo erat (subaudi lumẽ illud qp illuminat omnẽ hominẽ) & mũdus per ipsum factus est: & mũdus ipsum nõ cognouit, plausibilis esset sensus, & citra vllã difficultatẽ legenti se offerẽs, quantũ ad Grãmaticalẽ obseruationẽ. Et Cyrillus quidẽ ad lumẽ retulit totũ locũ istũ, & nõ ad verbũ. c. 10. & 11. Nisi huic cõtextui obstitisset relatiuum Græcũ αὐτόφ, quod sanè est masculini generis, & non potest referri nisi ad λογος, qui etiã est masculini generis, & nõ ad φῶς, qp est neutrius generis. Quocirca ad verbũ referenda est tota oratio, etiamsi siue de verbo enunties, siue de lumine, sensus idem est. Vnde interpres vulgatus

Manichæi væ sania eliditur

transs-

transferens, Et mundus eum non cognouit, si transtulisset, λογος, per, sermo, rectè conueniebat, Et mundus non cognouit eum, idest, sermonem. Verum postquam transtulit verbum, oportuisset trãsferre, Et mundus non cognouit illud, scilicet, verbum de quo meminerat. Propter hãc autẽ, & aliàs huiuscemodi causas multi oblatrant contra vulgatam editionem, verum Ecclesia Dei nõ audit eorum oblatratus: quia securius esse ducit solœcismos, & defectus alios Grammaticales, si qui sunt, æquo ferre animo, quam si propter illos corrigendos, noua legeretur in Ecclesia editio, dogmata fidei, quæ ex priori sunt stabilita editione turbarentur. Quamobrem Cõcilium Trident. Sess. 4. stabilem hanc esse voluit editionem, quia nihil habet quod, vel fidem synceram, aut mores lædat, & magis læderet Ecclesiam, mutatio illius, quam solœcismi eius lædunt, quippe qui salua fide permittuntur, etsi prohiberetur editio, forsan periclitaretur Ecclesiæ fides, aut saltem offenderetur vetustissima, & receptissima editione offensa: verum de istis alibi.

Vulgata editio cur obseruanda admisso etiã quod sit in aliquibus non exacta.

¶ Sunt qui referãt relatiuũ, eum, ad Deũ, de quo dixerat, Et Deus erat verbum. At verò literæ cõtextus & sermonis cõsequẽtia hanc relationem non admittit, vt vides. At verò interpres nõ secundũ vocem, obseruat relationem, sed secundum rem, quia transtulit, αὐτόν, in, eum, id quod in lectione Græca optimè refertur, ad λογος, qa de verbo fit mẽtio, λογος, enim est masculini generis. Obseruabis deniq; nõ semper verbum erat, denotare æternitatẽ, id quod supra annotauimus: & adest modo præsens locus idem docẽs, In mundo erat subaudi verbum ab exordio nascẽtis mũdi erat in mundo, non tamen æterno erat. Tunc igitur significabit æternitatẽ, quãdo scripturæ circunstãtia illud admonuerit.

ENARRATIO XXVII. in caput primum.

¶ *In propria venit, & sui eum non receperunt.*



Græca lectio habet εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, In sua venit, annotãte Erasmo, & indicante Augustino in eam lectionem: legit enim, In sua propria venit. Meo tamen iudicio, res hæc non magni refert, sic, vel aliter transferre, siquidẽ idem ipsum intelligimus per proprium, quod per suum. Namq; suus hæres iurisconsultis est proprius hæres. Intellexerunt autem Theoph. Rupertus, Nicolaus locũ hunc de Iudæa regione. Venit enim Dominus carne assumpta in Iudæam regionem. Vnde ipse testatur Matthæ. 15. Nõ sum missus nisi ad oues, quæ perierũt domus Israel. Et Actor. 13. Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gẽtes. Cæterùm si etiam intelligamus, In propria venit, & sui eum non receperunt, hoc est, in mundum venit, & mundani eum non receperunt concinna erit expositio: siquidem cum superiori textu consentit adprimè. Dixerat enim, In mundo erat, & mundus per eum factum est, & mundus eum non cognouit. Hoc idem inculcat clarius dicens, In propria venit, vel in sua venit, vt Græca habent, etiamsi idem sensus est, vt dicebam dudum. Tametsi concinnior est contextura, In sua venit, & sui eum nõ receperũt, ex correspondentia vocis sua, ad vocem sui, quæ non apparet inter propria, & sui.

¶ Veniens igitur Dei verbum in mundũ venit in sua, quia mundus hic ab eo factus est, & sui idest, homines mũdani eum nõ receperunt, siquidem canẽte Psalm. omnia sunt Dei. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Et rursum, Tui sunt cæli, & tua est terra, &c. Et hoc est, quod dixerat, Et mundus eum non cognouit. Namque non cognoscere Deum, est non recipere. At verò si obieceris, multos recepisse Euangelium Christi, scito multos esse vocatos paucos vero electos: ideoque rectè dicitur, & non cognouerunt eum. Quod si de Iudæis vertatur expositio paucissimi receperunt Euangelium si conferantur ad inobedientes, quia huc vsque persistunt in sua perfidia. Quamobrẽ non recipiẽtes Dei filiũ carne vestitum, apud illos agentem, & illos docentem aduentũ suum, multo fœdius deliquerunt, quam gentes. Siquidem Iudaicus populus erat Deo familiaris populus, & ex quadam illi concessa prærogatiua dictus Dei populus. Exodi. 19. & Deut. 32. Et Christus fuit ab illis æuis multis expectatus, &

Psalm. 23. Psalm. 88. Matth. 22.

per legem multis typis adumbratus, & per prophetas clarè promissus, &c. Vnde ex istis omnibus suboriebatur grãdis obligatio Dñm recipiendi. ¶ Porrò textus Euangelicus non solum videtur de iudaica natione exponendus, sed de omnibus mundanis hominibus. Siquidem hos omnes obiurgat Ioannes dicens, Et sui eum non receperunt. Non enim solum Iudæi culpabiles fuerũt repugnãdo Dei verbo, sed & gentes. Quare omnes obnoxij sunt reprehensioni, quãquam maiori patẽt reprehẽsioni illi quam isti. Et, vt dicebam, idẽ dictu est, sui eum nõ receperunt, quod modo ait, & quod supra dixerat, Mundus eum non cognouit. Mundus enim omnes amatores mundi comprehendit, non solũ Iudæos. Quod si obieceris Iudæos cognouisse Deum, illis igitur non potest aptari Ioan. sermo, mundus eum non cognouit, dixerim tibi, cognoscere in scripturis, non solum significat actum intellectus, sed affectus: quia igitur Christum reprobauerunt, vt vineæ parabola docet, item, dixerunt, Nolumus hunc regnare super nos. Et rursum, Non hunc, sed Barrabã, & nõ habemus regem nisi Cæsarem: ideò rectè illis congruit, non cognouerũt eum. Alia porrò esset dubitatio si cognouerunt Christi Deitatem, alia verò si ignorata Deitate, cognouerunt illum esse Messiam: quas in præsentia non duximus discutiendas. At apud hunc Euangelistam, vt ad priora regrediar, non solum inuenimus Dei filium venisse in propria, sed venisse in mũdum Ioan. 16. Exiui à patre & veni in mũdum: quocirca apte explanabitur. In propria venit, quia exiuit à patre, & venit in mundum, venire autem in mundum, non est solum venire in Iudæam, sed descendere in hunc orbem nostrum, generabiliũ & corruptibilium orbem. Est sanè verbũ caro factum in Iudæa solum apparuisse, hoc est in terra promissionis, & in hac misit quasi imbres eloquia sua. Ideoque ibi venit personaliter, & veniens ibi in totũ orbẽ venit, quippe per legatos suos Apostolos emulgatus est apud omnes gentes, quia in omnem terram exiuit sonus eorũ. Quo fit, vt generaliter sit interpretandus sermo ille, Et sui eum nõ receperunt, non solum de perfidis Iudæis, sed etiam repugnantibus Deo nationibus alijs.

Lucæ. 19. Matth. 27. Ioan. 19.

ENARRATIO XXVIII. in caput primum.

¶ *Quot quot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

LIberum hominis arbitrium verè liberum esse, & non titulo tenus, vt hoc æuo Lutherus ausus est affirmare, quando loci alij non persuasissent, hic solus persuadere sufficeret. Etenim si hunc iungis priori videbis, quosdam non recepisse Dei verbum: at nunc ait, alios recepisse: igitur liberi est arbitrij recipere, aut non recipere Dei verbum. Quãdoquidem alij recipiunt, alij verò nõ recipiũt. Et recipiẽtibus dignitas insignis conceditur, vt potestatẽ habeant, ad filiationem diuinam consequendam.

¶ Vnde etiam si Ioãnes nõ exposuit supplicium nõ recipientium, at ex proposito præmio recipientiũ, subnotauit suppliciũ non recipientium. Namq; si recipientes subuehendi sunt ad filiationẽ Dei, proindeq; ad hæreditatem Dei capessendã, nã si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Eue stigio item sequitur non recipientes arcendos ab hac filiatione adoptiua, proindeq; ab hæreditate illa immarcescibili repellendos, ab hac verò repulsi, necessario in barathrum sunt depellendi.

Præmium recipientiũ verbũ Dei & suppliciũ non recipientium quale.

¶ Obseruabis autem sermonẽ hunc Ioannis vniuersalem esse, Quotquot autem, &c. Neque enim de Iudæis solum, aut Græcis, sed de omnibus nationibus sub audiendus, quia apud Deum non est acceptio personarum, Petro testante, Et Paulo concinente, Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Hoc idẽ asserit modo Ioannes, Quotquot autem receperunt eum. Vnde videtur & textum priorem, esse generalem, vt suprà admonebam, & non solum Iudæis aptandum.

Actor. 10. Ad Rom. 2. Ad Ephes. 6. Ad Colos. 3. 1. Timot. 1.

¶ Porrò, quod sequitur, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, non est perspicui sensus. Si enim dixisset, fecit eos filios Dei, aut dedit eis, vt essent filij Dei, plana esset interpretatio. At cum ait, Dedit potestatem, hoc significare videtur

videtur recipientes filium Dei non esse filios Dei, sed posse esse filios Dei. At verò qui recipiunt filium Dei, sunt credentes, & amantes filium Dei: isti autem iam sunt filij, quomodo ait posse esse filios Dei, quasi verò non sint actu filij Dei. Vnde Paulus ait, ad Galat. 4. Quoniam autem estis filij Dei, misit spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater. Idemque commemorat ad Roman. 4. &. 2. Timoth. 1. idem insinuat. Si igitur filij sunt Dei, cur ait, posse filios esse Dei concessum sibi fuisse? Neque enim fas est diuertere ad sophisticas argutias, actum inferre potentiam. Et quia actu sunt filij Dei, ideò potestatem dedit eis fieri filios Dei.

Scriptura sacra simplici eloquio procedit, & non argutijs.

Enimuerò diuina scriptura simplici eloquio docet, quæ docet & non argutulis vtitur sermonibus. Theophilactus huius rei difficultatem trifariam soluit, aut, quod Ioannes intelligat perseuerantiam in filiatione Dei, vt sensus sit, Dedit eis potestatem perseuerandi in adepta filiatione Dei, id quod ante ipsum placuit Chrysostomo.

Variæ expositiones.

¶ Aut secundo, quod sermo fiat de catechumenis, quibus data est potestas à Deo per fidem fieri filios Dei, quia possunt regenerari ex aqua baptismatis.

¶ Aut tertio, quod magis illi probatur referre verba Ioannis ad adoptionem perfectam filiorum Dei. Qui enim verè credunt Christo tandem fruentur Deo, & tunc erunt verè adoptiui filij Dei. ad Roman. 8. Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. Et hæc tertia expositio arrisit Caietano. In cælesti enim regno perfecta erit adoptio filiorum Dei, quæ nunc desideratur, tametsi imperfectam fideles consequantur, quandiu hic agitur.

Caietanus refellitur.

¶ Veruntamen Caietanus, fortassis hunc locum expendit, non librata expensione. Etenim videtur ex prætextu sermonis dicere liberum arbitrium se habere passiue solum in sua iustificatione, id quod damnat Synodus Tridentina Sessio. 6. Canon. 4. & nos satis contra Henricum Gandensem in 2. lib. Sentent. disputauimus, & hoc idem sapit cathedra pestilentiæ Lutherana.

¶ Expendit autem hac ratione Caietanus. Non dicit dedit eis potestatem, vt se facerent filios Dei, sed vt fierent filij Dei. Sicut enim in naturalibus elementis est potestas, non vt se moueant sursum, aut deorsum, sed, vt moueatur terra deorsum, & ignis sursum, ita Christi fidelibus data est potestas non efficiendi se ipsos filios Dei (actio enim hæc omnem creaturæ facultatem excedit) sed vt fierent filij Dei.

¶ At verò certum & indubitatum esse profitetur Ecclesia liberum arbitrium in sua iustificatione se mouere ad gratiam, Deo consentiendo inspiranti pœnitentiam. Et quamuis Deus suo dono donat pœnitentiam, est enim donum Dei, quando vera est, Paulo docente. 2. Timoth. 2. Ne quando Deus det illis pœnitentiam: nihilominus, etiam est actio liberi arbitrij pœnitere. ¶ Et hæc duo se admittunt esse dono datum, & esse actionem liberi arbitrij, ita quoque & esse filium Dei adoptiuum, ex diuino descendit munere, at verò nobis etiam coagentibus, loquimur de filiatione adultorum. Porrò si dixerit Caietanus (vt dicit) gratiam gratum facientem esse hanc potestatem, & nemo potest, nisi Deus hanc gratiam efficere, rectè quidem, cæterum, ad gratiam gratum facientem homo cooperatur, se disponendo ad illam: ideò etiam se mouet ad illam dispositiuè, & non solum mouetur.

Filiatio adoptionis nõ cõtingit adultis sine actione liberi arbitrij.

¶ Et quamquam solus Deus est gratiæ autor infundens illam, cæterum homo est Dei cooperator, se disponendo. Quapropter liberũ arbitrium dispositiuè cooperatur ad hãc potestatem vt homo fiat filius Dei.

Differuntur præfatæ expositiones.

¶ Et quidem si præfatas expositiones iusta lance libramus, videtur, non absolure lectoris mentem. Siquidem, prima, quæ per potestatem intelligit perseuerãtiam in filiatione Dei, habet obiectionẽ, quia Ioann. non dixit, dedit illis perseuerantiam in filiatione Dei, sed, dedit eis potestatem filios fieri Dei. Aliud est autem perseuerare in gratia Dei, aliud habere Dei gratiã. Plerique enim grati sunt Deo, qui alioqui lapsi sunt, vt de Iuda Scarioth, exemplum promptum est.

¶ Porrò simul atque homo fit Deo gratus, iam est adoptiuus filius, etiamsi non perseueret. Secundæ quoque expositioni

tioni obijciam, quia, vel catechumenus, est in gratia Dei, aut non, sed solam habet fidem. Si est in gratia Dei, igitur iam ille filius est adoptiuus. Quippe etiamsi non sit actu regeneratus, voto tamen regeneratus iam est. Vnde si moreretur particeps fieret diuini consortij, vt in .4. disputauimus, vnde argumentum semper viget, & textus expositionē aliam poscit. Postremo quoque expositioni, quæ probabilior reputatur, item est obiectio, quia textus non solum loqui videtur de potestate ad filiationē futuram, sed ad præsentem. Vnde non videtur, quod hoc velit, dedit potestatem, vt in futuro seculo sint filij Dei, imò quantum apparet de præsenti filiatione loquitur. Maximè quia ex subiunctis tollenda est ambiguitas. At Ioannes declarans hanc filiationem, subdit, qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt. Hæc autem natiuitas in præsenti accidit fidelibus. Neque probauerim, quod Caietanus inquit, hoc relatiuum, Qui, non referre eos, qui credunt, sed filios. Etenim clara luce constat ex litera Græca, diuersum esse verum. Siquidem τεκνα habet vbi nos filios, &, οἱ, vbi nos, qui, at manifestum est οἱ, non posse referre τεκνα, quia non conueniunt in genere, ideò non est antecedens huius relatiui. Quocirca hoc secundum, qui, refert eos, qui credunt: de quibus dixerat, ijs, qui credunt in nomine eius. Fortassis alius exponet locū hūc, dicens credentes habere potestatem filios Dei fieri. Quia fideles quamuis peccato mortali detineantur, tamen potestate potiuntur effici filios Dei. Aliud enim est esse filios Dei, aliud posse esse. Qui ergo fidē habet quāuis informē potest pœnitere, & ita potest esse filius Dei. Qui verò infidelis est neque est filius Dei, neque potest esse Dei filius sub sua infidelitate manens. Infidelitati enim repugnat filiatio diuinæ adoptionis. Quippe sine fide impossibile est Deo placere. Vt autem sine fide est impossibile placere Deo, ita cum fide possibile est placere Deo. Quia etsi fides informis vera fides est, & potestas est ad fieri filium Dei adoptiuum. Quia si fidelis peccator resipiscit à peccatis iuxta fidem suam, tunc fiet filius Dei.

Caietan⁹ nō probatur.

Alia expositio noua.

Omnis fidelis habet potestatem fieri filium Dei, sed solus iustus est filius Dei.

¶ Porrò huic expositioni etiam obstat quod Ioann. ait datam esse hanc potestatem, ijs qui credūt in nomine eius: vnde videtur de fide formata sermonem habere. Quod si dixeris fidem informem etiam credere in nomine Christi, vera narras, at subdit Ioann. Qui non ex sanguinibus, &c. Sed ex Deo nati sunt. Huiusmodi autem nati ex Deo fidem viuam, non mortuam habent: quippe qui ex Deo nati sunt.

Recijcitur expositio.

¶ Iam verò post has recensitas expositiones, quæ mihi germanior videtur est, si per potestatem intelligamus dignitatem, vt sit sensus, Dedit credentibus in nomine eius dignitatem fieri filios Dei, vel esse filios Dei. Enimuerò Græcè legitur ἐξουσίαν. At verò ἐξουσία, significat potestatem, & autoritatem, & ius in aliquā rem. Si igitur potestatem vertamus cum interprete est sensus subobscurus, si verò autoritatem sensus redditur apertior, Quotquot receperunt eum dedit eis hanc autoritatem, vt sint filij Dei. Nam pro fieri legitur Græcè γενέσθαι, quod verbum, iam per fieri, iam per esse trāsfertur, vt γενιθο, sit, vel fiat. Si verò per ius transferatur sensus item fit aliquantum perspicacior, Quotquot receperunt Christum, ius habent, vt fiant filij Dei. Et sub hac ratione oportebit referre textum hunc ad consummatam adoptionem filiorum Dei, Quoniam omnes amici Dei viatores ius habent ad vitam æternam. In hanc sententiam habes Cyrillum capit. 10. exponentem potestatem per dignitatem. Et Erasmum in paraphrasi ad hunc locum. Et hæc expositio anfractibus caret, Et satis amica videtur Ioanni. Recipere autem Christum multifariam contingit, aut corporaliter solum, aut spiritualiter solum, aut vtroque modo. Recepit quidem Martha Dominum in domum suam corporaliter, & in animam suam spiritualiter eum credens esse Iesum filium Dei viui, & illum amore complectens. Itemque & Zachæus. Simon verò Dominum excepit in domum suam, vtique corporaliter, at vero non spiritualiter. Demum omnes illi, quos Dominus ait, Beati qui me non viderunt & crediderunt, recipiunt solum spiritualiter. Beatissima autem Virgo Maria, Filium suum vnigenitum mirabiliter recipiens vtrumque

expositio germana textui.

Luc. 10. Luc. 19. Matth. 26. Ioan. 19. Luc. 7.

vtrumq; tenuit modũ. Quippe Dominũ gestauit in vtero nouem mensibus, & suprema fide illum credidit, & ardẽtissima charitate eundem est amplexa.

¶ Rursum, qui recipit pauperes, aut prædicatores diuini verbi, & illos fouet eleemosynis, aut alijs mulcet præfidijs Christum spiritualiter recipit: ipso docẽte, qui recipit vos me recipit.

Matth. 10. ¶ Quod autẽ Ioãnes modo ait, quotquot autem receperunt eum, &c. de recipientibus Dominum fide & charitate intelligendum est. Namque de recipientibus corporaliter tantum non meminit. Receptio namq; hæc cum ex fide & charitate non proficiscatur, Deo non est accepta. Et hoc est quod Ioannes docere voluit, in verbis subiunctis. His, qui credunt in nomine eius. Hoc est recipientibus Dei verbum concessa est autoritas, vt sint filij Dei, aut ius est illis collatum possidendi vitam æternam, quæ est consummatio filiationis diuinæ secundum adoptionem, modo tamen recipiant credendo in nomine verbi. Græca lectio habet in nomen eius. At verò satis liquet ex hoc loco promiscuam esse lectionem, credere in nomen, & credere in nomine, & vnum pro altero sæpè accipi in Euangelicis literis. Vnde credere Deo, est aliquando idem quod credere in Deum. Et non semper obseruatur discrimen quod scholastici Theologi obseruant. Distingunt enim hæc tria, credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum, vt nos diximus etiam. 3. Sentent. libro. Et scitè quidem distingunt, verum non est huius distinctionis inuiolata obseruatio in euangelicis literis. Vbi promiscua sunt hæc, credere illi, & in illum, & in illo, vt confiteri illum, & in illo. Et baptizare in nomen Christi, & in nomine Christi, vt probè Erasmus post Laurentium annotauit. Et sanè hoc loco credere in nomine diuini verbi, est credendo amare, & non solum credere quod Dei verbum est. Et sæpè hoc reperies apud Ioann. quale illud est. Ioann. 5. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam. Quo in loco audire verbum Christi est credere verbum Christi. Et ait, quod qui credit verbum Christi, id quod est credere Christum, & credit patri, ille habet vitam æternam.

Credere Deo & Deũ & in Deũ promiscua sunt in scripturis.

Igitur credere in Deum, & credere Deo in idem recidunt, hoc in loco, nam si credere in Deum est credendo verbis, affectum totum referre in Deum, idem est modo credere Deo: quia sic credenti pollicetur vita æterna, quæ soli fidei non pollicetur. Et sunt ad hanc rationem pleraq; alia testimonia apud Ioannem.

Credere Deo aliquando est idẽ q̃ credere in Deum.

ENARRATIO XXIX.

in caput primum.

¶ *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

HACTENVS expressérat Ioannes, quanta dignitate donauerit Deus credentes in nomine diuini verbi, nempe quod sint filij Dei adoptiui: quæ est secunda filiationis dignitas post naturalem filiationem. Naturalis autem filiatio nulli communicari potest creaturæ, vt neque natura diuinitatis, quæ creaturis repugnat. Verbo autem Dei communicatur soli hæc naturalis Dei filiatio, cui quoque diuinitatis natura communis cum patre est, & Spiritu sancto. Porrò adoptiua filiatio hæc communicabilis est rationalibus creaturis: vt & diuinitatis participatio, atque consortium. Et hanc impartiuit Deus, non omnibus hominibus, sed his duntaxat, qui credunt in nomine vnigeniti filij sui.

Filiatio adoptiua est secũda filiationis post naturalẽ dignitas.

¶ Quod si Lutherani dogmatis assertor, iam obstreperet sufficere, ad filiationem hanc credere in nomine Christi, seu habere fidem Christi, quia Ioannes de sola fide meminit, vtiq; fides mortua non est à Deo tanto donata honore vt constituat filios Dei, sed hic honos tribuendus est fidei viuæ, seu vitali fidei, quę per charitatẽ operatur. Nam qui solum credunt in nomine diuini verbi, si quod credunt mente, affectu charitatis asymboli, effectum operis non exprimunt peccatores sunt, & criminosi: at quis nisi stupidi cerebri homo, diceret hos esse filios Dei? Neq; etiã quia Ioan. solũ memorat credere in nomi neverbi, ideò putãdũ est solũhoc sufficere,

Assertio Lutherana elditur.

Credere in nomine verbi quid.

vt ſimus filij Dei: quandoquidem multa alia ſunt credenda: quæ tamen omnia cõprehendit ſub hoc verbo, in nomine eius. Vt ergo alia credenda ſub hoc verbo ſubintelliguntur, ita & eadem eſſe diligenda haud dubium ex eodẽ intellexit verbo. Quod ſi ſciſcitaris, & quid eſt quod non dixit, His qui credunt in verbum, vel in filiũ, ſed in nomine eius? Vtiq; dixerim ſcripturis hoc eſſe familiare vſurpare nomen pro re, iuxta illud, Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius, Luc. 2. Et Geñ. 4. Hic cæpit inuocare nomen Dñi, ideſt Dñm, nomina enim ſupponunt pro rebus.

¶ Poſtquam igitur Ioannes expreſſerat dignitatẽ, ad quam ſubuehit Deus credẽtes verbo ſuo, modo ait, Qui nõ ex ſanguinibus, &c. Quibus docet verbis, iſtam filiationem non eſſe carnalem, ſed ſpiritualem, inſtar illius ex qua verbum naſcitur ex Deo patre: ſicut verbum enim naſcitur ſine tempore ex Deo patre, item credentes verbo ex tẽpore nati ſunt ex Deo. Credentes enim verbo, fiunt mẽbra Chriſti, qui eſt verbum, & quia Chriſtus eſt filius Dei, item & membra ſunt filij Dei. Verum natiuitas horum filiorum, vel cõceptio, non ex ſanguinum eſt cõmixtione, ſed ex ſpirituali regeneratione. Porrò autem Auguſtinus non putat vocem, ſanguinibus, eſſe latinam admodum, cæterũ interpres maluit abuti, hoc numero plurali qui latinis nõ erat in vſu, quã non explicare vocem Euãgeliſtæ. Per ſanguines verò Theophilactus intellexit menſtruũ mulieris, quia fœtus ex illo concipitur. Subdit autem quoſdam fuiſſe genitos ex volũtate ſola fœminæ, vt Samuel. 1. Reg. 1. alios verò ex voluntate viri, vt Iſaac Gene. 21. quia Sarræ deſierãt iam muliebria, Geneſ. 18. & menſtruis non grauabatur: alios verò ex voluntate viri, & fœminæ. Vnde ait, Quamuis natiuitas Iſaac nõ fuerit ex ſanguinibus, erat tamen ex volũtate viri. Theophil. expenditur. ¶ At verò certum habeto Iſaac compactum fuiſſe ex ſanguinibus. Enim vero, etiamſi Iſaac fuerit ex dono Dei, & non ſecundum ordinem naturę cõceptus, quippe parentes eius ſecundum naturam iam infœcũdi erant: Cæterum Deus fœcundauit parentes, vt illum generarent. Fuit igitur miraculum fœcũdare ſteriles, nõ tamen fuit miraculum quod ſecutum fuit, ſcilicet, conceptio Iſaac, quę fuit ex ſemine humano, vt cõceptio aliorum fœtuum. ¶ Quocirca ex menſtruo Sarræ fuit coalitus, & coagmentatus. Per ſanguines igitur intelligito commixtionem ſeminum virilis, & fœminini. Enimuerò habet vir ſenũ ſuum, quod eſt tanquam coagulum & forma, & habet fœmina itẽ ſemen, quod eſt ceu lac, & materia fœtus ſcriptura admonente, Nõne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Et Ariſtot. conteſtante. Rectè autem ſemina ſanguines dicuntur. Enimuerò ſanè eſt ſanguis quidam, qui ex ſuperfluo ſanguinis neceſſarij indiuiduo, à natura mandatur generationi prolis. Dealbatur verò, quia per vaſa ſeminaria delatus in teſticulos, ibi elaboratur, & perficitur de poſitoque rubro, albeſcit. Vt ſanguis, qui fertur ad mãmillas fœminarum, qui ex nimia decoctione ex rubro trãſit in album: fit namque ſanguis albus ex nimia decoctione. Nihil diſſentio, an ſemen ſit ſpecie idẽ, quod ſanguis, vel an decoctio eius mutat ſpeciẽ, vt forte mutat decoctio maſſę in clibano, ſpeciem panis illam faciens diuerſam à pane. Hoc nãq; diſſerere præſens non poſcit inſtitutum. Siue enim ſit ſpecie idem ſemẽ cum ſanguine, ſiue nõ, quid ad Ioannem? Sufficiat dixiſſe, ſemen eſſe ſanguinem, vel ſpecie & ſubſtãtia idem, ſolo accidentali diſcrimine diuerſum, aut quod verius videtur ſpecie eſſe diuerſa, cæterum quia ex ſanguine emergunt ſemina iſta, ideò ſanguis dicuntur. Generatio ergo ſpiritualis filiorum Dei non ex ſanguinibus fit, hoc eſt non paratur ex commixtione ſeminum, & maſculi, & fœminini. Superat enim omnem commixtionem ſeminariam illius celſitudo. Neque fit ex voluntate carnis, exponente Auguſt. ideſt, ex voluntate fœminæ. Quia caro hoc loco fœminam ſignificat, propter eius molliciem: & quia Adam illam carnem appellauit dicens Geneſ. 2. Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Significat igitur per hęc verba Ioannes commixtionem viri, & fœminæ. Nam vt vberius laudibus prouehat ſpiritualem generationem, illam commendat ex hoc nomine, quod non habetur ex coitu maris & fœminæ, neque ex commixtione ſeminum horum. At verò forſan

Iob. 10.

Semẽ viri & fœminę ſanguis ſunt redundãs, ex vltimo alimento qui ſanguis eſt.

Semen proli ficum cur dicatur ſanguis

Sæpe in scriptura aliquando culpam denotat.

forsan exquiret aliquis an non sufficeret dixisse primum, Qui non ex sanguinibus? &c. quorsum adiecit, neque ex voluntate carnis &c. ¶ Obseruabis tamen, vt nodum soluas hunc sanguinem in diuinis literis culpam sæpe denotare. Esa. 1. Manus vestræ pollutæ sunt sanguine. Et Oseas. 4 Sanguis sanguinem tetigit, crescunt, idest peccata cumulatis alijs peccatis. Quapropter quia Ioānes dixerat. Non ex sanguinibus, forsan subiret suspicio ex culpabili copula non prodire filios Dei, at ex iusta & inculpata copula, qualis ea est qua olim sancti patres se cōmiscuerūt, aut modo iusti viri se cōmiscent cum vxoribus suis, ad procreandam Deo sobolem, vt monebat Tobiā iuniorem socius angelus Raphael,

Tob. 12. Namque ille monebat hunc, vt non ex libidine, se cōmisceret vxori, sed solum ad Dei cultum. Est igitur carnalis cōmixtio huiusmodi duplex, altera culpabilis, alia innoxia. Et vtramque submouet Ioānes, docens nullam cōmixtionem harum esse causam filiationis diuinæ. At inculpatam vt significaret, non dixit ex voluptate carnis, aut ex voluptate viri, sed ex voluntate, vt significaret Ioā. quamuis cōmixtio, non ex voluptate procedat, aut ex libidine, sed ex rationabili voluntate propter Deum se copulātes vir & fœmina. Ex hac nihilominus copulatione nō nascitur Dei filius. Quoniam &si ambo parentes iusti sint, & nō propter libidinem coitus, se cōmisceāt, sed propter Dei honorē, vt Deo fructificent: cæterum proles adhuc infecta nascitur ex primitiua culpa, & Deo inimica. Quandoquidem non prolificant parētes quatenus iusti sunt, aut quatenus quod iustum est intendunt, sed secundum naturam quam habent prolificant. Quia tamē natura, vt infecta fuit in primo parēte, hac ratione prolificat, non quatenus mundata fuit ex baptismo, hoc enim illi accedit ad prolē. Parentes enim non generant secundum gratiam baptismalem, sed secundum naturam quā habuerunt à parentibus suis, ideo proles inimica Deo nascitur, quia nō Deo grata, sed iræ filia. ad Ephe. 2. Propterea igitur Ioānes primo dixit vt coniecto, Qui nō ex sanguinibus, vt culpabilem copulam excluderet, ab hac filiatione: & dein subdit, Neque ex voluntate carnis, siue fœminę &c. vt etiam inculpatam abijceret. ¶ Nicolaus vero per voluntatem carnis etiam concupiscentiam carnis intellectam voluit, quippe quę est impropriè voluntas. Ego verò probatiorem duxerim Augusti. sensum per volūtatem carnis voluntatē mulieris subaudire, vt dudum cōmonefaciebā. Aut dicamus Ioānem per hæc duo solum voluisse carnalem generationem manifestare, & vt clarè diceret, repetit idē. ¶ Quod vero subdit, sed ex Deo nati sunt, Vala & Erasmus, aptiorem credunt lectionem, ex Deo geniti sunt, at verò refert nihil, siquidem sensus idem est. Postquam igitur Euangelista docuit filiationem adoptiuam Dei non parari ex propagatione naturali maris & fœminæ, siue sit inculpata prorsus, siue nōnihil admisceat culpę (vt fere in plurimum) venialem saltem admittit, propter feruorem concupiscentiæ, hæc enim vix ab vxorio dissociatur cōcubitu. Verbis modo istis illam est supernaturalē filiationem demonstrat, vt vel hinc deprimat iudaicum superciliū, ex quo tumebant contra gentes, qui se filios Abrahæ esse iactabant. Filij Abrahæ sumus, inquiunt, & nemini seruiuimus vnquam. Etenim filij erant Abrahæ secundum carnem, & hæc filiatio non subtrahebat ab illis iram Dei: quippe sub illa nascebantur filij iræ. Id quod domini præcursor, docebat illos dicēs, Nolite dicere quia patrē habemus Abraham. Amen dico vobis potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, verbis istis insinuans, filiationem naturalem non conciliare nos Deo, etiam si filij simus sanctissimorū: ad Rom. 9. nō qui filij carnis hi filij, sunt Dei, sed filiationem supernaturalem, quæ est per fidem verbi, & charitatem. Etenim, vt caro ex semine procreat prolem carnalē, ita spiritus, ex semine spirituali quod est verbum Dei procreat filios Dei. Nam semen est verbum Dei. Ex Deo igitur nati sunt, audientes enim verbū fidei, & illi obtemperantes, dolent de diuinis offensis, & viuere deinceps secundum Deum iam instituunt, resarcientes bonis operibus errata priora. Isti sunt, qui adoptantur in filios Dei. ¶ Scio tamen bifariam nos adipisci hanc filiationem, primo quidem quando regeneramur per lauacrū regenerationis: & hæc est prima, & maxima, quæ in hac vita conceditur hominibus, filiationis adoptio, quippe per hanc renascimur Deo, renouati, & mūdati ab omni culpa anteacta,

Parentes quāuis sint iustissimi prolificant prolem infectam & quare.

Adoptio filiorū Dei nō est filiatio naturalis, sed supernaturalis.

Ioan. 8.

Matth. 3.

Qui adoptantur in filios Dei.

& liberi ab omni ventura debita peccatis pœna. Vnde & sibi nomen obtinuit: lauacrum enim vocatur regenerationis: quia regenerat filios iræ, in filios pacis, & reconciliationis. ¶At vero hãc filiationem violamus sæpè: vnde restat sacramentum pœnitentiæ, quod reparat hanc priorem filiationem, si non ad æquum, saltem restaurat illam, quantum ad necessaria, scilicet quo ad restaurationẽ diuinæ amicitiæ ex mortali peccato admisso abolitæ.

¶Prior igitur filiatio conceditur paruulis per sacramentum baptismi & ecclesiæ fidem verbi. Quia & si paruulus non audiat Dei verbum, ecclesia audit vicem illius agens, vt nos in. 4. senten. diximus. Secunda filiatio vero, vel reparatio prioris filiationis est adultorũ, quę morosior est, quã fuerat prima, & plura sibi poscens. Quandoquidem non ex sola fide paratur, vt arbitratur Lutherus, sed post conceptam fidem diuini verbi, quod vt dicebam instar seminis est, timore cõcutitur peccator, confiderans ex fide secundum Dei iustitiam gehennalia sibi parata, nisi pœnituerit incendia. Et timore hoc concussus Deo opitulante excitatur ad spem veniæ considerãs Dei clemẽtiam erga peccatores pœnitentes, vnde & pœnitet de peccatis proponens illa suo tempore referre ad aures confessarij, & digna satisfactione eadem repẽdere. Et tunc amissa baptismi restauratur filiatio Dei: quæ non est sola peccatorũ remissio, sed etiam sanctificatio & renouatio interioris hominis per infusam spiritus sancti gratiam, quam homo voluntariè susscipit, Deo cooperans ad illius susceptionẽ sese legitimè disponendo ad illam, Lege. cap. 7. sessio. 6. Concilij Triden. Et fuge venena Lutherana, qui iustificationẽ putat solam remissionẽ peccatorum, per nõ imputationem illorum, non aduertens iustificationem esse filiationem diuinam, at filiatio hęc aliquid positiuũ denotat, & nõ solam negationem non imputandi.

Filiatio Dei quã restaurat in adultis pœnitentia non ex sola fide paratur contra Lutherum.

Filiatio diuina non est sola non imputatio peccatorum cõtra Lutherum.

¶Porrô autem non me latet, vt ad priora recurrat oratio mihi obiecturũ quempiã Iudæos olim fuisse filios Dei, quamuis nõ credebant in nomine diuini verbi. Enim vero ante aduentum Christi prophetæ, patriarchæ, & plerique alij multi sub iudaismo, & ante fuerunt viri iusti & Deo chari: legimus enim, Deu. 14. Filij estote domini Dei vestri. Et Genes. 5. Videntes filij Dei filias hominum. & tota natio Israelitica. Exodi. 4. Filius Dei vocatur. Filius, inquit, meus primogenitus Israel. Et Oseas. 4. Ex Aegypto vocaui filium meum, eiusdem populi filiationẽ diuinam insinuat, quãuis ad domini regressum ex Aegypto in terrã Israel. Matthæus retulerit: de qua re nihil ad præsens.

¶Israelitæ igitur, qui præcesserunt domini aduentum, non receperunt dominum, quia nondum præsens aduenerat, nihilominus filij Dei erant. Cur ergo Ioãnes in magnam prærogatiuam illustrisimumque titulum recipiẽtium dominum, dixit, Quotquot autem receperũt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri? Et Paulus illi accinens inquit ad Galatas. 4. Iudæos accepisse spiritum seruitutis in timore, Christianos vero spiritum adoptionis filiorũ, vt etiam supra indicabamus.

Adoptio ea sit communis christianis cũ Israelitis.

¶Theophila. hoc enodans dubium, Israelitas dicit fuisse filios Dei vmbratiles, & typicos, quia lex vmbram habebat futurorum bonorum: ideoque filiatioquoque illorũerat adũbrata quędã filiatio filiationis fideliũ, vt baptismus illorum vmbra erat nostri. ¶Quod sanè forte dixit, quia Israelitæ bonis temporalibus mulcebantur à Deo tanquam filij à parentibus.

¶Porrò autem aduertẽdum est, vt nodus hic enodetur, Paulum ad Galatas. cap. 4. in duobus Abrahæ filijs Isaac, & Ismaele, duo testamenta fuisse adumbrata & nouum, & vetus docuisse, hoc est legem Mosaycam, & euangelicam. Illam legem vocat ancillam, hãc autem liberam. Illius rursus legis cultores seruos, hos autẽ liberos. Enim vero lex illa Mosayca trahebat Iudæos ad cultum Dei minis & terroribus, vt Leuitici. 26. Et obseruantia legis Mosaicæ non exhibebat hæreditatem cælestem: obseruantes enim illam, & colentes defuncti sunt nõ acceptis promissionibus ad Hebræ. 11. Quò circa legis illius cultus non conferebat colentibus spiritum adoptionis filiorum, sed solum spiritum seruitutis. Quandoquidem si filij, hæredes ad Rom. 8. Quia ergo non erant hæredes propter obseruantiam legis illius, ideo lex illa ancilla dicitur: quia cultores generabat seruos, & nõ filios. Ante Christi enim aduentum omnes cultores legis illius, descẽdebant in lacum, in quo non erat aqua. Zacha. 9. Obseruatio autem legis euangelicę

Euangelica lex generat filios Dei. Mosaycaverò seruos.

filios

filios generat, & non seruos. Quippe per obseruantiam legis euangelicæ, datur cultoribus hæreditas sempiterna. Vnde assertores dogmatis illius, cuius nos in.4.sent. longam fecimus mentionem de beatitudine differendo animas sanctorum remoratas esse à cælesti præmio in diē vsque iudicij stare nequit cum Pauli doctrina. Siquidem quomodo Christiani acceperunt spiritum adoptionis filiorum, si non continuo à morte euolant ad æternas coronas? Aut quod discrimē esset inter nos & illos, si omnes fideles, etiam si nihil gerant expurgandum post mortem antequam glorificentur moras trahent in diem vsque iudicij? Et quale etiam est quod Ioan. cōmemorat modo, Quotquot autem receperūt eum. &c? Lex igitur euangelica generat Deo filios, hæredes regni sempiterni: lex autem Mosayca non item, sed seruos, vt diximus. ¶ Cæterum consideratione opus est in re hac, quia quamuis ipsa legalis obseruantia seruilis erat, verum Iudæi iusti, si non ex obseruātia legis, certè aliunde parabāt sibi adoptionis spiritum. Videlicet ex protestatione fidei per opera legis, protestabantur enim Christum venturum in mundum. Et quāuis actu non recipiebāt, Christum charitate, & spe illum receperunt, simul atque fide.

¶ Quamobrem, Iudæi iusti, & sancti charitatem Dei, & gratiam gratum facientem habebant: charitas autem diuidit filios regni, à filijs perditionis. Quo fit vt necessario oporteat fateri illos adoptionem filiorum Dei habuisse. Neque inficias it, hoc Paulus, qui hoc solum intēdit docere nos, legem illam veterē cum omnibus suis obseruantijs, non contulisse spiritū adoptionis filiorum colentibus se, ideoque esse in star ancillæ, cuius filij sunt serui. Quapropter Iudæi ex obseruantia legis illius serui, at vero ex charitate Dei qua fuerunt cōpotes, prophetæ & patriarchæ & alij timorati viri Deum diligentes non ex timore, sed ex amore diuinæ bonitatis principaliter, filij adoptiui erant.

¶ Porro quanquam filij Dei erant, cæterum non tantæ dignitatis fuerunt, quantæ cultores euangelicæ legis. Quādoquidem non poterant adire sempiternam hæreditatem, sed detēti erant ex debito generali totius naturæ in lymbo. Vnde hoc debitū quo erant impediti lex illa soluendo non erat. Sane lex illa vetus cum omni pompa suorum præceptorum, & apparatu ingenti cæremoniarum, non potuit illud submouere, donec Christus sanguine suo submouit. Ideoque etiam si ius habuissent illi iusti ad hæreditatem cælestem, quia charitatem Dei habebāt, cæterum hoc ius erat impeditum ab extrinseco ex debito generali totius naturæ ex lapsu primi parentis contracto. Vnde circuncisio, tametsi charitatem donabat & culpā primitiuam abstergebat, quia protestabatur ex illa Christus venturus, cæterum hoc impedimētum nō poterat auferre. Lex autem euāgelica per baptismum, hoc subtrahit impedimētum, ideo lex euangelica confert ius adipiscendi regnum cæleste, liberum citra omne obstaculū, modo syncerè ipsa colatur, & seruetur, & nouum non obsistat ex propria cultorū culpa. Quo circa potestas fideliū, vt adipiscantur hæreditatē cælestē est proxima potestas: quia non est impedita, vt erat ante mortē Domini, at potestas Iudeorum iustorum ante Christi aduētum erat remota: quippe debitum totius naturæ insolutū erat. Quo circa quousque per Deū & hominem Christum in cruce solueretur ęternæ hęreditatis erāt asymboli. Quā obrem, vt hoc idem insinuaret Ioānes altissimè docuit. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, Qui non ex sanguinibus, &c. Sed ex Deo. Maiorem enim dignitatē in adoptione hac filiorum adepti sunt, qui præsentē in mundo receperūt Christum, quam illi qui à longe illum contemplantes, salutantes sola fide, expectationis vēturi Christi reficiebātur. Hæc autem maior dignitas, non est habēda, quod maiori charitate credamus præditos esse fideles omnes iustos, quam illi erant. Hoc namque non est necessarium. Quis enim diceret infantulum recens baptizatum, maiori esse exornatū charitate, quam vel Moysem, vel Esaiam, aut Hieremiā? At eò dixerim maiorem dignitatem filiorum Dei modo esse, quam tunc, quia modo facultas conceditur continuo à morte euolandi in regnum cæleste, id quod tunc negabatur.

¶ Obserua interim præpositionē, ex, hoc loco non materialem causam, sed efficientem significare, cū ait, Ex Deo nati sunt, vt etiam apud eundem Ioan.1. catho. c.3. Qui natus est ex Deo, peccatum nō facit, quo-

Animæ sanctorum nō remorātur beatitudinem vsque in diē iudicij.

Lex euangelica generat Deo filios hęredes vitæ ęternæ.

Iudęi ante Christi aduētum illum receperunt spe, & fide & charitate.

Iudęi quo modo serui & filij.

Lex euangelica cōfert syncęris suis cultoribus ius regni cælestis adipiscendi liberum sine impedimēto.

Cur maior est dignitas filiorum Dei modo, quam erat olim.

quoniam semẽ ipsius in eo manet. Vocat autem semen Dei, verbum euangelicum. Et enim viuacem habens fidem euangelici verbi non peccat, quandiu viuax fides verbi in eo perseuerat. At quia liberi arbitrij homo est, poterit à se abijcere semen hoc & peccare, vel non credẽdo, quod credebat vt hæretici, vel credendo, sed non perfectè credendo, quia auertit animum à rectè operando secundũ verbi exigentiã.

ENARRATIO. XXX.
in caput primum.

¶ *Et Verbum caro factum est.*

4. euangelij sectio.

IN Tertia huius euangelij sectione euangelista exposuerat verbum Dei in hunc veniſſe mundum, in hac vero quarta euangelij sectione, modum huius aduentus declarat dicens, Verbum caro factum est. Enim vero verbum Dei secundum essentiam suam diuinã non venit in mundũ: secũdum enim illam omnia replet maiestate gloriæ suæ. At eatenus venit, quatenus nouum fecit super terram. Est enim hoc opus mirabile super omne quod cogitari potest diuinum opus, videlicet, quod verbum Dei factum sit. Vnico autẽ hoc verbo mirabiliter magnum hoc pietatis diuinæ sacramentum, est complexus Ioãnes. Breuiloquio enim vsus est ad declarãdum incarnationem diuini verbi, sine periphrasi, & sine ænigmate expresse dicens, Verbũ caro factum est. Et verbum, habet emphaticum articulum scilicet, ipsum, vt subaudiamus, & ipsum verbum caro factum est, vt obstrueret viã cogitandi hoc verbum carofactum, fortasse nõ esse illud verbum, de quo dudum fecerat mentionem, ideo subiecit. Et ipsum verbum, subaudi, quod verum esse Deum dixi, hoc ipsum verbum carofactum est. Vnde Arrius sileat, dicens verbũ esse Christum, non tamẽ illud verbum insitum, sed aliud verbum exterius, & secundariũ verbum: vt supra indicabam.

Christus est verbũ primarium, & non secundarium siue creatum verbum.

¶ Quòd si forsan animum tuum pulsat dubitatio hæc, cur Ioan. meminit incarnationis diuini verbi suppressa natiuitate eius, & natali loco, & alijs multis ab alijs euangelistis expressis. ¶ Scito Anabaptistas hæreticos hanc accusationem detulisse contra Ioannis euangelium. Causabantur enim non esse hoc euangelium, fide dignum neque esse Ioannis, quippe humanitatis dominicæ sacramenta siluerit, id quod Manichæi, item causabantur. At de Manichæis, nihil mireris, siquidẽ hoc Ioãnis euangelium euertit Manichæam sectam docẽtem, duo principia & malorum vnum, & bonorum alterum. Quæ secta, vt supra cõmemorabam haud dubiũ ab euangelio hoc prosternitur.

Manichęi detrahebãt Ioãnis euãgelio, quia illis repugnabat.

¶ Quemadmodum & alij hęretici euangelium Matthæi eleuant, quod non meminerit diuinitatis Christi: itemque Lucæ euangelium ob eandem causam.

¶ Cæterum Matthæus & Lucas falso accusantur ex hac causatione: quandoquidem Matthęus insinuauit Christi diuinitatem, Christi namque scribens temporalia natalia, meminit aduentus Magorum, & stellę radiantis super natum paruulum. Et vaticinij Michææ, quem Magis scribę retulerunt. Et tu Bethlehem terra Iuda, &c. & dein subdit, cuius egressus à diebus æterni tatis. ¶ Primum horum natiuitatem Christi secundum carnem declarat. Secundum vero Christi diuitatẽ insinuat, dum ait egressum huius ducis nati in Bethlehẽ, esse ante secula, significat enim processisse à Deo sine tẽporis mensura, sed ante omnia secula. ¶ Lucas quoque diuinitatis Christi memoriam fecit: quãdoquidem militiam cælestium spirituum scribit natalia infantis recẽs nati canticis celebrasse angelicis, & pastoribus dixisse, Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus est vobis saluator: verum saluator animorum Deus solus est. Quid quod natũ infantẽ angelus vocat Christũ dominũ, id quod diuinitatẽ pueri denotat. Angelus enim nõ vocaret puerũ dñm simpliciter, nisi diuinitatem, illius docere voluisset. Idẽq; insinuatur ex cantico Simeonis. Veruntamẽ non diffitemur Ioãnem apertius Christi deitatẽ expressisse: quam cõmemorati euãgelistæ illam insinuant. Cęterum Ioannes natalia temporalia domini non commemorat, quæ satis fuisse ab alijs euãgelistis cõmemorata aduertebat. Ideo quæ alij non expresserant clarè, scilicet, Christum esse verbum Dei patris illique homousion, hoc Ioãnes diligentissimè est prosecutus. Quod si obieceris, Ioannem etiam quędam cõmemorasse quæ ab alijs cer-

Matthæus & Lucas insinuant Christi diuinitatẽ docẽdo illius rẽporalem natiuitatem.

Ioannes exprẽsit clarè diuinitatem verbi, quam alij euangelistæ insinuabant.

cernebat esse tradita, hoc sanè verum est. Cæterum quia euãgelistarum, calamus abspiritu sancto dirigebatur, consilio spiritus sancti istud tribue.

ENARRATIO XXXI.
in caput primum.

¶ *Et Verbum caro factum est.*

PAVLVS Apostolus Hebræis scribens, incarnationem diuini verbi memorans dixit, Nunquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Hoc idem volens per sua verba, quod Ioan. per indicata. At vero vterque sermo, est difficilis admodum explicatu. Enimvero, si Pauli sermonem discutiamus continuo suã nobis obijciet difficultatem. Etenim semen si secundum canones physicos loquamur, est in potentia animatũ, & non actu, vt ouum non est actu pullus, sed potentia est pullus. Si ergo hac ratione semen apprehendisset Dei verbum, Abrahæ equidem inanimatum corpus apprehendisset, id quod hæretici est dogmatis. Siquidem in anime corpus, nõ est hominis corpus, at domini corpus, humanũ erat corpus. Martion, Valentinus, Manichæus hoc astruebãt, Domini corpus fuisse inanime corpus secundum veritatem, at secundum apparentiam viuens. Quemadmodum corpora sunt ab angelis assumpta, quæ apparent viuentia, cum alioqui sint sine vita. Vnde isti hæretici, vt autor est Theodoretus in dialogo, cui titulus est immutabilis, docebant corpus domini fuisse phantasticum, & non verum, veramque mortem non subisse, sed solum apparentem. Ad quos cõsectarium est nullam fuisse redemptionẽ humani generis, quia ficta mors, veram redemptionem efficere nequibat. Persistũt in hoc errato pessimo Sarraceni modo cõtendentes, Iudæos nõ verè crucifixisse Dominum, sed solum apparenter: siquidem Domini celsitudo non erat permittenda Iudæis, vt illum morte afficerẽt. Id quod, vt colligebam dudum, eneruat totam fidẽ salutiferæ mortis Christi.

Marcion & alij hæretici inanime corpus tribuebãt verbo.

¶ Si verò dixeris, diuinum verbum fuisse inanimato corpori in triduo mortis Christi vnitum, vtique hoc fatendum est. Cæterum verbum non assumpsit nouè illud corpus inanime: sed vi prioris assumptionis ex qua animatum corpus sumpsit verbum Dei ex Maria virgine, facta fuit copulatio cũ corpore illo inanimato, vt nos fusius. 3. senten. diximus.

¶ Porrò si omissa philosophica doctrina, ad phrasim sanctę scripturæ referimus stylum, semen inueniemus progeniem significare, aliquando vero ipsum semen, quod est potentia, & non actu viuens. Enim vero Gene. 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius, progeniẽ denotat serpentis, & mulieris. Et ad Ro. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid, ideſt, ex progenie Dauidica. Gene. vero. 38. Semen fundebat Onam in terram, non progeniem, sed ipsum quod philosophi appellitant semen denotat.

Varia vsurpatio huius vocis semen in diuinis literis

¶ At qui Pauli sermo, Semen Abrahæ apprehendit, non de hoc semine postremo modo capto accipiendus est, vt prædicebam. Si ergo priori modo accipiatur sensus erit, Dei filiũ accepisse progeniẽ Abraham, vel illã apprehendisse. Verum si hoc modo exponimus incarnationis mysteriũ per hæc verba non pandi, diceret aliquis. Cæterum ex præcedẽtibus verbis horum sensus legitimus pẽdet. Dixerat enim Paulus, filium Dei non apprehendisse angelos, & subiecit, Sed semen Abrahæ apprehendit. Inquiramus igitur, quid velit Paulus per hæc, Angelos nõ apprehendit, vtique Deum non apprehendisse angelicam naturam, in vnitatem suæ personæ. Hanc namque vnitatem excludit Paulus: siquidem, angelos sanctos accepit Deus ad suã beatitudinem participandam, & hoc Paulus non negat. Quod ergo ait. Non apprehendit angelos? De apprehẽsione vtique naturæ angelicæ intelligendum est ad vnitatẽ diuinæ personæ. Quasi dixisset apertius, Filius Dei non se fecit angelum. Quo circa cum subdit, sed semẽ Abrahæ apprehendit, facilè denotat, naturam humanam ex progenie Abrahæ filium Dei apprehẽdisse, ad esse personale suum diuinum. Nã quod negat de angelis, affirmat de semine Abrahę. Et possemus exponere iuxta Ioãnis phrasim, Sed carnẽ ex progenie Abrahæ apprehendit.

Pauli locus exponitur ad Heb. 1.

¶ Aduertendum autem est Ioãnem Grecè quidem scripsisse euangelium. Cæterũ retinet nonnunquã Hebraicam phrasim, & tropum. Hebræi enim per carnẽ sæpe intel-

Caro multifariã capitur in scriptura.

intelligunt ipsum hominem, seruando tropum synecdochen, quæ ex parte totum significat. Et sunt pleraque huius rei testimonia. Esa. 40. Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Et. 49. Et sciet omnis caro, quod ego Dominus saluans te, & Psal. 64. Ad te omnis caro veniet, & sæpe aliâs. Quibus locis caro totum hominem denotat, non partem solã: quia hæc neque intelligit, neque scit. Et quod scias, caro præter hæc in scripturis iã in bonum vsurpari, vt significet, scilicet, ipsam humanam naturã, vt hic apud Ioã. iam in malum. Vt, Caro concupiscit aduersus spiritum ad Gala. 6. &, Qui seminat in carne &c. Significatur enim per hęc carnalis concupiscentia. Scito tamẽ, quod quandoq; per carnẽ eiusdem etiã infirmitas denotatur. Vt omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni. Esa. 40. &. 31. Ægyptus homo est, & non Deus, equi eorum caro, & non spiritus. & Matthæ. 26. Spiritus prõptus est, caro autẽ infirma. Et rursus, spiritus est, qui viuificat caro nõ prodest quicquam. Quasi dixisset Infirmitas rationis humanæ, non prodest quicquã ad docendum Eucharistię sacramentum, sed sola reuelatio spiritus sancti, illam potest docere.

Per carnem infirmitas denotatur.

¶Quamobrem Ioãnes, vt nos doceret verbum Dei non accepisse humanam naturã immortalem, & impassibilem, sed infirmam, passionibusque naturalibus, & demum morti obnoxiam: ideo dixit, Verbum caro factũ est, Hoc est, verbum Dei accepit humanam naturã in vnitatem personæ, diuini verbi infirmã, mortalem, scilicet, & passibilem. Id quod idem dictu est, ac si dixisset, Verbum Dei factum est homo passibilis, & mortalis. Homo autẽ passibilis, & mortalis verus est homo, & verbum Dei verus est Deus. Igitur sensus est, verus Deus filius Dei veri, factus est homo verus. Et non poterat aptius Ioannes docere nos, verbum Dei nostram accepisse passibilitatem, & mortalitatem, quã dicendo, Verbum caro factum est. Namque hoc modo tantum sacramentum effatus, etiã num non defuerunt hæretici, qui asseruerunt Christum fuisse hominem impassibilem, & immortalem, & naturæ cælestis, veramque non subijsse mortem, sed apparentem duntaxat, vt fuerunt Marciõ & alij paulo ante cõmemorati: quid quod si dixisset, Verbũ factum est homo? Cum autẽ dicit, Verbum caro factũ, caro non capiẽda est pro parte altera compositi, quia esset sermo falsus, verbũ factum illam partem hominis quę est caro. Quippe cum fieri sit propter esse, & ad esse, si factum est caro hac ratione esset caro verbum, & cum caro sit creatura verbum esset creatura.

Ioãnes verbũ Dei nostram accepisse mortalitatem docet dicens verbum caro factum est.

¶Similiter neq; caro supponit pro humanitate, propter eandem causam. Quia verbum non est factum humanitas, propter eandem causam, at supponit caro nũc pro homine in concreto: vt sit sensus, verbum factum est homo.

¶Quod si arguteris itidem homo est creatura igitur factum est creatura, respõdebo, recte argutum, si verbum factum esset homo ad hunc sensum, quod essentia verbi facta fuisset homo. At vero non hoc modo factũ est homo, sed factum est homo, quia factum est subsistens in natura humana. Vnde nõ sequitur, subsistit verbum in natura humana, igitur verbum creatura est, sed solum sequitur, igitur subsistit in creatura. Itaque non recte colligis, factus est Deus homo, & homo est creatura, igitur factus est creatura. Quia maior illa solum significat, quod Deus factus est persona humana, & quia est persona humana, non ex personalitate humana, sed verbi. Ideo etiã si sit persona humana, nõ est persona creata, sed increata. Sed eatenus humana est dicenda persona quatenus subsistit in natura humana.

Verbum Dei est humana persona personalitate diuinitatis.

¶Caietanus expendens hunc Ioannis sermonem, quædam theologizat suo arbitratu subtilissima. Verbum inquit, ab æterno erat hypostasis diuina, & vbi venit plenitudo temporis factũ est hypostasis carnis. Et propterea verè dicitur, est caro. Nã hypostasis carnis verè est caro, sicut hypostasis naturæ bouinæ verè est bos. Et deinde soluens quæstionem cum euangelista per carnem intelligat totũ hominem, cur non dixit factum est homo, sed caro factũ est? Inter cætera respondet causam fuisse, quia homo nomen est personæ, hoc est rationalis naturæ hypostasis & non hypostasis absolutè. Et potuisset intelligi quod verbum factum est persona hominis, & non hypostasis substantiæ, vt quidam textum hunc non penetrantes intellexerũt dicendo, vnionem factã esse in persona, non in hypostasi. Dicendo autem, quod verbum factum

Caietanus explicatur.

factum est caro, manifestè explicat quod verbum factum est hypostasis carnis: quæ est hypostasis substãtiæ absolutè: hæc ille.

¶Porrò autem quærendum est à Caietano, quid velit per hypostasim? Etenim hypostasis vox Græca est, & ambiguã habẽs significantiam. Iam enim substantiam significat, iam vero suppositum, vel subsistens, vt nos fusè diseruimus in. 3. senten. libro. dist. 2. &. 5. & in. 1. senten. dist. 23. Hypostasis igitur carnis, vel significat substantiam carnis: & tunc falsum esset verbum factum caro, si caro significat carnis substantiam. Enim vero substantia carnis creatura est, ideoque non est verbum. Si vero suppositum subsistens, iam ergo sensus est, verbum caro factum est, idest, carnis suppositum. Et quia nõ est factum suppositum carnis bouinæ, aut equinæ, &c. restat sensum esse factum esse suppositum carnis humanæ. Verũ quia caro, vt est pars hominis, non est suppositũ, quippe in altero subsistit, vt pars eius conficitur, carnẽ supponere pro toto homine, & quia assumptus ille homo, vt ita dixerim, nõ subsistit per se, sed in verbo, supponit caro apud Ioãnem modo pro humana persona, quę subsistit subsistentia verbi. Igitur idẽ dictu est, verbũ caro factũ est, ac si dixisset, verbũ factum est suppositũ humanũ, aut humana persona. Et ergo rectè intelexerunt locum hunc Ioãnis, dicentes vnionem factam in persona, non in hypostasi, si intelexerũt, per hypostasim substãtiã, quia substantia humana, non est diuina. Alia est autem quæstio, si hæc in persona vnio, sit dicenda, nihilominus vnio substãtialis, an accidentalis, an media? Et nos diximus in. 3. esse superiorem cunctis istis vnionibus, quæ sunt apud nos, neque esse substãtialem, neque accidentariã, sed esse vnionem subsistentialem. Et quia subsistẽtia diuina est substantialis secũdum quod est per se, ideo sapit substãtialẽ. At quia accidit verbo subsistere in natura humana, ideo sapit accidentariam vnionem. Verum de istis sufficit hæc meminisse, quia si per singula essent discutienda Caietani verba forsan fastidio essemus lectori. At verò dicet aliquis, Cur ergo Ioannes dixit, Verbum caro factum est, cum clarius potuisset dicere, Verbum factum est homo? Causam exhibuimus superius, vt ex nomine carnis, quæ infirmitatem denotat, verbum Dei, nostram passibilitatem, & mortalitatem assumpsisse subindicaret.

Hypostasis significat substantiam, & suppositum.

Vnio verbi & humanitatis superat omnẽ vnionẽ creatam.

¶Porro dicet aliquis, Qui constabit sibi Ioannes, qui dixerat supra per verbum esse facta omnia, & modo docet esse factum. Verum aduertere oportebit, verbum simpliciter fieri non posse, quia omnia per ipsum simpliciter facta sunt. Fit autem aliquid simpliciter, quãdo transit ex non esse simpliciter, ad esse simpliciter, quod repugnat Dei verbo, quod est causa omnis entitatis rerum. At vero esse secundũ quid est esse vel secundum relationem, vel denominationem nouam. Et istud esse secundum quid, fit etiam secundum quid, vt Deus creando omnia se fecit omnium dominum, creatorem vt sit propitius peccatis nostris per pœnitentiam nostram. Verbum igitur diuinũ propter vnionem cum humana natura personalem, factus est homo. Siquidem per incarnationem, humana natura pẽdet à diuino verbo in suo esse subsistentiali, & terminat diuinum verbum hanc dependentiam, vnde factum est homo. Non tamen simpliciter factũ, quia esse hominem, accidit verbo, poterit enim si volet deponere, ex sua absoluta potentia humanitatem assumptã, at factus Deus est homo factione secundum quid, quia terminat dependentiam esse subsistentialis humanitatis assumptæ.

Verbum non potest fieri simpliciter.

¶Caietanus autem esse factum hominem credit simpliciter, & non secundum aliquam relationem, aut denominationem. Sed obsecro quomodo Deus factus simpliciter homo quod non erat, cum Deus semper præerat omni factioni? Scimus hanc esse verã simpliciter, Deus est homo. Verum non proinde conficitur, igitur factus est simpliciter homo. Quãdoquidem hæc denotat esse hominẽ esse prædicatũ, quod substantialiter prædicatur de Deo, quod falsum est. Neque, quia Petrus est simpliciter albus, ideo factus est simpliciter albus, vnde Pau. hoc expresit, quia factus est ei ex semine Dauid, secũdum carnem, non simpliciter factus, sed secundũ carnẽ.

Rom. 1.

¶Verum ait aliquis, quid ergo si Deus ex non homine factus est homo, igitur mutabilis est Deus. Negabis cõsequentiam. Nõ enim si ex non creatore, factus est creator, idcirco mutabilis est Deus. Etenim denominatur creator, non ex nouitate, quæ in ipso est, sed ex nouitate creaturæ, quæ

quæ extra ipsum est. Pari modo verbum extra omnem mutationē factum est quod non erat, quia factus est homo qui nō erat. Non ex nouitate aliqua, quæ sit in verbo, sed ex nouitate fuit in creatura. Quippe hæc fuit nouitas, quod humanitas illa fuit facta sine propria personalitate, at esse personale diuini verbi fuit illi cōmunicatum vt verè dixeris, hic homo demōstrato Christo, est Dei verbum, & Dei verbum est hic homo. At hic homo ratione personæ æternus erat ratione naturæ assumptæ temporalis. ¶ Rursum hic homo ratione personæ nullo modo factus, sed per ipsum facta sunt omnia, at ratione naturæ assumptæ factus ex Maria virgine. Quod insigniter explicat Paulus ad Rom. 1. Qui factus est inquit, ei ex semine Dauid secundum carnem, quasi apertius dixisset, non simpliciter dico filiū Dei factum: hoc enim fuit delirium Manichæi, sed factus est secūdum carnem, ideſt, secundum humanitatem assumptam. Et rursum, Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Quò filius Dei erat eò nō factus erat, quò vero ex muliere carnē accepit eò factus.

Nulla nouitas fuit in Deo verbo cum factū fuit caro, sed nouitas fuit in natura assumpta.

¶ Habes igitur catholicam expositionem huius loci: vnde fuge hæreticas eiusdem loci expositiones. Arrium indicat Augustinus lib. de hęresibus ad Quod vult Deū hæresi. 49. dogmatizantem verbum accepisse carnem inanimatam ex propria anima, sed ipsum verbum illam animasse. Et oportet meminisse, vt hæresim hanc intelligas Arrium dixisse, Christum non esse verbum insitum, sed verbum aliud secundarium. Hoc igitur docebat factum esse caro, & formam viuificantem carnem. Hæc hæresis ab ipso Ioanne facile conuincitur, quia, vt cō memorat, idem ipsum verbum per quod facta sunt omnia, ostendit esse caro factum.

¶ Rursum caro inanimis est caro mortua, quid ergo accepit carnem mortuā? Quod verò ait, verbum illam viuificare, igitur est forma carnis, quomodo ergo factum est caro? forma namque non fit materia quā informat. ¶ Apollinaris erratum hoc defugiens dixit sanè esse illam carnem, animatam anima sensitiua, at non intellectiua, verbum enim erat illi pro anima intellectiua. At vero si verbum est anima intellectiua illius carnis, homo cōpositus ex carne illa, & anima illa, non est homo eiusdē speciei nobiscum. Quippequi habet animam diuersam specie à nostris. Vnde conficitur hominem Christum, esse specie diuersum à nobis, reclamante Paulo, Factus est ei ex semine Dauid, & ad Hebræ. 1. Semen Abrahæ apprehēdit. & ad Philippen. 2. Paulus quando docet, in similitudinem hominum factus, non tollit veritatē nostræ humanę naturę, sed hoc voluit Paulus Christum esse similem puris hominibus, cum alioqui non sit purus homo, sed Deus & homo verus. Præter hos autē hæretici alij fuerunt, verū hominem, & eiusdem speciei nobiscum cōfitētes Christū, mixtionem tamē verbi cum carne assumpta docuerunt, vt fuerūt Dioscorus, & Eutiches, quos concilium Calcedonense sub Leone primo reprobauit, Deus enim immiscibilis est, cum creatura. Et si miscere tur Christus neque esset Deus, neque homo. Etenim ex mixtione resultat vnum tertium, quod est neutrum miscibilium, vt mixtio elementorū testatur in mixto.

Arrius Apollinaris. Dioscorus & Eutiches hæretici.

¶ Alij vero, vt Nestorius verbum esse in Christo tradens, vt spiritū sanctum in prophetis. Concedebat enim iste vnionē verbi cum Christo fuisse secūdum gratiæ celsitudinem, non secundum personalis esse vnitatem. Vnde fatebatur Christum esse purum hominem, sed tabernaculum esse diuini verbi. Quare negabat esse filiū Dei filium virginis. ¶ Hæc omnia deliramenta Ioānes propulsat suo mirabili verbo dicens, Verbum caro factum est. Etenim si verbum caro factum, igitur factus est homo, igitur si persona verbi est persona humana, vel est homo, non sunt verbum, & homo in Christo duæ personæ contra Nestorium. Si verbum caro factum est, igitur cum verbum sit immutabile, quia Deus est, non per sui mutationem, aut alterationem caro factum est, contra Dioscorum. Si verbum caro factum est, vel est factum caro humana, vel alia caro: non alia, igitur humana eiusdem speciei cum nostra. Igitur animata anima rationali, qualis nostra contra Arrium & Apollinarem. Hæc transcursim pertractamus, quia in. 3. senten. vberius sunt expositā, dist. 2.

Ioannes vnico verbo propulsat Nestorium, Dioscorum, & alios hoc genus hęreticos.

¶ Sunt porro quædam collationes ex sensilibus, quæ vtcūque emolliunt difficultatem intelligendi dominicam incarnationem. Altera est quam gesta exposuerunt cōcilij Ephesini. Vt enim conceptus, mentis,

Comparationes ex creaturis non sunt æquabiles diuino incarnationis sacramento.

tis, qui est verbum mentale nostrum vnitur voci, vel scripto, & fit vocale, vel fit visibile, manens idem, ita verbum Dei patris factum est homo, manens idem.

¶Rursum ex Athana. symbolo, vt anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo; vnus est Christus.

¶Veruntamen, probè docuit Leo papa in sermone de natali domini, vtranq; substantiam in vnam conuenisse personã, nisi fides credat sermo non explicat: ideoque cõparationes vniuersæ non possunt ad liquidum tanti arcani magnitudinem explicare, quæ omnia si ad plenum scire desideras scripta nostra ad. 3. sent. lege si iuuat.

¶Quod si quæ sieris, cur verbum caro factum est, & non pater & spiritus sanctus, missis multis scholasticorũ rationibus breuiter dixerim, cogruentissima dispositione à Deo esse gestum. Siquidem expediebat, vt quia per verbum fecerat Deus pater omnia, per verbum repararet omnia. Reparato enim homine collapso, reparabantur omnia. Nos enim sumus quodam modo huius visibilis mundi finis: ideò auerso homine à Deo cuncta quadam tenus ratione auersa sunt à Deo in homine. Quapropter reparato homine, & conuerso iam ad Deum, item & omnia suo modo conuertuntur ad Deum: quippe seruiendo homini reparato, per gratiam Dei, omnia in homine Deo seruiunt.

Congruentissimè disposuit Deus vt verbum caro fieret.

2. ratio.

¶Rursum expediebat, vt quia homo per carnem lapsus fuerat ideo per carnem restauraretur. Vt, sicut læsionem morbi ex carne acceperat, reparationem & medelã morbi in carne etiam inueniret: ideo verbum caro factum est.

3. ratio.

¶Porrò hæc reparatio, hæc que carnis assumptio verbo cõueniebat, siquidẽ verbũ est imago æterni patris, & homo creatus est ad imaginẽ & similitudinẽ Dei: at interuenięte culpa imago hęc deturpata est. Quãobrẽ verbum, quod imago erat Dei, hanc imaginẽ in pristinũ splendorem restaurare oportebat.

4. ratio.

¶Accedit eodem, quia homo verbo fuit inescatus à callido serpente, verbo fallaci Euam decipiente. Gen. 3. Quæ decepta, virum traxit ad culpã: quocirca verbũ Dei, quod est summa veritas caro factum est, vt verbi huius læsionem restauraret.

Verbum Dei iũctum carni humanæ erigit spẽ quod

¶Et demum scito maximè spem erexisse Ioannem fidelium dicens, Verbum caro factum est. Enim vero, si dignatus est verbum Dei, assumere carnem nostram, & se coniungere infirmo nostro, vtique propẽsius dignabitur etiam, se iungere mẽtibus nostris, illas illuminãdo per gratiam suã, modo, & tandem illas beatificabit. Nam si id quod minus videtur ineſſe, ineſt, & id quod magis. Non enim se fecit hominem, quia ex humanitate nostra sua quærebat cõmoda, cum sit omnipotens, & nullo egẽs, sed potius, vt accepta carne nostra efficacius, mala depelleret nostra: & sua bona nobis donaret affluẽtius. ¶Quod si instas, ecquid non accepta carne posset illa nobis conferre, quæ diximus? Fateor, verum congruentius fecit, accepta nostra carne, in qua se exhibuit doctorem vitæ gerẽdæ humanę: nãaperiens os suũ docuit nos, & exẽplum vitæ ducendæ immaculatæ sese prębuit: & tandẽ in sacrificium pro nostris se obtulit piaculis. Et equidem, si medici tẽporalis præsentia iucũdissima est infirmis, multò iucundior debet esse medici æterni præsentia secundũ carnem mortalibus omnibus laborãtibus morbo insanabili, nisi abhoc medico sanguine suo curetur. Quod verò Ioãnes modo ait, Verbũ caro factum est, Paulus idẽ aliter expresit, ad Phili. 2. dicens, Exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens. Non enim exinanire se Deũ, aliud est, quã quod caro factum est. Hoc, sanè exinanire, rectè dixit, quia dominus omnium ex deitate fecit, se seruum hominum ex humanitate ipso docẽte, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Matth. 20. Lucæ. 22.

iungentur nostri spiritus Deo.

1. Petri. 2.

Exinaniuit se Deus cur dicat Paulus.

¶Hunc tamẽ eundẽ locum tractans Chrysostomus homilia. 10. in Ioãnem, videtur omnes fideles obligare ad lectionem sanctarum scripturarum. Et in. 3. concione de Lazaro idem contendit, addens scripturam sacrã esse suapte natura clarissimam, etiam rudibus hominibus: ideoque omnes laicos, & nõ solum clericos, vel monachos obligat illius lectio. Sicut enim fabri tenentur habere instrumenta suæ artis, si velint ex arte viuere sua: ita & omnes, qui volunt pie in Christo viuere tenentur ad lectionem scripturarum, quæ sunt vitę parandæ instrumenta. Propter verba igitur Chrysostomi, nequis legens illum, adhũc locum cespitet in verbis eius, libet pauculà dere hac differere.

Chrysostomi verba dura.

¶Hæretici enim huius temporis multum sibi congratulãtur ex verbis Chrysostomi:

vnde tria docent. Primum est diuinæ scripturæ lectio omnibus tam doctis, quam indoctis est necessaria.

Errata tria hæretica.

¶Secundum est scripturã diuinam suapte natura esse lucidissimã, adeoq; intellectu facilẽ esse, vt à quouis rudi homunculo & idiotissimo sit intelligibilis, si absit externæ linguæ impedimentum. Tertium est vertendas esse diuinas literas in proprias & vernaculas cuique nationi linguas, vt amoto linguæ peregrinę obstaculo, in propria quilibet possit legere lingua diuinas scripturas. Id quod olim factitatum cum magna totius orbis christiani vtilitate esse ostendunt. Quia, vt plerique ecclesiastici scriptores testantur, Chrysostomus, nouũ testamentum, & Dauidicos psalmos in linguam Armenicã transtulit. Hieronymus vtrumque testamentum in linguam Dalmaticã: Vulphilas Gothorum episcopus omnia sacra Biblia in linguam edidit Gothicã. Et ætate Chrysostomi ecclesia Græca omnes libros sacros ecclesiasticos vulgari Græca lingua legebat, vt promptũ videtur, ex missa Chrysostomi, ex missa etiã Basilij. Et quidem ad suum fauorem non pauca sunt, quæ congregant.

Argumenta Bretij probãtia, scripturã omnibus fidelibus esse claram.

¶Primò sanè, quia psal. 18. Præceptũ domini lucidũ, illuminans oculos: quod autẽ lucidum est nihil habet tenebrarũ aut obscuritatis. ¶Secundò. psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis, igitur verba Dei sunt clara, & non egẽt interprete. ¶Tertiò. Matth. 5. Vos estis lux mundi, igitur si apostolica scripta sunt lux mundi, nihil habent obscuritatis. ¶Quartò. 2. Pet. 1. Sed habetis certiorem propheticũ sermonẽ, cui benefacitis attẽdentes, tanquam lucernæ lucenti in caligi noso loco: ergo prophetæ si sunt lucerna, non sunt obscuri.

¶Quintò, quia ex Paulo verbum Dei gladius est. ad Ephes. 6. Quo armari fideles, oportet ad repellendas infestas diaboli argutias. Cum ergo omnes fideles sint armandi hoc gladio, omnes tenentur discere verbum Dei. ¶Sextò. Esaię. 54. & Hieremi. 31. & Ioan. 6. Vniuersos filios tuos doctos à domino. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum, scribam eam. Et nõ docebit vir vltra proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce dominũ, Omnes etiã cognoscẽt me, a minimo vsque ad maximum.

¶Septimò ex Ioanne. 1. Ioan. 2. Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnib⁹. Hęc & alia hoc genus sunt, quæ Brentius cõgerit ad fauorẽ suæ perfidiæ qua didicit à suo magistro Luthero, vt est videre apud Osiũ lib. 3. de autoritate sacræ scripturæ. Vnde dixit quod capita & principia religionis christianæ, sunt in scripturis clarissima, & quæ non egent doctore. Sunt autem apud eum quatuor hæc principia, vel capita, vt ipse docet, videlicet, decalogus, oratio dominica, symbolum fidei, & sacramenta.

Quatuor principia religionis christianę secundum hæreticos.

¶Porrò autem Lucæ. 24. Legimus dominum aperuisse apostolis suis sensum scripturarum. Quod si dixerit, postquam dominus aperuit apostolis, & apostoli illas aperuerunt non esse necessariũ alium doctorem, saltem tum prophetici libri obscuri erant apostolis, & tunc sapiẽtiores apostoli quam vulgati fideles modo: ergo nõ omnia sunt lucidissima.

¶Secundo, quia Philippus aperuit sensum Esaiæ Eunucho, Acto. 8.

¶At respondent esse quidem claram scripturam, fidelibus, infidelibus vero obscuram. Quia si euangeliũ est opertum in ijs, qui pereunt est opertum. 2. Cor. 4. Vnde verbũ Petri docentis. 2. Petri. 1. quędã esse in Paulo difficilia intellectu glossant erga infideles esse difficilia, non apud fideles. At verò Augu. lib. 2. de doctr. Christi. c. 6. fidelibus cẽtet scripturã esse obscuram ob causas ab eo cõmemoratas, quas nos prosecuti sumus in præfationibus ad Esaiã. Hieronymus quoq; ad Ezechie. c. 45. Omnis prophetia in obscuritate cõtinet veritatẽ. Et Paulus episcopos vult esse doctores ecclesiæ. Si ergo scriptura capita religionis habet lucidissima, non necesse est episcopos esse doctores, quippe nihil principale restat docendum. Namque quod omnes sciunt temere docetur. Et isti hæretici illò tendũt, hoc dogmate, quo persuadeant nullam esse potestatem episcopalem.

Ad Ephe. 4. ad Titum. 1. 1. Timo. 3.

¶Ad hæc Dionysius lib. de cælesti. hierarchia. cap. 3. beatos angelos à beatioribꝰ eruditi testatur. Namque superior hierarchia inferiorem illuminat, perficit, & purgat. Si igitur beatissimi angeli Deo fruentes ab alijs beatioribus eruditiuntur, & docentur, cur isti inficiantur fideles viatores rudes, à sapiẽtioribus esse erudiẽdos? ¶Facit cũ istis Malachiã dixisse. cap. 2. sacerdotes esse

esse doctores populi. Absit, inquit, eius eorum requirent scientiã. Quo fit sacerdotalẽ esse functionẽ erudire laicos, vt Dionysi. lib. de cælest. Hierar. c. 12. Non ergo scriptura tam aperta est quam nõ egeat doctore. ¶ Rursum Moses ex diuino iussu quosdã creauit iudices, vt erudirẽt populũ de agendis, grauioribus causis sibi reseruatis. Si autẽ lex Dei esset notissima cunctis Hebræis, nõ erat necesse creare iudices, ad discernendũ causas subortas: vbi enim est claritas, iudicij examinatio non exigitur. Præter hæc discutiamus capita ab istis relata, & inquiramus an illa sint peruia cũctis fidelibus. ¶ Primũ caput est decalogi præcepta, vtiq; præceptũ de vno colẽdo Deo apertũ est, si generalis ratio illius solũ obseruetur: at vero si ad particularia descẽdamus nõ erit perspicuũ. Enim vero catholici docemus Deũ esse colendũ secũdum fidem catholicã, quam obseruat Romana ecclesia: at verò heretici inficiantur. Contendunt enim se esse veros cultores Dei secũdum hæresim suã. Videsne nõ esse perspicuũ modum diuini cultus, vt olim erat controuersus modus istius cultus diuini si Hierosolymis, an in mõte Garizim erat Deus colendus. Ioã. 4? Rursum iusiurandũ non esse temerariè celebrãdum perspicuũ est: at vero quando & quomodo sit iurandum nõ est perspicuum ex scripturis. Et quod dies Sabbati non sit colendus, sed Dominicus dies illi sit subrogatus non perspicuum ex scripturis. Imo Æthiopes, qui degunt sub Preste Ioãne vtrumq; diem colunt. Et quod nefas sit occidere clarum est ex scriptura, si tamen aliquando liceat occidere, & quomodo, vt qui se defendendo occidit alterum, non est euidens ex scriptura. Et quod parentes sint honorandi, item euidens est, an tamen semper, & in omnibus, & si non in omnibus in quibus sint honorandi, & in quibus fas sit illos nõ venerari non est planum ex scripturis. Quod non sit adulterandum patet ex scriptura, an tamen adulter sit qui ob grauissimas causas, scilicet, ob sterilitatem, aut ob alias relicta vxore aliam ducit & similiter, qui matrimoniũ non consummato, ob graues causas & interminabiles, relinquit acceptam vxorem, & aliam ducit nõ est planum si nefas est, ex scriptura. Et locus Matthæi. 19. vt sit intelligendus multæ sunt cõtrouersiæ autorum, etiam catholicorum, vt nos in. 4. senten. discussimus, igitur non sunt omnia plana ex scripturis. Et ne in omnia euagemur, præcepta decalogi secundum generalem rationem sunt euidentia, quia sunt præcepta iuris naturalis per se nota: at vero in particularibus factis redduntur sæpe valde obscura, quę nõ solum erunt difficilia rudibus hominibus, imo & perspicacioribus. ¶ In symbolo, quoque multa sunt obscura satis. Etenim incarnatio diuini verbi ad symbolum pertinet, verum quantæ sit obscuritatis locus iste Ioan. Verbũ caro factum est, quamq; controuersa sit eiusdẽ intelligẽtię inter catholicos, & hęreticos enarratio prima distẽtè docuit. ¶ Ad hæc remissio peccatorum pertinet ad symbolum fidei, at hæretici huius æui remissionẽ putant fieri sola nõ imputatione peccatorũ, catholici vero nõ solũ non imputatione, sed vera emũdatione peccatorũ. Non ergo symbolũ est omnino lucidũ, vt non pateat locus dubitationi hæreticorum. Oratio quoq; dñica, non est admodũ aperta: etenim variè interpretatur ab interpretibus catholicis. ¶ Sacramenta demũ, quomodo sunt clarissima exscriptura? Siquidẽ catholici cõfitentur septẽ esse sacramenta, hæreticorũ autem quidã vnũ solum baptismũ, alij duo, alij tria. Ad hæc iustificatio pertinet ad pœnitentiã: hęc autem valde obscura est, quia catholici aliter illã tradunt, quã hæretici Lutherani, credẽtes neminem iustificari, nisi credat certissimè se esse iustificatũ, id quod catholici inficiamur. Quid quod in sanctis scripturis sunt loca multa, quæ videntur inuicẽ collidẽtia, quorũ collisionẽ cõciliare, etiã doctissimis facessit negociũ: quî ergo plana suntomnia etiã idiotissimis? ¶ Rursum scriptura qua drifariã intelligitur & literaliter & anagogicè, & tropologice, & allegoricè. Et quidem hos enodare omnes sensus summi negocij est: quomodo ergo plana est? Quod si dixeris, sufficit literalis. Vtiq; secundũ hunc sensum, nõ nunquã est scriptura admodũ difficilis intellectu. Quãdoquidẽ si euangelij Ioãnis cap. 1. in mediũ proferimus, etiã si in lingua vulgari exponatur, difficillimũ se offert doctissimis: quid quod idiotis sit inintelligibile? Et quãtę sit obscuritatis sanctorũ explicationes varię, & aliorũ autorũ, nobis sunt locupletissimo testimonio. Neq; est diuersè, hoc nõ esse caput religionis, imò est caput vbi docetur

Deute. 16.

Præceptum colendi Deũ secundũ generalem rationẽ apertũ est.

Brentius refutatur.

Christi diuinitas & æqualitas cum patre, eiusdemque vera humanitas.

¶Et quid si de sacramẽto synaxeos sit sermo, quod item caput est religionis, idem dicemus, scripturã sacram de re hac obscuram esse: si quidẽ catholici verba illa, Hoc est corpus meũ secũdum identicũ sensum intelligimus. Oecolãpadius vero hæreticus, & alij solum secũdum significationẽ: igitur non est prorsus apertũ ex scriptura hoc sacramẽtum. Quamobrẽ Brentius cũ suo magistro Luthero longe absunt à veritate. Neq; illis suffragatur, quod aiunt, si scriptura alicubi est obscura, alibi patescit. Sed vbi obsecro claresçit Ioannis euangelium, In principio erat verbum? Vbi caresçit, quod vos asseritis iustificationem fidei soli tribuẽdam? Vbi liquẽt verba domini, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meã, solum intelligenda de Petro, quod vos affirmatis? Et idẽ de alijs innumeris. Imo si sunt loca qui ex superficie vobis vidẽtur suffragari sunt alia quæ refragantur, vnde emergit obscuritas.

Respon ad argu. Brentij.

Argumento autem primo Brentij dicito, Præcepta decalogi esse lucida secundũ generalem rationẽ, at vero circa particularia facta indigent doctrina. ¶Secundo dices verba prophetica, prophetis fuisse lucida, vt apostolica apostolis: at vero nõ inde sequitur si illis erant manifesta, quia à Deo illustrati, quod cõtinuo omnibus fidelibus sunt perspicua. ¶Tertiò dices apostolos prædicatione sua & miraculis tenebras infidelitatis expulisse: at vero non subinde sequitur, quod scripta ipsorũ habeant euidentiã. Siquidẽ doctores clarius agunt verbo, quam scripto. Quid quod Paulus scribebat illis, cum quibus ipse consuetudinẽ aliquando egerat, & de rebus ijs, quibus scribebat notis, vt epistola ad Corinthios nobis est testimonio: & aliæ epistolæ: & ideo non erat necesse illis omnia explicare ad longum. ¶Et Romanos etiam ipse Paulus verbo docuit: quo circa ipse fuit illis propriẽ epistolæ interpres.

¶Quarto dices prophetias esse quidem lucernas & lucentes in caliginoso loco: quia sunt obtectæ multo typorum velamine, quo subtracto lucent micantissimè. At verò hos typos enodare doctorum est, nõ indoctorum. Et quidem ex eo lex vetus figura dicitur à Paulo. 1. Corinthio. 10. Et vmbra ad Hebræos, Vmbram, inquit, habens lex futurorũ bonorũ, quia sub sacris velaminibus, vt Dionysius de diui. nomi. c. 1. ait. Radius diuinẽ lucis in illis lucebat.

Radius diuinæ lucis sub sacris velaminibus lucet.

¶Quintò dices, verbum Dei esse gladiũ, quo gladio armãdi sunt fideles omnes. Verum iste gladius nõ est lectio sola scripturæ: non enim scriptura, quia legitur, sed quia viuaciter creditur fideles armat. Qua propter fideles idiotæ hoc gladio armãtur si etia si nesciant legere scripturas, credunt firmiter illas esse veraces, & illas credunt, secundũ sensum, quẽ probat sancta Dei ecclesia, & non secundũ hęreticum sensum. Et quamuis nesciãt legere, vel intelligere scripturas, habẽt ad manum articulos fidei quos credunt, & præcepta decalogi norũt, atque sacramenta ecclesiæ venerantur. Et ideo summatim habẽt quidquid docet scriptura: & si secundum fidem hanc operantur sufficienter sunt armati contra diaboli cos incursus. Quod si vera narrarent hæretici, omnes fideles tenerentur scire legere, & emere sacra Biblia: at multi sunt qui nesciũt legere, imo neque eo ingenio prẽditi sunt, vt possint discere legere, & istos volunt esse interpretes sacræ scripturæ, hęretici: pulchri equidẽ interpretes, & hæreticis digni.

Laici nõ obligantur ad lectionẽ sacræ scripturę, sed solũ sacerdotes quib⁹ hoc docendi iniũgitur onus.

¶Sextò dices fideles omnes esse pro sua ratione doctos à Deo, non immediate, sed mediate, si quidẽ doctores docent fideles ex diuinis scripturis, & diuinę scripturæ sunt à Deo edoctæ. Quod vero Hiere. inquit, est verũ, si quidẽ à fidelibus expulsa est omnis idololatria, & nullus est fideliũ qui quo ad hoc egeat doctore. Omnes enim sciunt vnũ Deũ verũ esse, & idola esse nihil, & ideo ait. Nõ docebit vir fratrem suũ dicens, cognosce dnm. Quod vero inquit, Dabo legẽ meam, ideo ait, quia diffusa est charitas Dei in cordibus fideliũ per spiritum sanctũ, &c. Nõ enim ex timore Deũ colunt, sed ex amore charitatis, si veri fideles sunt. ¶Septimò respondebis Ioanẽ voluisse per verba cõmemorata ecclesiã Dei nõ indigere ad discendũ diuina philosophorũ doctrinis. Quia est sibi ipsa sufficiẽs ad cognoscẽda omnia diuina necessaria ad salutẽ per magisteriũ spiritus sancti docẽtis illã per sacras scripturas: & hãc vocãt vnctionẽ, hoc cæleste magisterium. Spiritus enim sanctus in cõcilijs œcumenicis dirigit ecclesiã ne erret in credẽdis, & agẽdis necessarijs ad salutẽ. Nõ autẽ Ioanes intẽdit dicere in idiotis esse hãc vnctionẽ ad do-

Laici non habẽt vnctionẽ spiritus sancti ad intelligendas & docendas diuinas scripturas.

docendum aliòs, vel docendos se, quia egent magistris docentibus illos, & dirigẽtibus. ¶ Vnde Antiocheni orta quæstione de obseruãtia legalium causam auocãt ad apostolos. At apostoli congregato concilio, & celebrata discussione super quæstione ad eos delata decreuerunt non esse seruãda, exceptis quibusdam Acto. 15. Si autem omnes fideles sunt docti à Deo immediate, & si scriptura clara est, cur Antiocheni fideles definire dubiũ nescierunt? Cur apostoli nisi coacta synodo, & habita discussione non responderunt?

¶ Ad id vero, quod ex Chrysostomo proferebatur, dices lectionem sacram nõ esse instrumentũ necessariũ ad salutem. Quippe satis est, quod laici articulos sciãt fidei, & decalogi præcepta, & orationem dominicam, &c. quæ ludimagistri suos paruulos docent, quod vocatur vulgo *Doctrina christiana*. ¶ Et rursum ad scienda subtiliora fidei, & diuinæ legis, pro concionibus declamatur sermo Dei in diebus festiuis in ecclesijs cathedralibus, & monasterijs lingua vernacula, quod euãgelia, prophetæ, & epistolæ apostolicæ docent.

Laici nõ tenẽtur ad lectionem sanctarum scripturarum.

¶ Et sunt vulgati eadem lingua libri pij, qui multa salutaria continent extracta ex sacris literis. Vnde nihil necesse est laicos obligare ad legẽdas sacras scripturas in lingua vernacula. Et experimento comprobatum est, hanc lectionem plus obfuisse, quibus obfuit, quam profuisse, quibus profuit. Vidi Hispana lingua biblia sacra omnia traducta: at inde multi ad superstitiones Iudaicas apud nos sunt prolapsi: alij vero ad hæreses, & errores detestandos. Quare nõ temere sancitũ est in Hispania, vt hæc lingua vernacula non edantur.

Hæresis est asserere missam tãtum in lingua vulgari esse celebrandam,

¶ Quãobrem in Concilio Tridẽ. sessi. 22. canone. 9. dãnatur tanquã hæresis assertio asserẽs tantũ in linguavulgata missam esse celebrãdam. Et in. c. 8. docet vnãquanque ecclesiã in hac re seruaturã suum morem. Etenim si apud Æthiopes sub Præste Ioã. Lingua vulgari celebrãtur sacra, aut apud Græcos, hoc non reprobat conciliũ, sed solum asserere tantũ in vulgata esse missam celebandã, vt omnes intelligant. Quia, vt intelligant fideles satis est si sacerdos in festis illa enodet, quæ latina lingua sunt celebrata mysteria. Latina igitur ecclesia suũ tenetur seruare modũ diuina celebrãdi. Ex his etiã liquet nisi periculũ immineret erroris nõ esse per se malũ Biblia sacra laicos lingua vulgari legere. Hæresis autem esset asserere hoc esse obligatorium, vt hæretici neotherici pertinaciter contẽdũt. Quapropter si ætate Chrysosto. vel Hiero. &c. fuerunt trãslata sacra Biblia in vulgarẽ linguã cum magno fructu fideliũ, licuit illa legere id tẽporis. At vero quia nihil in eodẽ statu perseuerat, & cum tẽporis incremento iniquitas abundat hominũ, modo cum idẽ non speretur fructus, imo timeatur pernicies fideliũ, saltem apud Hispanos, prohibita est laicis lectio sacrorũ bibliorũ in lingua Hispana propter rationẽ cõmemoratam. Chrysostomus verò, qui acriter videtur obiurgare hanc prohibitionem audiendus suo tempore, quando talis translatio erat ad profectum fidelium.

Ætate Chrysostomi editio sacrorum bibliorum in vulgari lingua vtilis fuit

¶ Porrò autem, quia longiusculè digressi sumus, opportune iam admonemur, vt digressioni finem imponamus, & ad id, vnde digressi sumus pedẽ referamus. Sequitur in euangelio Ioan. *Et habitauit in nobis.* Et quidem non sibi constant siue consentiunt expositores. Etenim Chrysosto. & Theophi. verba hæc significare docẽt diuersitatem naturarum in Christo. Etenim litera Græca habet εσκηνωσεν. hoc est, habitaculũ, siue domicilium fecit in nobis vt denotaret Ioãnes verbi naturã, diuersam esse ab humanitate assumpta. Etenim habitãs tabernaculũ diuersę est naturæ ab ipso tabernaculo. Quod si obijcis, & etiã diuersi est suppositi, respõdetur vnitatẽ suppositi præmonuisse Ioãnem in verbis prę fatis, & verbũ caro factum est. Alij vero, vt Erasmus Roterod. Habitauit in nobis exposuit, habitauit apud nos, vel inter nos. Quod perinde est ac si dixisset nobiscũ est conuersatus, & cõmoratus. Itaque iuxta priorem expositionẽ, in nobis dicitur habitasse, verbũ caro factum, quia in natura humana specie similis nostræ verbũ erat per vnionem hypostaticã. Iuxta hãc vero nihil docet Ioãnes de hypostatica vnione, sed solum quod verbum caro factum, egit inter homines, illos docendo, & illis conuescendo, & commorando. Vnde in hoc capitulo quærunt à domino duo discipuli Ioãnis, Magister vbi habitas. Et dominus ait illis, Venite & videte. Idẽq; Baruc. 3. declaratur, Post hæc in terris visus est, &c. Et Zach. 2. Lauda, & lętare Siõ, quia ecce ego venio, & inhabitabo in medio tui. Quare

Identitas suppositi in Christo & diuersitas naturarũ in eodẽ probatur ex Ioãne.

ego probatam habeo hanc expositionem. Nam quod Caiet. refert ad habitationem spiritualem, qua verbum caro habitat in mentibus nostris, non probauerim admodum. Non enim ait, habitat, sed habitauit, quasi iam desierit domicilium & habitaculum inter homines habere. Verùm ab habitandis mentibus spiritualiter, non desistit: quia iustorum animos ipse inhabitat Christus, cũ patre, & spiritu sancto. Ad eum, Ioann. 14. inquit, veniemus & mansionem apũd eum faciemus. At ab habitatione temporali destitit Christus, post quã ascendit ad dexterã Dei patris Ioã. 16 Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Quippe tandiu habitauit inter homines, quandiu opus sibi nostræ redemptionis à patre concreditum absoluit & cõsummauit, quo consummato (vt ipse inquit, Ioan. 17. Opus consummauí quòd dedisti mihi) nostrum deseruit domiciliũ, & ad æthera se transtulit, vbi est in dextera Dei patris sedens.

ENARRATIO XXXII.
in caput primum.

¶ Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.

IN Domino Iesu potestas diuini verbi, & nostræ carnis infirmitas in vnam conuenere personam, hic autem conuentus, siue adunatio hæc, diuinæ potestatis cum nostra infirmitate sic profuit infirmitati nostræ leuandæ, vt non noceret diuinæ potestati obscurandæ. Obscuraretur autem, si sub infirmitate carnis, Dei verbum non demonstraret potẽtiam, & maiestatẽ suam, Quam obrem si carnis Christi mysteria omnia percurrimus, illa sociata fuisse diuini verbi potestate cernemus. Si enim natalia consideras infirma illa videbis, quia nascitur ex muliere paupercula, & in stabulo iumentorum, at expende vt sub infirmitate suæ carnis Dei verbum latentem maiestatem demostrat. Nam angeli sub natalibus istis in cælo canunt, Gloria in excelsis Deo, & natum infantem Christum Dei, & dominum vniuersorum esse prædicãt. Rursus iacentem verbi Dei in præsepio, & pannis inuolutam infantiam, stella diuinitus condita Chaldæos, & Persas de lõge deducit adoraturos. Præsentatur infans verbum in templo Dei, ab inope matre, pullos columbinos offerente, quia digniora non habebat offerenda, & hanc item infirmitatem illustrat diuina verbi quæ latebat gloria, siquidem Simeõ puerum prædicat salutare esse gẽtium, & lumen omnium populorũ, & Israeliticæ gentis gloriã. Cui & Anna mulier sanctissima attestatur. Baptizatur adultus iam à Ioanne, id quod infirmitatis erat symbolũ, cum pronuscua plebe baptizari, quasi peccator. Cæterũ vox patris de cælo tonat, & verbi sui maiestas clarescit ex verbo illo magnificentissimo tum prolato. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Quasi apertius dixisset, Hic qui quasi esset peccator, cum peccatoribus venit baptizandus, non venit baptizandus, quia peccata ferat mundanda, sed, vt baptismo conferat vim peccatã vniuersorum hominum detergendi, quod spiritus sanctus baptismo assistẽs testabatur. ¶ A baptismo prædicat cælestem doctrinã sicut homo: nam aperiens os suũ docebat homines. At vero cũ potestate & imperio prædicat, dicẽs, Non hæc dicit dominus, sed ego dico vobis. Et sicut Deus miraculis coruscat. Mari enim & vẽtis imperat, & illi parent. Matt. 8. Dæmonibus imperat & illi resistere nequeũt, sed cedũt illius imperio. Lucæ. 13. Matth. 7. Cæcos illuminat. Ioã. 9. Mortuos suscitat. Ioã. 11. vt qui audiebant tanquam homine prædicantem exterius, crederẽt interius esse verũ Deum. ¶ Præter hæc in cruce moritur, petræ scinduntur, mũdus tenebris inuoluitur, velum templi rũpitur mortuorũ monumenta reserantur, vt ita mortis infirmitatem ostendens, ex cruce suam potentiã simul ex vniuersi repentina immutatione demonstraret in cruce, vt ita demum orbis iudicaret, cruce appensum, & in cruce mortuum orbis esse dominum. Sepelitur cum mortuis, & mortẽ superat, quia triũphator mortis ex sepulchro surgit. Denique ascẽdit in cælum, & suæ potestatis gloriã apostolis suis, & discipulis omnibus demonstrat. Propria enim virtute, qui deuicerat mortem, eadem virtute victor ascendit in cælũ. Nam videntibus discipulis est eleuatus à semetipso in cælũ. Videsne vt infirmitas carnis ob nos susceptа, nõ potuit obscurare potentiã diuini verbi imo sub tãta infir-

Lucæ. 1.

Matth. 9. Lucæ. 8. Mar. 1. Lucæ. 7. Matth. 17.

Dei verbum sub infirmitate nostræ carnis maiestatẽ suæ potentiæ demõstrauit.

Diuini verbi potentia, sub infirmitate carnis assumptæ maxime claruit.

firmitate verbi potestas clarius innotuit. Siquidem simul atque patiebatur nostrã infirmitatem demonstrabat potentiam suam. Et equidẽ nullus prophetarum, aut patriarcharum, tam glorioſus apparuit in mũdo, vt Christus sub carnis nostræ infirmitate apparuit. Nullus enim prophetarũ se excitauit à mortuis, etiã si Elias, & Eliseus mortuos excitarẽt. Nullus tamen prophetarum ascendit in cælum, vt dominus ascendit: etiam si Eliam legamus raptum fuisse per turbinem in cælum. 4. Reg. 1. Siquidem tum Elias non penetrauit cælos, vt Christus penetrauit: sed quia ad sublimes partes aeris fuit sublatus, ideo raptum scriptura cõmemorat fuisse in cælũ. Qua propter Elias, & Moses hoc verbum caro factum veneraturi, vt dominum prophetarũ veniunt in montem Thabor, vbi videruntgloriã eius, & vocem patris ad eum delatam, & diuinæ glorię Christi testes facti & illã spectantes, simul loquũtur de morte dñi. Quia verbi potentiã copulatã esse carnis nostræ imbecillitati credebant, spectantes Christi gloriã, & ad tam admirabile spectaculũ cõuenientes, carnis dominicæ futurã passionẽ memorari non formidant. Hoc est ergo quod Ioã. ait, vidimus gloriã ei⁹. Viderũt pastores, viderũt Magi, vidit Simeõ, vidit Anna, vidit Baptista, viderunt Pharisæi & Scribæ, viderũt Apostoli dñi, viderũt discipuli dñi. Et ideo in plurali loquitur, Vidimus gloriam eius. Quod si de glorioſa transfiguratione esset sermo, solũ Ioãnes cum Petro & Iacobo viderunt gloriam domini, cum Mose, & Elia. Cæterũ non solum de illa gloria, locus hic est audiendus: sed de omnibus glorioſe factis Christi. Græca litera significantius habet ἐθεασάμεθα. Quod quidem nõ est simpliciter videre, sed videre cum admiratione & stupore: id quod accidit cũ magna quędam & incõsueta veluti attoniti videmus. Qui ergo Christi magnificentissima gesta non videbant cum admiratione, sed cum fastidio, & liuore isti non viderunt gloriã domini: quia vidẽtes illam carnalibus oculis detrahebãt illa venenatis linguis. Quo circa hæc verba, Vidimus gloriam eius, nõ ad omnes videntes sunt referenda, sed ad videntes, & reuerentes, ad videntes & admirantes, ad vidẽtes denique exterius, & credentes interius: quales fuerunt apostoli & discipuli domini, cæterique pij homines erga Christũ, qui tum erant. Nam Pharisæi & Scribæ videntes, non videbant, & audientes Christi sermonẽ non intelligebant. Esa. 6. Ioan. 12. Quia excæcarat illos malitia ipsorũ. Quo circa de vtraque visione, & oculorum carnis, & oculorũ mentis, hæc verba sunt audiẽda. Quanquã autem Christi diuinitas inuisibilis erat, quia Deũ nemo vidit vnquã, quandiu apud mortales agitur, cæterum Christi maiestas, & altitudo ex operibus supernaturalibus, quæ operabatur demonstrabatur. Quæ voluit oculis obijcere mortalium, vt ex ijs, quæ videbant, quæ non videbant colligerent. Vnde ait dominus, Si mihi non creditis, operibus credite. Ioan. 10. Hæc autem est humani ingenij conditio, vt ea, quæ nõ videt per ea quæ videt assequatur. Neq; alia est philosophorum methodus, quam ex effectibus visibilibus, causas inuestigare inuisibiles. Hac quoque methodo vsus est Deus primũ quando legem dedit. Exo. 16 & 24. Mosi in vertice montis Sinai. Audiebat enim populus clangorẽ & strepitũ tubarum, montisque caliginem, & fumũ: verbaque Dei loquentis cum Mose Christus quoque, qui diuinitatẽ suam sub carne latitantem curabat hominibus demonstrare, visibilibus signis illam ostendit. Hæc autem signa, erant opera superantia naturæ vires omnes. Et hæc signa vocat Ioã. gloriam verbi incarnati, quã ipse cum alijs testatur se vidisse. Quia ergo dixerat, Verbum caro factũ est, vt discas quod habitatio hæc apud homines diuini verbi nõ fuit occulta, sed maximè manifesta his, qui videndo Christi magnalia non opposuerunt cordis obstinationẽ. Scito autem gloriã, in diuinis oraculis vsurpari multifariã. Iam enim significat, maiestatem & celsitudinem status, vt Gene. 45. Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam. Et Prouerbio. 25. Scrutator maiestatis opprimetur à gloria, id est, ab ipsa maiestate, quam temere scrutatur. Iam vero pro honore, cui opponitur ignobilitas, vt Paulus. 2. Cor. 6 Per gloriam, & ignobilitatem. Quia apostoli à fidelibus honorabantur, ab infidelibus vituperabantur. Iam vero pro claritate. 2. Corinthio. 3. Si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, &c. Exodi enim 34. Facies Moysi splendore nimio splendens

Matth. 17.

Videre gloriam Christi non est illã videre oculis, sed videndo credere.

Deus prouidit humano ingenio vt iuxta conditionẽ, natiuam suam ad inuisibilia fidei per visibilia erigatur.

Nomen gloriæ multifariã vsurpatur in sacris literis.

dens prohibebat Iudæorum aspectum ne in illam figeretur. Et ideo ingentem illam claritatem gloriam vocat Paulus. Gloria item pro beatitudine cælesti sanctorũ accipitur. Oportebat Christũ pati, & ita intrare in gloriam suam. Lucæ.24. Enim vero sanctis in cælo est summa sui status celsitudo, summus honor, summaque claritas, ideo rectissimè beatitudo illa sanctorum, quæ illos prorsus quietat in Deo, gloria in primis dicenda venit. In præsentia verò per gloriam Ioannes, non beatitudinem animæ Christi intellexit: hæc namque beatitudo soli animæ Christi erat conspecta. At vero Christi maiestatem, & celsitudinem diuinosque honores, & claritatem, quam habuit ex omnibus factis & verbis suis, vocat Christi gloriam: quam ipse cum reliquis spectatam habuit.

¶ Quæret tamen aliquis forsan, cur de verbis Christi nihil meminit? Solũ enim ait, Vidimus, & non audiuimus. At vero etiã fuit domino ex verbis ingens gloria. Quia dixit Petrus, Quò ibimus domine, quia verba vitæ habes? Et in Psal.44. Propter verba dominii, dicitur, Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Et Matth.7. Admirabantur omnes super sermonibus gratiæ, qui procedebant ab ore eius: vt nõ immerito dixerint illi, Nunquam sic locutus est homo Ioã.7. Veruntamen scito visum propter suam excellentiã cæterorũ sensuum functiones cõprehendere: quæ enim audimus, aut tangimus dicimur videre. Quo circa dicens Ioã. Vidimus gloriam eius, omnia cõprehẽdit glorioſa facta, & verba Christi. Sibi quoq; Ioãnes cõcinit.1. Catho. c.1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, &c. vbi non solum dixit, Vidimus, sed, audiuimus.

Christus glorioſus ex operibus & verbis.

ENARRATIO XXXIII.

in caput primum.

¶ *Gloriam quasi vnigeniti à patre.*

IN Tibi quam gloriam vidit cum reliquis Ioannes, non vulgarem gloriam, quæ est seruorum Dei gloria, sed gloriã vnigeniti filij Dei. Vnde Paulus hãc singularitatẽ gloriæ Christi super omnes sanctos Dei seruos, docet ad Heb.3. dicẽs: Amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quãto ampliorẽ honorẽ habet domo, vel domus, qui fabricauit illam. Vbi vides gloriã expoſuiſſe Paulum per honorẽ: & probat ampliorem gloriam habuiſſe Christum, quã Moyses, quia Moyses, est domesticus Dei, at Christus, est autor domesticorũ Dei. Celsiorẽq; esse gloriam Christi quã angelorum testatus fuerat iam Paul. ad Heb.1. & 2. Meminit autẽ Moysi, quia iste gloriosior erat apud Hebræos, quam prophetæ cæteri omnes. ¶ Obseruabis Ioannẽ modo meminisse Patris atque filij, quę nomina hactenus suppresserat. Etenim solũ meminerat Dei, lucis, verbi, vitæ, principij, &c. Sub quibus nominibus, patrẽ & filiũ significabat: at vero nõ clare expresserat nomina hęc personalia, vt modo exprimit. Quod si causam à me forsan rogitas, dixerim tibi causã esse, quia prius voluit Ioãnes fideles ex sui euãgelij exordio, certos facere, Deum habere verbũ apud se, quod generat spiritualiter. At post quam nos instruxit in hac fide spiritualis generationis, iam nihil formidat patrẽ, & filium nominare: quippe iam nulla restat timoris suspicio concipiendi per patrẽ carnaliter generantẽ, & per filium carnaliter genitũ. ¶ Valla in annotationibus ad locum istũ ait, dictionẽ, Quasi, significare similitudinem, & non veritatẽ, ideoque aptius vertendũ fuisse velut, vel tãquam, vel, vt, vnigeniti á patre. Nã si dixeris iste ambulat quasi rex, similitudinem regiam dictio ostendit: sed ambulat vt rex, velut rex, vel tanquam rex, veritatem. Erasmus ait, Græcis vtrumque significare docet, & assimilationem, & veritatem. Quam dictionem Græcam noster interpres vertit, per quasi, & Theophilacti interpres per velut, & Erasmus eodem modo vertit in sua versione. Caietanus verò qui nũ quãnõ sequitur diuersam editionẽ à vulgata in loco isto vulgatã probat, & legit, quasi, quia exponit esse similitudinis notam. Sẽsus enim est, Vidimus gloriã eius quasi gloriã vnigeniti à patre. Nõ enim cõstruit dictionẽ, quasi, cũ vnigenito, sed cũ gloria vt sit sensus, vidimus gloriã eius similẽ vel repręsentantẽ gloriam vnigeniti à patre. Vnde nõ cõficitur, quod Christus sit similis vnigenito, sed quod gloria, quam vidit Ioannes erat gloria similis gloriæ vnigeniti. ¶ At verò violenta videtur hæc decla-

Maiorẽ gloriam ostendit Christus cum hominibus agens quam omnes prophetæ ostenderunt.

Cur Ioannes meminit patris & filij quos sub nominibus istis non expresserat prius.

claratio, nam Ioannes non dicit, Vidimus gloriam, quasi gloriam vnigeniti, sed quasi vnigeniti à patre, hoc est, eam gloriã vidimus, quæ vera gloria erat, quæ decebat vnigenitum procedẽtem à patre. In quam declarationem vulgati omnes interpretes consentiunt. Quod si hanc expositionem forsitan fugis, quia, quasi, est nota similitudis, scito non esse semper notam similitudinis, sed aliquando exprimit veritatem. Est tibi locus in Nehemia cap. 7. vbi de Anania traditur. Ipse enim quasi vir verax, & præcæteris timẽs Deũ videbatur. Nõ enim sensus est, quod videbatur similis veraci, & timenti Deum, sed quod videbatur verax, & timens Deum. Quid quod etiam si dicatur, velut, poterit significare assimilationẽ. Vnde Theophilactus explicans locum inquit, velut, non assimilationem, sed conformationẽ, & determinationem hoc loco denotare apud Ioannem. Idem dices de aduerbio tanquam, quod sanè nonnunquam idem significat, quod aduerbium, quasi. Vnde Plini. natur. histor. lib. 2. Tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ non irascatur, hoc est, quasi nesciamus. Aduerbium vero, quasi, nonnunquam Latinis est idẽ quod ferè, & hæc acceptio huic negotio est impertinens, quia tum non significat veritatem, sed quod est illi affine, vel proximum. Annotant Laurentius, & Erasmus, vnigenitum hoc loco esse nomen, & non participium, & perinde esse ac si dixeris, vnici filij, vt sensus sit, Vidimus gloriam eius, gloriam dignam vnici filij Dei, & sibi connaturalis. Græca enim lectio non habet participium, sed nomen μονογενοῦς, quod Latinè dicitur vnici. Talem igitur demonstrauit hominibus gloriam verbum caro factum, qualẽ oportebat Dei filium naturalem carne vestitũ hominibus demonstrare: putarent carnis vilitatem diuini verbi maiestatem, vel obscurare potuisse, vel imminuere.

*Aduerbium tanquam nõnunquam similitudinem denotat contra Laurẽtiũ.

ENARRATIO XXXIIII. in caput primum.

¶ *Plenum gratiæ, & veritatis.*

DIfficilis constructionis locus. Præcipuaq; difficultas eius est, de constructione: cum quo sit construẽdum hoc adiectiuum plenum. Siquidem si dixeris cum verbo, de quo dixerat, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, obstat Græca lectio, quæ habet πλήρης, in masculino genere, & in recto. Plenus, autem non adiectiuatur cum verbo neutri generis. Quòd si dixeris, istud accidere, quia vulgatus interpres vertit λογος, per verbum, nam si vertisset sermo, concinnè aptabatur, sermo & plenus, & erat sensus, sermo caro factus, plenus gratiæ, & veritatis. At verò huic contextui & constructioni obstat, quia si hac ratione contexere literã amas, totum hoc vidimus gloriam eius gloriã, quasi vnigeni à patre oportet per parenthesim intercipere. At verò quo pacto permittẽda est parẽthesis, vbi est copulatiua cõiunctio, &. Nã, &, copulat sententiã sententiæ: & vbi est copulatio sententiarum parenthesis non adest, quæ potius est interceptio sententiarum. At verò per parenthesim si dixeris legi in vulgatis codicibus, contra hanc parenthesim agit argumentum præfatum. Quòd si dixeris legendum in accusatiuo, vt construatur cũ verbo, vidimus, vtique lectio Græca non fert accusandi casum, quia Plenus, in nominatiuo legit, vt diximus paulò ante. Theophilactus verò non legit, vt nos legimus, Plenum, sed pleni gratiæ & veritatis: & si hoc probãdum esset, soluta esset prorsus omnis hæc quæstio. Quippe lectio est cõcinna, vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, pleni gratiæ, & veritatis. Et hac ratione nulla est parenthesis. Verum lectio Græca illi repugnat, quæ non legit pleni, sed plenus. Erasmus expendendum relinquit, si plenus sit construendum cum sequentibus, & non cum præcedentibus. Ad hunc modum, Plenus gratiæ, & veritatis, Ioannes testificatur, &c. itaque plenitudo hæc de Ioanne tradatur Baptista. Caietanus in commentario librata loci difficultate, & quod non concinnè, seu suauiter, imò duriuscula constructio sit huius vocis, plenus, cum præcedentibus, quia non admittit parẽthesim idem sapit, quod Erasmus. Nisi quod Erasmus non fuit ausus lectionem hanc decernere, sed decernendam lectori reliquit. Caietanus autem decernit hanc esse Germanam lectionem. Neque hos terret argumentum, quod Ioannes tradatur, Plenus gratia, & veritate, id-p

Christi est. Siquidem de Ioanne eodem scriptura Lucæ. 2. commemorat, plenum fuisse Spiritu sancto, ex vtero matris suæ, & de Stephano, Actor. 7. Et beatam Virginē plenam esse gratia, Lucas indicat. 2.

¶ Euangelista igitur quia dicturus erat Ioannem testificantem esse Christum, vt ex excellentia testis, probatissimum redderet testimonium præmisit testem hunc esse plenum gratiæ, & veritatis, vt inde testimonij veritas sit vndecunq; probatissima. At qui hæc ratiuncula, quæ Caietanum mouit, non tantopere suadet: siquidem satis expresserat Euāgelista supra dignitatem huius testis, vt eius testimonio esset maximè stādum dicens, Fuit homo missus à Deo cui nomen, &c. Nam quem misit Deus vt testaretur veritatem, dubio procul est testis veritatis. Deus enim neminem mittit ad decipiendum, cum ipse sit summa veritas. Mihi tamen magis probatur si de Christo audiamus, quod Ioannes dicit, Plenum gratiæ, & veritatis: quamuis, quæ epitheta de Christo illustria dicuntur, ad suos sanctos etiam transferuntur. Ipse enim lux vocatur in scriptura, pastor, princeps, magister, &c. quæ de sanctis Apostolis prædicata sæpè videmus. Et Paulus de semetipso inquit, doctor gentium in fide, & veritate. 1. Timo. 2. Vnde nō abnuo hæc, quę Euangelista commemorat, plenus gratiæ, & veritatis, Baptistæ posse congruere. Quia quāuis omnis homo mendax sit docente Psalmo, cæterum istud est si hominis naturā sibi dimissam cōsideres. At vero, vt à Deo est veritate instructa, non est mēdax, sed verax, ideoq; nihil est quod offendaris, si audis Ioannem Baptistam esse plenum gratiæ, & veritatis. Siquidem hęc plenitudo non erat ex humana fragilitate descendens, sed ex diuina potestate illū implēte gratia, & veritate. Cæterum non cogit nos Euangelista ad hanc intelligentiam, imò illam videtur dissuadere propter verba sequentia. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christū. Christus ergo plenus gratia & veritate. Gratia quidē plenus: quia si de hypostatica vnione loquamur solus ipse hac gratia fuit potitus: at in rebus per tempus ortis, nulla maior gratia, quam quod Deus fieret homo, & homo Deus. Si verò sermo habeatur de gratia habituali, summā obtinet gratiam. Eodem accedat quod gratia Christi, est gratia capitis, & gratia sanctorum est gratia membrorum. Vnde sancti traduntur pleni gratia, quantum enim illis erat conueniens gratiæ, tantum illis est donatum. Cæterum hæc gratia erat membrorum solū illis proficiens. Quippe nullus sanctorum poterit alteri suam communicare gratiam, neque illam alteri de condigno promereri, ideò gratia ipsorum in ipsis manet concluſa, & ad alios non diffunditur.

¶ At verò Christus, quia caput est fideliū, ideò ad illos deriuat suam gratiam, vt fons aquam riuat in promanantes ab eo riuulos. Enimuerò Christus vt Deus est, gratiam efficit in suis fidelibus, vt autem homo est illam promeruit membris suis de condigno. Propter igitur hāc causam plenus gratiæ commemoratur, & hanc plenitudinem gratiæ sancti non possunt obtinere. Veritatis verò traditur plenus, quia ipse est veritas ipsa. Ego, inquit, via sum veritas, & vita. Vtique via, quia per doctrinam Euangelicam Christi, per mortē eius, Resurrectionem, & Ascensionem, per Sacramenta eius accessum habemus ad patrem. Est veritas, quia cum verbum sit Dei fieri nequit, quod verbum à veritate procedens non sit veritas. Vita vero, quia per ipsum cūcta facta sunt viuentia, & non viuentia: & per ipsum viuentia rationalia quæ homines sunt, vita spirituali ad Deum viuunt. Itaque ab hoc verbo & vita naturalis, & supernaturalis hominū procedit, vt supra dixerat, Et vita erat lux hominum. Ioan. 14.

¶ Quamobrem, etsi videtur non admodū suauis cohærētia huius nominis plenum, cum sententia priore, nihilominus, plenum, in recto est legendum, vt construatur cum verbo, de quo dixerat paulò ante verbum caro factū est, & habitauit in nobis. Et interpres Io. Chrysostomi ad hūc modum legit, vt vulgata, itemque Cyrilli interpres. Vulgatus enim interpres, quia λογος, interpretatus fuerat per verbum, ideò πλήρης, traduxit per plenum. Neq; Græca litera habet parēthesim, imò neque versio vulgata, quam suæ adiecit Erasmus, qui etsi legat plenus, quia traduxerat sermo, cæterum non construit cum Ioanne, sed cum sermone. Hæc enim est traductio eius, Et conspeximus gloriam eius,

Epitheta de Christo celebrata in suos sanctos trāsferuntur.

Quanam ratione Christus est plenus gratia & veritate.

eius, gloriam velut vnigeniti à patre: Plenus gratia, & veritate, vt postmodum sequatur, Ioannes testimonium perhibet de ipso. Video tamen esse parenthesim hoc loco in quibusdam biblijs vulgatis. At vt dicebã, neque in Chrysostomo, neque in Cyrillo parenthesim videbis: ideò citra parenthesim legere possumus, verba hæc, Et vidimus gloriam eius, &c. Et plenum, quod sequitur cum verbo quod paulò ante præcesserat construere. Quasi dixisset Ioannes verbum caro factum, secũdum carnem assumptam, non est Deo, aut non gratum, aut mendax. Quia forsan quispiam humanam Christi naturam suspicaretur, quia videbat vt nostram, esse mendacem, aut Deo ingratam vt nostram. Manichæi enim malã carnem esse, & à malo Deo progenitam autumabant. Demonstrat igitur Ioannes verbum non solum ex carnis commercio, nihil sibi detraxisse, imò ipsum manens in sua Deitate humanam naturam ad diuinos honores promouit, quia plena fuit ex verbi copulatione gratia diuina, atque diuina veritate, vt iam exposuimus. Rursum quia dixerat, Vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti, ne superaret hoc nostram fidẽ, subiecit, plenum gratiæ, & veritatis. Quasi diceret, Ne miremini quod nos vidimus Christi gloriam dignam filio Dei naturali, quia plenus erat gratia, & veritate.

Humana natura excopulatione hypostatica promota est ad diuinos honores.

ENARRATIO XXXV.

in caput primum.

¶ *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens.*

Sectio. 5.

HÆC est sectio quinta huius Euangelij vbi Euangelista firmat vehementius, quæ in prioribus sectionibus de verbo incarnato stupendo docuerat eloquio. Multa enim diuina, & quæ nulli creaturæ aptari poterant prædicarat de Christo. Et quod ipse cum alijs viderant gloriam Christi condignam vnigenito filio Dei, & quod verbum caro factum erat plenum gratia, & veritate. Vt autẽ, quæ dixerat persuasibiliora reddat addit in præsentia Ioannis Baptistæ testimonium de verbo carne facto, vt ex ore Baptistæ, & suo testatissimum faciat nobis huius verbi caro facti supremam super omnes creaturas dignitatem. Verbis igitur Euangelistæ verba adiunguntur Baptistæ. Non quod Dei verbum egeat, vel Euangelistæ, vel Baptistæ testimonio, quia ipsum verbum non pendet ab hominum testimonijs. Habuit enim vocem paternam testantem illius maiestatẽ, & Spiritus sancti assistentiam, idem ipsum contestantem. At verò, quia hoc nobis comparatũ est, vt de rebus nobis ignotis, quæramus hominum testimonia, ex quibus illa certa nobis fiant, ideò Deus curauit præclarissimos sanctitate viros, sibi accersere in testes, vt per horum testimonia nos crederemus.

¶ Porrò quia etiam Christi dignitas, Ioãni Baptistæ & Euangelistæ ignota erat: isti enim homines erant, & diuinitas Christi non solum hominibus abscondita erat, quinetiam & angelis omnibus ex lumine vernaculo prorsus erat occulta, idcirco, huiusmodi, quos elegit sibi in testes illustrauit lumine cælesti, vt illis paterent cælestia sacramẽta, vt de sibi patẽtibus alios possent erudire.

Baptistam latebat Christi diuinitas nisi diuina reuelatione acciperet.

¶ Quocirca Baptistæ testimonium profertur in medium à Ioanne Euangelista, & merito, quia Baptista ex diuina eruditione accepit, vnde hoc testimonium ferret de Christo. Credite igitur iure, inquiet nobis Euangelista, mihi tot tamq; magnifica prædicãti de verbo carne facto. Quia ille tantus, ac tam sublimis vir, quem natorum ex mulieribus excesit nullus, qui est plusquam propheta, hoc idem prædicat & contestatur de Christo, quod ego de eo descripsi.

¶ Fuerunt autem testimonia varia, quæ Baptista de Christo tulit, antequam illũ Iordanicis tingeret aquis, & postquam illum tinxit eisdem, siquidem Matth. 3. & Lucæ. 3. extant testimonia Baptistę testãtia Christi virtutem & excellentiam, quę sanè tulerat Baptista, antequam Dominum oculis conspiceret. Id namque tẽporis, nõdum facialiter Christum nouerat, quando aiebat, Ego baptizo vos in aqua ad pœnitentiam: qui autem post me venturus est fortior me est: cuius non sum dignus calceamenta portare. Nam post hæc verba dicit Matthæ. Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Verum quod modo perhibet

Ioannes Baptista testat' est Christum & antequam illum vidisset & post illum visum.

hibet testimonium fuit postquam Dominum baptizauerat Ioannes, & post superatum Satanam à Domino. Etenim pronomen hic, significat fuisse præsentem Ioanni quando de Christo est testatus dicens, Hic erat, quem dixi, qui post me vēturus est: ante me factus est, quia prior me erat. Idem igitur testimonium, quod perhibuerat Baptista de Christo in Christi absentia, perhibuit in præsentia: quia Baptista non erat assentator sed verus prædicator Christi. Assentatorum enim est in præsentia commendare, quem in absentia mordent. Baptista verò, tanquam veracissimus Christi testis, idem ipsum testatur de presente Christo, quod de absente eodem testabatur. Vnde ait, Hic erat, quem dixi, &c. Matthæus, & Lucas, non addunt, quia prior me erat: sed, cuius non sum dignus portare calceamenta, vt Matthæ. ait non sum dignus procumbens corrigiā soluere calceamentorum, vt Lucas commemorat, aut non soluere eius corrigiam calceamenti vt Ioan. memoratur. Est autem verborum horum sensus vulgatus, qui post me venturus est, prædicationis & baptismi officio, qui post me prædicaturus est regni cælestis reserationē, credentibus & pœnitentibus, ille ante me factus est, non diuinitate, quia diuinitas non est facta, neque fieri potest, neque humanitate: quia humanitate, ego sum prior factus ex mensibus prius cōceptus, illum præcedens. At est ante me factus dignitate & honoris prærogatiua: quia ipse est Deus & homo, ego verò purus homo. Quod si obieceris Ioannes erat honoratior tunc, quam Christus, quia Ioannē credebant turbæ esse Christū, & legatos ad illum miserunt primores Hierosolymorum, an ipse esset Christus sciscitātes, quomodo ergo Ioannes ait, ante me est factus?

¶ Respondebis esse prælatum Christum Ioanni in diuina præsentia, & secundum veritatem, illi antestabat. Quippe Deus erat Christus, & non solum homo. Rursum ante est factus non secundum inanē opinionem Iudæorum, sed secundum vaticinia prophetica, quæ Ioannem præcursorem & proclamatorem futurum Christi esse prædocuerunt.

¶ Ad hæc, ante est factus secundum signa cœlestia, quæ Christi natalia illustrarūt, & non Ioannis. Namq; angelica cantica, & stella cælestis, & Magorum aduentus Christi natalia coluerūt & non Ioannis. Et ipse Ioannes non solum modo adultus voce veridica hanc præemnentiā Christi recognouit, sed adhuc infantulus fari nescièns ministerio corporis recognouit. Et quod ipse fari nequibat, per os Elizabeth confitetur, esse Christum Dominū suum. Elizabeth audi proclamātem, Vnde hoc mihi, vt veniat mater Dñi mei ad me. Quoniam rectè si Christum Dominum suum Elizabeth appellat, Elizabeth planè confitetur esse Dominum infantiæ futuri Baptistæ, quem suis visceribus cōclusum gerebat. Ioānes igitur præcesserit Christum conceptione, natiuitate, baptismo, prædicatione, quippe qui ad hoc vénerat, vt præpararet viam Christo, hoc est, vt emolliret mentes Iudaicas ad fidem suscipiendam Christi. Quia ergo erat Christi præcursor & proclamator, ideò fuit prius conceptus, natus, baptizans, prædicans, & mortuus propter veritatis testimoniū, quā Christus. Christus verò acceptā ab ipso materiam præparatam, hoc est, adeptus iam per Ioannis studium morigeras sibi mentes Hebræorum suæ fidei & charitatis ipsis formam impressit. Vt si quispiam cæram durius culam ad ignem molleficeret, & mollefactam iam alteri exhiberet insculpendam. Ideò Christus, etiam si post Ioannem prædicauerit, at verò ante Ioannem factus est, quia non erat verbi minister vt Ioannes, sed verbi Dominus. Non enim prædicabat dicēs, Hæc dicit Dominus, vt prophetæ, & Ioann. dicens se esse vocem Domini, sed, vt habens potestatem. Fuit enim vir potens opere, & sermone: & succesit etiam in baptizā di munere, at ante factus baptismo, quia baptizabat, in Spū sancto corpus abluēs, & animam sanctificans, id quod Ioannis baptismus non præstabat.

¶ Rursum Christus est Ioāni ante factus miraculorum maiestate, quia Ioannes signum fecit nullum.

¶ Et demum, etsi Christus Ioanni succesit in conceptu, & in conceptione & cæteris tamen illi ante factus est in eisdem. Quia Christus conceptus est ex Spiritu sancto, & procedens homo fine semine largitus est nobis suam Deitatem. Ioannes autem conceptus est naturæ iure per concubi-

Ioannes de absente & presente idē testatur Chro.

Ioan. 1.

Malac. 3. Esai. 44.

Lucæ. 2.

Ioannes mollefecit cærā quā Christus formauit id est mētes duras molliores reddit vt Christo obedirent.

Christus vt homo posterior Ioan. & functionibus sacris illi succedens tẽpore, at illũ præcedens est in cõparabili dignitate.

concubitum maris, & fœminæ. ¶ Ad hæc succesit in natiuitate: at natiuitas Christi fuit contra naturæ leges: quia inuiolatis maternis virginitatis claustris, processit ex virgine, talem quoad incorruptionem sortitus natiuitatẽ ex matre, qualem habuerat ex patre. Quia ex patre sine corruptione procedit verbum sine carne, & ex matre sine læsione processit verbum caro factum. Et ne in omnia euagemur, quanuis Christus sit posterior Ioãne, quatenus homo quo ad ea quę diximus, in omnibus tamen fuit illi prælatus. Quod verò subiecit, quia prior me erat aperte cõfundit Arrium ex hoc loco Christum esse creaturam temerè garrientem. Etenim si Christus est factus ante Ioannem, quia erat creatus ante mundi constitutionem, vt ipse ait, igitur sensus erit, Ante me creatus est, quia prior me erat, qui sensus est stolidus. Qui enim consequens creatus est prior erat: quia perinde est acsi dixisset, creatus est prius, quia creatus est prior. Etenim si prior erat, & non aliter prior, quam per creationem, igitur creatus est prius, quia creatus est prior, qui sensus est nugatorius. Etsi obseruasset Arrius, quod obseruandum voluit Augustinus Græcis, pro ante, esse εμπροσθεν, & nõ προ, nõ deliquisset εμπροσθεν, enim refertur magis, ad præcessionẽ in nobilitate, quam in temporis spacio. Et pro factus, Græcè est γεγονεν, quod cõmune verbum est ad esse, & fieri: at verò interpres non est interpretatus, ante me fuit, vel extitit, sed ante me factus, & scitè sanè, quia si transtulisset ante me fuit, vel hic sermo esset capiendus secundum diuinitatem Christi, aut humanitatem. Si secundum diuinitatem, non consentit illi, quod additur, quia prior me erat. Esset enim in sermone nugatio, Ante me fuit secũdum diuinitatem, quia prior me erat secundum diuinitatem. Etenim non poterat esse ante Ioannem Christus nisi secundum diuinitatem. Ideò fat fuisset dixisse, ante me fuit, & superflue adijciebatur, quia prior me erat. Si verò ad humanitatem retulisset, falsè dixisset, Ante me fuit, cum contra est, Ioannes enim sex mensibus Christi conceptionem præcessit. ¶ Contendit Laurentius vertendum esse, qui post veniẽs, ante me factus est: quia ερχεται, est præsentis temporis, & ideò ερχομενος, participium est præsentis, quare vertendum per veniens, & non per venturus. At Erasmus ad vtrumque tempus, & præsens, & præteritum posse accommodari testatur: vnde rectè translatum est per futurum, qui post me venturus est. ¶ Chrysostomus per futurum intelligit locum hunc, Ioannemque scripsisse textum hũc more prophetico. Prophetis namque est mos futura, modo præterito pronunciare, vt Lucæ. 2. fecit redẽptionem plebis suæ: in quẽ modum Ioannes inquit, ante me factus est, ideſt, mihi est præferendus. Et iuxta hanc rationem forsan si interpres vertisset. Post me veniens, ante me factus, ideſt, mihi est præferendus, nihil absurda esset versio. Cæterum germanior est nostra.

Arrij argumentũ enerue.

Contentio Laurentij.

¶ Verum nihil opus facto est confugere modo ad propheticum in vsurpando tempus pro tempore modum, quando possumus textum sine tropo hoc congruenter exponere. Sensus igitur verborũ est præscriptus iam. Qui post me venturus est in prædicando Dei verbo, & baptismo instituendo, &c. mihi est prælatus ex diuina autoritate, quia prior me erat sua diuinitate. Quod verò Ioannes ait, testimoniũ perhibet, & clamat Theophil. legit iuxta textum Græcum, & clamauit. Et Chrysostomi interpres, etiamsi in textu ediderit & clamat vt nostra, at exponens Chrysostomi narrationem, habet & clamauit. Explanant quidam locum variatum esse ex præsenti in præteritum, quia Ioan. nõ solum clamauit quondam, verumetiam modo perhibet testimonium. Verũ Euãgelistæ ętate, qua hoc scripsit Euãgelium iam defunctꝰ fuerat vita Baptista: & ideò id temporis, nõ perhibebat testimonium, sed perhibuit, dum ageret apud homines. Nunc sanè ex scriptis Euangelistarũ perhibet testimonium. At verò vocale testimonium non perhibet modo, neque vocaliter clamat: sed clamauit. Et ideò forsan quod ait, perhibet testimonium, idem est acsi dixisset, perhibuit testimonium, vt cõgruenter aptetur cum verbo clamauit. Et sensus est Baptistam non solum suis discipulis perhibuisse testimonium clanculum de Christo, sed etiam publicitus euulgasse Christum esse Dei filiũ, & prædictum à Moyse & prophetis: & apud turbas & conuentus hominum clamoribus ostẽ-

Baptista non solum clanculum, sed palã & clamãdo status Christi dignitatẽ.

ostendisse cunctis Christum esse sanctificationis autorem. At verò forsan obijciet quispiam contra priora, quomodo Christum Baptista docet esse factum ante ipsum, quando in scripturis non legimus Christum factum simpliciter, sine adiecto. Legimus enim supra, Verbum caro factum est. Et apud Paulum, qui factus est ei ex semine Dauid secũdum carnem, ad Roman. 4. & ad Galat. 4. Misit Deus filium suum factum sub lege, factũ ex muliere. Et demum simpliciter non legitur factus Christus, id quod præfertur ex hoc loco. Verũ ne occasio subreperet ex verbis istis errores concipiendi Christũ fuisse simpliciter factum, ideò Baptista adiecit, quia prior me erat. Græcè πρῶτος, superlatiuũ, Primus, id quod significat Christum non solum priorem Ioãne fuisse, sed simpliciter primatum omnium tenere, vt sit ipse in omnibus primatum tenens. ad Colos. 1. Quamobrem necessario ex contextu factus, non anteriorem factionem simpliciter denotat: sed honoris, & celebritatis maioris præeminentiam Christi suprà Ioannem.

ENARRATIO XXXVI.
in caput primum.

¶ *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

AN verba hæc sint Euangelistæ, an Baptistæ non est spectatum vsquequaque. Siquidem Origenes, horum verborum autorem Baptistã esse testatur, quippe non de repente se mutasset Euangelista in autorem: quandoquidem contextum & filum sermonis si consideras, Baptistæ hæc videntur verba: subscriptores sunt Theophilactus, & Caietanus. Et verba hæc ideò protulit Baptista, vt exponeret, quòd dixerat, ante me factus est, docet quomodo sit ante factus, vel prælatus Ioãni Christus. Quippe non solum Ioannes ab illo accepit diuina charismata, sed omnes prophetæ, & Israelitæ omnes ex quorum persona inquit, omnes accepimus. Sunt autem Origen. verba, Sermo iste in persona Baptistæ de Christo testãtis prolatus est, quod plurimos fallit. Ex hinc, vsque illuc enarrauit, credentes in persona Ioan. Apostoli recitari. In cõsequens autem est putare subito, & quasi intempestiuè interrumpi Baptistæ sermonem ex verbo discipuli. Et cuicunque scienti percipere dictorum collationem in propatulo constant series dicti. Dixerat enim ob hoc, Ante me factus est quia prior me erat. Ex hoc autem coniecto priorem me fore, quod ex eius plenitudine, ego quidem, & ante me prophetæ accepimus gratiam secundam pro prima. Hactenus Origenes. Vnde constat veterem fuisse expositionem, quam ipse Origenes reprehendit, verba hæc, Ex plenitudine eius omnes accepimus esse Ioannis Apostoli & non Baptistæ. Et cur ipse discedat ab hac sententia docet, quia Ioannes Baptista causam exhibet cur Christ⁹ prior erat Ioãne: nempe quia ex plenitudine Christi, ipse & alij prophetæ acceperunt. Vnde contextus iste totus vsque ad illam periodum, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis Baptistæ oratio ab Origene esse putatur.

¶ Cyrillus vero, & Chrysosto. discipuli autumant esse verba hæc, & non præcursoris. Quia Ioannes Euangelista verbis istis vult firmare quod dixerat, præcursor scilicet, ante me factus est, quia prior me erat. Et quidem si rem istam expẽdimus, non est promptum vtri sit potius stãdum, an sententiæ Origenis, an Cyrilli, & Chrysostomi. Mihi nõ videtur vero dissimile, quod Origenes inquit. Cæterum neque Cyrilli, & Chrysostomi opinio improbabilis est: quæ alioqui vulgo probatior reputatur.

¶ At verò si hæc secunda expositio, amplectenda venit, dicerem hæc esse verba Euangelistæ, quibus redit ad priora, vt declaret quod dicere cœperat. Dixerat enim verbum plenum gratiæ esse & veritatis. Et hoc firmauit testimonio præcursoris: quo absoluto, & deprompto testimonio, regreditur vt palam faciat quod dixerat, verbum plenum gratiæ & veritatis subdens, Et de plenitudine eius omnes nos accepimus. Quasi dixisset, iure dixi verbum Dei esse plenum gratiæ & veritatis, quippe ex illius plenitudine omnes accepim⁹ subaudi nos præcipuè Apostoli, qui de plenitudine eius primitias spiritus accepimus, ad Roman. 8. & deinde, omnes fideles, deniq; præsentes, & futuri. Et

Contextus literæ.

De plenitudine Christi acceperũt principaliter apostoli.

ri. Et sanè etiam visibiliter acceperunt de plenitudine Christi in die Pentecostes, Apostoli & discipuli omnes. Act. 2. quinimo & omnes fideles, tunc quando baptizabantur sensibiliter Spiritus sanctus sub specie corporali super ipsos apparebat: vt sensibili illa apparitione, spiritualis plenitudinis participatio denotaretur ex Christo in fideles suos deriuata. Expedit, inquit, Ioann. 16. vobis, vt ego vadam: si ego non abiero paracletus non veniet ad vos. Omnes igitur acceperunt de plenitudine Christi, & accipient quotquot æternæ hæreditatis gaudia sunt assecuturi. Etenim membra à capite accipiũt vitalem influentiam, discipuli à magistro doctrinam, filij à patre hæreditariam successionem, serui à domino victum, & vestitum, redempti à redemptore redẽptionis precium, riuuli à fonte aquarum deriuationẽ, &c. Nos vero sumus membra Christi, ad Colos. 1. nam ipse est caput totius Ecclesiæ, quare in Christo est plenissima vita: & membra mystica sua de plenitudine huius vitæ, recipiunt vitæ spiritualis influentiam. Sumus discipuli, Ioan. 13. at in Christo est doctrinæ plenitudo, ad Colos. 2. In ipso sunt omnes thesauri scięti & sapientiæ Dei absconditi. Ex hac item plenitudine fideles recipiunt doctrinę cælestis illuminationem. Sumus filij Esa. 9. vocabitur pater futuri seculi in Christo vero est filiationis plenitudo, quia est naturalis filius, quia est hæres vniuersorum, in ipso est plenitudo huius hæreditariæ possessionis. Etenim anima Christi fuit, quę prima omnium videt beata visione Deũ, & quæ omniũ beatorum est maximè beatissima. Quapropter ab hac plenitudine fideles omnes fiunt adoptiui filij. Et qui iã sunt consortes regni cœlestis, & qui assumendi sunt ad idem consortium, ex hac plenitudine assumẽtur. Sumus etiam serui, at in Christo est dominij plenitudo. Ioan. 13. Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis. Et ideo ex hac plenitudine dominij, fideles accipiunt in alimoniam corporis Dominici edulium, & sanguinis Dominici poculum. Item sumus redempti à Christo. Empti enim sumus pretio sanguinis eius. 1. Corint. 6. & plenitudo redemptionis, est in Christo, ad Ephes. 1. & 1. ad Timot. 2. Quippe solus ipse potuit suo sanguine nos redimere à tyrannide diaboli. Ex hac autem plenitudine omnes redempti, accepimus redemptionem. Hic ait, est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in redemptionem peccatorum. Et ad Galat. 3. & 4. Contestatur Paulus Christum docens esse humani generis redemptorẽ. ¶ Demum in Christo est fontalis plenitudo, omnium diuinorum donorum, quia eius humanitas est maximè vnita diuino verbo non solum vnione gratiæ, & amoris, sed vnione personali, & ideo fruitur omni plenitudine: quia in ipsa habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ab hac autem fontali plenitudine deriuatur in sanctos, vt in riuulos, quicquid fidei quicquid charitatis spei, &c. illis accidit. Virgines enim puritatem mentis, & carnis ab hoc fonte purissimo hauriunt. Martyres robur & constantiam in medijs cruciatibus, sub ipsisque tormentis immanibus ab hoc fonte deriuant. Confessores item in sanctis laboribus perseuerantiam vsque ad mortem, eidem fonti acceptum ferunt.

Anima Christi prima animarum omniũ clare cõspexit Deum.

ENARRATIO XXXVII.
in caput primum.

¶ Et de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia.

LEgimus in libro numero. cap. 11. Mosen ex molestia regiminis tædio fuisse affectum, & ideo Deum, vt sub leuaret Mosem à tædio regiminis instituisse septuaginta viros coadiutores, & abstulisse de spiritu, qui erat in Moysen, & illum condonasse septuaginta viris, quibus illius leuandi gratia impartitum fuit onus, quod Moysi incumbebat. At vero non ita Deus de Christi plenitudine fidelibus impartit Spiritum sanctum. Moysi enim nõ erat plenitudo, quæ in Domino Iesu: nam ille seruus erat non Dominus. Ideoque siqua erat gratiæ diuinæ plenitudo, quæ ministro congruebat erat duntaxat, nõ tamen ea in illo erat plenitudo, quæ in Christo Domino. A quo ipse etiam recepit si quid habuit (vt habuit) spiritualium vbertatem donorũ. Nam quamuis Christi natalia multis præcesserit æuis, at vero per fidem Christi vẽturi,

turi; priores patres sanctificabantur.

Omnes accipiũt de Christi plenitudine non tamẽ æqualiter.

¶ Omnes accipimus igitur de plenitudine Christi plus minusve secũdum vniuscuiusque rationem. 1. ad Corint. 12. & mẽsurã fidei, ad Rom. 11. vnicuiq; sicut Deus diuisit secũdum mensuram fidei. Neque tamẽ propterea detrahitur quicquam plenitudini Christi. Porrò scriptura docet de spiritu Mosaico ablatum fuisse, quod fuit impartitum septuaginta iudicibus à Deo, tunc electis ad administrationẽ populi Iudaici. Non quia aliquid detractum fuerit ab Spiritu sancto, qui imbuerat Mosem. Etenim amissio Spiritus sancti, non accidit citra culpam possidentis, & nulla Moysis culpa ibi commemoratur ob quã ablatio facta credatur. Cæterum, vt scriptura subnotaret in Moyse non esse penitus plenitudinem Spiritus sancti, ideò dixit, Auferam de spiritu tuo: nam detractio, plenitudinis est imminutio. Spiritus enim propheticus, qui erat in Moyse ab illo commemoratur ablatus, & impartitus alijs. ¶ Quæ tamen vt dissertius teneas, scito Moysem bifariam considerandum quantum ad hoc, vel secundum gratiam ipsum gratum facientem Deo, vel secundum propheticum spiritum, qui est donũ prophetiæ, & non est habitus vt gratia gratum faciens. Gratia autem gratum faciens nunquam aufertur à possidente nisi ex culpa ipsius, & semel ablata alij non impartitur, quia annihilatur à Deo. At donum propheticum, quia est gratia gratis data, auferri potest ab habẽte, citra culpam eius, sed quia cessat illius doni necessitas. Quia igitur quando pendebat à Moyse totum illius populi regimen, egebat amplissimo dono prophetiæ, illi impartitum donum fuerat tale donum, quale tantæ administrationis grauissima moderamina poscebant. Cæterùm quando amplitudo administrationis illius, non tota incumbebat Mosaycis humeris, sed ad septuaginta viros fuit etiã impartita, tunc quia non egebat Moises tanta illustratione prophetici doni, sibi non est concessa amplitudo prioris illustrationis: quia sicut Deus non deficit in necessarijs, ita nõ abundat in superfluis. Et non concedere solitam omnem propheticam illustrationem, scriptura vocat spiritus ablationem.

Gratia gratũ faciens nõ aufertur ab habente nisi ex culpa.

Locus ex numeris exponitur.

¶ Sunt qui exponãt locum, Auferam de spiritu tuo, ideſt, de cura tua, vt nõ sit sermo de spiritu prophetico, sed de spiritu solicitudinis. Verum huic expositioni refragor: quippe contextus literæ spiritũ hunc propheticũ esse subindicat dicens septuaginta illos continuò prophetasse, postquã ex spiritu Mosayco est ablatus spiritus, & illis concessus.

¶ Obseruare autem oportunum erit in Dominõ Iesu duplicem considerandam plenitudinem, alteram, qua Deus, alterã qua homo est. Qua Deus est ipsa plenitudo totius esse essentialis suimet non participata plenitudo est. Et ipse est plenitudo causalitatis effectiuæ, quia ab ipso pendet nexus & causalitas efficientiæ omnium causarum secundarum, Vtpote qui est prima causarum. Et plus influit in effectum, quam causæ secundæ omnes.

Christus qua homo est in eo plenitudo participata, qua Deus est plenitudo essentialiter totius esse.

¶ Qua vero homo est, non est, plenitudo essentialis Christus, sed solũ in eo est participata plenitudo. Verum essentialem Dei plenitudinem plus participat, quam omnes creaturæ simul, propter hypostaticam vnionem, quam habet cum Dei verbo.

¶ Vnde propter hoc Ioannes non esse datum illi spiritum ad mensuram hoc capit. testatur. Quamuis enim sit verus homo, neque hoc esse hominis plus participat quam alij homines, quia eiusdem essentiæ est nobiscum. Cæterum quo ad perfectiones huius humani esse, maioribus perfectionibus naturalibus, & supernaturalibus potitur, quam omnes homines simul, vel creati, vel creandi. Imò & angelorum perfectiones omnes haud dubiũ superat.

In Christo est plenitudo causalitatis meritoriæ.

¶ Hinc est, quod in Christo qua homo est, quandam esse plenitudinem causalitatis meritoriæ, quæ nulli accidit sanctorum. Quandoquidem omnia merita bona hominum à Christi merito pendent. Illustrissima enim si fingas opera, nisi Christi merito socientur, merita nõ sunt. Est igitur in Christo plenitudo causalitatis meritoriæ: quia ipse meruit generi humano reconciliationem cum Deo patre: per sanguinẽ suum pacificãs, ad Colos. 1. quæ in cælis, & quæ in terris sunt. Iunxit enim Cælum terris, quia aperuit cælorũ aditum terrigenis. De Christi merito in 3. Sententiarum, nos multa disseruimus, quæ si voles poteris legere, & huc vocare. Distinct. 18.

Quod vero ait, gratiã pro gratia, Chrysostomus disserit in hæc verba, quid autem

tem accepimus gratiam pro gratia, quam, pro qua? Pro veteri nouam. Quemadmodum enim duplex erat Iustitia, secũdum iustitiam, quæ in lege est factus irreprehẽsibilis. Et duplex fides, vt ex fide in fidẽ & adoptio duplex, vt quorũ adoptio est, & duplex gloria, vt si enim quod euacuatur per gloriã est, multo magis quod manet in gloria & lex duplex, vt disponã vobis testamentum nouum, non secundũ testamẽtum quod disposui patribus vestris. Et duplex sanctificatio, & duplex baptisma & duplex sacrificiũ, & tẽplum & circuncisio duplex, ita & duplex gratia. Sed illa quidẽ quasi figurę sunt hæc quasi veritas, æquiuocationem, non rei communionem seruantia. Hæc ille.

Rom. 4. Rom. 9. Rom. 10. Galat. 3. Hebræ. 11. 2. Cor. 3.

¶ Significat autem hoc sermone Chrysostom. gratiam esse datam pro gratia, quia pro veteri lege data est noua, pro circuncisione veteri carnis, noua exhibetur spiritus. Pro adoptione veteri temporali, adoptio noua ad cœleste regnũ. Pro sanctificatione carnis sanctificatio spiritꝰ. Pro fide venturi Christi, fides iã extantis. Pro lege veteri, Euangeliũ nouũ. Pro iustitia legali, iustitia Euãgelica, &c. & hoc est gratiã pro gratia. Quasi dixerit provmbratili gratia, veram dedit & fixã gratiã. Ad eandem rationẽ exponit Theophilactus, nisi quod breuius dixit, gratiam pro gratia, pro veteri testamẽto, nouum. Augustinus autẽ locum hunc multo aliter exposuit dicens gratiam gloriæ exhibitã esse pro gratia fidei viuificãtis. Gloria nãq; gratia est, Paulo testãte, ad Rom. 6. gratia Dei vita æterna, item fides donũ Dei est, ex eodem Paulo Ephesijs scribente. 2.

Expendũtur Chrysosto & Theophil.

¶ Porrò germanior literę videtur Chrysostomi, & Theophil. expositio. Nisi quod forsan aliquis hæsitabit opponens Chrysostomo. Quid ergo si gratia illa prima est vmbra gratiæ secundæ, & est sicut homo pictus, cõparatus vero vt Chrysost. docet. Igitur patres veteris testamenti non fuerũt Deo grati, siquidẽ nõ habuerunt verã, sed fictam, vt Chrysost. insinuat, gratiam. Neq; illi fuerunt adoptiui filij, neque habuerunt ius ad vitam æternam. Neq; circuncisio illis profuit ad veram sanctificationẽ, & remissionem peccati originalis. Quippe, apud illos nõ fuit vera sanctificatio, neq; vera adoptio, vt Chrysostomus cum suo copilatore autumant.

¶ At quod circuncisio verè sanctificauerit vnanimis est doctorum consensus. Vide nostra, si libet, in. 4. Sentẽtiarum. distinct. 1. 4. Sẽt. dist. 1.

¶ Porrò scito, vt suprà meminimus, in re hac vtendum esse hoc documento, videlicet, obseruantiã legis Mosaicæ, vt talem non exhibuisse cultoribus spiritualẽ sanctificationem, Paulo docẽte, ex operibus legis neminem iustificari. Siquidem lex illa non continebat sacramenta sanctificationem conferentia, qualia continet lex noua. Ideò obseruantia legis nouæ iustificat propter sacramenta quæ continet. Baptismus enim, & pœnitẽtia iustificãt. At obseruantia legis veteris per se non iustificabat, quia non donabat peccata, quare interius non sanctificabat, sed solum quo ad exteriores sanctificationes. Rom. 3.

¶ Circũcisio verò non erat ex Mose, sed ex patribus, vt Ioan. 7. Dominus ait. Hęc autem iustificabat, quatenus protestabatur Christum venturum, at iustificatio hæc non erat consummata: quia non referabat ianuam regni cœlestis.

¶ Cultores ergo pleriq; legis illius iusti fuerũt, nõ ex obseruãtia legis illius, sed iustificati adulti erant, ex pœnitentia suorũ peccatorum, per quam cõuertebantur ad Dominum: paruuli autem ex circuncisione, quæ fuit etiam ante legislationem. Et etiamnum ex hac contingebat iustificatio, non, vt erat cæremonia, & legis ritus, sed, vt erat protestatio venturi Christi. Non obseruantibus ergo legem erat damnatio: obseruantibus verò non contingebat ex sola obseruatione iustificatio.

¶ Erat igitur potribus adoptio, & nõ erat adoptio, sanctificatio, & nõ sanctificatio, iustitia & non iustitia, &c. Siquidem, vt pœnitentes erant de suis delictis & assequebantur Dei gratiam, & reddebantur adoptiui filij. Vt autem obseruabant illas cæremonias legis solum, nõ erant adoptiui filij, intellige si obseruabant, quatenus illa lex obseruanda præcipiebat. Lex nanq; timorem incutiebat non obseruantibus temporalium suppliciorum Leuit. 26. Et bona temporalia colentibus pollicebatur. Hac autem ratione legem obseruare non reddebat cultores adoptionis filios, neque sanctificatos, neque iustos vera iustitia. Ideò lex. 2. Corinth. 3. damnationis, & mortis appellatur. Non obseruare legem fat erat damnationi, sed illam obseruare nõ satis ad internam à peccatis iustificationem.

¶ Qui verò legẽ obseruabat non propter legis timorẽ, aut temporale beneficium, sed ex charitate Dei, iam ille excedebat literam legis, & spiritum legis amplectebatur, & ad nouum testamentum pertinebat.

Collisio apparẽs in Paulo soluitur.

¶ Itaque literalis obseruantia legis seruorum erat: spiritualis verò filiorum. Vnde Paulus Roman. scribens. 9. cap. insinuat, illos fuisse adoptiuos filios, & Galatis capit. 4. illos esse seruos, & non adoptiuos filios testatur, quia paruuli erant, sub legis pædagogio agentes, & ideò non differebant à seruis.

¶ Et vtrumque hoc Pauli verbum verum est: quia ex literali obseruantia legis instar seruorum erant ex timore legem colentes, aut ex amore carnalium bonorum illam custodientes. Ex spirituali autem obseruatione, quæ obseruabat legem propter Deum, colentes filij erant Dei, quippe qui instar filiorum, Deum colebant ex charitatis amore. Cæterum id temporis nondum erat omnibus suis numeris absoluta adoptio filiorum: quia lex illa nemini aperuit cælestem ianuam. Lege enarrationem. 26. de re ista. Quod si præscriptis obstiteris dicens, Si circuncisio iustificabat, quia erat quædam protestatio fidei Christi tunc vẽturi, item omnes ritus illi Iudaici protestabũtur vẽturum Messiam, igitur illa lex vetus continebat sacramenta iustificantia. Paulus enim. 1. Cor. 10. omnia tradit illis accidisse in figura, subaudi, Christi futuri, Respon. circuncisionem Paulum docuisse esse obligantem ad omnem legem seruandam. Erat enim prima protestatio, primaque illius legis obseruatio, & tanquam totius legis ianua. Testificor, inquit, omni homini circuncidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciendæ, ad Galat. 5. Vnde ex hac causa cæteræ legales obseruantiæ, non hac iustificandi dote fulgebant, qua circuncisio, vt apud nos solus baptismus regenerat, quia est ianua aliorum sacramentorum. Planum iam tibi erit, vt sit exponenda Chrysostomi sententia.

Circuncisio prima fidei protestatio apud Iudæos ideo dote iustificandi fulgebat.

¶ Fortasis autẽ, & aliter explanabimus Ioannem. Accepimus, inquit, gratiam pro gratia. Hoc est, accepit genus humanum à Deo geminam inter alias gratiam, videlicet, & quod verbum factum est caro, quia hæc est gratiarum collatarum generi humano maxima: vnde cæteræ deriuantur, ceu ex vberrimo fonte. Et pro hac collata est eidem humano generi altera, quæ est reconciliationis gratia. Etenim quia filius Dei factus est filiũs hominis, ideò filius hominis assumptus est ad diuinam adoptiuam filiationem: & reconciliatum est humanum genus Deo per Christum. Erat enim Deus in Christo reconcilians mundum sibi, & gentes & Iudæos conciliauit in vnitatem fidei & charitatis ad Ephes. 2. Medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans vt duos condat in semetipso, in vnum hominem. En tibi, vt pro gratia incarnationis accepimus gratiam reconciliationis. Verum si hac ratione explanare iuuat, præpositio, pro, causalitatem denotat, vt sit idem atque, propter. Interpretes vulgati autem per, pro, præpositionem non causalitatem, sed successionem intellexerunt, videlicet, quod gratiæ cuidam, successit altera gratia, vt prænouimus, excepto Augusti. qui per causalitatem etiam videtur locum declarasse. Neque tamen causalitas tollit successionem.

Incarnatio diuinagratiarũ maxima.

2. Corint. 5.

ENARRATIO XXXVIII.

in caput primum.

¶ *Quia lex per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum.*

OSTENDITVR causa prioris sermonis, nempe quod ex plenitudine Christi accepimus omnes, quia lex per Mosem, &c. Legislatio Moisi tribuitur, at Christo gratiæ operatio, & veritatis. Aduertere oportebit, vt plana fiat loci huius explanatio, legi Mosaicæ Paulum tribuisse damnationem, & mortem. 2. ad Corinth. 3. Non sanè quod illius obseruantia cultoribus esset vel damnabilis, aut mortifera. Etenim cultores illius legis illam colẽdo Deum colebant, ideò ex legis cultu nulla, vel damnatio, vel mors colentibus erat timenda, quando colentes illam bonis terrenis abundabant ex legis præscri-

præscripto, vt Ezech. 20. traditur, quæ faciens homo viuet in eis.

Trãsgressio legis Iudaicę dãnabilis erat & mortifera.

¶ Cæterum transgressio illius legis erat damnabilis, & mortifera, quippe quę erat transgressio diuinorum mandatorum. Porrò cum haberet lex illa transgressionem damnabilem, & mortiferam, obseruantiam non habebat liberantem, & saluantem. Siquidem cultores illius, etiamsi exactissimè colerent illam, defuncti vita non fruebantur vita æterna, sed descendebant in lacum, in quo non erat aqua. Zachar. 9.

¶ Quod si obiecerit aliquis etiam Euangelicam legem minari supplicia maiora transgressoribus suis quam legẽ veterem, minatur enim pœnam sempiternam: at verò non ob hoc dicitur lex damnationis, vel mortis, sed lex libertatis vitæ.

¶ Respon. Euangelicam legem minari gehennalia incendia suis trãsgressoribus: verum synceris cultoribus vitam pollicetur æternam, quam, vt assequantur adiuuantem spiritum donat. Quocirca lex vitæ, & non mortis appellatur: confert enim vitæ præsidia. Quippe etsi minetur æterna supplicia præuaricantibus, pollicetur custodiẽtibus æterna gaudia, id quod non præstabat lex Mosaica. Quæ, vt non semel dicebam, præuaricantes obstringebat supplicio, at colentes non donabat præmio sempiterno. Neque hos iuuabat spiritu gratiæ ipsa obseruatio, vt Euangelica obseruatio fideles iuuat, vt non deficiant in obseruantia Euangelij. Quamobrem rectè dicitur lex illa damnationis & mortis, propter causam commemoratam. Eodem accedat legem illam esse onustissimam præceptis cæremonialibus, & iudicialibus. Vnde ex magna sarcina præceptorum, erat maior occasio violandi illam, quam costodiendi, Actor. 17. Vnde maior occasio damnationis, quam salutis. Secus autem in Euangelica lege, quæ præter præcepta fidei & sacramentorum, naturalibus contenta iussionibus. Missum facio modo, quod post coruscantem Euangelij gratiam, iam lex illa est vere lex damnationis, & mortis, quia Paulo testante si circuncidamini Christus vobis nihil prodest. Nunc enim obseruatio facta est damnabilis, & nulla est transgressio illius vituperabilis: quia lex illa robur, legis iam diu est quod non habet, verum istud præter institutum est.

Lex Mosaica non iuuabat suos cultores lex Euangeli casuos munit præsidijs vitę

¶ Secundo annotabis legem illam veterem fuisse tanquam viam quandam ad Euangelicam legem. Namque finis illius legis Christus erat, ad Rom. 10. Vnde lex illa erat medium, per quod erant deducendi Iudæi ad Christi fidem. Quapropter in illa lege non erat figendus gradus: quia ex illa properandum erat ad Christum legis scopum, & finem. Vnde, quia in ea non erat figendus gradus, quia erat velut ambulatoria Dei voluntas, omnia sub lege cõtingebant in figura: vt per typos deuenirent illi ad figuratum, & per vmbras ad adumbratũ sub typorũ vmbris.

Lex Mosaica via fuit ad legem Christi.

Christus legis veteris scop⁹ & finis.

¶ Quo fit, vt lex illa non clarè expresserit æternæ vitæ gaudia, sed sub figuris quibusdam docuerit illa. Equidem illa non clarè expresit, quia non erat potens conferre illa quæ à solo Christo autore Euangelij erant conferenda. Imò neque supplicia æterna clarè expresit: sed sub velamine malorum, & bonorum temporalium illa adumbrauit.

¶ Quamuis in Psalmis & Prophetis, quæ erant velut elucidatio legis illius clarius hæc habeantur, quam in pentateuco, vbi legis veteris sanctiones, comprehẽdũtur.

Prophetæ & Psalmi elucidant legẽ veterem.

¶ Et quia. 1. Cor. 2. Prius est, quod animale, dein quod spirituale: ideò prior fuit, constitutio legis illius, quæ erat imperfecta, & figuralis, & via quædam, & medium quoddam ad legem nouam, quã constitutio nouæ legis, quæ alioqui continebatur in veteri, vt signatum in signo figuratum, in figura. Quod ergo modo inquit Ioãnes, lex per Mosem data est, &c. hoc significat, vmbras, & figuras salutis, vnde capiebatur occasio damnationis, & mortis dedit Moses: at verò, ipsam lucem, ipsumque adiutorium vitæ æternæ capiendæ fecit Christus.

¶ Rursus legem non remittentem peccata, legem non perficientem mentem, legem non referantem vitam æternam, legem non continentem sacramenta viuificantia, legem non continentem sacramenta roborantia dedit Moses. At gratiam donantem peccata, spirituale robur perficiens mentes hominum, reserationẽ cœlestis aditus, sacramenta vitæ, & virtutis spiritualis fecit Christus.

¶ Adhæc legẽ onustã præceptis, quæ cultores

tores portare nō poterant, quia vix poterant, legē suos cultores ex timore detinētē dedit Moses. At vero legem suauē charitatis oneratam sanè, sed leui onere obligantem, sed suaui iugo, suos deniq; ad se trahens cultores, suauiationibus potius æternæ vitæ, quam cōminationibus æternæ mortis fecit Christus. Et, vt semel, hæc ideo Ioann. dixit, vt soluat tacitam obiectionē. Obiectaret enim forsan quispiam, quia verbum præfatum, ex plenitudine eius, dicens, Mosem non accepisse ex plenitudine Christi, quippe qui legislator diuinæ legis fuit, id quod diluit sermone præhibato Mosem quidem non fecisse sed dedisse legem. At verò ex hoc non est cōferendus, nedum nō est præferendus Christo. Quoniā Moses legis dedit vmbrā, Christus gratiæ lucem. Moses promisit salutē, & vitam, quā non dedit, at Christus vtrūq; concessit obtēperantibus sibi. Item quod ait, Gratiam & veritatem per Iesum Christum esse facta, tu intellige sub gratia, omnia diuina dona, quę propriè dona nūcupātur subaudire oportebit. Quippe omnia hoc genus dona per Christum nobis donātur ad Rom. 8. Quomodo nō etiā cum illo omnia nobis donauit? Per veritatē verò subaudi promissionum diuinarū, quas pollitus est Deus patribus veteribus cōplementū. Siquidem Christus non venit legē soluere, sed adimplere. Et cōtestatur Paul⁹. 2. Cor. 1. Quot quot promissiones Dei sunt, in illo est, ideo per ipsum amen. Sed si rogitas, quid velit Paul⁹ hoc sermone, dixerim tibi hoc idem voluisse, ꝙ Ioan. docuerat paulò ante dicēs, Veritas per Iesum Christū facta est. Namq; per inde est ac si dixisset Paulus, Quotquot sunt diuina in veteri lege promissa, inita cū priscis illis patribus de consolatione futura orbis per Christum, Christus veraces fecit illas opere cōplens. ¶ Esse enim & verū cōuertuntur. In Christo igitur promissiones sunt, est dictu idē, ac si dixisset, per Christū veræ sunt promissiones Dei, factæ hominibus.

Matth. 5.

Locus Pauli explanatur.

Ioan. 19.

¶ Vnde pēdens in cruce dixit, cōsummatum est, quia tunc cōsummauerat mysteria celebranda ab ipso, quæ olim, per eum cōsummāda per Dñi vates prædictū erat.

Ioan. 17.

Et hoc idem insinuabat Dñs dicens, opus consummaui, quod dedisti mihi. Et rursum, Iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege donec omnia fiant.

¶ Argutatur Origenes, Quid ergo, si per Christum veritas facta est, igitur cum ipse sit veritas, ipse seipsum fecit. Verum Christus veritas est substantialis non facta, sed faciens. Veritas autem, quæ hoc loco commemoratur facta est completio per Christum promissionum diuinarum. ¶ Augustinus lib. contra Faustum. 22. capit. 10. legit aliter hunc locum, Lex per Mosem data, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Et idem sensus est, quia subauditur, est. Quānis Erasmus, Augustinum putat sensisse legē per Mosem datam, factam seu versam esse in gratiam, & veritatem per Christum, cui sensui obstat coniūctio, autem. Laurētius cōmodiorem existimat interpretationem, si interpreteris, Gratia & veritas per Iesum Christū extitit, quia idem verbū ἐγένετο, per factū, & factus, & fuit, & facta trāsfertur. Erasmus verò interpretatur, Gratia & veritas per Iesum Christum exorta est. Veruntamen, vtcunque edideris idem sensus est, ideò nihil immutandum à vulgata. Matth. 1.

ENARRATIO XXXIX.

in caput primum.

¶ *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis.*

QVANDAM dicebamus dudum Ioann. soluisse tacitam obiectionem, cōtra id quod dixerat, de plenitudine eius, &c. Nūc verò aliā etiā tacitā diluit obiectionē. Quia forsan quispiam præferendum censeret Mosem Christo, vt Ioan. 9. prætulerunt Iudæi, dicentes, Mosi locutus est Deus, hic autem nescimus, vnde sit. Quia ergo Iudæi credebāt Deū apparuisse Mosi, Mosemq; Deū vidisse, & hoc non credebant de Christo, propterea forsan quispiā hoc idem Ioan. obiectaret: ideò subiecit, Deum nemo vidit vnquā. Quasi dicat, Falsa narratis, si existimatis Mosem vidisse Deū, imò dico vobis Deū nullum hominum inspexisse, quādiu degit in mortali corpore. Christus verò vidit Deū, adhuc in carne subsistens apud mortales, ideò Moses non est cum Chri-

Christo conferendus. Quod, vt explanatius aperiret subiecit, Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, &c. Tria docet de Christo, primum quod sit vnigenitus Dei filius: secundum quod sit in sinu patris: tertium, quod ipse enarrauit nobis diuina. Primum horum demonstrat, Christum quatenus Deus est, esse filium Dei naturalem non adoptiuum. Siquidem adoptiui non sunt vnigeniti: siquidem adoptiui sunt plures geniti, per prædicationis verbum, & non per naturalem generationē. At Christus est solus genitus à patre, per hanc naturalem generationem, & non per voluntariam generationem, per quam adoptiui generantur. Voluntariè enim generat Deus hos adoptiuos filios, Iacob. 1. voluntariè genuit nos verbo veritatis, voluntariè, scilicet, quia poterat non generare huiusmodi filios. At filium vnigenitum nō potest non generare: quia naturæ necessitate citra tamen violentiā, quia sciens & volens pater generat filium eundem generat. De qua re nos multa disseruimus. 1. Sentent. lib. distinct. 6.

Tria de Christo edocta à Ioanne.

Filius vnigenitus generatur à patre necessario sine violentia quia complacita sibi est generatio.

¶ Secundum verò quod Ioan. commemorat, facilè nos docet filium vnigenitum videre Deitatem patris. Hoc enim est esse in sinu Dei patris, esse à patre, & esse in patris substantia & Deitate. Ex visilibus enim voluit nos manu ducere Ioan. ad capienda inuisibilia. Quæ autē sunt in sinu illa intima sunt habenti. Vt ergo filiū esse patri intimū, & occultissimā patris Deitatem, filio esse clarè notam demōstraret Ioan. dixit vnigenitū esse in sinu patris. Non enim in patre sunt sinus, vt in nobis, sed patris sinus, est patris secretum, quod est secretissimum patris. Igitur quia secreta omnia filio sunt nota clarissimè, ideò in sinu dicitur esse Dei patris.

¶ Qua propter filius vnigenitus solus poterit propria autoritate diuina enarrare. Græca lectio habet ἐξηγήσατο. Et significat explicatius, & explanatius obscurius dicta declarare. Vnde sensus est, quia vnigenitus Dei filius est in sinu patris, ideò ipse explicatius, & lucidius hominibus exposuit diuina sacramenta: quæ Moses, & diuini alij vates obscurè docuerant: siquidem neque Moses fuit in sinu patris, neque alij prophetæ nisi vnigenitus Dei filius.

¶ Obseruandum est porrò varias de videndo Deo, erupisse olim sententias. Quidam enim dixerunt Deum neque ab angelis, neque ab hominibus esse visibilem. Itaque omnibus creaturis rationalibus diuinitas non est visibilis clarè & apertè. Et quod traditur de Mose, de Iacob, de Esaia, & reliquis, qui commemorantur vidisse Deum, hoc exponūt Chrysostomo. Theophil. Cyrillus, Theodo. per similitudines vidisse hos Deum non tamen clarè cōspexisse diuinam essentiam. In hanc sententiam videtur iuisse Chrysostomus Homilia. 10. in Matthæum, & Theophilactus, comm. præsentis loci, Et Theodoretus in dialogo cui titulus est. Immutabilis. Cyrillus libr. 1. in Ioann. cap. 22. Soli inquit, consubstantiali filio pater visibilis est, & nulli preter eum alij.

Varia placita de videndo Deo.

¶ Aliorum verò extitit opinio, hominibus quidem esse Deum inuisibilem, non tamen angelis, quia legunt. 1. Timoth. 6. quem nullus hominum videt, sed nec videre potest. At de angelis legunt, Matth. 20. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.

¶ Alij verò patris Deitatem sibi solum esse visibilem contendunt, filio credentes etiam esse inuisibilem.

¶ Alij deniq; distingunt inter claritatem Dei, & naturam Dei: claritatem Dei esse visibilem ab hominibus fatentur, non tamen Dei naturam.

¶ Has porrò sententias in præsentiarum differere non subit, quia in. 4. Sentent. distinct. 49. qua potuimus diligentia diserras dedimus. Sat erit nunc certe dixisse, quædam de videndo Deo dogmata, diuinitatem, videlicet, esse quidem incomprehensibilem à creatis omnibus mentibus: cæterum esse visibilem clara visione à mē tibus creatis.

¶ Veruntamen mentes creatæ ex suis natiuis viribus nequeunt videre clarè diuinitatem, nisi inuentur lumine supernaturali, quod appellitant lumen gloriæ.

Certissima quædam dogmata de videndo Deo.

¶ Homines verò quandiu mortalem degunt vitā, ex Dei ordinata potestate, non possunt claram Dei assequi notitiam.

¶ At ex absoluta Deo subest se ostendere mortalibus, mortalem etiamnū agentibus vitam. ¶ Quod si Moses Deū vidit, & Paulus, absolutæ Dei potētiæ dandum est. Abstracti tamē à functionibus sensuū fuerūt videndo Deū, & ita in raptu viderūt.

¶ Quod autem Ioannes modo ait, Deum nemo vidit vnquam, est consentiens Mosi, Exodi. 33. Non videbit me homo, & viuet, & Paulo, quem nullus hominum vidit, aut videre potest, & omnia eandem sortiuntur intelligentiam.

¶ Quippe ex naturalibus viribus Deus ab humana mente visibilis non est. Et secundum ordinem à Deo præscriptũ mortaliũ nullus videbit Deũ mortalem agens vitam. ¶ Verum si damus Mosem, vel Paulum saltem raptim vidisse Deum, dicet aliquis forsan nõ esse ob hanc causam præferendum Christum Mosi, quia obiectio prior ex hac hypothesi etiamnum viget siquidem vterque vidit Deum.

¶ Cæterũ quod August. arrisit, Mosem vidisse in monte Sinai Deum, non est indubitatum: illo porrò admisso dices Mosem vidisse raptum, Christum vero mortalem ducentem vitam perseueranter. Ideò Moses nõ fuit in sinu Dei patris, sed Christus est in sinu Dei patris, idcirco solus ipse cœlestia potuit clariùs enarrare mortalibus. At forte dicet aliquis, anima Iesu Christi etiam suapte natura nõ potuit videre Deitatem, nisi præsidio luminis gloriæ fota, igitur nõ ipsa fuit in sinu Dei patris, neq; vidit clare omnia secreta Deitatis. ¶ Rursus, Christus secundum humanam naturam non erat in sinu Dei patris, siquidem secundum illam nõ est Deo patri consubstantialis. Est namq; humanitas illa creatura, & creatura non est Deo consubstantialis: igitur non potuit secundum hanc rationem videre omnia diuina sacramenta.

Anima Christi suapte natura non potest videre diuinã essentiã

¶ Respõdebis primo, fatẽdo animã Dñi, non vidisse, aut posse videre clarè Deitatem suapte natura, nisi ex opera luminis gloriæ, quod tamẽ copiosius, quã omnes, vel angelicæ, vel humanæ mentes obtinuit. Cęterùm ex coniunctione cum diuino verbo clarissimam sortita est scientiam omnium rerum, vel naturalium, vel supernaturalium, & multo clariorẽ, quam animæ omnes prophetarũ nõ sunt assecutæ.

¶ Secundo respondebis donando argumẽto quod præfert. Cæterũ hic homo Christus Iesus, non qua homo, sed qua Deus est, in sinu est Dei patris, ideò hic homo est vnigenit⁹ filius Dei, & in sinu est Dei patris, illique coæternus, & ideò hic homo suapte natura vidit diuinã essentiam clarissima, imò infinitæ claritatis notitia, non tamen quatenus homo, sed quatenus filius Dei: nam hic homo personam diuinam denotat demonstrando Christum. Quamobrem ipse enarrauit nobis mortalibus clarius, & explicatius viam Dei, & Euangelicam demonstrauit gratiam, quam cæteri. At occines, quænam est istha:c claritas, quãdoquidem fides incarnationis, & Eucharistiæ, & Triadis mysterium & cæterorum, quæ fides comprehẽdit valde est obscura? Respondebis Christum sua prædicatione clarè docuisse omnes gentes egere fide & baptismo, & sacramentis alijs, si volent assequi vitam æternam. Et clarè etiam docuisse supplicia æterna manere, non credentes, & coronas æternas verè credentes, & alia huiusmodi. Non tamen fidem Trinitatis claram fecit, aut aliorum mysteriorum fidei, siquidem fieri nequit fidem esse claram: quippe claritas soluit fidem.

Christus enodatius declarauit credenda omnia & agẽda quam prophetæ.

¶ Sufficit igitur Christum apertè se docuisse esse verum filium Dei, & Messiam per legem proclamatũ, vt illi credamus. Et demum credenda omnia, & agenda, siue ex necessitate præcepti, siue ex perfectionis sublimitate clarius, & potentius docuit, quam prophetæ omnes. Quia erat vir potens opere & sermone, vtpote qui erat vnigenitus filius Dei. Quocirca hic vnigenitus se vocat mũdi lucẽ, quia nõ solũ manifestauit diuina Iudæis clarius quã eorum vates manifestarant, sed vniuerso orbi fidem suam propalauit. Imbuens enim suos Apostolos, & discipulos Euangelica sua doctrina vniuersus orbis docetur à Christo per hos, quos ipse constituit Christiani orbis duces, ac magistros.

ENARRATIO XXXX.

in caput primum.

¶ Et est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi, ab Hierosolymis.

HÆC est pars sexta Euangelij huius, in qua Ioann. tempus testimonij suprà citati indicat & fuerit. At Origenes secundum hoc putat testimonium Baptistę de Christo, primum enim dixit illud fuisse, quod incepit in il-

lo

lo verbo, Hic erat, &c. & desinit in anteacto sermone, Vnigenitus filius, &c. Origenes namq; cõmemorata verba omnia censet esse testimoniũ primum Baptistæ de Domino Iesu, & non esse discipuli, vt ipse ait, sermonem. Secundum vero testimoniũ esse modo in verbis istis testatur, Quod refert Euangelista, & hoc est testimonium Ioann. subaudiens esse testimonium secundum.

¶ Theophil. verò & Chrysost. atque Rupertus, non hoc existimant esse secũdum testimonium præcursoris de Christo. Sed per verba hæc Euangelistam explicare tempus, quando præcursor perhibuerit testimonium supra relatum. Hic erat, quem dixi, &c. volens docere quo tempore præcursor illud testimonium perhibuerit ait, Et hoc est testimoniũ Ioannis, quãdo Iudei miserunt sacerdotes ad eum interrogaturos, num ipse esset Christus? Etenim postquã Baptista legatos à Iudeis sacerdotes absoluit respondens se non esse Christum, sed alium multo se digniorem, & potiorem, qui erat ignotus Iudæis, & inter illos degens, postera die ipsum Iesum demonstrauit præsentem ad sensum, & perhibuit testimonium de Christo, quòd supra denarrauit Ioannes Euangelista, scilicet, Hic erat, quem dixi, Qui post me venturus est, &c. Itaque hoc testimoniũ Baptistæ primo relatum ab Euangelista fuit posterius, quia subsecutum fuit testimonium, quod perhibuit de Christo ad interrogationem sacerdotum, quos legauit Hierosolyma, cuius in hoc capitulo mentio fit. Tertium autem testimonium fuit cuius paulò post fit mentio, quando Baptista discipulis suis ostendit Iesum venientem ad se: dixitque, Ecce agnus Dei, &c. vt sub hæc declarabitur.

Testimonia præcursoris de Christo.

¶ Obseruandum est autem ex hac legatione constare eo tempore apud doctos Hebræos creditum fuisse ex lectione prophetarum, & obseruatione temporum ab illis prædictorum de Christi aduentu iam tum esse tempus impletum de Christi aduentu. Enimuerò non adornassent tam illustrem & insolitã legationem, vt quærerent, num præcursor esset expectatus à Iudæis Christus. Namque si idiotæ homines istud quæsiuissent, ignorantiæ illorum daretur interrogatio. At verò postquam non vulgares homines, sed sacerdotes destinantur, & leuitæ, & non quales cunque, sed metropolitanę totius Iudææ vrbis, vbi erat celeberrimum templum Salomonis, & vbi sacerdotiũ præfulgebat dignitate pontificia, & doctrina sacra florebat amplius, & vberior erat, quã apud alios Iudæorum sacerdotes, vel leuitas certum est illis tunc cõfessum fuisse Christum, vel iam venisse occultè tamen, aut aduentare iam, & in ianuis esse. Ideoque solennem instituit metropolis Iudææ legationem, mittens primores sacerdotio & religione. Quia destinauit sacerdotes, & phariseos vt sciscitarentur à Ioanne, an ipse esset Christus?

¶ At verò forsan exquiret quispiam, cum esset indubitatum Christum futurum ex prosapia Dauid, namque Matth. 22. Dominus quærit, Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? dicunt ei, Dauid. Phariseri enim, vt docti ex lege & prophetis scitè respõderunt Christum filium futurum Dauid.

Christus ex prosapia Dauidica.

¶ At liquidum erat Phariseis & sacerdotibus Ioannem esse filium Zachariæ Pontificis, ideo non esse filium Dauid, sed ex Aaron ducere genus, cur ergo ad Ioãnem destinauerũt legatos super quæstione ista, an ipse esset Christus, cum certum esset apud illos, eundem non esse filium Dauid?

Baptista ex genere leuitico iuxta lineam masculinam per fœmininam ex Dauidico genere.

¶ Quod si dixeris forte Baptistam ex fœminina linea duxisse genus ex Dauid, etenim Elizabeth mater Baptistæ, habuit Stollanum, & Emerentianam parentes, qui progenies erant Dauidica. Vtiq; neque hoc expedit motum dubium, siquidem Hebræi non ducebant generationis lineas per fœminas, sed per viros, propterea Ioannes non censebatur filius Dauid, sed filius potius Aaron, vel Leui, ex quorum stirpe deriuabatur per lineam virilem. ¶ Porrò autem si placeret quod Chrysosto. & Theophil. docent legatos huiuscemodi ex industria missos à Iudeis, vt adulatione, & blãditijs eblãdirẽtur cõfessionem Ioannis concedentem se esse Christum, vt ex hac eblãdita confessione prorsus inficiarẽtur Iesum esse Christũ, quia hunc odio habentes, vt à vero Christo se subducerent falsum christum eblandiebantur. Cæterum res dubia satis hæc est, siquidẽ Baptista testante hoc loco eo tẽpore, Pharisæi & sacerdotes, & leuitæ

nescíebant Christum. Medius, ait, vestrũ stetit, quem vos nescitis. Si ergo verum Christum non cognoscebant, quomodo odio habebant, quem nesciebant? Quãdo, vt amare nequimus incognita, ita neque odio habere. Quamobrem dicendum videtur, quædam fuisse, quæ excitarunt animos sacerdotum & aliorum, vt rem dubiam traherent apud se hãc, scilicet, si Ioãnes Christus erat, quẽ Iudæi ex lege venturum expectabant.

Rationes suadentes & dissuadẽtes Iudæos Ioannẽ esse venturũ Christum.

¶ Primo quidem, quia tempus aduentus Christi à Daniele pronunciatum impletum obseruabant.

¶ Secundo autẽ, quod fama frequens erat apud turbas si forte ipse esset Ioãnes Christus, vt Lucas meminit. cap. 3.

¶ Rursus vitæ Ioannis sanctitas, & austeritas dictæ, qualem apud alios veteres vates fuisse non credebant.

¶ Præter hæc nouitas officij, videlicet, baptismi administratio, quam gerebat Ioannes ex Dei autoritate, qui misit, inquit me baptizare, &c. Et hanc baptismi administrationem in remissionem peccatorum nullꝰ veterũ prophetarũ exercuerat. Ideò Ioannem cæteris omnibus esse digniorem prophetã coniectabant: vnde & esse Christum suspicabantur: quia Christi hoc esse futurum munus ex prophetis tenebãt. Effundam super vos aquã mundam, &c.

Ezech. 10. Iudæi credebant à Christo instituendũ baptisma in remissionem peccatorum.

¶ Dissuadebat autẽ eos, quia Ioãnem cernebant non esse filium Dauid, verum hãc dissuasionem mulcebant, sibi obijcientes ex materno genere Dauidicam Ioãnem esse sobolem. Propterea ergo præhabitã instituunt legationem, vt certum discant à Ioanne. Et expẽde quanti fecerunt Ioãnem, quia ex illius ore propriæ rei pendebat testimonium. Nam ipse si asseruisset esse Christum, haud dubium ipsi fidẽ tribuerent. At verò, vero Christo se asserenti esse Christum, & multis miraculis illud cõprobanti, & Ioãne idem declarante suis testimonijs, illi fidem non tribuerunt.

Iudæorũ cæcitas expectantiũ vsque modo Christum.

¶ Ioanni itẽ credunt neganti se esse Christum, & confitenti verum Christum non credunt. Vt discas quam verum sit, quod Moses ait, Sẽsus, & cogitatio hominis, ab adolescẽtia sua ad malũ prona sunt. Et cõsidera etiam quanta sit obdurata nequitia Iudæorũ modo, qui prefracta impudentia Christum venisse negant. Quandoquidẽ sub ætate Ioãnis iam credebatur aduenisse, vel quod opportunũ erat aduentus tempus vt prædiximus. Cui accedit quꝺ Act. 5. traditur Theodam sub illis temporibus se dixisse esse Christũ, quem expectabãt Iudæi: & item Iudã Galilæum, id quod testimonio est, iam illis diebus creditũ esse opportunũ tẽpus aduẽtus Christi, nam ex illa opportunitate rapuerunt commemorationem occasionem asseuerãdi se esse Christũ. Quid ergo huc vsq; miseri expectant Iudæi post tot transacta secula.

ENARRATIO XXXXI.
in caput primum.

¶ *Miserũt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et cõfessus est, quia non sum ego Christus.*

ERasmus culpat hanc lectionẽ, quia aut vertẽdũ erat sine cõiunctione, cõfessus est, nõ sum ego Christus, aut mutãda erat persona pronominis, Cõfessus est se non esse Christũ. Quippe nostra lectio inquit denotat, quod Baptista est confessus, quod Euãgelista scribens hęc, non est Christus. Cęterũ quia, ita hoc loco vt in alijs plerisque multis vulgatæ editionis vsurpatur quia pro quod, ideò cessant Erasmicæ obiectiones. Theophilacti autem interpres, legit sine cõiunctione, Confessus est, non sum ego Christus. Meminit porro Euãgelista huius legationis, vt amplius constituat, quod supra dixerat, de Baptista, Nõ erat ille lux, sed vt testimoniũ perhiberet de luce. Hoc igitur cõfirmat modo ex verbis Baptistę dicẽtis, Nõ sum ego Christꝰ.

¶ Et tu cõsidera, quã vana sit nostræ mortalitatis cõditio. Ad Ioannẽ mittũt Iudæi põpaticã legationem, an sit ipse Christus exquirentem: ad Christũ vero nullos destinant legatos. Quod si dixeris, eò factũ, quia nõdum Christus claruerat, quippe qui ignotus erat. Sed quid post Ioannis testimoniũ celebre hoc. Nõ sum ego Christus, sed medius vestrum stetit, quẽ vos nescitis, & post alia testimonia quæ hoc in loco ab eodem Ioanne inculcantur, post miraculũ editum in Cana Galilææ, post miraculum aliud editũ in Capharnaum, nobilissimo Galilææ emporio, cur obsecro non se flexerunt Iudæi, vt si non

aliam

Hominis ingenium ad vana proclive.

aliam saltem illã facerent ligationem quã Ioanni destinarũt? Nullam equidem causam inuenio etiam si solicitè exquisierim, nisi quod vanũ & superbum est humanũ ingenium. Indignabantur sanè se subdere Christo & affectabãt se subijcere Ioanni. Quippe Christum vilem putabant, fabri filium illum reputantes, Ioannẽ vero magnatem, & magnatis filium. Itaque, vt vmbratiles, lucem veram fugiebãt, & vmbras amabant, veritatem spernebant, & quod ipsi confinxerunt mendacium multi faciebant. Cæterum Baptista quam Iudæi præ termiserunt, Christo fecit legationẽ, mittens discipulos suos scisciturus, Es tu qui venturus es, an alium expectamus?

¶ Interrogant igitur, Tu quis es? Et quidem, quia hæc interrogatio est admodum nuda, neq; tantæ legationi congruens nõ ab hac exorsos esse legationem sacerdotes & leuitas crediderim, sed ad hanc rationem exorsi sunt. Magistratus Hierosolymitani, admodum venerande nobis Baptista, scientes te prænunciatum esse ex angelico oraculo, & scientes te cælestẽ potius, quam humanam agere vitam, & scientes insuper tempora à Daniele definita de aduentu Christi iam impleta, ad hæc apud turbas fama increbruit te esse quem expectabamus, Christũ, ex quibus omnib⁹ cautis magistratus prænominati decreuerunt nos ad te destinare legatos, vt exploremus ex te huius rei veritatem, si tu es qui venturus est, Christus, an sit expectandus alius. Hac ratione existimo moderatã fuisse horum legationem, aut alia huic simili. Siquidem Ioãnes illis erat quam notissimus, & natalia eius illis fuerunt celebria. Nam Lucæ. 2. Timor cepit Iudæos vicinos, ex mirabilibus quæ acciderunt in natalibus Ioãnis. Item diuulgata etiam fuerunt mirabilia hęc in omnia mõtana Iudææ. Non ergo congruens esset interrogatio, Tu, quis es? Si ego enim interrogarem hominem mihi notissimũ, Tu quis es. Nãq; huiusmodi interrogatio ad ignotas personas defertur, vt ex illa innotescant. Baptista autem ex natalibus etiamnũ notus erat quidquod baptismatis nouitas, illũ fecerat illustriorẽ.

Baptista ex multis celebris apud Iudæos.

¶ Accedit istis quod ex responsione Ioannis patescit qualis fuerit interrogatio legatorum, quia confessus est, Non sum ego Christus. Hoc ergo exquisierant, an ipse esset Christus expectatus à Iudæis.

¶ Ad hæc, si hoc modo interrogassent legati prompta erat responsio. Ego sum Ioãnes Baptista. Vnde euangelista non dicit legatos interrogasse Ioannem, Tu quis es? Sed solum ait, quod missi sunt, vt interrogarent Ioanem quis nam esset. Itaq; euãgelista docet iniunctam fuisse legatis legationem super quæstione hac, quis nam esset Baptista. At non inquit legatos hoc interrogasse, sed solum responsionem exponit Baptistę confitentem se non esse Christum, vt ex respõso, interrogationem qualem fuisse discamus.

¶ Confessus est, & non negauit, confessus est, &c. Equidem non negare est affirmare. Idem igitur dictu est, Confessus est, & nõ negauit, ac si dixisset, Confessus est, & affirmauit. Igitur ter affirmat se nõ esse Christum, vt ex hac trina confessione discamus baptistam vehemẽtissimè affirmasse se non esse Christum. Nam quæ valde volumus a ijs intimare, illa repetito sermone inculcamus.

Quę nitimur valde intima re alijs repeti to sermone inculcamus.

¶ Vnde promptum est colligere sacerdotes, & leuitas multis prætendisse baptistã pertrahere in cõfessionẽ diuersam. Quandoquidem baptista, ter repetita confessione, negat se esse Christum sæpè repetendo veram confessionem, vt illorum obtunderet molestam interrogationem.

¶ Soluta autem hac prima & precipua interrogatione ad aliam se transferunt legati sciscitando. Quid ergo, Elias es tu? Et sciscitantur inferendo. Quid ergo Elias es tu? Credebant namque Iudæi Eliam præuenturum aduentum Messiæ. Siquidem locũ illum Malachię. 3. Ecce ego mitto angelũ meum, qui præparabit viam tuam ante te Iudæi ad Eliam Thesbitem retulerunt, vt testis est Hieronymus in Malachiam. Et nunc recutiti Iudæi similiter intelligunt: ideoque etiam nunc expectant Messiam, quia persuasum est illis præuenturum aduentum Messiæ primum Eliam, qui non dum præuenit. Et anabaptistæ ad eundẽ sensum locum hunc accipiunt, refragante tamẽ veritate: quia dominus apud Lucã. 7 & Matt. 11. Locũ hũc docuit de Ioãne Baptista esse intelligendum. Est sanè verum Baptistam præuenisse primum aduentũ, vt Elias præueniet secundum Christi aduentum, & ideo vocatur etiã Elias. Lucę. 1 Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in

Locus Malachiæ male à Iudæis & anabaptistis intellectus.

filios id quod de Elia prædixerat Mala. c. 4 Et Matth. 17. Elias iam venit &. 11. Si vultis recipere ipse est Elias, qui venturus est. Si vultis, inquit, recipere, quia etsi re vera Elias non erat persona Baptistæ, at in spiritu & virtute, & præuentione aduentus Christi referebat Eliam.

¶ Legati igitur credentes Eliam futurum Christi præcursorem, etiam si siniſtrè quia credebant Eliam præuenturum primum Christi aduentum non rectè interpretantes locum Malachiæ 3. Postquam Ioannem negantem se esse Christum audierunt, inferant. Si non es tu Messias, eris igitur illius præcursor Elias, itidē Christum qui dam putauerūt esse Eliam, decepti ex opinione credenti metapsycosim.

Mar. 6. Sadducęi sedu cti credebant metapsycosim videlicet animarū trās migrationem ex corpore in corpus.

¶ Et scitō, ex lege & prophetis, tres erant propositæ personæ expectandæ ab Hebræis in salutem suam. Altera erat prophe ta ille, cuius fit mentio. Deute. 18. Prophe tam suscitabo de medio fratrum suorum si milem tui. Et ponā verba mea in ore eius: loquetur̄que ad eos omnia, quæ præcepero illi, &c. Persona altera erat Ioānes Baptistā, ex verbo Mala. 3. indicato. Quāuis vt aiebam, hunc textum torquebāt Iudæi, & torquent ad Eliam, & inde intulerunt, si tu nō es Christus, eris certe præcursor eius Elias. Cum certius debuisset inferre, Eris igitur angelus ille, cuius meminit Malachias. 3. qui est futurus præcursor primi aduentus Messiæ.

¶ Tertia persona erat Elias Mala. 4. Qui præueniet aduentum nouissimum Christi. Passi iam secundo repulsam legati, etiā num instant interrogando tertio, Propheta es tu? Et Ioānes inficiatur se esse prophe tam. Qui locus multifariā exponitur, aut quod Ioānes non inficietur se esse prophe tam, siquidem prædixerat Zacharias pater eius, Et tu puer propheta altissimi vocabe ris: sed inficiatur se esse prophetam illum, quem Deute. 18. scripserat Moses. Huic tamen expositioni (quæ vulgata est, quia Græcus articulus emphaticus adijcitur no mini propheta) obstat, quia iam exquisie rant in prima interrogatione legati an Ioā nes esset Christus. Quorsum ego nunc se cundo idem inquirerent, si quidē prophe ta ille Christus erat? Origenes dixit, sacer dotes illos & leuitas non credidisse illum prophetā quē scripserat Moses esse Christum, sed alium futurum à Christo: & ideo

Locus Mala. de hoc male ſ intelligitur.

sciscitati sunt à Ioanne, esset ne propheta ille postquā negauerat se esse Christū. At verò mihi difficile istud creditu est, quod sacerdotes putassent illum prophetā, quē scripserat Moses esse aliū à Christo. Enim verò nullum alium prophetam expectabant nisi Christum.

¶ Forte igitur dicemus legatos illos non latuisse prophetam illum esse Christum: at verò captiosè sciscitasse, Num propheta ille es tu? Idem sanè intelligentes per hāc interrogationem, quod per priorem intel lexerant. Cæterum captiosa fuit interrogatio mutādo formam interrogationis: ex qua mutatione ducebāt apud se forsan Baptistam fallendū r & quod negarat in principio, confiteretur in fine. Quod si confiteretur illi continuo obijcerent, Cur ergo fateris te esse illum prophetam, & inficiaris te esse Christum, quādo propheta ille qui expectatur Christus est? Et ex propria cō fessione conuincerent Ioānem esse Christum, id quod obnixe prætēdisse videtur. Augustinus verò aliter nodum hūc soluit, negligens articulum emphaticum, quia sæpe nihil significat, Ioannem negasse se esse prophetam, quia maior erat prophetis. Isti namque ostenderunt Christum venturum à longe, at Ioannes digito illum ostendit dicens, Ecce agnus Dei, &c. Vnde Matthæi. 11. Quid existis videre in desertum prophetam? Amen dico vobis & plusquam prophetam. Et videtur probabilis hæc intelligentia, nam propheta est qui rem futuram videt: at Ioānes prę sentem Christum demonstrat.

Legatorū ad Ioannem captiosa interrogatio.

Articulus emphaticus Græcis aliquando nihil significat.

¶ Quod si sciscitaris, Cur rogitant, si est Elias Ioannes, cum apud illos euidēs erat Baptistam esse Zachariæ filiū? Origenes respondit legatos hoc interrogasse, si forsan apparebat Elias in Ioanne, itaque secundum eum interrogatio hunc habebat sensum, num Elias tibi est incorporatus, & sub persona tua ille loquitur nobis? Cæterum, vt dudum cōmemorabam, secta erat Hebræorum quorundam id temporis, quę fuit Pythagoræ opinio, animas trāsmigrare ex corpore in corpus. Vnde processit, quod quidam dicebant, dominum Iesum esse Ioannem Baptistam, alij Eliam. &c. Et quamuis legati forte dogma non credidissent, at sequētes aliorū opinionem sciscitati sunt, Quid ergo Elias es tu?

ENA-

ENARRATIO XLII.
in caput primum.

Dixerunt, quis es vt responsum demus his, qui miserunt nos.

SVBIT mirari cum compertum esset legatis Ioānem Baptistā esse filiū Zacharię, & magna quæ in illius natalibus acciderant essent vulgatissima apud Iudæos Lucæ. 2. Cur quærunt tam solicitè, Quis es? Nisi quis admirationem soluat dicens, ex mirabili munere baptizandi, quod Ioannes noue instituerat, adductos Iudæos in quæstionem præhabitam. Etenim baptismi huiusmodi institutio noua erat, & insolita Iudæis, quam neque pontifices, neque sacerdotes, sed neque prophetæ ipsi ausi fuerant instituere.

¶Cernētes igitur Ioannem ausum fuisse instituere nouam institutionem baptismi pœnitentiæ in remissionem peccatorum, & quod turbæ confluebant agminatim ad ipsum, vt baptizarentur, & rursus cernentes illum prædicare clare regnum cælorū, & quod sine literarum studio, cœlitus videbatur instructus, vt turbas voluntatē Dei doceret, inde suspicati sunt in Ioanne aliquid maius Ioanne: ideo instant rogitando, Quis es tu? Quasi dixissent, Quis es tu, qui ritum nouum, baptismi instituis. Quis es tu, qui cælorum regnum apertius, quam prophetæ priores prædicas? Et re vera maximè timebant Iudæi Ioānem, siquidem neque pontifices, neque sacerdotes qui alioqui videbātur legis obseruantissimi illi obstiterūt, quo minus baptizaret, tametsi nouam cernebant esse illam baptismi institutionem, & extra legem suam. Ideoq; solicitè quærunt, Quis es tu? quasi exquirentes in qua potestate, vel qua fretus autoritate nouam baptismi cæremoniam nobis intendis? qua ratione nouum baptizandi opus attentas, quod prophetæ alij non attentauerunt? Porro Ioānes hæc obiecta diluit respondens, se esse vocem clamantis in deserto, parate viam dni. Indicat Esaiā, cuius verba sunt. cap. 40. Ex verbis istis facile docens se in Dei potestate, & ex diuina autoritate venisse testaturum Christū, & se esse instar præconum, qui clamant aduentante principe, parate vias, & aspera tollite, plana facite itinera, vt nihil sit in via tædij vel molestia ingressuro principi. Itaque verba Esaiæ de se esse intelligenda demonstrat Ioānes. Ego vox clamantis in deserto. Vox sanè, quia testimonium exhibuit de præsente Christo. Alij vates scripto demonstrabant venturum, at Ioannes indice prodit. Dixit autem Aristo. lib. Periher. 1. Voce vtimur ad præsentes, scriptura ad absentes. Ideo Ioannes se appellitat vocem, quia prædicabat præsentem: alij vero prophetæ non erant voces, quia scriptis suis Christum indicarunt. Vox rursus quia præco fuit Ioanes Christi, præco autem voce clamat, non scripto Sunt autem verba Esaiæ, Vox clamantis, Hebraicè Vox clamans.

¶At verò Baptista se vocat vocem clamātis, ideſt, viri clamantis. Quippe non clanculum, sed coram omnibus patenter tulit testimonium de Christo, vt ex dictis & dicendis constabit.

¶Vox clamantis, vtique ad longe distantes vtimur clamoribus, & ad dormientes, altove somno correptos, vt excitentur, & ad surdastros. ¶Isti enim egent clamoribus sonoris: ex clamore enim excitatur dormiens, & surdastri percipit auditus, & qui longe situs est ex potētia clamoris vocē sentit, quia ex illo poterit moueri eius auditus. Rectè ergo dominus Esaiæ iubebat, vt clamaret Nempe quia homines lōge absumus à via spiritus: demersi enim sumus in ergastulo corporis: & ideò valde distamus, ab spiritualibus doctrinis exequēdis. Dormimus etiā altissimo somno, quia rerum sensibilium solicitudo nos admodum premit, ne ad cælestia referemus auditum. Instar surdastri sumus à quo, nisi grandi circa illum sonemus voce, non audimur. Ita dominus, nisi magnis nos deterreat terroribus supplicij venturi non percipimus diuina.

¶Baptista igitur se vocat vocem clamantem, aut clamantis: quia impleuit diuina iussa, quæ Esaiæ iubebant, vt clamaret: nam Ioanni idem impositum fuit munus, vt clamaret. Iudæi namque profundo suorum peccatorū tenebantur somno, & longè erant à vijs Dei. Sicut exaltantur, inquit, cæli à terra, ita viæ meæ à vijs vestris dicit dominus. Et rursum, populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Quia ergo procul erant à Deo clamant ad illos Ioanes. Vnde supra dixerat euan-

Ob tres causas prophetæ clamabant & Ioan. clamauit.

Esaiæ. 55.
Esaiæ. 29.
Matthæi. 15.

Baptista vox cur appelletur.

euangelista, Testimonium perhibuit Ioānes, & clamans clamauit ad milites, clamauit ad publicanos: clamauit ad turbas, monita salubria illis impartiens. Denique Iudæorum agmina baptizabat, & clamabat dicens. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.

Luc. 3. Matth. 3.

¶ Sunt qui intelligunt ex Græcis, vox clamantis, hoc est, Dei clamantis. Nam sapiẽtia foris clamitat, in plateis dat vocẽ suam, Prouerb. 1. Itaque Ioānes est vox clamãs, estque vox clamantis. Deus enim clamat interiùs, & prædicator exteriùs. Et nisi Deus clamitet interiùs frustra prædicator clamat exterius. Nam neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Possumus etiam intrã sitiuè verba hæc intelligere, Vox clamantis, hoc est, vox clamans, aut quæ clamat, vt creatura salis, ideſt, creatura, quæ est sal, filius gehẽnæ, ideſt gehẽnalis, filius iniquitatis, ideſt, iniquus. Hæc est vox illa, cuius meminit Psalm. 28. Vox domini super aquas, scilicet, quia Ioānes super Iordanicas aquas clamabat: baptizãs enim in Iordane baptizatis suadebat criminum pœnitentiam. ¶ Deus vtique maiestatis ibi supra Iordanis aquas intonuit, vox namque illa exonuit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi, &c. ¶ Dominus super aquas multas. Quia Christus seruator noster tactu suæ mundissimæ carnis, Iordanis tangens aquas illas in baptismi materiam sanctificauit. ¶ Vox hæc est vox domini: siquidem Ioannes missus fuit à Deo, vt clamaret, vt supra est commemoratum. Fuit homo missus à Deo.

1. Cor. 3.

Vox Ioannis super aquas.

¶ Non enim se intrusit, non vsurpauit munus vocis, sed à Deo ad hoc munus obeundũ delegatur, & mittitur. Vtique hæc vox domini non est debilis vox, qualis est nostra, sed potens vox, siquidem omnes Iudæorum turbas diuitum, pauperum, militum, publicanorum, virorum, & mulierũ, ad se trahebat, illos exhortans viã salutis. ¶ Corpus suum incredibili parsimonia castigans, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficeretur: vox item in virtute, valide reges reprehendens, nedum homunciones. Nam Herodem palam obiurgat, & de incestu cum Herodiade apertè illum carpit. An non dices vocem hanc esse potentem, quæ regum iras nõ formidat? Vox hæc domini in magnificẽtia, magnifica sane vox est, quæ magnifica promittit non subdolè, sed veraciter. At quid est quod promittit hæc vox pœnitentibus? Vitam equidem æternam, quò nihil est magnificentius.

Vox Ioan. potens.

Vox Ioan. magnifica.

Pœnitentiam agite, inquit, appropinquauit enim regnum cælorum. Hæc vox est domini confringens cedros, an non sunt cedri Sadducæi, Pharisæi, & Scribæ, quia sibi nimis gratulabantur in vitæ sanctimonia, & cæteros despicabantur, vt ille est nobis indicio, qui in templo orans sua tumidè iactabat bona, & humilem publicani spernebat pœnitentiam. Lucæ. 18.

Vox Ioannis confringens phariſæos.

¶ At Ioannes cõfregit illas cedros. Luc. 3. Genimina, inquiens, viperarum, quis vobis demonstrabit fugere à ventura ira? Vnde Matth. 3. Videns ait, multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis. Progenies viperarũ, quis vobis demonstrabit fugere a ventura ira? Ioannes autem, qui erat vox confringens superbiã Pharisaicam, item erat vox præparans ceruos, vt in Psal. eodem commemoratur, Vox domini præparantis ceruos. Sunt namque cerui homines, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, qui sicut cerui ad fontes aquarum, ita ipsi diuinas scire & implere iustificationes exoptant. Hæc denique vox reuelauit cõdensa. Quia quæ per typos & ænigmata lex & prophetæ prædixerant de Christo, hæc vox sine typis, sine ænigmate, clarè resonat dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ioannes vox deijciens cedrorum celsitudinem.

Ioan. sine typis & vmbris clarè demonstrauit Christum.

ENARRATIO. XLIII.

in caput primum.

Vox clamantis in deserto, Dirigite viam domini.

MATTHÆVS, Marcus, & Lucas referũt Esaiam hæc dixisse, & asserunt de Baptista esse intelligenda. Lucas enim ait, venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in lib. sermonum Esaiæ, Vox clamantis, &c. Marcus verò non tam apertè, vt Lucas, idem docet tamen, Matthæus verò explicatissimè locum Esaiæ de Ioanne intellexit. Hic est enim, de quo scriptum est per Esaiam prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto. Porrò euãgelista Ioānes, Baptistam hũc loçum commemorat

Matthæ. 3. Lucæ. 3. Marci. 1.

memoraſſe Eſaiæ ſcribit, & interpretatũ fuiſſe de ſeipſo indicat. Interrogantibus enim legatis, Quid dicis de te ipſo? Profert de ſeipſo teſtimoniũ Eſaiæ. Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias. Verum res hæc nihil diſcordię infert inter euãgeliſtas. Quia Ioannes de ſe intellexit locum Eſaiæ, & alij euangeliſtæ de illo tradentes intelligẽdum, Baptiſtæ intelligentiam ſuo ſermone conſtituunt. Atqui Eſaias non dixit, Ego vox clamantis, ſed vox clamantis. Ioãnes verò ſibi hoc teſtimonium aptans ait, Ego vox clamantis. Eſaias itẽ, Parate, ait, viam Domini, ſed Ioannes, Dirigite viam domini, Græcè ἑυθοίμασατε, quod alias transfertur, rectas facite, alij verò euangeliſtæ dixerunt ἑτοιμασατε. parate. Et idem ſenſus eſt, ſiquidem viæ flexuoſæ, & obliquæ ſuis flexibus, & obliquitate faciunt, quo minus aduentantem proſpiciamus. Et rurſum quia via recta eſt omnium viarũ breuiſsima: obliquæ enim ſunt prolongatiores. Vnde dixit Ariſto. lineam rectam eſſe breuiſsimã. Ideo monent Eſaias & Ioãnes, vt rectã faciamus viam dño aduentanti, vt quà citiſsimè adueniat, & obliquitas viæ eum nõ remoretur. Notandum tamen eſt verba hæc, Ego ſum vox clamãtis. &c. non eſſe accipiendà ex proprietate, ſed ex trãſlatione. Enim verò autor eſt Ariſto. 2. de anima. tex. cõm. 90. vocem eſſe ſonum animalis ſignificatiuum. Neque omnis animalis ſonus eſt vox, ſed ſolum ille, qui fit ex aere reſpirato. Ioãnes autem non erat ſonus aeris reſpirati, vt vides. At eò vox dicitur, quò vox ſit manifeſtatiua conceptus intro in mẽte conditi. Sunt enim vocis ſigna conceptuum ex eodem Ariſto. vt ſcripturæ ſunt ſigna vocũ. Ioannes vero verbum illud mentale æterni patris caro factum, manifeſtauit hominibus, hacque ratione vox tranſlatitiè appellatur. ¶Vnde vox poſterior eſt ipſo verbo quod promit. Dixit autem Ambroſius, Benè dicitur Ioãnes vox verbi præmuntius, quia vox præcedit inferior, & verbum ſequitur quod præcellit, item Grego. & Theophila. Cæterum, vt dicebam, vox non præcedit verbum, quod manifeſtat. Siquidem vox eſt verbum vocale, & ideo neque eſt prior verbo vocali, neque poſterior, quia ſunt re vnum, & ratione non diuerſa. Vnde nõ præcedit, ſed ſequitur verbum mentale. ¶At quod alij dicũt prius formari vocem, quam verbũ, alienum eſt à veritate: quia vox proprie eſt ipſum vocale verbum. Ideo rectè dixit Ioãnes ſupra, ſe eſſe poſteriorẽ verbo. Ante me, inquit, factus eſt, quia prior me erat. Cæterum ſi vox referatur ad verbum, quod concipit audiens vocem, ex audita voce formans conceptum correſpondentem voci, hac ratione vox præcedit verbum mentis, quod ex voce generatur, vel ad auditum vocis à mente formatur. Et tunc verum eſt vocem præcedere verbum, & eſſe inferiorem, verbumque illam ſequi, & eſſe præcellens. ¶Verum hac ratione dicere oportet Ioannem præceſsiſſe verbum caro factum, præparando illi viam in cordibus fidelium. ¶Eſaias porro primo dixit, vox clamantis, deinde quibuſdam interiectis, adiecit. Vox dicentis. At Ioannes non ſe appellauit vocem dicentis, ſed vocem clamantis. Dicere enim etiam ſecreto contingit: ad aurem enim ſuſurrando dicimus: ac clamare, niſi palam non contingit. ¶Eſaias rurſum primo clamauit, Parate viam domini, dein vero, ex præcepto Dei clamat, Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Poſtquam enim parauerimus domini viam, tum cognoſcemus vniuerſa eſſe parui facienda propter dominũ: quia omnes homines ſumus inſtar fœni quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur. Ioãnes autem clamat, pœnitentiam agite, &c. clamat, Qui habet duas tunicas det vnam non habenti, Clamat, neminem cõquutiatis, &c. Eſt autem conſiderandum, viam domini in ſcripturis multa denotare. Iam enim diuina præcepta vię dicuntur, vnde illud, Non enim qui operãtur iniquitatẽ in vijs eius ambulauerũt. ¶Rurſum viæ domini dicuntur, modi occulti nobis, quibus res humanas moderatur. Vnde Paulus, Ininueſtigabiles ſunt viæ eius. In præſentia vero domini viæ dicuntur modi, per quos nos accedimus ad Deum, & Deus accedit ad nos. Sunt autẽ viæ huiuſmodi multifariã. Quædam ſunt viæ exteriores, vt ieiunium, eleemoſyna, & oratio. Per ieiunium enim macerando carnes ne inſoleſcant contra ſpiritum, præparamus domino viam: mitigando enim carnis rebellionem, ſpiritus fit Deo paratior. Per eleemoſynam item nos præparamus Deo quãdoquidem noſtram ſubſtantiam

Cõſenſus euãgeliſtarum.

Ioannes eſt vox non ſecũdum proprietatem, ſed ſecundum trãſlationem.

Quomodo vox eſt prior verbo, & poſterior.

Ambroſius & Gregor. exponuntur.

Dicere & clamare.

Pſal. 118.

Roma. 9.

Viæ domini exteriores, & interiores.

tiam pauperibus donamus propter dominum: vnde auaritia prosternitur, quæ Deo oppidò aduersatur. Per orationẽ verò subdimus nos Deo, & superbiæ fastus deijcitur, qui etiã nõ mediocriter Deo repugnat. ¶ At verò istæ viæ sunt exteriores, probãdæ quidem, at vero non sufficiunt, vt Deo conciliemur. Quippe accidit non rarò sub ieiunijs, sub precibus, sub eleemosynis cor esse vacuum Deo.

¶ Quamobrem aliæ viæ sunt internæ, per quas certissimè Deus fit nobis propitius, & adest nobis. Sunt autem istæ viæ cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Has que vias iam Ioannes insinuabat à Iordane prædicans, Pœnitentiã clamãs, agite. Sub pœnitentia enim hæc, quæ retulimus comprehenduntur modo. Ille ergo, qui volet dirigere viam domini, pœniteat est necesse, de omnibus delictis suis: & animo decernat opportuno tẽpore illa vocaliter instillare in aures sacerdotis, ad hoc deputati.

Pœnitentiæ via est directa via ad dominum.

¶ Pœnitentia enim rectas facit vias domini, quia obliquitatem peccatorum, & eorundem asperitatem tollit. Pœnitentia nãque facit hominem ex tortuoso, & obliquo ex peccato, propter iustitiam rectũ, ex aspero & incorrigibili, planum & Deo & ecclesiæ subiectũ. Qui ergo pœnitet & verè de sceleribus, hic dirigit viã domini, & rectas facit semitas eius. At, qui impœnitens est, ieiunet quantum volet, precetur ad fastidium vsque, in eleemosynam porrigat omnem substantiam suam nõ dirigit vias domini. Nullus enim qui iam sui iuris est, poterit nouam vitam inchoare, nisi veteris pœniteat. Neque sat tibi erit de peccatis dolere, nisi propositũ concipias illa vocaliter confitendi. Sub Iudaismo vocalis confessio non exigebatur, quia nõdum claues regni cælestis erant hominibus concessæ: ideo id temporis contritio sat erat. Verum iam modo non satis. Quippe cum grauiora sint christianorum crimina, quam Iudæorum cæteris æqualibus, plura iam exiguntur post baptismum ad absterſionem culparũ, quam olim poscebantur. Cæterum quia vera pœnitentia & præuenitur fide, & excitatur spe, & charitate sociatur, fidẽ spem & charitatẽ, quis inficiabitur esse domini vias?

¶ Porro autem viarum domini, quædam sunt, sine quibus vita spiritualis assequi nequit: & illis obstructis salutis via obditur prorsus. Et istæ viæ sunt baptismus & pœnitentię sacramentum. Baptismus via est, necessaria ijs qui foris sunt, si volunt prope esse. Pœnitentia vero necessaria est, quæ reparet post baptismum lapsus. Aliæ autem viæ domini sunt nõ ad habendam vitam, sed vt vitã abundantius habeamus: quia vitam spiritualem roborant & firmãt vehementius, quæ viæ sunt petendę ex reliquis sacramentis. Hæc nos perfunctorie, & summatim trãscurrimus, quia in .4. senten. lib. opulentius has domini vias persecuti sumus.

Baptismus & pœnitẽtia viæ domini necessariæ ad salutem.

¶ Hæ sunt viæ, quas ille dei loquus vates optabat sibi dicens. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Psal. 11. & psal. 5. rursum. Dirige domine viam meam in conspectu tuo, & sæpe aliàs. Sed quid est quod ait. Vox clamantis in deserto? Miratu sane dignum est, quod Ioãnes clamet in deserto. Enim vero proclamatores diuini verbi, non deserta concedunt, sed frequentia viris, & mulieribus loca, vt circa illos possint concionari. Quis enim prædicaturus in deserta se confert, vbi arbores sunt & bestiæ quibus diuina concio nihil prodest? Verũ hinc tu expende quanta fuerit huius vocis cælestis efficacia, quæ vrbes, & frequentia loca deserta faciebat, & deserta hominibus replebat. Erat enim præcursor illius verbi, qui trahebat etiam post se ingẽtes turbas, & per deserta loca peregrinantes, propria non desiderabant domicilia ex feruore diuini audiendi verbi ab ore ipsius, qui erat verè verbum. Ioãnes igitur in deserto clamat, & desertas virtutibus mentes ex semine diuini verbi fœcundat. Vnde huiusmodi deserta conuertebat in vbertatem spiritus: siquidem ab eo baptizati confitebantur peccata sua.

Sacramenta quædam sunt viæ, vt vitam abundantius habeamus.

Ioan. 6.

¶ Quod verò in Esaia distinguitur, Parate viam domini, rectas facite semitas eius, repetitio est eiusdem rei, per diuersas voces, id quod familiare est scriptoribus sacris. Euãgelista porrò reliquum quod sequitur in Esaia non retulit, videlicet, Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, id quod Lucas. 3. cõmemorat solus. Et ad literam sensus est horum verborum planus, si illa iuxta Hebraicam veritatem legamus per imperatiuum tertiæ personæ, Omnis vallis exaltetur, omnis mons & collis humilietur. Enim verò mõtes abundant terræ excrescentia, sicut & colles,

colles, valles vero destituũtur terrę plenitudine. Si ergo excrescentia montium, & collium, vnde tument adderetur defectui vallium, vnde humiliantur, tum via esset plana. Et hoc vsu venire solet si recepturi magnum principem viderint vias asperitate laborantes, per quas princeps est ingressurus: tumores enim mõtium tunc deponunt, & illos addunt vallibus, vnde via plana redditur, & iucunda ingressuro principi. Idem igitur denotare cupiens Esaias, & post ipsum Baptista, maximum aduentare principem, ex sensibili apparatu, quẽ adornant viarum principibus terrenis, homines deducunt nos ad intelligibilem nostri cordis apparatum, quem oportet ador nare Christo. Idcirco omnis vallis exaltetur & omnis mons, & collis humilietur, vt plana sit via, & iucunda ingressuro domino maximoque principi.

¶Quod si allegoriã, aut tropologiã amas, per Christi aduentum, gentes sunt exaltatæ, & Iudæi depressi. Isti namque propter supercilium suum sunt à domino abiecti: illæ vero propter obedientiam, & humilitatem sunt exaltatæ. Amen, inquit dominus, multi recũbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur foras, Matth. 8. Rursus humiles pœnitentes exaltabuntur, & inflati iusti humiliabũtur, vt publicanus ille fuit exaltatus coram domino, & Pharisæus dejectus. Lucæ. 18. ¶Appositè autem Ioã. hoc protulit ex Esaia de se testimonium. Etenim cap. illo. 40. &. 5. sequentibus dominus consolationem de ventura captiuitate tum Babylonica prædixit per Esaiã: siquidem Cyrum prædixit futurum libertatis Iudaicæ ex illa captiuitate futurum tunc assertorem. Quæ captiuitas vniuersalem generis humani captiuitãtem ex tyrannide diabolica denotabat. Cyrus autẽ Christum dominum præsignabat, qui genus humanum ad libertatem diuinę amicitiæ restaurauit: cuius restaurationis prænuncius fuit Ioãnes, ideo ait. Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini.

¶Vbi cõsidera arbitrij nostri libertatem. Iubet enim Ioannes vt dirigamus viam domini, at si libertas non esset, iussioni non esset locus. Verum quia regius vates precatur Deum, vt dirigat vias suas, domini quoque est directio nostrarũ viarum. Nos ergo dirigimus vias domini, illas amando & volendo, & dãdo illis operam: Deus autem dirigit illas nos iuuando gratia sua. Sunt ergo concordia, & gratia Dei, & liberum arbitrium nostrum: restat igitur, vt rectissimam atque breuissimam pœnitentiæ viã accipiamus, vt Christum intra nos suscipiamus. Et rectè diximus breuissimã esse pœnitentiæ viam: quippe in momento se Deo homo peccator reconciliat, si in momẽto verè pœniteat. Nullus enim vel in momento ieiunat, vel in momẽto eleemosynam impartit, aut in momento se flagellis castigat, at in momẽto pœnitere potest. Quo circa nullam igitur possumus coram Deo excusationem obtendere si non pœnituerimus, quandoquidem quomodo excusabimur, si non præstemus id, quod vel in momento præstitum Deum nobis gratũ & amicũ reddit? Lege si voles declamationes nostras ad Esaiã de pœnitẽtia.

Allegoria & tropologia.

Captiuitas spiritualis generis humani per diabolum adumbrata in captiuitate Babylonica.

Pœnitentia & rectissima, & breuissima domini via.

ENARRATIO. XLIIII.
in caput primum.

Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis, & dixerunt ei. Quid ergo baptizas?

HÆC est septima sectio huius euangelij reprehẽsionem legatorum inuidam in Ioãnem, & Ioan. apologiã continens. Porro legimus in Iosepho, lib. 18. antiquitatũ cap. 18. & lib. 2. de bello Iudaico. cap. 7. quatuor fuisse viuẽdi sectas apud Hebręos Primam, quæ pharisæorũ, Secũdam, quæ Galilæorum, Tertiam, Sadducæorũ, Postremam Essenorum. Harum autem, quæ doctrina pollebat maximè, & religione spectabilis pharisaica erat. Vnde & maiori elationis tumebat supercilio.

¶Memoratur autem Matth. cap. 3. Pharisæos & Sadducæos ad Ioannem venisse, Ioannemque illos obiurgasse vehemẽter dicens, Progenies viperarum, quis vobis demonstrabit fugere à ventura ira? Et Lucas horum item fastum. carpit. cap. 7. dicẽdo. Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioãnis: Pharisæi autem consilium Dei spreuerũt in semetipsis, nõ baptizati ab eo. Quamuis ergo venerunt ad Ioannẽ Pharisęi nihilominus nõ sunt ab illo baptizati despicantes Ioãnis baptisma. Etenim cum hoc Ioãnis baptisma celebraretur cũ confes-

Quatuor religionis sectæ apud Hebræ. præcipua quarũ erat Pharisaica.

confeſsione peccatorum. Phariſæi æſtimãtes ſe eſſe iuſtiſsimos confiteri peccata ſua detrectabant, baptiſmumque proinde Ioãnis ſpreuerunt. ¶Quo circa Ioannes in illos inuehitur vocans illos vipeream progeniem: quia venenati erant.

¶Hanc igitur forte reponere quã æſtimabant iniuriam volentes, nunc redarguunt Ioannem, quod nouum excogitarit baptiſmi ritum. Et venenum odij, atque inuidentiæ, quam gerebant contra Ioannem nunc palam effundunt dicentes, Quid ergo batizas? Sicut enim poſt modũ contra Chriſtum zelo legis inflati ſuã tegebant inuidẽtiam dicẽtes, Chriſtum violare legem, ita & modo aduerſus Chriſti præcurſorẽ iam moliuntur inimicitias, illum obiurgantes de baptiſmi nouitate.

Phariſæi inchuntur in Ioãnẽ redarguendo eum in Præcurſore Chriſti inimicitiam inchoantes.

¶Hieroſolymitani autẽ magiſtratus Phariſæos deſtinarunt legatos ad Ioannẽ, quia religione, & doctrina erant cæteris inſigniores. Et forſan ipſi legationis functionẽ ambierunt, vt occaſionem raperent opportunam vlciſcendi eam, quam reputabant ſibi à Ioanne illatam eſſe iniuriam. Vnde inquiunt, Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta? Quaſi dicerent, qua autoritate hoc nouum tibi vſurpas baptizandi officium, ſi neque tibi eſt Chriſti, vel Eliæ, vel prophetalis autoritas? Inſolens es quod attentas propria te ingerere autoritate in huiuſmodi opus, quod alioqui publicam poſcebat autoritatẽ vel Dei, vel magiſtratuum tẽpli.

¶At verò forſan ſciſcitaris. Cur modo nõ adiecerunt legati articulum emphaticum. Neque propheta ille, quem adiecerunt ſupra interrogãtes eſſet ne propheta ille? vt lectio Græca admonet.

¶Porro hoc loci additur articulus in lectione Græca, vt annotat Eraſmus. In quibuſdam enim codicibus Græcis, etiam hoc loco legitur propheta cũ articulo. Et Theophilactus expreſſe legit cum articulo, Si tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta ille. ¶Sunt autem qui exiſtiment vt Ianſenius. lib. cõm. in concor. cap. 13. & Ioan. Ferus, neque hîc eſſe neceſſarium articulũ, neque ſupra, & nihil emphaſis habere, ſed ſimpliciter rogitaſſe legatos an eſſet Ioan. propheta, & Ioãnes negans verè ſe negaſſe eſſe prophetam, quales erant priſci prophetæ: qui ſub nubilo typorum Chriſtum adumbrarunt venturum: Ioannes vero non futurum ad præſentem ſine ænigmate indicat.

Ioãnes Ferus Ianſenius nõ probãtur.

¶Porrò autem propheta appellatus eſt à proculfando: at verò ea modo dicimus eſſe procul, quæ ſuperant humanum captum, ſiue ea ſint præterita, ſiue præſentia, ſiue futura. Iſtud namque non detrahit prophetico muneri. Sicut etiam, ſiue illa clarè edixerit, ſiue obſcurè, variat ſane gradum prophetię, aut clarè, & ſine nubilo imaginum prophetam edere, aut ſub nubilo: non tamen violat propheticam rationem. Non ergo quia Ioãnes ſine tegumento figurarũ præſentem demonſtrauit Chriſtum, ideo non eſt dicendus propheta, quamuis, ideo fuit excellens propheta.

Propriè propheta eſt qui vel præſentia vel præterita vel futura excellẽtia humanum captum fatur.

¶Quo circa pater eiꝰ Zacharias. Et tu puer propheta, inquit, altiſsimi vocaberis. Et Matth. 11. Omnes habebãt Ioãnem, quia verè propheta eſſet. Et ibidẽ dominus nõ negat eum eſſe prophetam, ſed teſtatur excellere priores prophetas. Quod verò dominus ait. Lex & prophetę vſque ad Ioan. ſignificat ſub tẽpore Ioan. declaratum eſſe Chriſtũ, qui eſt finis legis & prophetarũ.

¶Et quidem hoc loco Chriſtus habet articulum, vt illius ſingularitatem ſuper alios Chriſtos oſtẽderent legati. Et ita cum quęrebãt, es ne tu propheta ille, articulus non eſt ocioſè adiectus: etiam ſi aliquando articulus iſte emphaſim non habeat: quam rem ſupra diſſerebamus. In præſentia autem non adiectus eſt articulus ex maligni tate legatorum, qui ex ſingulari negatiua, collegerũt vniuerſalem negatiuam. Quia enim Ioannes ſupra negarat ſe nõ eſſe prophetam illum, ideo ſophiſticè intulerunt Ioãnem non eſſe prophetã, vt inde redargutio cõtra Ioãnem, vrgeret vehemẽtius. Nõ ergo inferũt, nõ es propheta ille, quod Ioãnes faſſus fuerat, ſed, ſi nõ es propheta. Siquidem etiã ſi non fuiſſet propheta ille, ſi ſaltem concederent eſſe alioqui prophetam, non poſſent eum redarguere, quod baptizabat. Sed proh Deum immortalem, quanta eſt humana cæcitas? Obtulerant legati iſti Ioanni honores ſummos: etenim Chriſti honore illi oblato regia celſitudo offerebatur, in Eliæ vero honore oblato ſanctitatis celſitudo offerebatur: in prophetæ vero honore prophetalis dignitas offerebatur. At vero hos ſupremos oblatos honores Ioãnem viderũt deſpexiſſe, id quod ſummæ ſanctitatis, erat indicium.

Matthæi. 11

Ioannes ſummos ſibi oblatos deſpexit honores.

¶Ad

¶Ad hæc obseruabant vel obseruare poterant Ioanem ex vaticinio Esaiæ, sedixisse esse vocem clamantem in deserto: clamabat autem, Dirigite viam domini, vnde se præcursorem Christi esse insinuabat.
¶Preter hęc mores hominis quales essent illis constabant, potius esse angelicos quã humanos: vnde ergo tanta hominum petulantia, vt talem ac tantum virum cuius dignus non erat mundus deposita fronte argueret, quod baptizaret?
¶At quid miramur, nam si patrẽ familiás impudenter Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Matth. 10. Non est enim seruus supra dominum suum, neque discipulus supra magistrum. Ioannes autẽ seruus erat Christi, & discipulus eius non de numero discipulorum, sed extra numerum: quia secreto magisterio à verbo ęterno didicerat quę nouerat Ioannes, quid igitur mirabimur si cõtra domini prę cursorem oblatrent, quando ipsum dominum crucifixerunt? Et existis palam erit nobis, quid velit dominus dicens, Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & dicitis, Dæmonium habet. Eximias enim Ioannis, & incomparabiles animi virtutes dæmonio tribuebant. Ex putridis igitur visceribus eructat verbũ hoc. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, &c. Vnde Ecclesiasticus. 11. Sicut eructãt prę cordia fætentium, sic & cor superborum.

ENARRATIO XLV.
in caput primum.

¶*Respondit eis Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua: medius autem, &c.*

Septima euangelij sectio.

HÆC verba Ioannem defendunt à Pharisaica inuectiua. Demonstrãt enim baptismi Ioãnis inefficaciam, vt baptismi Christi virtutẽ insinuent. Nam si conferas baptismũ vnum cum altero videbis baptismum Ioãnis, esse meram in aqua ablutionẽ, at baptismi Christi, non esse merã ablutionem in aqua, sed cum illa esse spiritus ablutionẽ. Igitur Pharisæi arguebant Ioãnem, quod baptizaret, forsan quia existimabant Ioannem putare, se baptizare ad remissionẽ peccatorũ. Audiebant enim baptismum Ioannis esse in remissionẽ peccatorum. Vnde ob hanc causam voluerunt baptizari à Ioanne, quia se innocentes esse arbitrabantur: vnde illis videbatur iustam esse causam inuectiuæ, in Ioannis baptismum. Quam iniustam esse docet Ioannes dicens, Ego baptizo aqua. Quod perinde est, ac si dixisset clarius, Temerè me arguitis, quod baptizẽ, quia putem me conferre per baptismũ peccatorum remissionem. Ego quidem non tanti pendo meum baptismum, quanti vos conijcitis me pendere. Equidem ego solum baptizo exterius abluendo carnis superficiẽ, non tamen mentis abluo inquinamenta. Medius tamen vestrũ stetit, quẽ vos nescitis, quia non nitet visibili põpa, qua vestri magnates nitent. At hic, quem vos ignoratis, vere est, qui per baptismum suum mundi donabit peccata. Est enim agnus Dei, qui tollit peccata mũdi. Quamobrem, cessate à reprehensione, & inuectiuis contra me, quia non mihi vsurpo autoritatem remittendi peccata, quæ Dei solius est. Sed quod facio Israelitas baptizando, præparatio quædam est, & velut meditatio, quædam venturi baptismi, quẽ vobis donabit, qui inter vos conuersatur, à vobis alioqui incognitus. Propterea ego aqua baptizo corpus, ille verò baptizando corpus, baptizabit mẽtem: illam abluẽdo à sceleribus suis. Verum neque hunc baptismum, quẽ me exercere videtis ex propria tentaui exercere autoritate, sed Deus est, qui me baptizare in aqua misit. Non sum sanè Christus ille à Deo vnctus oleo lætitię præ consortibus suis, qui est ille sanctus sanctorum à Daniele prædictus. Non sum Helias, qui pręcursor erit secũdi aduentus Christi ad finale hominũ iudiciũ: non sum propheta ille, qui expectatur dominus prophetarum.

Apologia Ioãnis.

Baptismus Ioannis erat exterior, sed non interior baptismus.

¶At verò sum prænuncius huius domini prophetarum. Ante faciem eius præcurro, mea doctrina & clamoribus meis vobis annũcians iam esse in ianuis redemptionem vestram per sanguinem illius.
¶Annotat Erasmus melius legendum esse, Medius vestrum stat, quia Hieronymus ad hunc modum legit commen. in Aggæum prophetam. Et adhuc apertiorem esse lectionem, quam sequitur Cyprianus libro contra Iudæos. 2. capitulo 18. In medio vestri stat. Quia præteritum, quando significat actionem manentem vsurpatur pro præsenti, vnde steti

significat stat. Quin & Origenes hãc amare lectionem ex sua expositione videtur in hæc verba, Dicit autem, stetit, nam stat pater inuariabilis existens, & impermutabilis: stat quoque verbum eius ad saluandum continuo: quamuis carnem suscipiat, quamuis medium hominum stet inuisibile. Iuxta quam rationẽ, præteritum vsurpatur pro præsenti, stetit, pro stat, vt verbi diuini, quod est Christus, inuariabilitas etiam postquã carnem accepit denotetur, At quod ait, Quem vos nescitis, hoc significat, vobiscum moratur, & apud vos habitat, & vultum illius videtis, & videndo exteriora, quid in illo lateat nescitis. Putatis esse filium fabri, & nescitis esse filium omnipotentis illius fabri, qui vniuersam rerum fabrefecit machinam. Putatis esse creaturam, & est verbum Dei per quod facta sunt omnia. Quem vos nescitis. Rectè quidem ait, Quem vos nescitis, imò quem vniuersus orbis nescit. Christus namque quatenus Deus & homo est sciri nequit ab omnibus siue hominibus siue angelis. Omnem enim naturalem horum scientiã fugit. Sola fides, aut Dei reuelatio illum manifestare potest. Vnde neque Ioannes ipse Christum scire poterat, nisi diuina scientia ad sciendum eum, imbueretur.

Christus non est scibilis per naturalẽ scientiam vel angelorum vel hominum.

Iacebat Christus infans in præsepio, quisnam poterat scire hũc infantem esse Deũ? Sciuerunt angeli, quia vel in verbo Dei viderunt, aut ex noua reuelatione idem acceperũt, qui sanè diuinitus edocti infantem pastoribus nunciant. Sciuerunt Magi, at nisi cælesti doctrina essent afflati, scire nequiuissent: imò neque stella fulgens docere illos potuisset, nisi alia superior radiatio illorum mentes illustrasset.

¶Fides igitur est, quæ Christum docere potest, at quia fides ex auditu est, doctor superne illustratus necessarius est, qui fidem doceat. Ideò Ioannes à Deo edoctus in medium prodit, Israelitis Christum demonstans: quem neque vt dixi Ioannes scire potuisset, nisi Spiritus sanctus illum instruxisset. Quem vos ait, nescitis, sed huc venio, vt illum sciatis. Scitote ergo quod ipse qui post me venturus est, qui ante me positus est, meque potior est me infinito præstantior est: cuius vel calceamenta portare, vel corrigiam calceamentorum soluere, etiam procumbens, & humi iacens indignus sum. Quia quamuis hoc sit humile ministerium, hoc præstare illi, sum planè impar: Hispane, *No merezco descalçalle.*

¶Gregorius autem hæc ad allegoriam vertit. Legimus enim in libro Ruth. cap. 4. Booz soluisse calceamentum propinquioris viri, cui ex iure debebatur Ruth in vxorem & in testimonium, quod propinquior resignabat suum ius in Booz, soluit Booz illius calceamentum. Et in Deuteronom. cap. 25. Mulier item illius soluebat calceamentum, qui eam accipere in vxorem debebat iure propinquitatis, nolẽs autem coniugium, mulier illius calceamentum soluens, & in illum expuens soluebatur à debito propinquitatis, vt alteri nubere libere posset. Itaq; siue vir, siue mulier, per solutionem calceamẽti, siue per ex calceationem alterius propinquioris, soluebant propinquitatis maioris matrimonij iura.

Allegoricus sensus.

Ioãnes igitur verbis prænotatis significãs se esse indignũ accipiendi ecclesiã in sponsam, inquit, se esse indignũ soluere calceamentũ Christi. Verum hęc allegoria egregie conueniret si Christus noluisset ecclesiã in spõsam, quam tamẽ maxime vult.

¶Secunda allegoria est, Non sum dignus soluere, idest, patefacere vnionẽ hypostaticam diuini verbi, & nostræ humanitatis: si quidem hæc vnio est tanquã corrigia quędam ligans seu vniens diuinum verbum, cum carne humana. Cæterum literalis sensus iam expressus est. Neq; te teneat dubitatio, cur Matthæ. dixit, portare calceamẽta, & alij euangelistæ, soluere calceamenta. Etenim fieri potest Ioãnem huiusmodi sententiam se indignum esse, qui Christo, vel ex vilissimo seruiret officio, his & alijs verbis inculcasse: & quamuis verba sint varia sensus est idem. Multa huc essent vocanda de Ioannis baptismo, nisi in 4. Sententia. distinctio. 2. à me fuissent diserta, quæ tibi si non sat sunt lege ibidem apud alios.

¶*Hæc in Bethania facta sunt trãs Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Chrysostomus in Bethabara legit, & esse hanc lectionem admonet ex emendatioribus exemplaribus. Idem admonet Theophilactus emendatiora exemplaria non Bethaniam, sed Bethabaram habere. Origenes item Bethabaram legit, & interpretatur Bethabaram esse domum præparationis, vt loci nomen Ioannis officio congruat, quia

quia baptismus Ioannis ad Christi baptismum præparabat. Hieronym. lib. de locis Hebraicis Bethaibā, legit esse locum trans Iordanem, vbi Ioannes baptizabat. Rupertus censuit Bethaniam, vbi Ioannes baptizabat, esse vbi dominus Lazarum reuocauit ad vitam: & esse prope Hierusalem. Verum Ioannes baptizabat in loco trans Iordanem. At verò Bethania, cuius Ioannem. 11. capit. meminit, erat citra Iordanem, & proxima Hierusalem, solum distans spacio bis mille passus, vt autor est Hieronym. Ideo Ruperti cum euangelio opinio stare nequit.

Rupertus male de Bethania.

¶ Quocirca glossa ordinaria duas dixit esse Bethanias, aliam citra Iordanem, & aliam trans Iordanem, vbi Ioannes erat baptizans. Cæterum istud ex scripturis non probat. Nicolaus autem subscribit ordinariæ glossæ etiam credens, duas fuisse Bethanias, aliam citra Iordanem, aliam vltra Iordanem, in sorte duarum tribuum & dimidiæ locatam. Et quod in Origene Bethabora legitur, docet deprauatè legi apud ipsum. Verum quid dicet Chrysostomo, & Theophilacto emendatiorem credentibus esse lectionem in Bethabora, quam in Bethania? Quid Hieronymo neganti in Bethania Ioannem baptizasse? Et vnde probat quod ipse contendit duas esse Bethanias? Credunt autē quidam Bethaboram esse locum, vbi esset traiectus Iordanis fluuij. Est enim apud hos Berhabora domus transitus. Quem locum elegit Ioānes vt conuenientibus ibi multis ad fluuij transitum prædicationi & baptismo multorum inseruiret. Meminit autem loci huius etiā gelista, vt locus euidens certitudini gestorum attestetur. Est autem Iordanis fluuius miræ suauitatis: autor est Plinius libro. 5. capitu. 5. Origo huius fluuij est in Antilibano, vnde duo fontes scaturiunt, appellati Ior, & Dan qui primum seorsum interfluentes, tandem coeunt & Iordanis ex fontium cōitu fluuius cognominatur. Decurrit per Iudæam & tandem desinit ad mare mortuum, vbi sita erat illa Pentapolis, quam ignis de cælo descendens deusit. In libro autem Iosue, capitulo. 13. traditur trans Iordanem distributam fuisse terrę promissæ possessionē Rubenitis, & Gaaditis, & dimidiæ tribui Manasse ad orientalem plagam.

Bethania duplex apud quosdam.

Bethabora quid significet.

ENARRATIO XLVI.
in caput primum.

¶ *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait, Ecce agnus Dei.*

MATTHÆVS & Marcus Cap. 3. Cap. 1. Ioannem prędicasse populo Israelitico Christū antequā ipsum ex facie nouisset, & priusquam illum Iordanicis tingeret aquis manifeste ostendunt. Post prædicatum autem Christum absentem, Christum venisse ad Ioannem, vt ab illo baptizaretur, tumque docēte Spiritu sancto cognouisse facialiter Ioānem, Christū esse eum, quem ipse prædicarat dicens, Qui post me venturus est fortior me est, &c. ijdem testantur. Accepto verò à Christo baptismate Ioānis, quod Christus statim se contulerit in desertum Marcus explicat, & statim inquit. Expulit eum spiritus in desertum. Vnde hæc, quæ modo referuntur à Ioanne post transactam quadragenariam inediam, & post superatū in deserto Sathanam sunt habenda. Tunc enim vt supra tradebamus legationem Ioannes accepit ab Hierosolymitis, quā absoluta, altera die protulit testimoniū de Christo prę sente, quod nunc Ioānes denarrat dicens, Altera die Græcè τῇ ἐπαύριον postera die, siue postridie. Hoc est nullo intercedente die, statim post legationē expeditam vidit Ioannes Iesum venientem ad se. Græcè βλέπει, videt, præsentis, non præteriti tēporis: vt hac trāsmutatione temporū, quæ gerenda narrātur imaginentur gesta. Hæc autem testimonia ab alijs euangelistis prętermissa sunt, qui breuiter & succincto sermone percurrunt, quæ ante incarcerationem præcursoris gesta sunt, qua propter Ioannes illa fusius cōmemorat. Venit autem Iesus ad Ioannē modo, ex Galilea: vt quia forte turbæ, quæ viderant priorib⁹ diebus, Iesum baptizari à Ioāne opinabantur Iesum illo baptismo eguisse, aut peccata habere vt ceteros, ideoque cum alijs esse baptizatū. Vt ergo qui ex baptismo suscepto sinistrā de Iesu conceperant opinionē in rectā obliquā mutassent sententiā, ideo dñs nūc ex Galilæa publicè corā omnibus venit ad Ioannē. Quāobrē Ioānes clarè demonstrās Christū, inquit, Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mūdi. Quasi patentius

Christus à baptismate statim se in desertū cōtulit.

Alij euangelistæ succincto sermone percurrūt quę ante incarcerationē præcursoris gesta sunt Ioā. illa fusius refert.

tius dixisset, vobis dico, turbæ Israeliticæ, nemo cogitet hūc, quē videtis Iesum, ideo venisse ad meum baptismum cum promiscua plebe, quia ipse peccator est, aut quod peccata detulerit per meum baptismum, abolenda. Procul à vobis nefaria sit isthęc cogitatio. Iam corrigite sentētiam, & deinceps firma sit iam vobis contraria fides hunc esse, scilicet, innocentissimum Dei agnum qui non venit à me baptizari quò quicquam deferret maculæ abluēdum, sed vt vobis esset exemplo, vt sicut ipse meū dignatus est citra necessitatem suscipere baptismum, ita vos propter vestram indigentiam eiusdem proluamini baptismo. Hic est enim agnus, qui tollit peccata mū di, qui autem peccata tollit mundi, peccatum non habet à se tollendum. Non ergo baptizatus est, propter sua peccata, sed vt suo baptismo totius mūdi peccata tollat.

Cur Christus se permiserit baptizandum à Ioanne.

¶Rursum dixerat Ioānes supra, Qui post me venturus est fortior me est. Et item secundo, Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Ideo nunc patefacit quisnam ille esset quem illi nesciebant. Ne forte alium esse populus ille suspicaretur & non Iesum Christum. Ideoque necesse Ioanni fuit illum ostendere sensibiliter quis esset, quem ipse tam magnificis & præclaris verbis prædicarat.

¶Et subit obiter mirari, cur non sit scriptum, turbas post tot Christi encomia à Ioan. celebrata exquisisse à Ioanne, vt illis ostenderet eis Christum? Quippe dignissima hæc fuisset petitio, vt ille petebat, Ioannis. 14. Domine ostende nobis patrē & sufficit nobis. Etenim si apostoli tenebantur desiderio videndi Christi patrem, quia frequenter Christum audiebant patrem suū summo studio laudare, æquum item videtur turbam accendi desiderio videndi Christum post tot illius commendationes à viro illustrissimo Ioanne repetitas. Et quod dixerunt aliquando Ioanni, Ostēde nobis Christum, & sufficit nobis. Et mihi non abhorrere à ratione videtur, petiuisse hoc idem turbas à Ioāne, vt ostenderet illis Christum, quem ipsi ignorabāt, & Ioannē illorum petitioni acquiescēdo nunc demōstrasse Christum. Si enim turbæ Iudaicæ ante aduentum saluatoris eximio in illius aduentum ferebantur desiderio, quid tu putas, postquam ex Ioan testimonio iam tenebant esse præsentē in mūdo, an non vehementissimè postularunt à Ioāne, vt illū illis patefaceret? Et quo magis desiderata erat eo gratior fuit illis Christi ostensio. Namque desiderantur pluris fiunt, quando habentur, quam si vltronea exhiberentur. Vnde Chrysost. hoc idem insinuat homi. 16. in Ioā. Ponitur, inquit, verbū illud. Ecce, eo quod sæpe multa ex iam dictis ipsum inquirebāt: ideo præsentem ostendit. Ecce hic est, de quo iam sermo habitus est. ¶Quod si animum tuum exagitat dubitatio, cur toties replicauit eadem de Christo Ioan. testimonia: non est ardua dubitationis solutio. Quia quæ valde repetūtur animo infidere vehementius oporteret. ¶Adde, quia confluentibus ad Ioā. gratia baptismi turbis, nouos, & nouos semper obtinebat auditores: propter quos eadem replicare cogebatur.

Dubitationes quædā soluūtur ad intelligentiā euangelistæ.

¶Præter hæc medici infirmis repetunt sæpe pharmacorum memoriam, vt illa ostendant esse illis quā saluberrima. Quia igitur origo totius salutis humanæ collocatur in Christi notitia, idcirco Ioānes testimonia de illo frequentat. At dicet alius, Cur ergo Præcursor totā non peragrabat Iudæā, vt hac ratione omnibus patefaceret Christū? Vtique istud non erat facto opus. Quippe hoc solū fuit studij Ioāni, Christū ostendere ex Iordane, veniētibus ad se turbis, quarum concursus erat frequentissimus. Permotæ enim erāt valde ex viri inaudita sanctimonia, & ex nouitate baptismi. Nam nouarū rerum plurimū nos accendit notitia. Postquam autē turbis & Pharisæis, & legis peritis Christū demonstraunt. Iam nihil opus erat vltra in hoc officio laborare. Quippe ipse Christus erat ostensurus sua doctrina & miraculis, vera esse quæ de ipso narrauerat Ioānes: vt postquā Samaritana ostendit Christū Samaritis, non fuit vlterior necessaria ostēsio. Imo si Ioānes peragraret Iudæā Christū prædicando, forsan Iudæi darēt hoc amicitiæ, vel cognationi, ideò neminem vocat Ioannes, vt audiant testimonia de Christo, sed vltrò venientibus, & inquirentibus eum demonstrat dicens, Ecce agnus Dei.

Ioannes non accersit auditores sed vltro venientibus Christū prædicat & demonstrat.

Ioānes demōstrauit Christum petentibus & efflagitantibus Iudæorū turbis.

ENARRATIO. XLVII.

in caput primum.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Expe-

EXPECTABANT quondam Iudæi agnum quendã dominatorem terræ, & quod animo expetebant verbis efflagitabant, dicebant enim. Emitte domine agnum dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion. Esai. 16. Hunc ergo agnum vniuersi orbis dominatorẽ, quem Iudæi corde & voce expetebãt, hunc adesse iam Ioãnes verbis supra notatis demonstrat, dicens, Ecce agnus Dei, ecce, &c. Si agnum desideratis, agnum habetis, si illius agi dominio vobis cordi est, adest quem tantopere desideraſtis, Habetis agnum dominatorem, agno igitur subdimini. Quippe agnus hic, non est, vt agni illi legales vestri, sed est ille agnus Dei, quem Deus constituit hæredem vniuersorũ, per quem fecit & sæcula.

¶Sunt autem verba hæc metaphoricè accipienda. Christus enim non est agnus ouis filius, irrationale animal. At verò scriptura hoc agni illi indidit nomen, vt ex nomine agni similes agni qualitates in Christo sublimi quadam ratione exploremus. Supra namque euangelista sublimia quædam nomina de Christo prædicauerat nẽpe verbum illum nominans, vitam, lucẽ, quia sublimiũ perfectiones in se continet, nunc vero ex vilioribus creaturis illi nomina attributa à Baptista refert illum appellante agnum, quia etiam inferiorum perfectiones comprehendit, habes ex Dionysi. cap. 1. de diui. nomi. ad finem. At vilitatẽ agni gregalis, nos abduxit, addẽs. Ecce agnus Dei, vt, scilicet, ex adiecto ad arcanũ, quoddã de agno isto considerandũ, nos excitaret. Legimus autem in Exodo. cap. 12. Israelitas à tyrãnide Ægyptiaca solutos tũ quando agnũ immolarunt. Rursum in eodẽ. lib. 29. duos agnos discimus anniculos sibi dominum iussisse immolandos in holocaustum matutinũ, & vespertinum. Præterea Esaias. 53. præsentiens huius agni mãsuetudinem. Quasi agnus, inquit, coram tondẽte se obmutescet, cui concinuit Hieremias. 51. Præcursor igitur domini vocãs Iesum agnum Dei, commonefecit nos ex nomine immolandum esse hunc agnũ, vt nos erueret à tyrãnide diaboli: cõmonefecit item Deo immolãdum in holocaustũ pro totius mundi delictis. Commonefecit rursum hoc sacrificium esse perpetuum, & iuge tam mane, quã vesperi. Quippe semper apparet vultui Dei, vt interpellet pro nobis. Et sanguis, & mors eius semper clamauit melius, quã clamabat sanguis Abel. Nam hic fratricidæ poscebat vindictam, at Christi sanguis propitiationem, & clementiam Dei nobis impetrat. Quia igitur iugiter egemus fauore & patrocinio diuinæ misericordiæ, iugiter etiam egemus hoc sacrificio. Non sanè quod pluries sit occidendus Christus pro nobis, quia semel oblatus est, & vna oblatione sanctificatos consummauit in æternum. ad Hebræos. 10. Denique ex agni nomenclatione innuit Ioannes Christi summam mansuetudinem, eodem docente, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Vnde & euangelista in Apocalypsi. 21. huius nomenclationis multam habens rationem ecclesiam appellat sponsam agni, & librũ vitæ, librũ vitæ agni esse docet. Quippe per immolationẽ huius agni, electis Dei reserata est ianua cælestis regni. Quo circa liquet iam, cur sit cognominatus agnus Dei. Etenim nihil gratius Deo, quam huius agni sacrificium & holocaustum. Nam tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiã Deo in odorem suauitatis. ad Epesios. 5.

¶Porrò admonet lectio Græca legendum esse peccatũ, & non peccata τὴν ἁμαρτίαν. Et Origenes, homilia in numeros. 10. & 14. sic adducit hunc locum. Et Augustinus, libro contra Faustum. 12. cap. 30. ex fide veterum codicum. Et Theophilactus peccatum in singulari legit. Et Chrysostomus, homilia. 16. Idem videtur insinuasse verbis istis, Ille quidem agnus (est sermo de agno legali,) nullius peccatum accepit, hic autem totius orbis terrarum. Etiam si in prioribus verbis, quæ ante ista præmisit in plurali legat peccata.

¶Cæterum hoc familiare est scripturis sacris, numerũ pluralẽ vsurpare pro singulari, & contra. Et missis alijs multis testimonijs illud maximè conducit nostro proposito, quod Psalmus 50. offert. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Equidẽ Da nuid primitiuam culpam vocat iniquitates, & peccata. At hæc primitiua culpa in vno homine vnum peccatum est non plura. Cæterum quia originalis hæc culpa est velut peccatorum omnium initium, & radix, ideò peccata rectissimè nuncupatur.

Ex creaturis sublimibus & vilibus nomina tributa Christo.

Tria exnomẽclatura agni in Christo denotantur.

ad Hebræ. 9 & 7. Hebræ. 12.

Matthæi. 11

Scriptura vsurpat sæpè numerũ pro numero.

Quippe, quę est virtualiter vniuersum corpus peccati, hoc est, vniuersitas peccatorum in illa quodammodo includitur.

¶Enim verò est causa per accidens vniuersorum peccatorum. Est enim causa per accidens, quæ remouet prohibens. Quia igitur hoc peccatum est carentia originalis iustitiæ, quæ impediebat vniuersa peccata seruans hominem in integritate innocentiæ, in qua Deus eum condiderat, & in immortalitate, qua donatus fuerat, hac sublata homo miser cunctis patuit peccatis, qui sub illa nulli patuisset.

Originale piaculum est causa omniũ peccatorum per accidens.

¶Quanquam igitur actualium peccatorũ voluntas nostra sit effectrix, & non originalis culpa, cæterum, hæc quia submouit peccatorum impedimentum, per accidens est causa actualium.

¶Quo circa vnũ est peccatum originale, in vnoquoque homine, secundum substantiam, at plura peccata est virtualiter ad rationem quã expressimus, de qua nos multa disseruimus in. 2. distin. 30.

¶Vtraque igitur lectio congrua est, Nam si leginus vt Greca legit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, originalis culpa significatur, quæ inficit totũ humanum genus: quam solus agnus Dei poterat abstergere, quia infectio totius erat naturæ: quam abstergens suo sanguine vniuersitatem peccatorum absterfit: quam vocat Paulus ad Ro. 6. Corpus peccati. Hoc scientes, inquit, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati: siquidẽ per lauacrũ vitale baptismi vniuersitas peccatorũ deletur: homine restituto ad innocentiam. Si vero cum vulgata legamus, peccata, admodũ etiam congruit lectio, cum sensu Ioannis. Quippe Ioãnes voluit nos docere hunc agnum sacrificio sui corporis ablaturũ vniuersa peccata, ita originale, vt actualia omnia. Lectio tamen Græca in singulari dicens, Tollit peccatũ mundi, peccati cuiusdam summam grauitatem supra omnia alia peccata admonet esse, quam agnus Dei solus tollere potuit. Et ita est originale peccatũ esse huiusmodi. Quia etiam si secundum suam essentiam minoris sit grauitatis quã actuale: quia originale est habituale, & ideo minori afficitur pœna: cæterũ ex sua vniuersalitate, quia in omnem serpit humanam naturam, ad Roma. 5. (vnde & sibi nomen accepit, appellatur enim peccatum naturæ, actualia vero personæ quippe quæ solum inficiunt autorem) ob hanc causam ingrauescit hoc originale supra actualia. Nos quia plura diximus in. 2. sententia. distinctio. 30. de primitiuo naturæ humanæ piaculo, plura nunc dicere prætermittimus. Agnus igitur Dei huc accessit ad nostra, hoc piaculum maximum suo sanguine expiaturus. Quod sanè piaculũ per nulla veterum sacrificia, quibus lex illa vmbratilis abundabat expiari potuit. Illa namque sacrificia erunt solũ ad emundationem carnis. ad Hebræos. 9. Hoc est ad emundationem exteriorem, à quibusdam irregularitatibus, & polluitionibus legalibus. Quod si circuncisio expiauit id temporis, circuncisio non erat sacrificium, sed sacramentum antiquius sacrificijs legalibus. Et circuncisio etiam tum non expiabat prorsus, quia ianuam regni cælestis non recludebat.

Peccatũ originale subqua dã ratione est actualia peccata.

¶Solus igitur agnus Dei se ipso, hoc mundi peccatum expiauit. Vnde canit ecclesia, Cæteri tantum cecinere vatum iubar affuturum. Tu mundi scelus auferentem indice prodis. Vbi ecclesia etiam probat lectionem Græcam, quæ peccatum legit in singulari. Nam canit, Tu mundi scelus auferentem: est autem mundi scelus, hoc originale piaculum, & ad Hebræ. 1. Purgationem peccatorũ, per se ipsum faciẽdo Christum per se tollere peccata docemur.

Agnus Dei per seipsum tollit peccata

¶At vero forsan obuolueris hæsitatione hac cur non dixit. Hæc est ouis Dei, aut aries Dei, aut hircus Dei, &c. Sed agnus quandoquidem animalia commemorata etiam offerebantur pro peccatis, vt liber Exodus, & Leuiticus demonstrant. Respondebis, hæc non offerri solita in iuge sacrificium vt agnus, Christus autem iuge est sacrificium pro peccatis nostris, vt supra exposuimus. Secundo, quia nullum animal aliud, tam refert Christum, vt monebam pridem quam agnus. Hircus enim ex hircina grauiolentia abest à Christo. Aries vero, quia cornupeta sæpe est, & cornu fortitudine gloriatur dissimilis est ouis: denique, quia ipsa subiecta est pastori, Christus vero non ouis, sed pastor ouium est Ioan. 10.

¶O seruabis ex hoc loco, Christum non esse redemptorem angelorum, vt quidam tribuunt Origeni, qui in hanc iuisse sentẽtiã aliquando videtur homilia. 23. in Lucã.

Cæte-

Agnus Dei nõ tollit dæmonũ peccata neque animarũ quæ tartareas implent sedes contra Origenicũ dogma.

Cæterum per mundum non angelos intelligimus in scripturis, qui non sunt pertinentes ad mundum visibilem istum, tanquam partes eius, sed potius humanum genus. Igitur agnus Dei solum tollit peccata mundi, non eorum qui sunt extra mundum. Quo circa neque animarum, quæ sunt iam detractæ ad infernas sedes agnus hic tollit peccata ob eandem rationem. Animæ verò, quæ lustratorio igne expurgantur præsidia capiunt ab hoc agno, non ad remissionem culparum, quippe hæc soluta vita, solui nequeunt: sed ad remissionem cõmeritam pro culpis pœnarum. At istæ animæ non sunt prorsus extra mundum, quandoquidem nondum acceperũt beatas coronas, sed illas expectant instar eorum qui sunt in mundo. Quam rem nos in. 4. sententiarum, distinctio. 45. vberius explicuimus. Solum igitur hic agnus Dei peccata tollit mundi. Vnde secundo colliges non Iudæorum tantum hunc agnum tollere peccata, vt Iudæi existimabant Messiam ad illos solum saluandos esse destinandum. At quanto errore seducerentur, quando alij loci non extarent iste sufficeret: tollit agnus Dei enim peccata mundi. Mundus autem non est comprehensus Iudaicis terminis, sed vniuersum significat genus hominum. Quod vero dominus. Matthæi. 15. dixit se non esse missum, nisi ad oues, quæ perierunt ex Israel, non collidit cum Baptistæ testimonio. Siquidem illud Matthæi verum est Christum prædicasse solum Iudæis: at vero apostoli eius missi sunt in totum orbem prædicaturi legem Christi. Matthæi vltimo. Hic igitur est agnus, qui tollit peccata mundi, tollit sanè peccata, non quia non imputat, vt commentatur Lutherus. Nam si solum non imputaret, vtique propriè non tolleret: sed tollit vere abstergendo culpam, per spiritum sanctum quem donat. Tollit sanè ipse per mortem suam tanquam per causam vniuersalem: at tollit etiam per sua sacramẽta tanquam per causas particulares. Namque per baptismum peccata tollit eorum, qui foris erant, & properam fiũt: per pœnitẽtiam vero fidelium donat lapsus post baptismum. Hic agnus Dei exhibuit se in sacrificium: in cruce leuatus, obtulit se in holocaustum, totum se offerens Deo patri in mundi reconciliationem. Hic agnus contulit nobis lauam suam in vestimentum nostrum: quia eius actio est nostra instructio. Contulit carnem & sanguinem suum in edulium & poculum nostrum, ipso testãte, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus. Porro scisitabitur quispiam, cur ait, Tollit peccata mundi, quandoquidem quando illum demonstrabat Ioannes non dum suo sanguine agnus hic abluerat peccata mundi? Ideo congruentius videbatur dicendum, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Respondet Chrysostomus cum suo æmulatore Theophilacto, propterea dixisse, tollit ex tempore præsenti & non futuro, aut præterito, vt denotaret perseuerans esse semper sacrificiũ agni, vsque ad mundi finẽ & non abolendum, vt veteris agni sacrificium. Alijs placuit, propterea dixisse sub præsenti tẽpore, quia non significabat Ioannes actionem abluendi, siue tollendi peccata esse tum præsentem: sed virtutem. Quasi dixisset, Ecce agnus Dei, cuius virtus est tollere peccata mundi, vt qui demonstrando Rhabarbarum, diceret, Ecce herbam, quæ tollit choleram, quamuis tunc non tollat, verè dixisset nihilominus, quia ad eam rationem pronuntiasset, quia virtutem intendebat denotare purgatiuam choleræ, non præsentem purgandi actionem. Et vulgatæ sunt sane locutiones istæ, prædicator prædicat, scriba scribit & aliæ huc genus, etiam si nihil tum vel prædicent, vel scribant: quia non actio horum, sed officium denotatur.

Agni sacrificium perseuerans in finem vsque mundi.

In agno Dei duplex natura & vna persona.

¶ Porrò tu obseruato in agno isto Dei, geminam esse naturam sub vnitate personæ diuinam, scilicet, atque humanam. Ex diuina effectiuè tollit peccatum, maculam abstergendo, & gratiam infundendo, ex humana meritoriè tollit peccatum, quia sanguine suo hoc promeruit tollere peccata mundi.

Agn⁹ Dei tollit peccata mũdi non quia illa non imputat solum, sed quia vere tollit.

Immolatio agni Dei habuit duplicẽ statum vt prę uisa & vt exhibita.

¶ Aduerte secundo, huius agni immolationem fuisse à Deo, non ex tempore decretam, sed ab æterno prædestinatam. Et inde omnia peccata, quæ Deus abstulit, antequam agnus hic immolaretur ex præuisa immolatione, & per præuisam hanc immolationem fuisse donata: nunc autem donari per ipsam iam celebratam.

¶ Quare vere narrabis, si dixeris, hunc agnum tulisse peccata mundi, & tunc tollere, & eadem ablaturum. Siquidem id

temporis quando Ioannes illum demonstrabat, ex pręuisa tollebat & tulerat, vt ex celebranda tum immolatione, erat ablatu rus efficacius, quam tulerat. Quippe post immolationem huius agni in cruce aperta sunt regna cælestia, & veriora charismata spiritus sancti hominibus sunt impartita. Quod si dixeris, Ecquid videmus tot infidelium turbas, tot hæreticorum sectas, tot peccatorũ colluuiẽ, si agnus hic tollit peccata mũdi? Vtique tollit, quo ad sufficientiã omnia peccata mundi: quia per mortẽ suam hoc promeruit, vt omnia peccata tollantur à mundo. Cęterũ quo ad efficaciam non omniũ tollit peccata, neque omnibus donat peccata, sed est causa salutis solum obtemperantibus sibi ad Hebræ. 5. Inobedientes, igitur præceptis Dei, & fidei repugnantes manebunt onusti suis peccatis.

Agnus Dei nõ tollit peccata inobediẽtium sibi.

Siquidẽ, vt causæ naturales dispositã exigunt materiã, vt suos influant effectus, ità prope modũ causa supernaturalis, qui Deꝰ est, obtemperantes sibi iustificat, rebelles sub pondere suorum peccatorum dimittit.

¶Annotabis. 3. Ex hoc verbo Ioannis. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, resolutam esse quæstionem illam, quæ olim vexauit nonnullos ecclesiasticos autores, an Ioannes præsciuerit Christum esse moriturum, & morte sua orbem redempturum, vt est videre apud Bedam lib. 2. in Lucam tractantem verba illa. Lucæ. 7. Tu es, qui venturus es an alium expectamus. An non conueniat, inquit, in persona Ioannis filio Dei, vt gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta sit missurus? Et videtur hanc dubitationẽ hausisse ex Hieron. lib. 1. cõm. in Matthæum. Idem Gregorius lib. homiliarum. cap. 6. duas dubitationes Ioãni ascribere videtur, aliam an sit descensurus ad inferos? aliam an sit sanguine suo orbem redempturus?

Ioãnes optimenouit christũ esse moriturũ pro peccatis mundi.

¶Porrò, vt aiebam ex verbis Ioãnis in propatulo est, Ioannem certo rem hanc sciuisse. Etenim cum ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, vtique memorãs agnum Dei memoratur sacrificium hunc agnum Dei esse futurum pro peccatis mũdi, vt supra exponebamus.

¶Adde quia si alij prophetæ, qui erant minores Ioanne hoc præsciuerunt, Ioannes, qui erat excellentior illis omnibus, quomodo hoc ignorasset? Esaias autem testimonio est, se sciuisse mortem domini, & sepultura & resurrectionem, itemque & prophetarum aliorum extant de eadem re aperta testimonia. Et hoc argumento vtuntur Chrysostomus. homili. in Matth. 38. & Theophi. & Euthimius, ridentque sententiam hæc hæsitatem.

¶Annotabis. 4. verbum hoc, Ecce agnus Dei, &c. bifariã posse intelligi. Primo quidem si verbum, tollit, interpreteris, vt sit idem, atque sumere onus, vel imponere, seu sustinere onus: vnde illud, Tolle grabatum tuum & ambula. Matthæi. 9. Et Matthæi. 11. Tollite iugum meum, &c. Vnde sensus erit, Ecce agnus Dei, ecce qui in se accepit pondus satisfaciendi Deo pro omnibꝰ peccatis mũdi. Et quia satisfacere Deo pro peccatis totius humani generis exigit vim diuinam, ostendit Ioannes hunc agnũ esse Deum, & hominem Deũ, vt validam faciat satisfactionem, hominẽ vero vt moriendo satisfaciat. Secundo autem, si tollere idem sit atque auferre, & sensus est, Ecce agnus Dei, qui aufert peccata mundi. Et auferre quidem est emundare conscientias nostras ab operibus mortuis: id quod hic agnus præstat per baptismi & pœnitentiæ sacramenta. Porro inter hæc duo, primum est, quod primo locatum est loco, & sequitur, quod secundo constituimus loco. Primo nãque non tempore, sed natura hic agnus satisfecit Deo patri pro peccatis nostris: indeque promeruit emundare nos ab inquinamento peccatorũ nostrorum.

Deo satisfacere pro peccatis totius mũdi potentiam exigit diuinã

¶Primo annotabis primitiuum peccatum genus totum humanum reddidisse Deo inimicum, secundo, clausisse fores regni cælestis, tertio totũ humanum genus morti subdidisse. Hic ergo Dei agnus primo venit hoc peccatũ ablaturus, quia erat totius humani generis, vnde offerens se in salutarem hostiam, sanguine suo has inimicitias extinxit. Pacificans per sanguinẽ suum, quæ in cælo, & quæ in terris sunt: secundo reserauit regna cælestia. At vero modo, non tollit humanum genus à morte, nisi secundum spem, quia sub iudicij diem, reformabit corpus infirmitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Lege, si iuuat, disputata à nobis in. 3. senten. in distinctio. 19. & sequentibus, & in 4. distnctio. 49.

Agnus Dei primo venit expiaturus originale peccatum, quia erat totius naturæ humanę consequẽter expiauit reliqua actualia.

ENA-

ENARRATIO XLVIII.
in caput primum.

¶ *Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat: & ego nesciebam eum.*

REpetit Ioannes testimonium, quod supra de Christo dixerat: & omnia iam ex prioribus patent. Nisi quod modo addit vir. Et optimo nomine Christum appellauit virum, cum ex ætate, quia in virili ætate ab eo est baptizatus, incipiens annum tricesimum, tum ex cumulatissima perfectione virtutis, quam præsentiens Hieremias, adhuc infantem appellauit virum, cap. 3. Mulier, inquit, circundabit virum. Et Paulus concinit. 2. Corinth. 11. Ioanni dicens, despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, & Zachar. 6. Erit vir oriens nomen eius.

Christus vir appellatus in vtroque testamento.

¶ Cæterum grandem excitauit Augustinus hoc loco quæstionem ex istis verbis Ioannis, Ego nesciebam eum. Etenim si nesciebat eum, quomodo Ioānes arcebat Dominum à baptismo, dicēs, Ego à te debeo baptizari? Eodem accedat, quia Ioannes, adhuc in obstruso cubili vteri materni delitescens Christum cognouit, quia exultauit infans in vtero illius, Lucæ. 2. Qui fiet ergo vt adultus ignoret, quod infans sciebat? Et multa Augustinus cōuoluit pro magnitudine sui ingenij, vt rem hanc expediat: tandemq; arbitratur Ioannem antequam Dominum baptizaret sciuisse eundem, & quod Messias erat, & quod filius Dei. Attum nondum perfectè cognouit Christum: quousq; peracto baptismo vidit spiritum descendētem & manentem super eum. Etenim spiritus non descendit super Dominum nisi post quam baptizatus est, vt Euangelistæ tres testantur. Quod ergo ignorabat Ioannes, antequam videret spiritum descēdentem hoc erat, scilicet, an potestatem sanctificādi ex baptismo esset Dominus sibi soli retēturus, collato alijs baptismi ministerio. Siquidē sanctificatoria potestas baptismi nulli est collata Apostolorum. 1. Cor. 1. sed hanc potestatem sanctificandi ex baptismo sibi Christus reseruauit. Quare etiamsi Paulus dicat, Secundum Euangelium meum, non tamen vnquam dixit,

Idem Augustin. consen. Euangelistarum. cap. 15.

Expositiones variæ.

Secundum baptismum meum. Hoc dispēsante Deo, ne essent in Ecclesia Christi, schismata. At verò difficilis videtur solutio hæc, & quæ mentem hæsitantem non absoluit. Enimuerò dicet aliquis, Quid ergo si Ioanni patebat Augustin. autore quod Dominus erat Messias, & filius Dei, quæ erant summa mysteria, cur hoc nō patuit ante baptismum, quod potestas sanctificandi erat solum penes Christum, quādo quidem hoc non est summum arcanum, quod eguisset Spiritus sancti descensu in specie columbæ, vt patesceret, siquidem omnibus Iudæis istud notum erat Deum solū posse sanctificare mentes, vnde ostēsi sunt audientes Dominum dicere, remittuntur tibi peccata tua?

¶ Neq; locus Euangelicus cōuincit, vt videtur Augustin. placitum, siquidem quod ait, Super quem videris spiritum descendentem ipse est qui baptizat. Dicet aliquis hæc verba denotare Christum esse Messiam: quandoquidem superius recolo me dixisse, Iudæos credidisse ex prophetarum oraculis Messiam, quem expectabāt instituturū fore nouum baptisma, quia Ioelis. 2. legebant, Effundam super vos aquam mundam & mundabimini. Ideoque ex officio noui baptismatis indicauit Spiritus sanctus Ioāni Messiam esse illum super quem Spiritus sanctus in conspectu Ioannis descendebat. Propterea igitur non omnibus arridet hæc Augustin. expositio. Chrysostomus autem aliā excogitauit extricationem dubij huius. Ego nesciebam eum tempore anteriori, hoc est, aliquando nesciebam eum: seu, Ego non noueram eum aliquando. Itaq; quando Dominus accessit baptizandus à Ioanne, iam Ioanni erat notus quis esset: ideò dicebat, Ego à te debeo baptizari. Cęterū ante illud tempus fuit quando erat ignotus Ioanni Christus. Veruntamen cōtextus literæ non hoc præ se fert, sed potius Ioannem ignorasse Dominum quousque Dominus fuit baptizatus. Quia ait, Ego nesciebam eum & spiritus, &c. Alijs placuit, vt Cyrillo, esse verba exponenda, Ego nesciebam eum per humanam rationem. Vt sit sensus, Nesciebam ex me, sed afflatu spiritus cognoui. Et quidem hac ratione argumentum Augustini diluitur, Quod sumitur ex verbo Ioann. Ego à te debeo baptizari.

Matth. 9. & Lucæ. 7.

Lib. 2. cōm. in Ioā. cap. 2.

¶Sed quid absolues te, si cum Cyrillo sapis à contextu Euangelij, qui apertè videtur docere Ioannem nescisse Dominum quousque vidit Spiritum sanctum descẽdẽtem sub specie columbæ. Hoc autẽ gestum est, postquam Dominus fuit à Ioanne baptizatus. Etenim, vt Lucas testatur, orante Domino post acceptum Ioannis baptisma descẽdit Spiritus sanctus. Nam si admittimus veram hanc expositionem esse, nesciebam ex me, item post descensum Spiritus sancti, etiam Ioannes hac ratione nesciebat: imò & modo nescit ex se. Theophil. verò exposuit Ioannem ante baptismũ Domini nescisse, an Christus baptizaret in Spiritu sancto, quę expositio difficultate laborat qua priores. Hanc ob causam forsan probatior erit expositio, quæ & vulgatior est, quã Rupertus amauit, & Nicolaus probat, & Erasm' idem insinuat. Quãuis Erasmus non tam distinctè rem expresserit, vt Ruper. & Nicolaus. Istis ergo vna sentẽtia est, Ioannẽ sciuisse iam natum esse Messiam, & filiũ esse Dei, at verò in particulari ignorasse, quis esset iste Messias & filius Dei. Vt Samuel sciebat aliquem filiorum Isai esse à se vngendum in regem Israel: at verò nesciebat in particulari quis nam esset ille: ita prope modum Ioannes sciebat dictante spiritu Dei Messiam natum esse iam in Iudæa: cæterum ignorabat determinatè, an is qui dicebatur Iesus Nazarenus esset Messias ille, donec per spiritum descendentem fuit edoctus.

Ioannes cognouit Christũ singulariter postquam Christus fuit baptizatus.

¶Porrò etiamnum vrget quæstio ab Augustino mota: cur ergo ait Ioannes, Ego à te debeo baptizari, si nesciebat eũ in particulari? Et subit mirari, cur Nicolaus, qui ad Matth. cap. 3. tractans verba illa, Prohibebat illum dicens, Ego à te debeo baptizari, inquit, Ego à te debeo baptizari, hoc dicebat, ait Nicola. Ioannes, quia sciebat illum verum esse Deum & filium Dei, carentem omni peccato. Ergo tum antequã Spiritus sanctus descenderet super Christum (quia vt sæpè dixi descensus hic non fuit nisi postquam Dominus Iesus ascendit de aqua & orauit) iam sciebat Ioannes Christum, reclamante Ioanne, Ego nesciebam eum.

Autoris sensus.

¶Dixerim igitur, Ioannem sciuisse ante quam vidisset Dominum, Messiam natũ esse in Iudæa, quem etiam antequam de vulua exiret iam nouerat, vt Ecclesia canit, Ventris obstruso recubans cubili, Senseras regem thalamo manentem. Quamuis Erasmo istud nõ probatur dogma: sed quod exultans scribitur in vtero, ad matrẽ potius esse referendum, quam ad Ioannẽ, docet Erasmus. Nisi forte quum saxa scinderentur, subdit, moriente Domino, saxis sensum datum fuisse contendemus. Verũ hoc Erasm. argumentum efficit nihil. Aliud est enim lapis, aliud Ioanes infans in vtero materno conditus: siquidem saxa non sunt capacia scientiæ, & illis repugnat scientia, vt intellectus. Verum Ioanni infanti, etsi secundum naturæ ordinem repugnabat scientia, at non secũdum Dei potentiam absolutam, secundum quam Christus infans in visceribus Mariæ conditus summam habebat sapientiam. Et demum, sat nobis est scripturam, exultãtem in vtero scribere infantem: at verò exultatio actus rationis est.

Præcursor dominum tuum in vtero cognouit.

¶Scio, dicet aliquis, hæc ad metaphoram esse intelligenda, sicut etiam & verba Ecclesię, Senseras regem. Quod eatenus dicitur, quatenus infans ex motitatiõe quadam contra naturam se motitauit, ad Mariæ salutationem, ideò sensisse visus est regem thalamo manentem.

¶Porrò si admittimus infantis corpusculum à Deo contra naturam esse motitatũ, cur nõ admittemus eiusdem infantuli mẽtem, à Deo esse motam? Quandoquidem, tam subest Deo hoc, quam illud. Nouerat igitur Ioãnes adhuc vtero clausus quẽ adultus prædicabat in deserto dicens, qui post me venturus est, ante me factus est. &c. at verò ex facie Dominum ignorabat. ¶Cæterum etsi in vasta eremo agẽs, subductus ab hominum consuetudine, nihil famæ habebat de Christo, sed solum Spiritus sancti magisterio nouerat natum in Iudæa, & conuersari apud homines verum postquam orsus est baptizare, & discipulos habere, quos erudiebat in diuinis, à discipulis suis fieri potest, & est admodum fide dignum multa particularia accepisse de Christo. Etenim quamuis ante baptismum nullum miraculum fecisse Dominum cum Chrysostomo credamus, veruntamen magnifica de Christo lata testimonia, à pastoribus, à Magis, à Simeone, ab Anna, & illa interfectio infantium propter Christum, quæ celebris erat in Iudæa,

Ioannes ante quã baptizasset Dñm à discipulis suis, vel ab alijs nõnulla particularia accepit de Christo.

dæa, nõ permittebant Dominũ esse prorsus obscurum: sed potius de illo tum opinatum fuisse à nõnullis, esse expectatum Messiam, aut saltem excellentiorem esse quam Ioan. erat. Quid quod Domini cõuersatio, quantus ipse esset subindicabat. Vnde discipuli Ioann. forsan, cum vidissent venientẽ Christũ ad baptismũ Ioan. retulerunt quis nam esset is, qui veniebat ab eo baptizandus. Quocirca Ioannes suspicatus, vel opinatus est illum esse Messiam, aut credebat esse se sanctiorem. Quare ex hac opinione quam ex relatu aliorũ cõceperat, prohibebat illum à suo baptismo, & aiebat, Ego à te debeo baptizari. At vero, quia opinio, vel suspicio non est scientia, propterea dixit, Ego nesciebam eum. At quando vidit spiritum descendẽtem, iam submota est omnis opinio, & determinate accepit illum esse Messiam, quem ante afflante Spiritu sancto didicerat esse indeterminate: illũq; digito ostẽdit dicens, Ecce agnus Dei. &c. Si tibi non arriserit expositio nostra, sunt tibi aliæ expositiones, quas retulimus. Non enim nostra sic ingerimus, vt alienis derogatum iri velimus. Et sic mea sententia, si ad hanc rationem Euangelica hæc verba intelligamus, scrupus nullus torquebit. Neque enim subscribẽdum puto Caieta. Soluenti hunc nodũ, quia duas credit apparitiones columbæ, aliam. nte Dominũ baptizatum, & aliã baptizato Domino: ideo credit dixisse Ioann. Ego à te debeo baptizari. At scriptura refragatur, & August. non probat, neque alij Doctores sancti, quibus vnica est columbæ apparitio, & non gemina.

Diluitur collisio apparẽs in Euãgelio.

ENARRATIO XLIX.
in caput primum.

Ego nesciebam eum, sed, vt manifestetur in Israel, propterea veni in aqua baptizans.

Diuino consilio gestum esse non ambigo, quod Ioannes ante baptizatum Dominũ ipsum nesciret determinate, vt proxima dissertum est enarratione. Primo quidem, vt Domini præcursor paulatim proficeret in notitia Christi, vt etiam Apostoli paulatim profecerunt in eadem de magistro suo scientia. Non enim tot sciuerũt à prima sui vocatione de Christo vocante, quot temporis successu Christo docente didicerunt. Quocirca Ioãnes primũ quidem indeterminate nouit sibi in prædicationis & baptizandi exercitio successurum ipsum verum Messiã, quem iam noscebat venisse in mundum, eundemque sibi prælatum esse à Deo, quia verbũ caro factum erat. At verò post modũ sensibili Spiritus sancti magisterio visa columba, quæ Spiritũ sanctum referebat, iam determinate sciuit, quod erat hoc verbum caro factum: quod prius non sensibili, sed intelligibili nouerat magisterio. Ideoque bis repetit hæc verba, Ego nesciebam eum, vt profectum suum in hac diuina de Christo notitia nobis insinuet. Secundo autẽ quæ est præcipua ex eo nesciebat eum determinate, ne occasio exoriretur suspicandi testationem Ioannis de Christo, tribuendam esse familiari consuetudini, aut amicitiæ si inter fuisset illa inter Ioannem, & Christum. Propterea ergo inculcat, Nesciebã eum, vt nullus laboret hac suspicione, ex indeque testimonia Ioannis infirma esse temere credat. Vnde subdit, Sed, vt manifestetur in Israel, aut Israeli, propterea veni in aqua baptizans. Quasi dicat, non me impulit ad ferẽdum testimonium de Christo mutua amborum amicitia, vt, scilicet, me illi gratum redderem. Sed tuli de illo testimoniũ, quia necessum est hominibus manifestare illis suæ salutis causam, & vitæ suæ redemptorem. Hæc manifestatio tanti redemptoris in causa fuit, quod venirem in aqua baptizans, vt baptizando Israelitas, simul docerem quod lucem veram habent præsentem, quæ illuminat omnes homines, viuificantemq; vitam habent depellentem mortem à mẽtibus hominum modo, depulsuram tandẽ & à corporibus ipsis. Nam qui in ipsum crediderit, etiamsi mortuus fuerit viuet, & Baptista hoc ait modo, quod Euangelista dixerat in capitis huius exordio, Fuit homo missus à Deo. &c. Hic venit, vt testimonium perhiberet de lumine.

Ioãnes quod prius nouerat intelligibili Spũs sancti magisterio, postea sẽsibili eiusdẽ spiritus magisterio determinate sciuit

ENAR-

ENARRATIO L.
in caput primum.

¶ *Et testimonium perhibuit Ioānes dicens, Quia vidi spiritum descendētem quasi columbam de cælo, & manentem super eum.*

8. Sectio.

HÆC est octaua sectio huius Euangelij, quæ tradit, qua nam ratione profecerit Ioānes in cognoscēdo Christo, quantaq; sit efficacia baptismi Christi. Vnde consequenter patebit inefficacia baptismi Ioannis. Inquit igitur Euangelista, Testimonium perhibet Ioannes. Qui testimonium perhibet tria absoluat oportet, vt prudenter, & exacte testimonium perhibeat.

¶ Primum quidem denarrare fideliter, & citra fraudem testimonium proferre.

¶ Secūdo verò explanare apertè testimonium, vt nō pateat hæsitationi locus, aut tergiuersationi.

Qui rectè testimoniū est perhibiturus tria absoluat oportet.

¶ Tertio inducere audientes, vt latum rectè testimonium sedulò recipiant. Quæ tria in Ioannis testimonijs videre licebit. Ioannes enim fidelissimè denarrauit testimonia de Christo, & citra omnē fraudē, & mundanū affectu, dicēs, qui post me venturus ante me factus est, &c. Et vt lōge esse se certum esset nobis ab omni humano affectu dixit, Ego nesciebam eum.

¶ Secundo explanauit apertè testimoniū sensibiliter digito ostendens Iesum Nazarenum esse agnum Dei tollentem peccata mundi: vnde nulla tergiuersatio, aut hæsitatio superesse poterat, quando aderat sensibilis demonstratio.

¶ Tertio inducebat Israelitas, vt reciperent suum testimonium. Quippe clamabat sæpe eadem repetens de Christo testimonia: & sacerdotibus & leuitis palàm inquit, se non esse Messiam, sed quod in me dio ipsorum stabat, qui erat verus Messias, cui vel vilissimo inseruire ministerio ipse indignus erat.

¶ Et confirmans vniuersa, quæ dixerat testatur modo, se vidisse Spiritum sanctum descendentem, quasi columbam, manentem super Christum. Vidit ad oculū Spiritum sanctum sub specie colūbę, & quod hæc colūba mouebatur, à summo, adimū, à superioribus ad inferiora: qui motus est descensus, & tandem vidit illam quiescētem super Christum. Descensus iste Spiritus sancti, facile denotabat propitiationem Dei iam esse in promptu erga homines: siquidem spiritus suus ad nostra descendebat. Et mansio illius super Christū præsignabat, Christum esse fontem spiritualium donorum, & huius spiritus largitorem.

Descēsus columbæ quid denotabat.

¶ Versant scholastici Doctores dubium non mediocre, si columba hæc, quæ apparuit id temporis, fuerit vera, an ficta colūba, solum apparens, & non existens. Et quidem orta est contentio hæc apud scholasticos, quia apud sanctos autores exordium accepit. Siquidem Chrysostom. homil. 12. in Matth. columbam illam testatur non esse veram columbam, sed solum apparentem. Cui consensit Ambrosius lib. 1. de Sacrament. cap. 5. Non columba, inquit, descendit, sed quasi columba. Quibus subscripsit Procopius comment. ad gen. idemque Cyrillus lib. 2. comment. ad Ioann. cap. 3. vbi ait, Spiritum sanctū apparuisse signo & figura columbæ, propter discentis vtilitatem.

An columba sub qua apparuit Spūs sanctus fuerit vera columba.

¶ Porrò autem Augustinus lib. de agone Christiano. cap. 22. diuersum sectatur placitum. Ego verò hanc controuersiam sanctorum dirimere in præsentia nolo. Neutram partem ducere est animo, & à neutra discedere libet: quia vtramque problema esse existimo. Qui volet hæc vberius assequi, legat disputata à nobis in. 1. Sentent. dist. 16. disp. 1. ideoque ad priora regrediatur sermo noster. Oportet autem nos laudibus eximijs Deū prosequi, quia postquam à cælorum verticibus deturbauit malignos spiritus, vnde hominibus vexatio ingens accesit (quippe nobis iugis est colluctatio, aduersus huiusce modi nequam spiritus) nunc descendentem Spiritum sanctum legimus ad nostra ex cælo, vt sanctus hic vnus spiritus, abigat à nobis malignorum spirituum truculētam rabiē. Namq; circuunt, quærentes quem deuorent: & contra illorum circuitus, & versutias, hic spiritus descendens nos semper munit, vt cum tentatione faciat prouentum. Traditur autem descendere, nō quia Spiritus sanctus, qui omnia replet sua druinitate, descendere, aut ascendere possit, at verò ex operatione nouæ apparitionis descendere dicitur: quia columba in qua se manifestabat, (quia ad hoc illā accepit, vt se

Problema est si fuit vera an apparens columba.

Spiritus sanctus descendens nos armat cōtra malignos spiritus deiectos à cælo.

vt se manifestaret in illa) sensibiliter descendebat. Vt etiam Dei verbum descendere dicitur de cælis, quia humanitas in qua hominibus apparuit, ex terrena substantia erat vt nostra.

Spiritus sanctus non fuit columba, sed verbum Dei est homo.

¶ Quamuis latum est discrimen: Spiritus namque sanctus nō assumpsit columbam in vnionem hypostaticam, at humanitas ad eam rationem assumpta est.

¶ Porrò quid est quod ait, manentem super eū? Etenim Gregorius libr. 2. Moral. cap. 41. proposuit quæstionem. Quī fieri potest mansionem Spiritus sancti super Christū esse propriam Christo, cum legamus. Ioann. 14. Alium paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum? Ergo si in sanctis manet Spiritus sanctus, habere manētem Spiritum sanctū, non est Christi singularis prærogatiua. Respondet ipse, habere spiritum manentem bifariam contingere, aut quantum ad necessitatem habentis, aut aliorum, aut, vt apertius dicam, aut secundum gratiam gratum faciētem, aut secundum gratias gratis datas, vt sunt prophetiæ donū, gratia linguarum, &c. Ait igitur, in sanctis esse spiritum manentem, quoad primum, non tamen quoad secūdum: in Christo verò Spiritus sanctus, quoad omnia prædicta manet. Rectè quidem Gregorius, at verò maioris discussionis gratia, scitò in scripturis sacris Spiritū sanctū tradi, requiescere in Christo, & in sanctis eius. Enimuerò Esai. 7. Requiescet super eum Spiritus Domini, & sermo de Christo ibi agitur. At verò Esai. 66. Super quem requiescet Spiritus meus? sub diuina persona quærit Esaias, & respondet, Super pauperculum, &c. & verba fiunt non de capite, sed de membris. Quippe requieturum commemorat Spiritum sanctum super pauperculum, & contritum spiritu: Christus verò nō habuit, neque potuit habere, vnde esset contritus spiritu.

Cur Spiritus dicatur manere in Christo.

Spiritus sanctus differenter requiescit in Christo & in sanctis.

¶ Rursum non solum diuinum spiritum scriptura commemorat, sed totam Trinitatem mansuram esse in cordibus iustorū. Ioan. enim. 14. Ad eum veniemus, & mānsionem apud eum faciemus. Neque solū quò ad gratiam gratum facientem, hanc quietē Spiritus in sanctis esse hominibus legimus, quinetiam quo ad donum prophetiæ. Etenim. 4. Reg. 2. Requieuit spiritus Heliæ in Eliseo traditur, significatur-

que donum prophetiæ, quod erat in Helia perseueraſſe in Eliseo vsque ad vitæ finem. Et quamuis non quo ad omnia, & semper illustrentur prophetæ, sufficit quoad quædam, & aliquando illustrari, vt hoc dono dicantur verè potiri, quid quod donum linguarum in Apostolis fuit perseuerans, verum de huiusmodi nō est Gregorius intelligendus.

¶ Porrò autem Spiritus sanctus aliter requiescit in Christo, quam in sanctis. In Christo namque requiescit vt in capite, vnde spiritus distribuitur in membra: in sanctis verò vt in membris. Ideoque in Christo requiescit in omni plenitudine, quia non est datus ei spiritus ad mensurā: at verò in membris suis requiescit, nō sub hac plenitudine, sed secundum mēsuram fidei. ¶ Secūdò in anima Christi est plenitudo hæc simul atque condita fuit, sanctis verò non simul atque conditi ad fuit Dei spiritus: quia animæ sanctorū prius infectæ fuerunt ex originali culpa, quàm absterſæ fuerint ex spiritus gratia (sacram semper excipimus virginem.)

Ob quatuor rationes Spiritus sanctus requiescit in Christo, magis quam in sanctis.

¶ Tertiò, Christus habet spiritum singulariter manētem, quia expers fuit omnis peccati, scimus quidem sanctos nōnullos à criminalibus fuisse alienos, at verò isti à venialibus non fuerunt immunes. Quia si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.

Nullus sanctorum viuēs in carne mortali venialis peccati fuit expers.

¶ Quartò habet spiritum manētem Christus singulari ratione, quia neque peccauit, neq; peccare potuit vnione hypostatica prohibente. At verò sancti etiamsi donemus eos non peccasse, at verò peccare poterant: siquidem ab intrinseco nihil habebant, quod potentiam peccādi abegisset, sed solum gratiam Dei habebant præseruantem à peccatis.

¶ En tibi quo pacto Christus supra omnes sanctos habet spiritum manentem singulari & eminentissima prærogatiua. Adde istis, hanc mansionem & quietem Spiritus sancti super Christum denotare Spiritum sanctum manere etiam super corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia. Spiritus enim sanctus à synagoga Iudæorū fuit translatus ad Ecclesiam Christi: & in hac quiescit & manet vsque in mundi consummationem: & extra hanc Ecclesiam Spiritus sanctus neque quæri, neque inueniri poterit. Ex quibus exploratum

ratum tibi erit, quod quamuis admittere-
mus gratias gratis datas perseuerare in ali
quo sanctorum virorũ, nihilominus sem-
per verum erit Spiritum sanctum singula
ri, & præeminẽtissimo modo esse in Chri
sto; quomodo non est, neque potest esse
in sanctis eius. Porrò ex ordinario cursu,
neq; illustratio prophetiæ, semper ad ma
num adest prophetis, vt neque miraculo-
rum operatio viris sanctis qui aliquando
illa præstare cernuntur.

Gratia miraculorũ & prophetiæ nõ sẽper adest prophetis, & viris sanctis.

ENARRATIO LI.
in caput primum.

¶ *Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

HÆC, & proximè denarrata verba ad quartũ testimonium, quod perhibuit Ioannes de Christo spectant. Etenim vox de cælo sonãs, & Spiritus sanctus in similitudine columbæ apparens, confirmant, quod Ioannes de Christo testatus supra fuerat.

¶ Et ne quispiam arbitraretur vocem illã de cælo sonantem, cuius alij Euangelistæ fecerunt mentionem, Hic est filius meus dilectus, referendam esse ad Ioannẽ, ideò Spiritus sanctus sub specie columbæ descendit super caput Christi, & ibi quieuit, vt denotaret Christum esse non Ioãnem, quem paterna vox filium vocabat.

Cur Spiritus sanctus apparuit super caput Christi quiescens.

¶ Repetit autem verbum superius positum, Ego nesciebam eum; quia iuxta interlin. glossam nesciebat Ioann. Christũ, per visionem Spiritus sancti, vt postea didicit, aut verius, propter rationes iam cõmemoratas: vt expungeret à cordibus hominum, omne vestigiũ suspicionis: testimonium, scilicet, exhibuisse Ioannem de Christo, ex amicitia, vel cognatione, inductum. Etenim cognatus, seu consanguineus Ioannes erat Domini: idcircore petit idem verbum, Ego nesciebam eum.

¶ At verò dicet quispiam, Quid est quod ait, Manentem super eum? nunquid tunc primo Spiritus sanctus fuit in Christo, quia hoc præferre videtur scriptura, Spiritũ sanctum tum primo descendisse, & manesisse super Christum? Et sanè fuerunt hæretici, qui hoc astruxerunt dogma, moti ex verbis Baptistæ. Et adeo debacchati sunt, alij hæretici, vt crederent vnionem hypostaticã diuini verbi cum Christi humanitate, tunc primo fuisse celebratam. Et germanæ sunt hæreses istæ: quia si ante baptismum Dominus orbabatur Spiritu sancto, igitur ante baptismum non erat Deus Christus: quandoquidem esse Deũ Christum, conuincit esse plenum diuino spiritu. Fuit autem huius hæreseos autor primus Cherintus, vt meminit Iræneus lib. 1. aduersus hæreses, cap. 25. qui aiebat post baptismum descendisse Christum in Iesum ab ea principalitate, quæ est super omnia figura columbæ. Et tunc annũciasse incognitum patrem: & virtutes perfeciisse, in fine autem reuolasse iterũ Christum de Iesu, & Iesum passum esse, & resurrexisse, Christum autem impassibilẽ perseueraſſe existentem spiritualem.

Hæreticorũ quorũdã placita.

Cherintus hæreticus.

¶ Primam harum hæreseõ obiurgat Cyrillus: & satis se dilatat in obiurgatione: & August. lib. 15. de Trinit. capit. 26. At hac cõuulsa hæresi, quæ illi affinis est, collabitur protinus, cui hac ætate hæserunt hæretici nonnulli.

¶ Veruntamen missis, quæ à Cyrillo traduntur, ne in longum producamus sermonem, paucis refellemus has hæreses: siquidem Lucas testatur cap. 3. Domino orante apertos fuisse cælos, & spiritum descendisse, &c. Igitur apertio cælorum, & descensus Spiritus sancti, & vocis paternæ sonus, tribuenda sunt efficaciæ orationis Christi. Quid ergo, si tanta fuit efficacia huius orationis, quantam alicuius alterius etiam sanctissimorum vatum, nõ legimus fuisse: (quippe quis vnquam prophetarũ hoc promeruit, vt ad eius preces cæli aperirentur, & Spiritus sanctus descenderet?) igitur necessum est dicere, iam tum nõ vacuum fuisse Iesum Spiritu sancto, sed maximè imbutum. Adhæc, si Domini præcursor ab vtero matris suæ fuit repletus Spiritu sancto, Lucæ 2. ipse Dominus ab vtero matris suæ vacuus erit Spiritu sancto? Aspice obsecro quanta sit huius dogmatis temeritas. Quod si tum vnio hypostatica celebrata fuisset, vt alij dicunt, iam ergo personalitas propria naturæ humanæ Christi, ex vnione hypostatica corrumperetur: non enim erant duæ perso-

Christus fuit plenus Spiritu sancto antequã descenderet super ipsum spiritus in specie columbæ.

næ

Christus fuit ver⁹ filius Dei ab initio suæ cõceptionis, antequã vox illa exonuisset, Hic est filius me⁹, &c.

næ in Christo, sed vna duntaxat. Vnde conficitur ex vnione illa humanitatem Christi, aliquid amisisse: siquidem propriam personalitatem adueniente diuina, necesse est hos hæreticos fateri esse corruptam. ¶ Rursum scriptura non commemorat verbum descendisse, sed Spiritum sanctum: igitur iam si illos subit delirare, apparẽtius delirarent si dicerent Spiritum sanctum incarnatum: id quod nullus hæreticorum hactenus ita desipuit, vt doceret.

¶ Quod verò Ioannes ait, se vidisse spiritum descendentem, & manentem, nulla premet ambiguitate, si obseruas, aliud esse dicendum de columba illa, in qua apparebat tum Spiritus sanctus, aliud de Spiritu sancto. Enimuerò columba illa descendit, & quieuit super caput Christi id temporis: at verò Spiritus sanctus ab ipsa animæ Christi creatione, ipsam plenissimè imbuerat, vti supradictum est. Vnde angeli canunt nato Domino, Gloria in excelsis Deo: & nuntiant pastoribus infantem esse mundi saluatorem. Et demum, si tum quando apparuit columba, Christus fuit, sanctificatus igitur antea non erat sanctificatus. Igitur obnoxius erat peccato, reclamante Petro, Qui peccatum non fecit. Rursus ex isto iuncto Matthæ. loco cap. 3. fuerunt, qui asseruerunt Spiritum sanctum non esse æqualẽ filio: siquidem de solo filio dixit pater, Hic est filius meus dilectus, non tamen de Spiritu sancto. Siquidem nihil hic traditur nisi quod descenderit super caput Domini, & ibi quieuerit. De filio vero, Matthæ. 3. & Lucæ. 3. quod ad illum descenderit vox illa, Hic est filius, &c. Argutantur autem isti si esset Spiritus sanctus æqualis filio, igitur esset filius: si vero non est filius, ergo non est per omnia æqualis: igitur est minister fidelis, Christi, & nõ æqualis Chro.

Spiritus sanctus nõ est minister Christi

¶ Et putant descendisse de cælo super Christum, & apparuisse super caput eius quasi columbam, fuisse ministeria fidelia Spiritus sancti exhibita. In hanc sententiam, quam Macedoniani fouent impense, autor operis imperfecti, ad Matth. 3. videtur declinasse, ideo cautè est legendus, Et sophistica est argumentatio horũ: quia eodem modo colligerent filium non esse æqualem patri, quia non est pater. Relationis ergo oppositio nõ colligit personarum inæqualitatem, sed earundem distinctionem. ¶ At verò forsan obijcies, colligionem esse in hoc Euangelio. Dixerat enim supra, Deum nemo vidit vnquam, nunc verò Baptista dicit, se vidisse spiritum descendentem quasi columbam.

Relationis oppositio nõ colligit personarum inæqualitatem, sed distinctionem earundẽ

¶ Cessat tamen collisio: quia Baptista nõ vidit diuinam Spiritus sancti essentiam, at vidit similitudinem columbæ ex qua apparebat illi Spiritus sanctus: vt is qui videt angelum in corpore assumpto, non videt angeli essentiam oculo corporeo, quę alioqui inuisibilis est: at verò videre dicitur angelum, quandiu videt corpus assumptum ab angelo. Cur autem Spiritus sanctus hanc elegerit formam, vt appareret super Christũ: at vero apparẽs super Apostolos, sub forma ignis & linguarum apparuit, & non columbæ? Ratio prompta est, vt ex innocentia auis, innocentia Domini palam esset nobis, itemque vt ex fœcunditate columbæ, baptismi Christi fœcunditas demonstraretur. Demum quia columba est auis maximè pacifica, vnde ipsa Noe attulit pacis signum, Christum esse autorem pacis inter Deum, & homines haud dubium ostenditur.

Cur apparuerit Spũs sanctus in forma columbæ.

Genes. 8.

At verò sciscitabitur forsan aliquis, Nũquid columbam hanc solus vidit Ioannes, vocemq; patris exsonãtem de cælo vnus audiuit Ioannes, an & alij etiam præsentes erant, qui & viderunt columbam, & audierunt vocem? Chrysostomus hanc hęsitationem proponens, nihil certi de illa statuit: neque suus æmulator Theophilactus, siquidem cẽsent fieri posse, hoc spectaculum cæleste visum fuisse ab omnibus, qui aderant, nõ tamen fidem habuerunt illi: vt postmodum faciente Domino miracula, illi non crediderunt, aut nõ omnes viderunt, vel audierunt, sed solum qui aderant ad spectaculũ sanctiores. Verum alij etsi erant præsentes non tamen senserunt tantum spectaculum. Quod si hoc secundum amamus placitum miraculo dandum est, quod vocem audibilem, & columbam visibilem, neque audierint, neque viderint, qui præsentia debita astabant, & non impediti sensibus erant, & nihil deniq; obstaculi in medio erat.

Homil. 16.

¶ Porrò vtraque sententia dubitanda venit: siquidẽ si alij à Ioanne vidissent, cur Ioannes solum de se ipso loquitur, Vidi spiritum descendẽtem, &c. Videtur enim non

non abhorrens à ratione, si alij etiam ad fuissent spectantes, Ioannem dicturum, Vidi spiritum descendẽtem, & alij etiam mecum viderunt, vt nemo putet me rem vidisse imaginarie, quã realiter cũ alijs vidi. Vt Paulus denarrans Actor. 22. quid sibi accidisset iter facienti in Damascum, ait, suos socios vidisse lumen copiosum, quo ipse illustrabatur, etsi vocem loquentis non audierant, quam tamen Lucas capit. 9. refert auditam esse à Pauli socijs. Et vt nulla sit collisio, scito quod cũ duplex fuerit ibi vox, altera vocãtis Christi, Saule, Saule, alia respondẽtis Pauli, fieri potest socios nõ audiuisse vocem Christi vocãtis, & audiuisse vocem Pauli respõdentis Christo, illos tamen latebat, cui nam Paulus responsum daret. Vnde si alij vidissent, Ioannes etiam retulisset, vt videtur: sed cum non retulerit videtur solum Ioanni rem hanc esse inspectam. An autem ita gestum fuerit certum non est mihi, vt qui potuerit rem istam librare ex actius de placitis istis suum promet iudicium.

Apparẽs collisio in Actis Apostolicis soluitur.

ENARRATIO LII.

in caput primum.

¶ *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

5. testimonium.

IOannes Baptista, siquidem primus baptizandi munus exercuerat, ne suo baptismo tantum tribueretur ab Israelitis, vt derogaretur Christi baptismo, idcirco summo contendit studio, suum, quod exercebat eximani rebaptisma, vt extollat Christi baptisma. Vnde supra dixerat, Ego baptizo in aqua medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Proferens suum baptisma esse solum exteriorem in aqua ablutionem, deinde verò vt gradatim proueheretur ad demonstrandam efficaciam Christi baptismi Christum vocauit agnum Dei tollentem peccata, vt inde palam faceret, si Christus tollit peccata mundi, ipse per suum baptisma potent auferre mundi peccata. Et istud confirmat modo ex testimonio Spiritus sancti: ipse est qui baptizat in Spiritu sancto. Quasi dixisset, ipse est, qui est autor baptismi per quem cõfertur Spiritus sanctus. At verò forsan obijciet quispiam illud commemorans, ex Luca. 3. Quod id temporis baptizabantur Israelitæ à Ioanne baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ergo Ioannis baptismus erat non sola ablutio exterior. Ioannes Caluinus in lib. suarum institut. cap. 17. hunc locũ profert contra S. Chrysostom. qui Homil. 10. ad Matthæum in genuè fatetur, quod oportet fateri Ioãnis baptismũ non effeciſſe remissionem peccatorum. Et Actor. 3. itidè Ioãnis baptismus vocatur baptismus pœnitentiæ. At verò, si vera iste Caluinus narrasset, baptizati à Ioanne non fuissent tum rebaptizãdi: at verò rebaptizabãtur vt acta Apostolica referunt, cap. 19. Igitur baptismus non remittebat peccata: quia si illa donaret, quorsum nouo baptismo essent lustrãdi. ¶ Accedit eodem, quod Ioannes baptizabat in eum, qui venturus est, Act. 19. Ergo Ioannis baptismus præparabat ad baptismum Christi.

Baptizati baptismo Ioannis rebaptizãdi erant baptismo Christi

¶ Tertio, quia Ioann. ipse testatur se baptizare in aqua, Christum in Spiritu sancto, & igni. Si verò baptismus Ioannis remitteret peccata, iam ille baptismus esset in Spiritu sancto, id quod Ioannes nõ docet. Quod verò ex Luca depromitur, non detrahit prædicta. Etenim, quia Ioannes baptizando hortabatur baptizandos ad confessionem generalem, intellige, & itẽ ad pœnitentiam suorum peccatorum, ex qua pœnitẽtia soluebantur peccata: ideò appellabatur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorũ. Erat enim baptismus ille excitans ad pœnitentiam: vnde sequebatur remissio peccatorũ: non quod ipse baptismus sufficeret remittere per se peccata, sed per accidens ex socia pœnitẽtia. Quod si obieceris, etiam baptismum Christi egere pœnitentia, vt Petrus monet, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, porrò, vt nodum hunc solues, scitò, baptismum Ioannis in scriptura Actor. 19. appellari baptismum pœnitentiæ: at verò Christi baptismus nusquam hac nomẽclatione afficitur, sed vocatur baptismus Spiritus sancti, ad Titum. 3. Lauacrũ regenerationis, & renouationis Spiritus sancti Paul⁹ vocat Christi baptismum. Et hæc appellatio ex duplici illi congruit nomine, & quia quãdo primo exercebatur, Spiritus sanctus visibiliter descendebat super baptizato

Matth. 3. Lucæ. 3. Marc. 1.

Actor. 2.

Baptismus Christi & Ioannis vt differãt

Actor. 10

Actor.10. Et quia baptismus Christi regenerat hominem: ex filio enim Gehennæ facit filium regni cœlestis: & renouat item mentem hominis ex inimica Deo in amicitiam illã transfert. Baptismus autem Ioãnis pœnitentiæ nũcupatur: quia Ioannes baptizãdo ad pœnitentiam hortabatur: vnde Marcus ait, Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Quæ confessio non erat sacramentalis, sed solum quædam recognitio ore prolata, ex qua recognoscebant se esse peccatores coram Deo. Etiamsi nonnulli contendant, sed sine causa fuisse illam confessionem sacramentalem & specialem: sed quaratione hoc asserant ipsi viderint, quandoquidem eo tempore nondum claues erant concessæ Ecclesiæ, de qua re in.4.distin. 1. disputata à nobis legere poteris.

Cõfessio peccatorum sub baptismo Ioan. nõ erat sacramentalis.

¶ Vt autem, vt ad nos redeamus, baptismus Ioannis non præexigebat pœnitentiam, quippe qui nullum effectum spiritualem operabatur, qui præexegisset pœnitentiam, imò potius pœnitentiam habebat comitem? Quoniam tantisper dum baptizabat, Ioannes baptizando Israelitas hortabatur, vt desisterent à peccatis, & nouam vitam ducerent, vt Lucæ.3. patet. Et hæc pœnitentia ad quam faciendam Ioannes hortabatur, erat propter Christi baptismum. Itaque præparabat mentes Israelitarum, vt regenerarentur & renouarentur per Christi baptismum.

Pœnitẽtia in baptismo Ioãnis erat dispositio ad Christi suscipiẽdũ baptismum.

¶ Quocirca Christi baptismus præexigit pœnitentiam, non tamen perfectam.

¶ Pœnitentiam igitur, quam Ioannis baptismus habebat comitẽ, Christi baptismus habet præuiam: siquidem exigit gratiæ per baptismum Christi infundendæ submotionem impedimẽti, & impedimẽtum hoc est mortiferi complacentia peccati. Quapropter Christi baptismus non vocatur pœnitentiæ, quamuis illam in adultis præsupponit. Quod dixerim, quia in paruulis nullã præsupponit pœnitentiam. Et cõtendunt nihilominus scholastici doctores quidã sufficere adultis nõ cõplacere in peccato, de qua re alibi diximus, vt dicebam. ¶ Veruntamen forsan Caluinus obijciet nobis baptismum Ioannis donasse peccata, non tamen Dei gratiam, Christi verò baptismum vtrũq; efficere. Et inducet forsan autorem operis imperfecti in Matth.3. tradentis, quatuor genera baptismatis, hoc est, verbi, aquæ, spiritus, & tentationis. Et baptismũ aquę docet remittere peccata, at verò animam nõ sanctificare, vt vetusti Theologi olim tradebant, circumcisionem donare originalem culpam, non tamen Dei gratiam. Id quod fuit Magistri placitum in.4. dist.1. ad finem. Cæterum Chrysostomus Homil.10. in Matthæum iam prænotata ex professo hoc Caluini dogma euellere studet multis probans, Ioannis baptismum non fuisse baptismum remissionis peccatorũ. Et ideò autor operis imperfecti non sapit in re hac Chrysostomum: quare neque illi adhibenda est in hac parte fides, quia alienus est à scriptura. Et equidẽ, si baptismus remittebat peccata, igitur baptizati ex illo baptismo per baptismum non erant filij Gehennæ: & si non conferebat sanctificationem gratiæ, non erant filij regni. Igitur fieri potest, quemquam neq; esse filium regni, neq; perditionis: id quod secundũ legem à Deo prescriptã fieri nequit. Matt. enim.25. solũ sunt duo loca, & vita æterna, & supplicium æternum.

Hom.3.&.1. non lõge ab initio.

Autor imperfecti operis taxatur.

¶ Porrò autem ex verbis, Ioann. hæretici neotherici, adhuc baptismo Christi insultant: contendunt enim verum Christi baptisma non esse aquæ baptismum: sed spiritus baptismum. Istud autem hæreticum commentum ex Matth.3. & Luc.3. astruere conantur: vbi Ioannes de Christo ait, Ipse vos baptizabit Spũ sancto, & igne. Et Marcus. cap.1. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto.

Hæresis neothericorũ refellitur.

¶ Testanturque abolitum esse baptismũ aquæ ab ipso Christo. Actor. 1. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Et hoc loco idem traditur, Ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto.

¶ Ad hæc nunquam legitur Christum baptizasse in aqua, sed solum in Spũ sancto. Isti hæretici, quia hæresis negans operum necessitatẽ reposita est alta mẽte apud illos, etiam baptismũ aquæ tanquãm opus quoddam respuere nituntur.

¶ Cæterum Christus est baptismi institutor Ioan. 3. Et Apostoli Domini in aqua baptizabant, Et Paulus ab Anania fuit in aqua baptizatus. Et Petrus Cornelium in aqua baptizauit, vt Philippus Eunuchum, & Apostolis, Matt. vltimo.

hunc aquæ baptismum præcepit exercendum. Et fundamentum hæreticorum est hæreticum, opera non esse necessaria. Ad ea vero, quæ proferunt, nos concedimus Christi baptismum esse in aqua, & in Spiritu sancto. Est enim Christi baptismus, baptismus Spiritus sancti: quia per aquę ablutionem, sub certa verborum forma mens regeneratur, & renouatur. Neque Christus aboleuit baptismũ aquæ Act. 1. sed docet Apostolos baptizãdos per missionem Spiritus sancti sub linguis igneis. Et hic baptismus erat ad nouum Apostolicæ gratiæ augmentum, & stabilimentum. Quod verò ait, Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne, sunt qui exponant, ideò Christum nos baptizare Spiritu sancto, & igne, Spiritu sancto, videlicet, quia relaxat peccata per baptismum, & igne quia feruidos, & constantes facit ex eadem Dei charitate, & ad hunc sensum Rupertus, & alij.

Actor. 8. Actor. 9 Actor. 9.

¶ Sunt qui ad igneam illam missionem sancti Spiritus in die Pentecostes referant, quod ait, igne baptizabit. Sunt denique, qui ad tribulationes sanctorum referunt. Etenim qui piè volunt viuere in Christo tribulationem patientur, & quia per tribulationem mundantur iusti à peccatis suis: quia sicut aurum in ignis fornace, ita probabit electos Dns: ideoque hunc vocitant ignis baptismum.

Exponitur locus Matthæi, & Lucę de igneo baptismo.

¶ At verò dixerim illud, quod in actibus Apostolorum scribitur, capit. 1. de ignea illa missione esse intelligendum textum, nos docere, Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, & igne non post multos hos dies. Verum locus Matthæi, & Lucæ, Ipse baptizabit in Spiritu sancto, & igne, forsan alium habet sensum. Verba enim duo insinuant sacramenta, & baptismi & pœnitentiæ. Baptismi quidem in verbis illis, Baptizabit in Spiritu sancto, pœnitentiæ verò, in verbo, Igni, vel igne. Etenim tribulatio contritionis, & doloris, quem pœnitentia secum confert, ignis rectè mysticus est dicendus, quippe qui consumit peccata. Quod si tribulatio exterior baptismus appellatur, multo vehementius tribulatio pœnitẽtiæ, quæ mentem mundat à culpis, æquo nomine baptismus est dicendus. Et in Concilio Trident. Sessio. 14. cap. 2. merito traditur quod pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis patribus dictus fuerit.

¶ Igitur cum pœnitentia sit quidam laboriosus baptismus, verba Ioannis, baptizabit Spiritu sancto, & igni, de vtroque baptismo, & aquæ, qui citra laborem donat peccata, & de baptismo pœnitentiæ, qui cum labore pœnitentis relaxat peccata, sunt intelligenda. *Hic est qui baptizat.* Hoc est ipse est autor & institutor sacramenti baptismi: siquidem ipse est Deus & homo, ideò potens est instituere sacramentum baptismi. Et quemadmodum dixit spiritus Dei, Hic est, qui baptizat, ita dicere potuisset, Ipse est, qui cõfirmat, Ipse est qui ordinat, Ipse est qui instituit Eucharistiam, &c. Siquidem omnium sacramentorum autoritas penes Christum est, quippe qui solus potest ea instituere, & non est Ecclesia, quæ gratiam non potest infundere, vt decernitur à Concilio Trident. Sessio. 7. can. 1. Non autem dixit Ioannes aliud præterquam, Hic est, qui baptizat: siquidem baptismus est ianua sacramentorum, ideo tat fuit dixisse hoc, vt cætera intelligantur. Lege disputata à nobis in. 4. Sentent. de sacra. in genere. Dicet aliquis, Cur ergo Ioannes appellatur Baptista, & Christus non appellatur hoc cognomine, si Christus est qui baptizat, & nõ Ioannes. Respõdeo, Ioannem appellatum hoc cognomento, quod ipse primus hoc baptizãdi exercuit munus: verũ quia solũ in aqua baptizabat, erat sane baptizans, at nõ ipse qui baptizat, vt creatura dicitur bona, at non ipsum bonũ. Quia esse ipsum bonũ significat esse ipsam causam, vnde bonũ. Ad eandem rationẽ Christus est ipse qui baptizat, quia ab ipso fluxit baptismi sanctificatio, non à Ioanne.

Duplex baptismus sine labore alius, alius laboriosus

¶ Scito demum ex hoc loco colligi, quod dogma scholasticorũ Theologorum asseueratum Christo esse potestatẽ excellẽtiæ circa sacramenta: siquidem potestas hæc est, quia Christus instituit sacramenta. At dudũ dicebamus hoc sibi velle verbũ hoc Spiritus sancti, Ipse est, aut, Hic est, qui baptizat. Ipse, scilicet, est autor sanctificationis baptismi. Alia etiam docent pertinere ad potestatem excellentiæ, videlicet, quod potest Christus sine sacramentali administratione effectum conferre sacramenti: item quod sanguis eius promeruit effectum sacr. mẽtorum: deni-

In Christo potestas excellentiæ & vnde colligitur.

deniq́ue quod in nomine eius collatum fuit aliquando ſacramentum: de quibus nihil diſſeremus in præſentia.

¶ Cenſet Nicolaus hoc fuiſſe Auguſtini placitum, Ioannem dixiſſe, Ego neſciebam eũ, ideſt, quod hanc poteſtatẽ excellentię habuiſſet Chriſtus latuiſſe Ioannẽ. ¶ At Auguſtinus ſolum expreſsit Ioannem neſcire ſi poteſtatem ſanctificãdi ex baptiſmo eſſet alijs Chriſtus collaturus, an ſibi ſoli retenturus: vt ſupra egimus.

¶ *Et teſtimoniũ perhibui, quia hic eſt filius Dei,* pro quo Græcè habetur, ille filius Dei. Multa teſtimonia hactenus ſunt denarrata, quæ Ioan. teſtatus eſt de Chriſto, Quia dixit, Hic erat quem dixi, qui poſt me vẽturus eſt, &c. Et rurſum, Ecce agnus Dei. Et præter hæc, quod viderit ſpiritum deſcendentem, &c. Nunc verò nouum adiecit teſtimonium, quod nuſquam alibi teſtatum fuiſſe à Ioan. legimus, verum multa fuere dicta, & geſta, quæ libro nõ ſunt comprehenſa. Hunc autem locum vulgati interpretes, Domini diuinitatem declarare affirmant. Quod, ſcilicet, Ioannes teſtetur Chriſtum eſſe filium Dei naturalẽ, & non adoptiuum. Vnde Auguſtinus, Oportebat enim eum baptizare, qui eſt filius Dei vnicus, non adoptatus. Adoptati filij miniſtri ſunt, vnicus autem habet poteſtatem, adoptati miniſterium. Cæterum mihi non videtur inepta Caietan. expoſitio, vt intelligamus Ioannem per hęc verba teſtatum fuiſſe Chriſtum eſſe verũ Meſsiam. Enim verò Iudæi credebãt venturum Meſsiam, futurũ filium Dei, hoc eſt, Deo futurum quam gratiſsimum, & gratiorem cunctis prophetis. Nam Iudæi vulgò nihil de myſterio ſanctę Triadis intelligebant, vt crederent Meſsiam eſſe filium Dei connaturalem. Etenim Nathanael itidem confeſſus eſt, Tu es filius Dei volens hoc idem profiteri Chriſtum eſſe Meſsiam illum venturum. Et Cayphas interrogat Dominum, Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?

Chriſtus habet poteſtatẽ baptiſmi, ſancti alij miniſterium.

Caietan⁹ nõ probatur.

¶ Cæterum arbitror Ioannem per verba cõmemorata idem voluiſſe pãdere, quod paterna de Chriſto coram Ioanne expreſſerat vox. Hic eſt filius meus dilectus, &c. Hæc autem verba diuinitatem Ieſu Chriſti, & conſubſtantialitatem cum patre exprimebant. Hoc igitur idem, quod audierat ex voce Dei, ipſe voce ſua confirmauit dicens, Hic eſt filius Dei.

¶ Quamuis enim populus Iudaicus rudis erat in Trinitatis myſterio, & non intellexit forte ex verbis Ioannis, quod Ioan. volebat intelligendum, verum Ioannis intentio hæc prædicta erat.

¶ Et aliud eſt de Nathanaelis, quàm de Ioannis teſtimonio: quia Nathanael verè non intellexit per verba eadem, Tu es filius Dei, quod Ioannes, quippe ſolum intellexit, Tu es Meſsias, vel ſanctorum excellentiſsimus. Vnde ſubiecit, Tu es rex Iſrael: ſiquidem ſperabant Meſsiam eſſe regem Iſrael. Vnde ex adiectis verbis, tollitur ambiguitas. Et vt collegit Theophilactus, ſi intellexiſſet per verba prædicta Chriſtum eſſe filium naturalem Dei, non dixiſſet, Tu es rex Iſrael, ſed, Tu es rex vniuerſi. Ioannes verò non adiecit, Tu es rex Iſrael: tametſi Cyrillus etiam ſentiat Nathanaelem cognouiſſe Chriſti diuinitatem. Cayphas itidem non aliud intellexit, quàm quod confeſſus eſt Nathanael. Niſi quod Cayphas non confitetur, ſed ſubdole ſciſcitabatur, vt ex confeſsione reatum colligeret, ſi potuiſſet. Et demum quia legitur hic filius Dei cum articulo de filio naturali fit ſermo, Cyrillo autore. Lib. 2. cap. 4.

¶ Demum, vt has expediamus duas enarrationes, aduertes Deum multifariam manifeſtari hominibus, aut per veſtigium & imaginẽ. Vnde Paulus hanc manifeſtationem nunquam non docet, dicens, Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, & rurſum, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: & hæc manifeſtatio eſt generalis, & naturalis. ¶ Aut ſecundo manifeſtatur per ſimilitudinem noue formatam à Deo: & hæc manifeſtatio eſt ſpecialis, & ſupernaturalis cum ſequentibus, vt ſpiritus manifeſtatur Ioann. ſub columbæ ſpecie, & pater per ſonantẽ cœlitus formatã vocem: Aut manifeſtatur per reuelationem interiorẽ, vt prophetis, & Ioãni, vnde ait, qui miſit me baptizare in aqua ille mihi dixit, &c. ¶ Aut quarto in gratiæ alicuius operatione, vt manifeſtetur Deus per miracula, vt Magis in ſtella. Aut deniq; manifeſtauit ſe Deus in carne aſsũpta, vnde Paulus ad Timot. 1. c. 3. Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, &c. Et hæc manifeſtatio eſt maxima omnium.

5. Modis ſe manifeſtat Deus.

Ad Rom. 1. 1. ad Cor. 13.

ENARRATIO LIII.
in caput primum.

¶ *Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo: & reſpiciens Ieſum ambulantem dicit, Ecce agnus Dei, & audierunt eum duo diſcipuli loquentem. &c.*

9. Sectio.

HÆC nona ſectio huius Euã gelij eſt: vbi oſtenditur Ioã nẽ profeciſſe diſcipulis ſuis ex teſtimonijs, quę de Chriſto protulerat. Quippe quidam ex diſcipulis eius Chriſtum ſunt ſecuti, qui alios adduxerunt in Chriſti notitiam. Nam Andreas adduxit Petrum fratrem ſuum, & Philippus Nathanaelem: vnde quinque diſcipuli tum agnouerunt Dominum. ¶ Legimus porro apud Lucam cap. 7. Et Matth. 11. Phariſæos, & legis peritos obſtitiſſe Ioannis doctrinæ, & baptiſmo: vnde Ioannem non ſunt veriti dæmonio agi affirmare. Quocirca credibile admodum eſt, quia ex Phariſæis & iuriſperitis populus ille pẽdebat (quia illi religione Iudaica, iſti verò doctrina Moſaica pollebant) eundem detrimenti nõ modicum id tẽporis ab illis ſuſtinuiſſe, ne ferùidè ſuſciperẽt teſtimonia Ioãnis de Chriſto. Quoniã Phariſęorũ ſimulata nequitia & iuriſperitorũ ſiniſtra doctrina illos auertebant, ne ſuſpicerent & obſeruarent maxima obſeruatione Ioann. doctrinam. Id quod ſecum pendens Ioannes ad diſcipulos ſuos, vt ad capaciores ſe conuertit, modo, vt illos admoneret de Chriſti excellentia: quos credebat non eſſe violandos à faſtuoſis Phariſæis.

Phariſęi & iuriſperiti obſtiterunt doctrinæ Ioannis.

¶ Quamobrem quod publicitus euulgarat de Chriſto corã omnibus Iſraelitis ad ſe conuenientibus, nunc clanculum ad diſcipulos ſuos quoſdam euulgat.

¶ Et non fugit fidem meã hos diſcipulos idem iam audiuiſſe à Ioanne quod modo: verum vt obſtrueret ora iniquorũ Phariſæorum inſultantiũ Ioanni, & quod ipſi euertere auidè conabantur, Ioãnes ſedulo ſemper cõſtitueret: ideò diſcipulis duob⁹ manifeſtat, ꝙ ſupra manifeſtarat dicens: Ecce agnus Dei. Non adiecit, Qui tollit peccata mundi: quia iam ipſi hoc acceperant à Ioanne ex ſuperiori teſtimonio, ſed ſolum exordium prioris teſtimonij comminiſcitur, vt diſcipuli reuocent quod ſequebatur in memoriã. Quod vero ait, Altera die, ſimiliter leges, vt ſupra. Hoc eſt poſtridie, ideſt, proximo die poſt relatũ ſupra teſtimoniũ. Tunc ſtabat Ioãnes, & eius diſcipuli duo. Et reſpiciẽs Ieſum ambulantem: Grecè, Intuitus Ieſum, hoc eſt, fixis, & attẽtiſsimis oculis videns Ieſum. Intueri enim plus ſignificat, quã reſpicere. Vtiq; dignus eſt Chriſtus, qui hac ratione intueretur à Ioãne, ſiquidẽ attentiſsime erat intuendus is qui erat ſalutis autor omnium hominũ. A nobis etiam attẽtiſsimè oculis fidei eſt intuendus, quando nõ datur oculis carnalibus illũ intueri, ſiquidem ipſe eſt iudex & Saluator noſter. Sũt qui ſuſpicentur eſſe myſteriũ in ſtatione Ioãnis, & ambulatione Chriſti. Quia ille ſcribitur ſtans cũ diſcipulis ſuis, Chriſtus verò ambulãs: lex nãq; vetus in Ioãne adumbratur, & lex noua in Chriſto denotatur. Stat ergo Ioannes, & ambulat Chriſtus: quia lex illa coruſcante gratia noui teſtamenti per Chriſtum, ſtetit & finem accepit. Audientes autẽ diſcipuli illi Ioannem loquentem, hoc eſt teſtantem Chriſtum eſſe agnum, continuo illi crediderũt docenti Chriſtum eſſe verum Meſsiam, & ſecuti ſunt Ieſum. Ioãnes enim nõ ſibi mittebat diſcipulos, ſed, vt illos Chriſto amandaſſet docebat. Non tamen id temporis cõtinuo reliquerunt Ioãnẽ, etiamſi ſecuti ſunt Chriſtũ tunc: vnde etiã vſq; ad Ioã. necẽ diſcipuli Ioã. nũcupãtur Mar. 6. Quo audito venerũt diſcipuli eius, &c. Itaq; Ioan. diſcipuli iſti, vel alij etiã, venerunt ad Chriſtũ tunc & illũ cognouerũt eſſe Meſsiã, nihilominus nõ illi indiuiduos ſocios ſe præbuerũt tunc, vt Aug. lib. 2. de cõſenſu Euãg. c. 17. Niſi quia intelligendũ eſt, nõ ſic eos vidiſſe tunc Dñm iuxta Iordanẽ, vt ei iam inſeparabiliter cohærerent, ſed tantũ cognouiſſe, quia eſſet, eũq; miratos ad propria remeaſſe. Et ſibi obijcit, quia Ioann. 2. facto miraculoſe ex aqua vino ait Ioãnes, Et crediderunt in eum diſcipuli eius, & reſpondet, appellatos diſcipulos, quia futuri erant diſcipuli.

Chriſtus eſt ab omnibus valde intuendus.

¶ Secuti autẽ ſunt Chriſtum poſt eũ ambulantes, vt poſtquã vidiſſent eũ introeũtem habitaculum ſuum, illò ſe conferrent, & peterent inſtrui ab eo. Verebantur enim Domini perſonam, & ideò non audebant ſe illi in itinere ſocios præbere:

re: quare sequuntur terga Christi, faciem illius, & societatem formidantes.

¶ Aduerte autem hos duos discipulos primos fuisse secutos Dominum. Quamuis enim Ioannes multa frequentasset testimonia, & dixisset illum esse agnum, vt modo, & esse eum, qui baptizabat in Spiritu sancto, non legimus quempiam secutum esse Dominum, donec modo ex hoc sexto testimonio, non omnes sed duo discipuli Ioannis persuasi sunt, vt terga Domini sequerentur. Discipuli sanè Ioannis sunt primi, qui Christi sequelam inchoant. Enimuerò isti erant capaciores, quam alij. Quippe priores dilexerũt Dominum, & doctrinæ Christi fuerunt primi cultores. Et sicut gutæ aquæ stillantes super lapidem non continuo excauant lapidem, priores enim gutæ emolliunt lapidem & postrema excauat: adhunc modũ Ioannis testimonia erant sicut stillicidia stillantia super corda Iudaica. Priora igitur testimonia mollefaciebant, & præparabant mentes discipulorum Ioannis: at hoc sextũ, Ecce agnus Dei, excauauit, tandem, quia duobus persuasit, vt Dominum sequerentur, vt ab eo instituerentur. Qui autem fuerint isti duo discipuli Chrysostomus hæsitat, & non definit. Etenim de Andrea nulla est disceptatio, quia Euãgelista illum commemorat: Andreæ autem socius ignoratur. Sunt qui dicant fuisse Ioannem Euangelistam, ideoque se non expressisse. Alij vero, vt Alcuinus indicante Cathena S. Thom. Philippum esse existimant. Vnde si istud veritate constat verbum, antequam vocaretur à Domino Philippus, secutus fuerat Dominum ex Ioannis autoritate. Nam Andreas etiam postquam Dominum fuerat secutus, vocatus est ad apostolatũ. Dominus autem non ignarus sequelæ huiusmodi, conuertit vultum suum ad sequaces discipulos hos duos, vt illorum auferret pudorem, & timorem interrogandi depelleret. Dominus enim docet, Qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Isti duo iam quærebant Dominum: nam illum sequebantur, idcircò Dominũ inuenerunt propitium & misericordem, quia conuertit se ad eos. Et impleuit quod scriptum est, ostende nobis faciem tuã, & salui erimus. Conuersus igitur ad eos, illuminauit vultum suum super eos, & dixit, Quid quæritis? Illi autem non dicunt quod verè dicere potuissent, Te quærimus, non enim hac ratione alloqui ausi sunt, sed, Rabbi, quod interpretatur, Magister, vbi habitas? Iste enim sermo humilior est, quam si dixissent, Te quærimus. Quæret aliquis, Vnde vocant magistrum Dominum, qui id temporis nihil docuerat? Caietanus existimat Dominum docuisse tum, quia non temerè vocatur magister: quãuis secreto. Obstat tamen illi locus ille, Ego palam locutus sum, & in occulto locutus sum nihil: respõderi potest, nõ docet in occulto, qui quod clam docet, mox palam est docturus.

Discipuli Ioãnis sunt primi qui sequũtur Dñm.

Matth. 7.

Psalm. 79.

Psalm. 66.

¶ Forsan aptius dicemus hos Ioann. discipulos vocasse Dominum magistrũ, quia consentaneum erat eum vocare magistrũ cuius doctrina imbui desiderabant.

¶ Significat autem vox, Rabbi, magistrum, aut magister mi, & quia Ioannes Græcè scripsit, ideò Hebraicum hoc nomen interpretatur.

¶ Considera autem ex schola Ioannis, esse transitum ad scholam Christi, siquidem schola Ioannis, est schola pœnitentiæ, quandoquidem Ioannis mores, erant pœnitentis mores. Habitatio enim illi erat eremus, vestimentum asperitate horridum ex pillis camelorum, victus mel syluestre, & locustæ, sermo asper ille, Genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? &c. At schola Christi schola est gratiæ, quia lex per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum. Vnde sermo Domini plenus gratia & veritate erat, Lucæ. 4. Tollite, inquit, Matt. 11. Iugum meũ supervos, quia iugũ meum suaue est, & onus leue. Qui ergo desiderat ad Christi trãsire scholam, prius versetur oportet in schola Ioannis: ex pœnitẽtia enim peccatorũ trãsitur ad Dñi gratiam cõciliandam. Qui namq; impœnitentiam amat fieri nequit, vt gratiam diuinã conciliet. Hæretici igitur huius æui, qui pœnitentiam dissuadent, nolunt fieri discipuli Ioãnis, huius tanti magistri scholam horrent, quapropter etiam si gloriẽtur se esse in schola Iesu Christi, vana est gloriatio ipsorum: quippe sine pœnitẽtia peccatorum, Christus neminẽ admittit ad discipulatum suum.

Ex schola Ioannis trãsitur ad scholã Christi.

Tropologicus sensus.

Schola Ioannis schola pœnitẽtiæ schola Chri schola gratiæ.

¶ Discipuli igitur Ioannis, quærunt, *Rabbi vbi habitas?* Et Dominus dixit eis, *Veni-*

te & videte, Græcè, *Rabbi vbi manes?* Siquidem Dominus ait, vulpes foueas habent, & aues cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suũ, Luc. 9. Non ergo erat Dñs habitaculũ proprium, vbi habitaret, sed diuersabatur, vel manebat apud alios in diuersorio, vel hospitio. *Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo; hora autem erat, quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.* Non repellit Dominus quærentes se, sed illos ad se trahit, multo potentius, quam magnes trahit ad se ferrum. Nam magnes vi ferrum ad se cogit, at Dominus mira suauitate suos ad se trahit. Ideoque discipulis quærentibus, Magister vbi habitas? plura concedit, quam illi poscebant: quia ait, Venite & videte. Quasi dixisset, Ego vos ducam, & deducam in meam mansiunculam: Ego vobis illam indicabo. Non quidem tantam dignationem petebant discipuli isti quantam Dominus vltrò illis largitur. Namque discipulis istis sat fuisset, si Dominus dixisset, Mansionem meam inuenietis in tali, aut tali vico, prope forum, vel longe à templo, &c. Sed neque causatur Dominus horam esse tardam, quia sol iam decumbebat, hora enim decima Hebræis erat ab exortu solis, duabus ante solis occubitum horis. Non ergo Dominus ait, Crastino die huc accedetis, quia hora diei iam tarda est, imò illos introducit in domum suam, vt illos doceret salutis viam. Quapropter hinc docentur prædicatores, vt nacta occasione docendi necessaria (itidem de operibus dicito necessarijs) illam non prætermittant, illam differendo, & procrastinando. Quia fronte capillata pingitur occasio calua: & sæpè si opportunitas negligitur modo, vix aut nunquam restituitur.

Mysticus sensus opportunitas ad opa exequẽda bona nunquam negligenda.

¶ Si verò ad allegorias diuertere iuuat, scito mansiunculam hanc, vbi Dominus manet, & duxit Ioannis discipulos, illosque docuit viam salutis esse Christi Ecclesiã. Hæc namq; nõ manifestabitur cuiquam, nisi Christus sit illius ostensor, & index: nemo ad illam accedet, nisi Christus sit ductor. ¶ Est quidem Ecclesia manifesta, & est occulta: sacramenta enim & cæremoniæ, quibus exornatur, & constat, patent oculis. At horũ virtus latet infideles, & fidelibus sola fide patet. Fideles huius ecclesiæ membra, etiã quia homines sunt manifesti sunt cunctis: at verò quod illorũ vita in Christo sit abscõdita, ad Colo. 3. quodque thesaurus cœlestis sit intra eos, istud quidem occultũ est, Paulo docente, Habemus thesaurũ absconditum in vasis fictilibus. 2. Cor. 4. Et demũ, vt terra, quę cõdit thesaurũ, manifesta est sensibus: at thesaurus, quẽ in visceribus condit, est occultus: ità Ecclesia extra manifesta est: at verò quantũ condat thesaurũ vitę æternę, fide sola creditur. Quod intra eã sit salus, extra eam dãnatio fides sola docet, sensus nullus experitur. Et istud debuissent aduertere hæretici huius æui contendentes esse Ecclesiam prorsus inuisibilem: est nãque etiam visibilis. Quocirca rectè Dñs illam contulit thesauro abscõdito in agro, Matth. 13. At ager patet, thesaurus nõ patet: igitur Ecclesia ex parte patet, & ex parte nõ patet. Propter quã causam, quia occultum habet thesaurum hæc Christi domus, necesse est, vt Christũ petat, qui volet hanc domũ scire, & intra eam Christum inuenire: & ipse deducet benigne ad hanc domum, vt discipulos hos duos in suam mansiunculam introduxit.

Alius mysticus sensus.

Ecclesia non est prorsus inuisibilis.

Ad ecclesiam nemo accedit nisi ducẽte Christo, si verè accedit.

¶ Quod si libet etiam hanc, cuius Euangelium meminit, decimam horam, ad mysticos deducere sensus, aduertes diem mysticum cõprehẽdere duodecim horas mysticas: vt dies artificialis duodecim continet solaris motus horas. Est autẽ dies mysticus iste à creatione mundi cõputandus vsque ad diem iudicij. Huius prima hora est, si ludere iuuat in mysticis sensibus, hominis creatio. Secunda hora fuit, illuminatio benedictionis Noe, absterso caligne peccati per diluuium. Tertia sanctificatio Abrahæ per circuncisionis sacramentum. Quarta sanctificatio Moysi, ad liberandum populum Israeliticum, de Tyrannide Ægyptiaca. Quinta legis Mosaicæ latio ad peccati ostensionem. Sexta fuit defensio populi Dei ab ingruentibus hostibus, per creatos à Deo iudices. Septima, regia gubernatio, qua populus ille fuit gubernatus à Dauide, & alijs successoribus regis Dauid. Octaua fuit repromissio facta per Dei vates de Christo vẽturo. Nona, liberatio populi Dei de infausta illa Babylonica captiuitate autore Zorobabele. Decima re-

Alius mysticus sensus.

Duodecim horę mysticę

ma redemptio per Christum exhibita & ideo ait modo Euangelista, erat quasi hora decima. Quia tum nondum Christus redemerat orbem, mox tamen redempturus: ideo ait, quasi hora decima, quia nondum completum erat redemptionis tempus, sed propè erat vt impleretur. Vndecima est, remuneratio animarum sanctarum, qua potiuntur modo cum Christo. Duodecima erit, corporũ sanctorum beatitudo in fine seculorum. Ad decimam igitur horam redemptionis nostræ summum beneficium nobis impensum est. Ad hanc rationem mysticatur Albertus Magnus elucidans hunc locum Ioannis: quæ si tibi grata sunt, frui tor illis, quia non sunt indigna scitu.

Hora mystica decima redẽptionis humanæ summum beneficiũ nobis impensum est.

¶ *Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant, à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Messiã, quod est interpretatum Christus: Et adduxit eũ ad Iesum.* Andreas frater Simonis, quæ cõceperat à Dño salubria documenta conatur cõtinuo in fratrem instillare. Quoniã, qui lucratur fratrẽ suum, inclytum opus operatur corã Domino. Et miratu dignũ quod citra miraculorum ostẽsionem, tam citò crediderit Petrus Andreæ inuentum esse iam Messiam.

¶ Et quidẽ, si dixerit aliquis ex Eccl. 19. cito credentẽ leuẽ esse corde, nõ congruet verbum hoc Petro: siquidem is censetur citò credere, qui nulla motus sufficiẽti ad credendum ratione, vel autoritate credit, & hoc leuitati dandum est. Vnde Ioan. 4. Samaritanam citò credentem Christo, nemo dixerit leuem: enimuerò autoritatem Christi sibi colloquentis tantifecit, quãti illi fidẽ exhibuit. Petrus quoq;, quia Andream nouerat collocutũ fuisse cũ Christo, & ea, quæ à Christo acceperat, illa eadem sibi esse relata, ideò nullius leuitatis fuit credere. Quid quod Ioãnis erant præmuniti testimonijs Iesum esse Christum. Andreas igitur inquit Simoni, Inuenim⁹ Messiã. Et significat verbũ, Inuenimus, anxietatẽ, quã Andreas & alij, gerebãt in uestigandi Messiæ aduentum. Et ideò certi facti iam adesse hilaresque ex certitudine redditi in personã suã & aliorum ait Andreas, Inuenimus Messiã. Quamuis Chryso. Et suus rapsodus Theophilactus, verisimile cẽsent, nõ credidisse statim Petrum Andreæ: siquidẽ non dicit Euangelista in Christũ Petrũ credidisse Andreæ dicente, Inuenimus Messiã, sed solum, ꝙ adduxit eum ad Iesum. Etenim cũ vidisset Andreas se benignissimè fuisse exceptũ à Iesu cõfisus de tanta dñi benignitate: & fratrẽ quoq; suum Petrũ secũ adduxit, vt cognosceret Iesum. ¶ Verum quia Dñs Petrum cõmendauit ex nomine, Simon, Tu inquit es Simõ, & Simon significat Hebræis, quod nobis audiẽs, vel obediens, non est improbabile, iam tũ Petrũ, antequam ad Dñm accederet credidisse Andreæ docenti Iesum esse Messiã. Vocem autem, Messiam Hebræam, Ioãnes scribens Græcè est interpretatus significare Christum. Vox autem hæc est Hebraica, vel Chaldaica: nisi quod Hebræa vox est, Meschia, Chaldaica verò, Meschiah. Ioannes verò, non Messia, vt Hebræa sonat vox, sed Messias scripsit Græcanico more addens, s, significat autẽ Latinè vnctus. Et quia multi apud Hebræos vngebantur, verbi causa reges, & sacerdotes, & prophetæ, vt denotaret Euangelista, Christum non esse huiuscemodi, sed esse vnctum excellentiorẽ cunctis, quẽ expectabant Iudæi, ideò adiecit articulũ, Messiam illum. *Et adduxit eum ad Iesum.* Hinc profluxit in Ecclesiam Dei cõsuetudo, vt ad sacramentum baptismi, quando deferuntur baptizandi, quia tum primo adducuntur homines ad Iesum adducantur per patrinos, quos vocant anadochos Græci: item quando adducuntur ad sacramentum confirmationis.

Vox Messias Hebraica, & Chaldaica.

Patrini ex Euangelio.

Quis cito credens leuis est corde.

¶ Intuitus autem eum Iesus, dixit, Tu es Simon filius Ioãna: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Cum adduxisset Andreas Petrum, & constituisset eundem in Domini conspectu, intuitus est Dominus Petrum, quem ab æterno intuitus fuerat diuinitatis suæ scientia, & illũ prædestinarat, vt esset Ecclesiæ Christianæ, quem Christus erat fundaturus, solidum fundamentum. Quamobrem, & nomen illi nouum indidit, dicens, Tu vocaberis Cephas. Primo quidem nomen vetus commemorauit, scilicet, dicens, Tu es Simon, & dein nouo illum illustrat cognomine. Et quidem, si Dominus non esset omniscius, diceret aliquis Christũ cognouisse nomen, & patrẽ Simonis ex relatione Andreæ, & Christi

iussu adductum Petrum ad Iesum. Cæterum, quia Christus ex diuinitate sua omnia ab æterno nouit, ideò non eguit informari de nomine Petri, aut de nomine patris eius: sed ab æterno illa prænoscens, dixit, Tu es Simon de nomine autem patris Petri, non est conuentum apud omnes scriptores. Siquidem quibusdam corruptè legi apud Ioann. cap. 21. Filius Ioannis placet: quia nomen patris Petri, non erat Ioannes: sed Iona, hoc est, columba. Et probant ex verbo illo Domini apud Matthæum. 16. vbi Petrus vocatur Bariona, & non Ioanna: & hoc amat placitum Caietanus.

¶ Cæterum alijs arrisit Petri patrem dictum Iochanna, Chaldaicè vero Ioanna: itidem ex pūcta aspiratione, & addito, s, factum est Græcis nomen Ioānes. Quod nomen contrahentes dixerunt Ionas, vel Iona. Significat autem Iochanna, vel Ioanna gratiosum, vt supra commemorabam, à verbo, Hanam, quod misereri, vel gratiosum esse significat, inde Ioannes misericors, vel gratiosus. Vnde facile respondetur argumento desumpto, ex Matthæo, vbi scribitur, Bariona, quod ibi Iona, est idem quod Ioanna: nisi quod est nomen contractum ex Ioāna. Aut, quod Gloss. Ordinar. tradit, vtraque appellatione indifferenter appellabatur pater Petri, ideoque iam appellatur Petrus filius Ioanna, iam vero filius Iona, id quod familiare est multis in scriptura contentis personis.

Etymologia nominis Ioā nis.

¶ Dominus autem non simpliciter vocauit Simonem, filium Iona, sed cum emphasi, Tu es Simon filius ille Ioannis. Enimuero, quia Dominus erat euecturus Petrum supra Ecclesiam suam, & supra illius fidem eandem erat collocaturus Ecclesiam, propterea, vt hanc excellentiam denotaret venturam in Petro, illum vocat cum emphasi. Quasi dixisset, Tu es Simon mihi obediens, & audiens mea verba, filius ille Iona, quem non ex tuis, vel ex patris, vel auorum meritis, sed ex mea gratia feci te solidum fundamentum Ecclesiæ meæ.

¶ Quod verò subdit, Tu vocaberis Cephas, Ioannes exposuit, hoc est, Petrus. Tria hactenus exposuit Ioannes Hebræa verba, & Rabbi, & Messias, & modo Cephas. Hæc autem vox, vt autor est Hieronymus lib. de nominibus Hebraicis, Syra est vox, & non Hebræa, vel magis Chaldæa, quam Hebræa: qualia sunt pleraque alia multa nomina insperſa in nouo testamēto. Quippe Hebræi tēpore Christi Chaldea magis lingua vtebantur, quā Hebrea: quia ex Babylonica captiuitate linguam Chaldaicam didicerunt, & illam miscuerunt in multis cum vernacula lingua. Hebræa igitur vox, Ceph, petram significat. Chaldeis verò Cepha est petra, cui Græca nico more adiecto, s, cōstituitur Cephas, quod Græca lingua interpretatur Petrus. Nam Atticis ὁ πετρος, idē est, ϕ κηπετρα. Vnde Petrus Latinis non est idem quod Petreus, vel saxeus, sed petra, vel saxum. Non est autem mediocris cōtentio, si nūc imposuit Dñs Petro, hoc nomen, Petrus, vel petra, an post modū cum discessit à regione Iordanis, & cōcessit Galilæā. Quia Marc. 3. traditur, quod imposuit nomen Simoni, Petrus. Enimuero, inquit, Marcus, Tunc imposuit Simoni nomen Petrus: vt etiam filijs Zebedæi imposuit nomen Boanerges. &c. At verò Ioānes hoc loco videtur testari Simoni esse nomen impositum, Petrus. Ait enim, Tu vocaberis, Cephas, quod interpretatur Petrus. Sunt ergo qui inficiantur, vt Nicolaus, & alij, hoc loco esse impositum nomen Simoni, Petrus, sed solum promissum, vnde interlin. Non dum ponit nomē sed præsignat. Quippe ait, Tu vocaberis, Cephas, id quod futuri est nominis promissio, & non præsentis impositio. In hanc sententiam, iuit Caietanus.

Ceph, Cepha Cephas, synonyma.

Ioan. 1. est impositū Simoni nomen Petrus.

¶ Porrò D. Augustin. locis multis diuersum sectatur placitum. Etenim lib. 2. de consensu Euangelista. cap. 17. & 53. & lib. 4. cap. 3. omnino asseuerat hoc loco esse Simoni impositum nomen Petrus. Et quod Marcus tradit, Et imposuit illi nomē Petrus, habendum esse docet per recapitulationem: non quod tunc illi imposuisset nomen Christus, quando ascendit montem, & accersiuit duodecim discipulos: sed refert Marcus impositum fuisse nomen Simoni, Petrus, quia Ioan. 1. fuit illi impositum.

Recapitulatio in Marcū

¶ Verum quod dicitur apud Ioānem, Tu vocaberis Cephas, intelligitur, iam post hac vocaberis Cephas. Alcuinus autē existimat, tūc Simoni impositū nomen quādo dictū est ei Matth. 16. Tu es Petrus, &

3. Hebræas voces Ioan. exposuit.

super

super hanc petrã ędificabo ecclesiam meã, at reclamante Augustino, vt prædiximus. Et quidem ex hoc loco Matthæi, non videtur fuisse impositum nomẽ Simoni Petrus, siquidem apertior est locus Marci, 3. vt indicatum est.

¶ Petrus igitur Simon appellatus, vt illius humilitas & obedientia signetur, qui fratri minori paruit docẽti Christum, rursum filius Iona, hoc est columbæ, quia spiritus sancti filius, propter excellentiam sanctificationis, quam ex spiritu sancto adeptus est, & filius Ioanna, hoc est filius gratiosi & misericordis: quidem satis gratiosus, & misericors fuit illi Christus, qui illum fecit apostolorum verticem. Item vocatur petra, vel saxum, quia soliditas sedis Petri, est soliditas christianæ ecclesię. Neque tamen, quia nouo nomine fuit donatus, ideo vetus depositus, siquidẽ Ioan. 13. vtroque nomine nominatur. Venit, inquit, ad Simonem Petrum: vt etiam Iacob, cui indidit post luctam angelus nomen Israel, qui alioqui postea etiam vocatus Iacob. Gene. 32. Quòd verò ibi traditur, Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, intelliges, Nequaquam solum erit nomen tuum Iacob, vt prius erat. Huiusmodi autem nominis impositio noua, semper insinuat, aliquid præclarum in eo cui imponitur, vt discursus scripturæ docet de Abraham, Iacob, Ismaele, &c. Superest dubitatio ex Matth. 4. vbi dominus vocauit ad mare Galilææ Petrum & Andream: hoc verò loco iuxta Iordanem in Iudæa, non in Galilæa Petri & Andreæ describitur vocatio. Porrò hæc dubitatio decisa est iam supra ab Augustino lib. de consensu euãgelistarum. 2. cap. 17. Petrus namque & Andreas modo nõ vocati sunt ad apostolatum: sed ad Christi familiaritatem & notitiã. Iuxta mare vero Galilææ sunt vocati vt noti iam & Christi familiares ad apostolatum.

Petri nomina ad mysticos sensus tracta.

Noua impositio nominis aliquid præclarum denotat, in eo cui imponitur.

Petrus & Andreas quando vocati ad apostolatum, & erant Christo familiares.

¶ At verò obijciet quispiam Augustino, quia secundum eundem, Simoni hoc loco fuit impositum nomen Petrus, seu petra, vt supra tradebamus: si autem nõ erat apostolus, quomodo appellatur petra à domino? Verum appellabatur petra à domino, non propter id, quod erat, sed propter id, quod proximè futurus erat. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum & dicit ei Iesus, Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei, Quem scripsit Moses in lege & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.*

¶ Postquam dominus dixerat Petro, Tu vocaberis Cephas, & cætera, quæ denarrata sunt, subdit euãgelista. In crastinum voluit exire, hoc est postero die, vel postridie postquam Petrum nobilitauerat illustrissimo cognomine. Itaque dieshic posterus, quando dominus voluit exire in Galilæã, non successit immediatè ad dies superiores, quos supra denarrauerat Euangelista, dicens. Altera die vidit Ioannes Iesum, & rursus, Altera die iterũ stabat, sed hoc elapso die, quem dominus transegit cum Andrea, & alio discipulo innominato. Posteà Andreas adduxit Petrũ ad Iesum: & euangelista nõ exponit si eodem vel altero die impositum est illi nomen Petrus. Et postridie voluit dominus exire in Galilæã. Epiphanius autem lib. de hæresibus putat eodem die, quo Andreas adduxit Petrum ad dominum, ipso die item fuisse Simonem à domino vocatum Petrum, quo Andreas secutus est dominum. Tres igitur dies fuerunt sibi immediatè succedentes, dies legationis Hierosolymitanę, dies demõstrationis Christi primę, Ecce Agnus Dei, & dies secũdæ demonstrationis, sub quo die duo discipuli secuti sunt Iesum. Dies autẽ quo adduxit Andreas Petrum Euangelista nõ explicat, si fuerit immediatus alijs tribus. Crastinus autem hic dies fuit postridiè ad diem adductionis Petri, vt contextus euangelicus demõstrat. Voluit igitur exire dominus in Galilæam ex Iudæa, vbi erat iuxta Iordanem, vbi Ioãnes baptizabat. Ex Galilæa enim dominus venerat ad Iudæã, vt à Ioãne aqua Iordanis prolueretur. Et postquam annum egerat in Iudæa, & notitia Christi ex testimonijs Ioãnis iam diffundi & clarescere cæperat, vt Ioanni deferret honorem, & non videretur illum priuare suo egregio magisterio: nam discipuli Ioãnis Christum cognoscentes, ad Christum se transferre iam curabant. Vt ergo contentiones omnes sopirẽtur, in quas discipuli diuersorum magistrorum sunt prolnes, deserta Iudæa voluit exire in Galilæã, vbi miraculis claruit: dein vero à Galilæa cæpit cõmorari in Iudæa: at audita captiuitate Ioãnis reuersus est Galilæam, vt impleret Esaiæ vaticinium, Esaiæ. 9.

Tres dies immediate succedentes.

Terra Zabulon, & terra Nephthalim, &c. Quod impletum fuisse à domino. Matth. testatur cap. 4. vbi & iste exitus secundus domini à Iudæa in Galilæam cõmemoratur. Cum autẽ, inquit, audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæã. Vnde quamuis Matthæus continuò à superata tentatione Sathanæ in deserto subdat dominũ secessisse in Galilæam: at verò quod continuo scribitur, & narratur, nõ continuo factum est. Siquidem post superatum in deserto Sathanam, de domino tulit multa testimonia Ioãnes, & illa solẽnis Hierosolymitarum legatio fuit facta, & Andreas, & Petrus dominũ cognouerunt, vt prædiximus.

Non statim post deuictũ à domino Sathanã, dominus discessit in Galilæam.

¶ Cum autem voluisset Christus venire in Galilęam, inuenit Philippum. Est verbũ, Inuenit, præsentis temporis, non præteriti: & ideo primam acuit. Putat Erasmus aptiorem fuisse lectionem reperit Philippum, vt significetur obuiũ habuisse dominum Philippum cum reditum pararet in Galilæam, vnde primo venerat.

¶ Et dixit ei Iesus, Sequere me. Et quanquam Ioannes non manifestet hoc loco, Philippum secutum fuisse dominum: quia non inquit, Et secutus est eum, at ex alijs euangelistis clarè constat, & etiam ex eo quod subditur Philippũ inuenisse Nathanael, & illi dixisse, inuenimus Messiam.

¶ Sunt qui existimant Philippum audiuisse à Baptista, Iesum esse Messiam, & ideo statim domino credidit, vt insinuat Chrysostomus. Et Alcuinus, vt supra indicabã, existimat Philippũ fuisse discipulum Ioãnis, alterum ex duobus discipulis Ioãnis, qui secuti sunt Christum: & ideo modo facile Christo iubẽti sequelam suam, obtẽperat. ¶ Alijs placuit, quia conciuis erat Philippus Andreæ, & Petri, ideò ab istis institutum iam fuisse de fide Messiæ: & quod Iesus Nazarenus erat Messias ille, qua propter statim est secutus dominum.

Porphyrius refellitur.

¶ Porphyrius autẽ carpit apostolos, vt leues corde, quia continuò ad verbũ vnum Christi, illum sunt secuti. At verò nulla leuitas hæc fuit, quandoquidem autoritate legis, & prophetarũ, expectabant Messiam, & testimonium Ioãn. Iesum Nazarenum certò didicerũt esse Messiam, quia iam tempus tunc erat aduẽtus Messiæ. Forsan autem aliquis & non inepte asseuerabit Philippum fuisse primum omniũ vocatum ad apostolatũ: siquidem neque Andreę, neque Petro hoc loco dixit Christus, quod Philippo dixit, Sequere me: sed post modum. Matth. 4. illos vocauit ad apostolatum, vt prædiximus. Quanquam apostolatus signa, & certissimos indices prius habuerunt Andreas & Petrus: illum enim dominus deduxit ad domum suæ mansionis, & hunc illustri insigniuit titulo, futuri apostolatus certissimo symbolo.

Philippus primus omnium vocatus ad apostolatum.

¶ Erat autem Philippus conciuis Andreæ & Petri: quia omnes isti ciues erant Bethsaidæ: quę Hiero. autore, lib. de locis Hebra. est ciuitatula quædam in Galilæa: cui dominus minaciter exprobrãs inquit, Vę tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, &c. Vnde esse ciuitatulam hanc admodum culpabilem haud dubium insinuatur. Lucæ. 10. Matth. 11.

¶ Cæterum ex vili, & immunda ciuitatula dominus tres selegit apostolos, qui nouit ex malis facere bona, vt ex Pentapoli nefandissima, vnum selegit Lot iustum. Inter homines enim nequam, domino disponente, intermisti sunt viri iusti, Deo grati. Et vt Bethlehem minima quoque erat ciuitas, quæ tamen longe illustrior est reddita ex domini natiuitate, quam sint omnes mundi ciuitates, ita quoque Bethsaidam nobilitat Petrus, totius ecclesiæ clarissimus princeps, necnõ frater eius Andreas, atque Philippus apostoli domini.

¶ Philippus autem inuenta pretiosissima margarita Christo, non fuit auarus tantæ margaritæ repertæ: sed illam cõmunicare satagit Nathanaeli: cui vt credibile est gratulabundus dixit, Gratulare mecum, vt cõgratuler tecum, quia diu expectatum Messiam illum, iam inuenimus Andreas, Petrus, & ego. Quem Moses, inquam, suo testimonio prædixit, & typis legalibus adumbrauit, quem prophetarum chorus perpetim canit venturum, iam habemus præsentem Iesum filium Ioseph à Nazareth.

¶ Fuit autem iste Nathanael, vnus ex præcipuis discipulis domini, non tamen in numerum apostolorum fuit ascitus, sed in numero septuaginta relatus, vt Petrus à Natalibus scribit in catalogo sancto. lib. 1. etiã si quibusdã visum fuit vt Ruperto, & alijs fuisse eundem, quem scriptura vocat Bartholomæum. Quia scriptura enarrans nomina apostolorum. Mar. 3. & Matth. 10. post Philippũ, continuo meminit Bartholomæi. Hoc autem est friuolũ argumentũ, quia

Nathanael ex præcipuis discipulis domini vnus.

quia Ioan. 21. Nathanaelis fit mentio, & non poſt Philippum.

¶At Philippus fuit à Bethſaida & Nathanael fuit ex Cana Galilææ Ioan. 21. Vnde videtur, non eſſe fratres, quia veriſimile eſt quod ex eadem Bethſaida fuiſſet Nathanael ſi fratres fuiſſent, etiam ſi Nicolaus aſſerat fuiſſe fratres, vt Andreas & Petrus: at vnde hoc colligat, non deprompſit. Auguſtinus hunc Nathanaelem legis doctorẽ putat fuiſſe, itemque Theophilactus: id quod ordinaria ſapit gloſſa. Colligũt, quia vt inſtructus ex lege dixit, A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Siquidem Ioã. 7. Scrutare ſcripturas, ſcribitur, & vide, quia à Galilæa propheta non ſurgit. Et ibidem Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nõne ſcriptura dicit, quia ex ſemine Dauid & ex Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid?

¶Sunt etiam qui Philippo eruditionem tribuant ſcripturarum, quia dixit, Quem ſcripſit Moſes in lege, & prophetæ, inuenimus Meſsiam. Verum hic locus non cõuincit illum fuiſſe eruditum, in Moſis lege, & lectione prophetarũ, ſiquidem vulgatum erat Iudæis, Moſem, & prophetas ſcripſiſſe venturum Chriſtum, vt liquet ex cõmemoratis. Ioan. 7.

¶Vocatur tamen Chriſtus filius Ioſeph, quia putabatur illius filius. Lucæ. 3. Et lectio Latina anceps eſt ſi Ioſeph dicatur à Nazareth, an Chriſtus? At verò Græcanica nihil habet ambiguitatis: quia habet articulum illum filium Ioſeph, illum à Nazareth. Idcirco Eraſmus in ſua verſione vertit, Nazarenum.

Cur Chriſtus Nazarenus vocitetur.

¶Chriſtus vero Nazarenus vocatur, quia nutritus in Nazareth, & ibidem cõceptus. Et quamuis eſt ortus in Bethlehem, oriundus tamen ex Nazareth.

¶Item alia lectio vtrobiq; anceps, & Græcè & Latinè, videlicet de verbis Nathanaelis ſi pronunciatiuè, ſiue aſſertiuè, an interrogatiuè ſint habenda, vt Auguſtinus annotauit. Et vtrumque ipſe ſenſum admittit: niſi quod interrogatiuus videtur commodior, propter verba Philippi reſpondentis. Veni, & vide. *Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo, Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Scrutans corda & renes Chriſtus cõmendat mira laude Nathanaelem, illum dicens eſſe verum Iſraelitam, in quo dolus non eſt. Mendaces enim ſumus filij hominum, & doloſi, ex corruptione noſtræ naturæ: at iſte Nathanael, & Dei dono, & ex ſua diligentia idolum, & mendacium à ſe abegerat: ideo verum Iſraelitã eum vocat dominus. Et quia Chriſtus veritas eſt, veri, & non doloſi illi ſunt grati: quo circa hoc ſermone dominus inſinuat Nathanaeli, gratum eſſe ipſi domino. Quod ſi obieceris, ex Pſal. 115. omnis homo mẽdax eſt: vnde igitur Nathanael, non eſt mendax? reſponſum eſt ablatum ex vitio noſtræ naturæ, mendaces ſumus, ex dono Dei veri.

¶*Dixit ei Nathanael, Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei, Priuſquam te Philippus vocaret cum eſſes ſub ficu vidi te.* Occultum erat quod Nathanael erat ſub ficu, ideo dominus hoc reuelat occultum, vt ex manifeſtatione occulti deduceret Nathanaelẽ ad fidem Meſſiæ, quam audierat à Philippo. Et notante Theophilacto Philippo & Nathanael ambo ſoli erant ſub ficu, & iſtud illis ſolis & Deo patebat. Et tũ forte agebatur ille ſermo, Inuenimus Meſsiam, &c. Cum ergo ante quam Philippus adduxiſſet Nathanaelem ad dominum Chriſtus iam nouerat Nathanaelem eſſe ſub ficu: non poterat hoc ſcire Chriſtus ex relatione Philippi, vel alterius, quia nullus alius arbiter aderat, ſed ex ſuæ diuinitatis æterna cognitione. Vnde non ait, Noui te, ſed vidi te, quo ſignificaret ſe abſentium habere intuitiuã, & claram notitiam, id quod ſolius eſt diuinitatis, cui omnia ſunt nuda & aperta. Nathanael igitur inquit domino, Vnde me noſti? Ex quibus verbis ſe eſſe verè Iſraelitam oſtendit, ſiquidem verus Iſraelita, item verus Chriſti cultor veritatem virtutis amat, magis quam laudem ex virtute. Ideoque interrogat, Vnde me noſti? Quaſi dixiſſet, Quid me laudas tibi ignotum? Quod ſi verus Iſraelita nõ eſſet, captus laudis gloria, non interrogaret laudis cauſam, ſed potius laudantem ex laude cõmendaret, Dominus igitur reſpondit ſibi eſſe notum Nathanaelem, & viſum ſub ficu. Legimus itẽ ex fici folijs conſutis perizomata ſibi feciſſe primos parentes, vt verenda tegerent, & ex ficu decerpſiſſe ficum Euã, vnde pernicies traducta eſt in poſteritatẽ, Rurſus legimus, Matth. 11. Synagogã ſub typo fici eſſe à Chriſto maledictam. Nunquam, inquit, ex te fructus naſcatur: nunc autem ſub ficu viſum eſſe Nathanaelem à domino. Ad hoc legimus terræ promiſſæ vber-

Verus Iſraelita virtutem quærit & nõ laudem exvirtute.

Gene. 3.

Nume. 13. Deute. 8.

vbertatis indicem cum alijs terræ fructibus ficum esse. Vnde Nathanaelem esse à domino visum sub ficu, si ad mysticos referas sensus, esse denotabat eundem sub diuinæ misericordiæ protectione: & fructus beatitudinis esse tandē obtenturum.

¶Hæsitas forsan cum hic Nathanael præclara laude fuerit à Christo laudatus, cur non fuit vocatus ad apostolatum, vt fuerūt alij non tam à Christo laudati? Glossa ordinaria, ex Augusti. respondet, eò non electum in apostolum, quòipse erat legis doctor, & dominus simplices elegit in apostolos: ne fides humanæ sapiētiæ attribueretur. Sed quid nōne Paulus, qui florebat super multos coetaneos suos, ad Galat. 1. fuit vocatus ad apostolatum, & factus doctor gentium in fide & veritate? neque Nicolai solutio, rem absoluit, ait enim quando Paulus vocatus fuit fuisse iam fidē fundatam. Ego non video quomodo fides tū erat fundata cum esset sub suis exordijs. Et ideo certius est si dixerimus dominum esse ponderatorem spirituum, & ideo elegit in apostolos quos voluit: & non quia maioris erant meriti electi, quam Nathanael, siquidem omnes in Adam peccauerunt: & viciosam omnes gerimus naturā, nisi Deus illā ex gratia sua purificet. Qua propter nihil tam quietat mētem in quæstionibus istis, quam illud quod Marcus, cap. 3. scribit, Ascendens in montem vocauit ad se, quos voluit ipse. Non ergo Nathanael, quia callebat literas, ideò reiectus est ab apostolatu, siquidem ille erant diuinæ legis literę non philosophicæ aut oratoriæ literæ. Cæterum non fuit ascitus ad honorē apostolatus, quia dominus voluit Nathanaelis ministeriū in discipulatu expediri, & non in apostolatu. Quid quod quidam putant, Nathanaelem fuisse Bartholomæum apostolum.

1. Timo. 1.

Apostoli non sunt electi in apostolatū ob illorum merita vel eruditionem.

¶Considera autem Dei sapientiam multi formē, in trahēdis ad se hominib⁹. Et enim testimonio Ioannis traxit ad se Andream & alium discipulum, cuius nomē suppressit Ioannes. Testimonio verò Andreæ traxit Petrum. At Philippum nō ex alterius testimonio, vt priores, legimus tractum in euangelio, sed Christi imperio mandātis, sequere me. Verum Philippi testimonio traxit ad se Nathanaelem.

Primordia christianæ religionis incruēta fuere, & sine miraculis.

¶Rursum mecum expende exordia hæc fuisse christianæ ecclesiæ. Et vide quā incruenta, quam spontanea, quam amicabilia, quam placida, quantaque pace, & amicitia fuerint religionis christianæ concilia ta hæc primordia.

¶Aspice rursum Dei virtutem, quæ sine miraculis exterioribus, sed exterioribus testimonijs, & magisterio interno persuasit primis illis discipulis, vt Christo crederint. *Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Dignum est quod bibremus, vnde in hoc testimoniū de Christo magnificum eruperit Nathanael. Et enim si dixeris, quia audiuit Christum dicentem sibi, Quando eras sub ficu vidi te. Vtique cum esset literatus, & in lege Dei eruditus non hoc solum illi persuasit: siquidem. 4. Reg. 5. Legebat Eliseum vidisse Giezi accipientem prohibita munera ab Aman Syro. Vnde ait, Nōne cor meum in præsenti erat? Itaque sufficiebat verbū Christi, vt crederet esse prophetam, quippe occulta videbat: at, vt testaretur esse filium Dei, & regem Israel non sat erat.

Exteriora testimonia non efficerent fidem in corde audiētium, nisi esset diuina illuminatio interior.

¶Respondetur multa tum coiuisse, vt tantum ferret testimonium, & legis notitia, & prophetarū lectio, quæ videbat in Christo impleta: & Ioānis testimonium quod illum non latebat, itemque Philippi idē confirmantis assertio, & super omnia diuinus spiritus intra docens veritatem, & illuminans mentem Nathanaelis. Quia nemo venit, inquit, ad me nisi pater meus traxerit eum. Neque dubito dominum interna inspiratione hos omnes docuisse, vt crederent eum esse Messiam. Et ob hanc internam, quam acceperunt à Christo disciplinam, forsan vocat Nathanael & Christum Rabbi, non propter doctrinam exteriorē, ex qua doctus est à Christo id temporis, si quidem nullam legimus tunc exteriorem doctrinam impartitum fuisse suis discipulis. Quandoquidem Ioānes ad hoc venit, vt Christo tacente testimonium perhiberet de lumine. Vnde Ioānes testatur se ad hoc venisse, vt Christus manifestaretur in Israel, Ioāne autem defuncto, Christus se manifestauit, & verbo doctrinæ, & miraculis fulgens, etiam si ante mortem Ioānis Christus miracula quædam fecit. Ioan. 2. Et tunc eruditus fuit etiam Nathanael à Christo. Quodvero ait, *Tu es filius Dei.* Cirillus credit, ideo dictū quia diuinitatē Christi intellexit. Habet in præsidiū suæ opinionis articulum Græcū, *Tu es ille filius Dei.*

Ioānes Baptista Christo tacente illū constātissimè testabatur.

& Glossa

& Gloſſa ordina. idem teſtatur. At vero diuerſum videtur probabilius Theo. vt ſupra diſſerebamus. Et articulus, ille, non ibi eſt diuinitatis ſymbolũ: ſed ſenſus eſt, Tu es filius ille Dei, hoc eſt ille Meſsias à nobis & maioribus, iam pridem deſideratus. Seſe pãdit vltronea dubitatio cur Chriſtus non beatificet Nathanaelem propter confeſsionem hanc, Tu es filius Dei, vt beatificauit Petrum, dicens, Beatus es Simon Bariona Matth. 16. Quæ dubitatio turgentior redditur, ſi cum Cyrillo aſſerimus Nathanaelem confeſſum fuiſſe Chriſti diuinitatem. Quia ſi hanc nõ eſt confeſſus, ſed ſolum filiationem eximiam Dei per adoptionis gratiam, ſolutio prompta eſt ex aperto harum confeſsionũ diſcrimine. Forſan ſi admittimus Cyrilli placitum, dicet aliquis, non eſſe beatificatam confeſsionẽ Nathanaelis, quia illam accepit ex literarum ſtudio, & non ex reuelatione, vt Petrus: ſed neque hoc abſoluit: ſi quidem Nathanael nõ poterat ex literarum ſtudio ſolo, Chriſti diuinam generationem id temporis aſſequi. Ideo aptius erit, ſi dixeris nõ eſſe confeſſum generationem illam æternam naturalẽ Chriſti à patre, ſed adoptionẽ ex gratia cumulatiſsima: ideo non fuit beatificata eius cõfeſsio. Diuina autem inſpiratio hoc ſolum docebat tũc Nathanaelem, eſſe Chriſtũ verum Meſsiam. *Reſpondit Ieſus & dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te ſub ficu credis: maius his videbis. Et dicit ei, Amen amẽ dico vobis, videbitis cælũ apertũ, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis.* Quia Nathanael nondum aſcenderat ad diuinitatis latentis in Chriſto fidẽ, ideò dominus eundem & alios diſcipulos promouendos ad diuinitatis fidem docet hoc ſermone. Etenim aſcendere, & deſcẽdere angelos ſuper filiũ hominis eſt, filio hominis, tam in ſummis, quã in infimis inſeruire. Cui autem angeli ſeruiunt Deus eſt: ſiquidem angeli ſoli Deo ſunt inferiores. Vnde Pſal. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flãmam ignis. Veruntamen ſenſus horum verborũ, quis ſit non facile conſtat: ſiquidem in euãgelicis literis hoc, quod dominus ait, Videbitis cælum apertum, &c. nõ legimus impletum. Cælos namque eſſe apertos baptizato domino legimus: at verò angelos aſcendentes, & deſcendentes non legimus. Quid quod dominus, Videbitis, ait, nõ vidiſtis. Quippe futuram eſſe oſtendit hanc angelorum viſionem aſcendentium, & deſcendentium. Vnde etiam ſi legamus ſub natalitijs domini angelos deſcendiſſe, & poſt domini quadragenariam inediã, angelos illi miniſtraſſe, quia iſta iam erant præterita, non eſt intelligendus locus hic de huiuſmodi. Quid quod illa miniſtratio angelica, non fuit viſa ab apoſtolis, & diſcipulis domini quia in deſerto ſemotis arbitris facta fuit, & nulli tum erant apoſtoli.

Nathanaelis confeſsio cur non fuit beatificata ſicut Petri confeſsio.

Variæ expoſitiones.

¶ Auguſtinus lib. de verbis domini hoc retulit ad ſcalam illam Iacob, per quam angeli aſcendebant & deſcendebant. Aitnã que. Quia dominus appellauit Nathanaelem verum Iſraelitam, ex nomine Iſrael, inſinuat Nathanaeli verbum factum domini, Videbitis, cælum apertum, &c. eſſe referendum ad viſionem illius ſcalæ quam vidit Iacob. At verò hic ſenſus allegoricus eſt: quod Chriſtus ſit ſcala, per quam angeli aſcendunt & deſcendunt, illius diuinitatem contẽplantes, id quod aſcenſio eſt, & eiuſdem humanitatem conſiderantes, id quod deſcenſio eſt.

¶ Rurſus referente Gloſſa ordi. ad prædicatores locum torſit Auguſtinus. Quoniã prædicatores prædicant myſteria diuinitatis, & humanitatis Chriſti: cæterũ hic ſenſus tropologicus eſt. Etenim prædicatores non ſunt propriè angeli: hîc autẽ loquitur dominus, de proprijs angelis: id quod vt denotaret dixit, Videbitis cælum apertum. Siquidẽ ex cælo ad noſtra veri angeli deſcendunt, & ijdem aſcendunt: non quod cælum rumpãt angeli: ſed quia ex cælo ad noſtra ſe conferũt, hunc exitum apertionem vocat dominus.

¶ Vulgati interpretes locum hunc intelligunt, quod ſub paſsionẽ domini angelus deſcendit de cælo, confortans iamiam paſſurum dominum: & ſub reſurrectione, angeli etiam apparuerunt. Et tandem aſcendente domino duo angeli dixerunt. Viri Galilæi, quid admiramini aſpiciẽtes in cælum? At verò angeli ſub reſurrectione mulieribus apparuerunt non apoſtolis. Matthæ. 28. Mar. vlti. & Lucæ 24. & ſub paſſione ſoli Chriſto. Solũ autem angeli qui apparuerunt aſcendente domino, apparuerunt omnibus apoſtolis, & diſcipulis domini. Acto. 1.

¶ Caietanus ob cauſam cõmemoratã exiſtimat hoc impletum à domino, at nõ eſſe

ſcriptam

scriptam impletionem, vt fuerunt multa alia, quæ scriptis non sunt mandata, alioqui facta. Vnde fatetur apostolos vidisse aliquando angelos ascendentes & descendentes, super dominum, sed ab scriptura non esse cõmemoratum. Porrò non facile illi crediderim, quia res hæc erat magni sacramenti, & ideo credere non possum esse ab euangelistis prætermissam. Quo circa putauerim in die Ascẽsionis domini compleuisse dominum verbum hoc, Videbitis cælum apertum, & angelos, &c. Verum est tamen acta apostolorum non commemorasse cælum id temporis esse apertum, sed solum, quod nubes susceperit eum ab oculis eorũ. Cæterum hoc quod Lucas ait, nubem susceepisse eum, & assumptum esse in cælum, & Lucas 24. Recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et Marcus vlti. Assumptus est in cælum, istud est. *Videbitis cælum apertum.* Quia viderunt apostoli, & discipuli, à nube aperta esse Christum susceptum & ferri in cælum. Angelos autẽ tum plures duobus fuisse non hæsito, etiam si scriptura non cõmemorat. Nam si natalia domini multitudo angelorum celebrauit, maiori iure multitudo spirituum cælestiũ domini Ascensionẽ, quæ erat complemẽtum humanæ redemptionis erat celebratura. Quamobrem apostolos & discipulos domini tum vidisse angelos ascendentes plurimos, non reuoco in dubium. Angeli autem isti acceperunt corpora fulgentia, sub quibus viderentur à sacra illa turba discipulorum domini, quæ ad montem Oliueti conuenerat præclarissimum illud, & nunquam antea visum, neque postea vidẽdum spectaculum spectatura. Et ex angelis istis, qui domini triumphalem comitabantur ascensum, duo descẽderunt, & astiterunt sacræ illi turbæ & dixerũt, Viri Galilæi, &c. vt Lucas denarrat. Ad alias autẽ visiones angelorum, quas viderunt mulieres, vel ad ministeria angelorum in deserto, non potest referri hic locus. Ait, enim, *Amen amen dico vobis.* Discipulis igitur & apostolis dixit futuram hanc visionem angelorum. Et rursum litera Græca habet, *Amen amen dico vobis post hac videbitis.* Vnde ad angelos sub natalibus apparẽtes, &c. non potest referri locus, quia illa visio iam præcesserat hæc verba. Quod vero refert geminatum Ioãnes Amen, Amen, hoc est sibi familiare geminatum referre, Amen.

Varie exponitur locus.

Exponitur locus exactis apostolicis.

Dominicam Ascẽsionem agmina cælestiũ spirituũ comitarunt.

Eo factum puta quia cum altissima præ cęteris euangelistis denarret sacramẽta, quæ propter sui excellẽtiam videntur nostram superare fidem, vt illa credamus incunctãter dominus eadem maiori assseueratione pronuntiauit, & Ioan. illa referens, simili assseueratione memoriæ podit.

¶ SEQVVNTVR moralia, vel mystica quędam in Cap. I. Euangelij secundum Ioannẽm, super illis verbis.

¶ *Inuenimus Messiam.*

EXPLETIS enarrationibus quas ad expositionem Ioannis hactenus persecuti sumus, opportunũ visum mihi fuit, si moralia quędam misceremus. Nam quanquã inter enarrandum euangelica loca, multa interseruimus spectantia mysticos sensus: verum quia tum præcipuus scopus erat, literalẽ indagare sensum, & huic in primis incumbebamus, non potui ad moralitates producere sermonem, quia corripere cogebar ex studiò literalis sensus. Quo circa vt spaciãdi esset locus, seorsum volui de illis nonnihil proferre. Erit igitur mihi hoc ex euãgelio isto prothema, *Inuenimus Messiã.* Et quidem istud est quod vniuersa expetit, & in summis votis natura humana habet Messiam inuenire, etsi non explicite, implicite saltem. Est enim Messias Iesus Christus: at vero Iesus saluator est, & ipse est via, veritas & vita.

Desideriũ generale naturæ humanæ.

¶ Iam vero quis mortalium obsecro, huius desiderij expers est, videlicet adipiscendæ salutis, viæ, vitæ & veritatis? Nullus equidem hominũ est, siue nobilium, siue ignobilium, siue sapientium, siue insipiẽtium, siue procerum, siue mediocrium, siue infimorum, qui non inhiet saluti inquirẽdæ, si ægrotus sit, at omnes ægrotamus ex ægritudine animi, quę longe peior est, quã corporis. Nullus est qui non anxius sit adinueniendam viam, si deuius sit à via, at vero omnes nos sicut oues errauimus. Esa. 53 Nullus est, qui non studeat sibi veritati parandæ, si senserit se erroris caligine vel falsitatis tenebris laborare. At verò omnes homines ex nobis ipsis tenebrosi & caligi

nosi

nosi sumus ex multis erroribus. Siquidem testante vate, tenebræ operiēt terram, & caligo populos. Esa. 60. Et demun nullus est, qui non curet conatibus summis inuenire vitam, vt longe sit à morte. At vero omnes nos morti traditi sumus non solum corporum, sed animorum, quippe omnes in Adā peccauimus, & per peccatū mors introiuit in orbem terrarum. ad Roma. 5. Porro autem quamuis istud quod expressimus, omnium hominum generale sit desiderium, quia omnia bonū appetunt, ideo salutē, vitam, veritatem, viamque, per quā ad illa consequenda deducantur in primis appetant. At verò in ratione generali omnes homines sibi consentientes, ad particulares inuestigādi rationes, & desideria propria absoluendi mirum est quam varient. Vnde maxima pars hominū errat ab hac via salutis, discrepat ab hac veritate, orbatur hac vita. Quod dominus nos docere satagens, non obscuro edocuit sermone dicens, Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam. Vere pauci inueniūt illam. Namque plerique multi existimant se habere vitam, qui mortui sunt, plerique censent se esse in via, & toto cælo à via errant, & se esse putant veritatis compotes, sed profundissimis errorū sunt inuoluti tenebris: sunt namque sapiētis testimonio viæ quædam, quæ videntur hominibus rectæ, quæ tamen ducunt ad perditionem.

ad Rom. 5.

In generali boni desiderio conueniēt es homines in particul. i maxime differunt.

Prouerbi. 16

¶An non infideles omnes suas amantes infidelitatis sectas existimāt, se rectè Deū colere, qui alioqui Deum pessimè offendunt: tatum abest, vt rectè colant? An nō Iudæi putant se opportunè quærere Messiam, & tandem inuēturos, & in sua inquisitione falluntur? An non hæretici se inuenisse Messiam credunt, si fidem habeāt etiam operibus nudatā, quales sunt huius æui hæretici, & non inueniunt Messiam, sed perditionem? An non Arriani se inuenisse Messiam cogitabāt credentes esse purum hominē Christum, & nō esse Deum, & infinitum distabant ab inuenicdo Messia vero? Et demum omnes quotquot synceram non obtinent fidem, quamuis contendant se inuenisse Messiam, non Messiam inueniunt, quia si hunc inuenissent salutem & pacem, lucem, & veritatem inuenissent, non tenebras & dissidia, non errores, & mortē inuenissent, vt inueniūt.

Via recta Christus.

¶Est enim Messias quidam non verus ille Messias, quem Deus pater misit in mundum, sed fictus Messias, quem vana hominis excogitatio, & vanorum hominum applausus introduxit in mundum. Hunc fictum Messiam amant Sarraceni, credētes suum Mahometū esse summū à Deo missum prophetā. Hunc factū sperant Iudæi Messiam. Hunc fictum hæreses hæret. corum amant quotquot aut negāt Messiam esse verum hominem, aut diffitentur esse verum Deum.

Messias verus quidam alius fictus.

¶Porrò autem Messias verus ipse est pax hominum ad Deum, testante Paulo, ad Ephe. 1. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Messias verus est ipse hominū vera lux, illuminans omnem hominē venientem in hunc mūdum. Ioan. 1. Ipse est salus nostra, quia languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit. Ipse est antidotus noster, quia liuore eius sanati sumus. Esaię. 35. Demum ipse est, in quo omnia bona hominum sunt inuenienda. Et ideo qui hunc inuenit Messiam, omnia bona simul inueniet. Venerūt mihi, ait Sapiens, Sap. 7. cōmendans sapientiam, omnia bona pariter cum illa: & innumerabilis honestas per manus illius. Et infra, Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei. Neque aliam sapientiam intellexit Sapiens hæc scribens, quā Christū qui est vera sapientia. Etenim philosophia, aut Metaphysica, &c. hęc sapientia omniū bonorū mater nō est. Non ergo Messiam verum inuenire licebit in dissensionibus, in schismatibus & contentionibus: siquidem Messias pax est, & pax non inuenitur inter dissidentes, & temere belligerantes. Non inuenitur rursum in tenebris hæreseon, & errorum, siquidem Messias verus lux est, & nulla conuentio lucis ad tenebras, & Christi, qui est lux, ad Belial, qui est tenebræ. Non inuenitur item Messias verus in operibus mortuis: quia ipse vita vera est animorū, at vita non cōgruit, imo maximè dissidet ab operib⁹ mortuis, Et demum dixit Iob. 28. Sapientiam non inueniri in terra suauiter viuentium. Christus igitur, qui est vera patris sapientia, nō involuptatibus, & suauitatibus mundanis inuenitur, quia istæc abigunt sapientiam ab humano corde: tantum abest, vt concilient illam. Bifariam autem contingit inuenire

Sapientia mūdana non est mater omniū bonorum

nenire Messiã, quidã enim eum inueniunt infructuose, alij verò fructuose. Omnes namque, qui veram Christi fidem habẽt Messiam inueniunt: credere namque est inuenire. ¶Porrò quidam gloriantur in fide inerti tamẽ, & ociosa: alij vero fidem habent operosam, & negotiosam ex bonis actibus vitam æternam. Quo circa primi horum inueniũt, quidem verum Messiã: porrò sine fructu, & sine lucro, imo cũ detrimento inuenientium est hęc inuentio. Melius namque fuisset illis non inuenire Christũ, quam postquam inuenerũt Messię ab illis inuenti non facere voluntatem. Seruus namque sciens voluntatem domini sui, & non faciens plagis vapulabit multis: & contestatur Petrus, Melius illis fuisset viam iustitiæ non cognoscere, quã post agnitionẽ, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. 2. Pe. 2. Quemadmodum enim, si quis inuenisset thesaurum eximium, & post inuentum eo non vteretur, sed fame, & frigore periret, huiusmodi inuẽtio esset infrugifera, & nõ solum infrugifera, imo contumeliosa inuẽtori, quippe qui insigni potitus thesauro, neque ad suam, neque ad aliorum illo vsus est bonum: ita propemodum, qui inueniens Christum per fidem, qui est infinitus thesaurus, torpuit, & segnis fuit, vt famẽ suiam, & nuditatẽ spiritualem ex hoc thesauro tegeret, imo maluit thesaurũ tantum inutiliter possidere, hic inuentor thesauri & ociosam, & inutilẽ est assecutus inuentionem. Vnde dominus exprobrat habentibus talenta, si illa in terra refodiant, aut sepeliant, aut reposita gerant in sudario ociosa, & sine fructu. Iubet enim omnibus, qui hunc eximium, cælestemque thesaurum inuenerunt, vt negociẽtur ex illo, & illum multiplicent. Negociamini, inquit, dum venio. Quapropter Mathæ. 13. legimus, Simile esse regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: qui inuenta vna pretiosa margarita abijt, & vendidit vniuersa quæ habuit, & comparauit eam. Non ergo satis est inuenisse per fidem hanc pretiosam margaritã, hoc est, Christum, nisi postquã credimus Christum eundem synceris moribus colamus. Namque si satisfuisset emisse, negociator postquam emisse commemoratur non venderet vniuersa, quæ habebat, vt compararet eam.

Duplex inuẽtio Messiæ.

Matthæi. 25.

Lucæ. 19

¶Ille autem vẽdit vniuersa quæ habet, vt comparet sibi Christũ, qui negans semetipsum. Lucæ. 9. tollit crucem suam, & sequitur Christum. Vniuersa enim, quæ habemus sunt vẽdenda propter hanc pretiosam margaritam. Neque sufficit vendere vniuersa quæ possidemus, sed & nosmetipsos oportet vendere, vt tantũ nobis proueniat margaritum. Hæc autem venditio, vt neque emptio fit ex pecunia, sed ex affectu. Is enim se & omnia vendit propter Christum, qui contẽnit se, & ea, quæ habet propter Christum, pluris faciẽs Christo placere, quam sibi, vel parentibus, vel amicis. In vẽditione enim rei venditæ, dominium transfertur in ementem. Quando igitur se totum & sua Christo subijcit, homo & sui, & suorum in Christo trãsfert dominium videlicet se regens, & sua secundum Christi præcepta, hic est egregius negociator cælestis, qui vt cõparet cælestia, quæ nõ videt, negligit terrena quæ videt.

Vt oporteat nos vendere & nostra & Christi nobis comparemus

¶Quomodo autem fructuose sit inuenien dus à nobis Christus mulier illa, quæ solicite drachma perditum. Lucæ. 15. exquisiuit, & tandem inuenire promeruit, nobis exemplo est. Hæc ènim denarrante euangelio, duo fecit, vt inueniret, accendit lucernam, & euertit domum suam. Et tandẽ hac arte vtẽs perditũ drachma recuperauit. ¶Duo quoque nos eadem vtẽtes arte prẽstare oportebit, vt Christum inueniamus. Alterum est, accendere lucernam fidei, sine cuius adminiculo fieri non potest, vt cuiquam contingat Christum inuenire. Christus namque superat sensuum cognitionem & mentis nostræ capacitatem: vnde est in abscondito latitans. Quia neque philosophi suis acutissimis rationibꝰ Christi mysterium assequi possunt. Est enim mysterium incarnationis & crucis Christi mysterium absc̃ditum à seculis. Id quod Paulus ad Ephesios. 3. non obscure docet dicens, Secundum reuelationem mihi notum est factũ sacramẽtum. Est igitur necessaria reuelatio fidei, vt inueniamus Christum: hac enim submota, latet humanum imo & angelicum intellectum, Christi mysterium. Veruntamen, vt paulo ante dicebam, accendẽda est fidei lucerna, quæ hoc mysteriũ retegat. Neque te moueat, quod audisti Ioãnem dicentem. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum. Si ergo lux est, non

Quomodo fructuose est inueniendus Christus.

indigebit

indigebit alia lucerna dicet aliquis, vt visibilis sit. Vtique lux est, at lux inaccessibilis est autore Paulo. At eatenus inaccessibilis est, quia nulla mens creata illam assequi potest, nisi ab eadem luce noua supernaturali luce perfundatur. Vt neque nostri oculi lumen videbit colores, nisi luce solis imbuatur.

Fide ilucerna accendendaest in primis vt Christū inueniamus.

¶ Porrò forsan tibi gratularis, quod lucernam istam iam obtineas. Noli tamen gratulari, quasi iam rem expedieris totam: nisi enim aliud adiungas, res infecta manebit, & drachma, quod quæris non inueni[es].

¶ Mulier namque commemorata, non solum accendit lucernam, sed & euertit domum suam. Euertenda igitur domus nostra est, si cupimus seriò Christū inuenire. Est autem domus nostra id quod amamus, id vnde voluptatem capimus: etenim anima non est vbi animat, sed vbi amat.

¶ Hæc autē est procliuitas naturæ nostræ, vt visibilia amemus summopere & propter hæc inuisibilia spernamus. Cæterum si adornamus Christum inuenire intra nos metipsos necesse est, vt euertamus domū istam nostram. Tunc autem euertimus terrenam domum, quando sus deque omnia voluimus, & turbamus, & quæ infra erant fiunt supra, & quæ supra erant inferius sub sident. Sic ergo si effectus terrenorū, quos multi pendebamus, proculcamus iam, & si quod in oculis erat nobis, iā despicimus, & contra cælestia, quæ non curabamus, sedulo iam curamus: & illa præferimus terrenis bonis omnibus, tunc quidem domū euertimus nostram: & tunc demum inueniemus illam incomparabilem drachmam in nobis ipsis. Et angeli nobis gratulabuntur, quia drachmā perditā iam recepimus.

Euertēdi sūt affectus terreni nostri & de turbandi vt Christus inueniatur.

¶ In cuius rei symbolum aqua illa in piscina contenta Hierosolymis, non sanabat ægrotos, nisi ab angelo turbaretur primū. Quia nisi dominus spiritu sui timoris turbauerit domum pectoris nostri, non possumus sanari à morbo grauissimo illo, qui est perdere drachmā cælestem: nam hanc perdere culpa est grandis, vt illam inuenire hominis est iustificatio. Timor igitur domini exorditur hanc nostri affectus turbationem, seu euersionem, & Dei charitas illam perficit: quia hac præsente Christus iam in nobis inuentus est.

Christum inuenire est hominis iustificatio & Christum perdere est crimen.

¶ A euertendū autē est, quosdā inuenisse Christum infantem, alios vero adultum. Inuenerunt infantem pastores, qui aiebāt, Transeamus vsque Bethlehem, & videamus verbum hoc, quod factum est à domino. Rursum & Magi inuenerunt Christū infantem. Illi admoniti claritate cælesti, & oraculo angelico, isti verò admoniti interius diuina reuelatione, & exterius ducatu nouæ & insolitæ stellę Christum inueniunt. Et demum tam isti, quam illi nō ex fera ducti notitia Christum inueniunt, sed cælesti instructi disciplina, vt dudum aiebamus, lucernam esse accendendam in primis, si volumus Christum inuenire. Porrò Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael inuenerunt Christum iam adultū. En tibi primos inuentores tanti, & tanu inæstimabilis thesauri, si multi habentur primi inuentores quaruncunque nobilium rerum: quidquod multi fiant primi inuentores Christi sub infantia agentis, siue iam adulti?

Christū quidam inueniūt infantem, alij adultū vtriq; beati, sed beatiores qui adultum.

¶ Apud nos quoque quidam inueniunt Christum infantem, alij vero adultum. Enim vero qui infantes sunt adhuc in via Dei terenda, isti inueniunt infantem Christum: quales illi erant, quos Paulus commemorat dicens, Tanquam paruulis in Christo lac vobis dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis. 1. Corinthiorum. 3. & Petrus illi concinens. 1. Petri. 2. Sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite. Huiusmodi igitur, qui obseruatione præceptorum contenti consiliorum sublimia diuinorum nondum conscenderunt, infantem inueniunt Christum. Sunt vero alij, qui iam non sunt paruuli, neque loquuntur, vt paruuli, sed sunt adulti iam viri, in spiritualibus obeundis: quales fuerunt apostoli, & discipuli domini, & qui vitam apostolicam duxerunt, aut ducunt, isti vtique adultum Christum inueniunt. Sanè vtcunque inuenire Christum felicitas est, at multò feliciores, qui adultum inueniunt sunt, quam qui infantem. Quia quamuis paruulos amet Christus, non ex infirmitate ętatis amat, sed ex simplicitate morum, quales paruuli sunt etiam perfecti viri.

Qui infantes in via spiritus & qui adulti.

¶ Quod si voluimus euangelicam historiam, Christum inuentum fuisse multifariam discemus, & in præsepio primum, dein in templo cum legis peritis differen-

Multifariam Christus inuenitur.

tem, & rursum in cruce inter latrones pendentem, at vero in sepulchro, à quærentibus mulieribus & Apostolis non est inuentus. In præsepio equidem inuenitur Christus, in loco humili, & despicatissimo. Non sane in domo eburnea exornata tapetibus ex auro micantibus, inuenitur natus dominus, sed in præsepio, inter animalia iacens pannis inuolutus.

¶Etenim in humilitate nostra inuenitur Christus. Nam in humilitate nostra memor fuit nostri. Latè patent scripturæ sacræ commendantes humilitatis virtutem.

ad Roma. 12. Deus namque odit alta sapientes, & amat humilibus consentientes: oculi nãque eius respiciunt pauperes, hoc est, humiles, & palpebræ eius interrogant filios hominũ.

Psalmus. 9. Psalmus. 21. Rectè quidem superbi dicuntur filij hominum, quia humana sapiunt: humiles verò sunt filij Dei, quia diuina curant. Hos sanè fouendo respicit Deus, illos verò torquendo interrogat Deus. Nihil tã odiosum diabolo quam humilitas est: & nihil tam gratum Deo, quam nostri animi coram ipso

Diabolo infensa humilitas. deiectio. Diabolus sanè humilitatem odio habet, quia superbus est, & ex superbia dejectus, a iugis cælorum tenax propositi in superbia persistit. Deus autem vt gratissimam demonstraret nobis esse humilitatẽ, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo. Et non contẽtus ad hãc rationẽ se exinaniuisse, de

ad Philip. 2. iecit se adhuc profundius: nãque factus homo, vniuersa quę nos deiectissima esse existimamus ille accepit. Natus ex virgine paupercula, in præsepio decũbens brutorũ: & adultus iam non habens vbi reclinet caput suũ. Cur ita obsecro? Vt omni ratione cõmendaret nobis humilitatem animi veram, & à nostris cordibus venenum superbiæ procul abigeret. Quapropter si desiderium te premit inueniendi Christum, in humilitate Christum quære, & ibi inuenies. Noli quærere humilem & mitem Christum in superbia cordis tui, noli quærere, inanimositate animi tui. Hæc enim non sunt Christi domicilia, sed diaboli cubilia.

Christus inuenitur in domo panis. ¶Hoc autẽ præsepe, vbi inuentus est Christus, erat in ciuitate Bethlehẽ. Est autem Bethlehẽ si interpreteris, domus panis. Et aptissimè equidẽ in domo panis Christus, qui est vitæ panis inuenitur. Is autem erit domus panis, qui frangit esurienti panem suũ. Esai. 58. & egenos & vagos inducit in domum suam.

¶Enim vero Christus misericors est, & ideo misericordes amat, & in misericordibus inuenitur. Vnde ait, beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur. Et rursus psaltes, Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, quoniã in die mala liberabit eum dominus. Et sub die iudicij hoc in primis deducet ad iudicium Christus, si misericordes fuimus in fratres, quin hoc vnũ exprimit si misericordiam gessimus erga proximos. Si iuuat ergo Christum inuenire, te ipsum facito domum panis, esto receptaculum pauperũ: causam viduarum & pupillorum ne despicias: misericordiam exhibet, & misericors, & miserator dominus in te excipietur, vt in domo sibi grata. Sin vero crudelis fueris in pauperes fugiet à te Christus, quare eũ inuenire nequibis. Vnde & apostoli in ecclesiæ christianæ primordijs, post euãgelij prædicationẽ, nihil tam præ oculis habuerunt, quam misereri pauperum, illos alendo, & in reliquis necessarijs eosdẽ fouẽdo. Verum quia de efficacia misericordiæ nos alias distertius locuti sumus, ad vlteriora differenda non procedemus.

¶Inuentus quoque Christus fuit in tẽplo differens cum legis doctoribus. Templum enim Dei Christi domus est. At vero quãdo quenquam quęrimus, domum eiusdem petimus, inueniendi illius gratia. Si ergo Dei templum est domus Christi, templum est nobis petendum, vt ibidem Christum inueniamus. Et quidem in plateis, diuersorijs, cauponarijs, tabernis in tonstrinis, regum, & magnatum palatijs, in angulis ciuitatis, & in proprijs domibus, amittemus Christũ, at vero amissus extra templũ, in templo inuenimus. Templum enim Dei est orationis domus, est prædicationis sacræ locus, vbi denique administrãtur Christi sacramenta. ¶Et sæpe accidit fideles ex prædicatione ecclesiastica in cõpunctione suorũ scelerum excitari, & vitã corrigere veterem. Itemque ex sacramentorum participio, quæ in ecclesia Dei participãt. Vnde re vera ecclesia Christi est locus, vbi inuenitur Christus, & extra ipsam fieri nequit, vt Christus inueniatur.

2. locus vbi est inuentus Christus.

Extra ecclesiã amittitur, Christus intra ecclesiam inuenitur.

¶Quamobrẽ multus honos deferendus est ecclesiæ Dei: quippe quæ est locus, vbi inuenitur Christus, & extra ipsam nõ potest inueniri.

Magnus est deferẽdus ecclesiæ Dei honor.

inuenire. Quod si dominus Iesus, tantopere honorificauit templum illud vetus, vt flagello ex funiculis contexto, ejiceret vendentes, & ementes, & mensas numularias euerteret, & obiurgans contrahentes mundanos contractus, & forensia negotia, in templo Dei diceret, Domus mea domus orationis est, & vos fecistis illam speluncam latronum, quidquod nos summopere colamus diuina templa, vbi non vmbra Christi repręsentatur, vt in typico illo synagogicoque templo, sed verus ipse Christus, idest, sub speciebus Eucharisticis conditus? Si adorandus est locus, vbi Dei pedes steterunt, vbi ipse verus Deus sub carne conditus stat quanto obsecro maiori cultu, & obseruatione colendus & venerandus erit?

Honorabilio ra sunt. tępla Christi, quã templũ Salomonis.

¶Est igitur ecclesia Christi domus vera non typica, vbi ipse Christus inuenitur. Qui ergo extra ecclesiam Christi sunt, vt hæretici & schismatici, Christum inuenire non possunt, tantisperdum extra ecclesiam deuagantur errantes.

3. locus vbi inuenitus est Christus.

¶Tertius locus, vbi inuentus Christus est, Crux domini est, & hæc regia Christi domus est vbi ipse habitare elegit. Namque in suos, quos recepit continuo de cruce baiulanda post ipsum, hortatur, & præcipit. Si quis, inquit, vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Neque intellexit de cruce illa lignea, quam ipse baiulauit, sed per crucem tormenta, tribulationes, & carnis macerationes intellexit sustinendas esse propter ipsum. Beati quidem Christum inueniunt regnantem in cælis, iam extra crucem, quia torrente voluptatis suæ potat eos. Et absterset omnem lachrymam ab oculis sanctorum: quia iam priora transierunt. At vero viatores fideles non inuenient Christum extra crucem, sed in cruce.

Lucæ. 13.

Psal. 37.

Apocalyp. 7.

¶Enim vero, si ipse magister veritatis, & salutis nostræ autor, per crucem, & tormenta euolauit ad æthera. Lucæ. 24. discipulis Christi, quales sunt fideles omnes per multas tribulationes etiam patet via ad regna cælestia. Ideo dixit Iacobus, Omne gaudium existimate fratres, si in varias tentationes incideretis. Et concinit Paulus, Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur. Siquidem, qui volet Christum inuenire, ab operibus carnis abstineat, est necesse, sed proh quantus hic labor, quantusque cruciatus iste est: at in hoc cruciatu inuenitur Christus.

Cap. 3.

2. Timo. 3.

¶Manifesta sunt opera carnis, clamat Paulus, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. hæc autem opera negare summa crux, & molestissima hominibus est: Veruntamen, qui Christum inuenire satagunt, crucifixerunt carnem suam cum vicijs & concupiscentijs. Qui ergo carnem suam hac mystica cruce, non cruci affixerit, Christum non inuenit, aut si vnquam inuenit crucifixus, iam solutus ab hac cruce, amisit.

ad Gala. 5.

¶In luxuria igitur non inuenitur Christus: quia Christus expers fuit prorsus omnis libidinis.

¶In auaritia item non inuenitur, quia Christus, dat omnibus & non improperat, quia misericors est & miserator: & escam dedit timentibus se. Quippe sanguinem suum magnificè fudit in redemptionem humani generis, & corpus item suum porrigit in escam, & sanguinem sũ propinat in poculum suæ ecclesiæ. Et demum, ne singula persequatur vitia omnia, non sunt domus Christi: sed vera de patratis vitijs pœnitentia, & hæc vera pœnitentia, crux Christi est, quia Christo quam gratissima.

¶Audiuimus porro Euangelistam denarrantem duos Ioannis discipulos interrogasse dominum in hæc verba, Magister, vbi habitas? Quibus dominus placida voce respondit, Venite & videte.

¶Antequam autem interrogarent Christum, vbi nam esset domus eius, dominus conuersus ad eos, dixit, quid quæritis, ipsique respondentes petunt. Magister vbi habitas? Hoc ergo quod discipuli isti quærebant, exquirendum à nobis summo studio est: videlicet, vt verba discipulorum nostra esse faciamus, cum illisque petamus à domino, Magister vbi habitas?

¶Hoc item desiderium erat sponsæ Canticorum primo. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas vbi cubes in meridie.

¶At verò, si responderit Christus, quod de sapientia Dei traditur. Ecclesiastici vigesimo quarto, Ego in altissimis habito, quis non despondet animum suum?

Christus se deiecit ad humilitatem nostram vt illũ inueniamus.

Quis enim poterit altissima scandere, vt Christum inueniat? Porrò consolatur nos Ioãnes dicens, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & rursus, In propria venit, & sui eum non receperunt. Quanquam igitur in altissimis habitet Christus at vero ipse qui habitat in altissimis, se deiecit ad humillima, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nemo igitur poterit iam excusare se non posse Christum inuenire, quia altissimas habet, & inaccessibiles sedes.

¶ Quamobrem discipulis exquirentibus Christi mansionem, dixit, Venite & videte, & quod illis tum dixit, omnibus nobis modo repetit. Venite & videte, omnibus inquam, qui soliciti sunt de inuenien do Christo, inquit, Venite & videte. Venite per pium affectum, & videte per syn ceram fidem, quæ ostendet vobis locum mansionis meæ. Prius autem dixit, Venite, & dein subiecit, Videte. Pia namque affectio præuia est ad actum fidei. Namq; pia submota affectione, fides non operatur, vt in tertio Sententiarum traditur. Venite & videte, sed qualem ostendit Christus esse habitationem suam? Vtique crucem. Hanc enim amauit ab infantia sua. Ab exordio namque temporalis suæ natiuitatis, vsque ad consummationem vitæ temporalis suæ hanc in mansionem sibi delegit.

Christus in carne mortali viuens crucem delegit inhabitaculũ.

¶ Quinimo, nondum natus erat, etiam in vtero beato latitans, cruce premebatur, quia non inuenit locum in diuersorio Maria mater eius, vt illum pareret: & in stabulo iumentorum peperit dominum angelorum. Natus vero continuo inuaditur ab Herodiana sæuitia, & quæritur a satellitibus eius, vt perdatur. Sustulit illum mater sua in Ægyptum declinatura tyranni rabiem. Adultus vero baptizatur a Ioanne: baptizatus deserta petit: inedia quadragenaria premitur, dein deserta loca deserens, in medios se contulit populos. Noctes transigit insomnes pernoctans in orationibus, dies in diuinis insumit prædicationibus, falso accusatur, capitur, conspuitur, flagellatur colaphizatur tandem cruci affigitur, felle & aceto potatur: clamores illi porrigunt, vt descendat a cruce, at ipse in cruce fixus spiritum Deo tradidit.

Christus ab infantia sua crucẽ amauit

¶ An nõ vides quanti fecerit Christus crucem, quanque perseuerans habitator fuerit asperrimi huius habitaculi, quandiu apud mortales mortalem vitam ageret? Si ergo desideras habitaculum nosse Christi, dicet tibi, Veni & vide, crux est locus habitaculi mei. Crucem igitur qui amat, Christum inueniet: qui vero mundi illecebras, & carnis blandimenta sequitur, hic Christum inuenire nequit. Nos de cruce domini multa tractauimus indeclamationibus ad Esaiam, qui volet, illa sibi paret.

Crux asperrimũ Christi habitaculum.

¶ At vero scisciteris, & quid est quod dominus non est inuentus in sepulchro? Vtique, non est inuentus autor vitæ, in domo mortis. Quo circa Angelus Dei dixit mulieribus. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Iesum Christum Nazarenum crucifixum quæritis, surrexit, non est hic. Neque tamen hoc vacat à mysterio. Is enim, qui cessat à peccatis, ille mysticè sepelit peccata sua: at vero si nihil aliud exhibet quam cessare à peccatis, non inueniet in sepultura ista Christum.

¶ Non enim sat fuerit à peccatis cessare, nisi de anteactis erratis doleamus: & nouam secundum Christum vitam instituamus, confiterique nostra scelera coram sacerdote ad id deputato muneris proponamus. Tunc namque surgemus à peccato, quando hæc præstiterimus.

Non sufficit sepelire peccata, nisi nouitatem vitę docendo de veteri proponamus.

¶ Lutherus autem dicens optimam pœnitentiam esse cessare à peccatis, solum voluit fideles esse imitatores dominicæ sepulturæ, & non resurrectionis. At verò Paulus, ad Romanos. 6. vtrumque exposuit à nobis imitandum, & commori cum Christo, cessando à peccatis, & conuiuere cum Christo, veterem hominem exuentes, & nouum induentes, qui secundum Deum creatus est, quia nemo potest nouam vitam inchoare, nisi veteris pœniteat. Vnde Paulus, si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Complantamur autem similitudini mortis Christi, quandiu veterem hominem à nobis explodimus, cessando à peccatis nostris: complantamur autem similitudini resurrectionis Christi, quando veterem culpantes vitam, nouam secundum Christi voluntatem instituimus, vt dudum tradebamus.

Ad Ephe. 4.

¶ Iã verò, qui inuenerit Christũ fructuose optimis

optimus quibuſque oppigneratur muneribus, ſcriptura docente. Qui me inuenerit, inquit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à domino. Vtique gratiſsimum eſt ſitibũdo, ſi fontem manantem aquam inuenerit: placidiſsimum eſt pauperi, ſi theſaurum reperiat: & delectabiliſsimum eſt ægroto, ſi ſaluberrimum, & præſentaneum antidotum comperiat. Quandoquidem ſitibundus ex inuento fonte leuat ſitim ſuam, & pauper ex reperto theſauro ſubuenit ſibi, & ægrotus ex antidoto comperto, morbum ſuum abigere poterit.

Prouer.8.

Chriſtusfons vitæ Chriſtus theſaurus incõparabilis Chriſtus antidotũ animorum preſentaneum.

¶ At verò Chriſtus puteus eſt aquarum viuentium, fons eſt aquæ ſalientis in vitam æternam. Chriſtus theſaurus eſt incomparabilis opulentiæ, quia in ipſo chariſmata omnia Spiritus ſancti vberrimè, & ſine menſura collocantur. Denum Chriſtus eſt antidotum longe ſaluberrimum, ipſe enim eſt medicus cæleſtis, & diuina medicina: nam liuore eius ſanati ſumus. Eſaiæ. 53.

¶ Qua propter gratiſsima, & ſaluberrima, & opulentiſsima eſt Chriſti inuentio: ſedat namque ſitim noſtram. Omnes namque deſideramus beatitudinem, & per Chriſtum introducimur ad eum. Ipſe ditat paupertatem ſpiritus noſtri, & tegit eiuſdem nuditatem. Nudi namque ſumus omnes & egeni coram Deo. Ezechie. 16. Expandi amictum tuum ſuper te, & cooperui ignominiam tuam. Denique ex ſanguine ſuo emplaſtrum temperauit ex quo noſtris vlceribus interioribus mederetur.

¶ Aptiſsimè igitur ipſe Chriſtus proclamat, dicens, Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet ſalutem à domino. Et quid eſt vitam haurire, & ſalutem à domino, niſi æternam vitam, & æternam ſalutem à domino conſequi, per Chriſti merita? Hæc namque ſunt quæ iuſtis pollicetur dominus: ſiquidem temporalis ſalus, temporalis que vita, hæc etiam iniuſtis conceduntur.

ENARRATIO PRIMA
in caput ſecundum.

¶ *Et die tertia, Nuptiæ factæ in Cana Galilææ.*

EMONSTRARAT Euangeliſta proximo capite, diuinitatem Ieſu Chriſti ipſiuſq; internam operationem, illuminandi, & viuificandi humanas mentes, dicens, Erat lux vera, & vita erat lux hominum. Nunc vero ad alias tradendas nobis Chriſti ſenſibiles & miraculoſas operationes conuertit ſtylum: vt inquam in primis exponat illam ſublimem operationem, quam in nuptijs celebratis in Cana Galilææ oſtendit, aquam vertens in vinum. Quod ſanè miraculum denarraturus, inquit, Die tertia, nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Dies autem hic tertius computatur à vocatione Nathanaelis, quem vocauit cum exiret in Galilæam, vt ſupra commemorarat Ioannes.

Opera inuiſibilia Chriſti & viſibilia à Ioan. denarrãtur.

¶ Obſeruabis autem ſecundum eccleſiæ catholicę intelligentiam hũc diem, in quo dominus hoc primum edidit miraculum, fuiſſe ſextum diem Ianuarij. Canit enim eccleſia, Tribus miraculis ornatum ſanctum diem recolimus, Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium: hodie vinum ex aqua factum eſt: hodie à Ioanne in Iordane Chriſtus baptizari voluit. Tametſi alio ordine geſta refert domini hæc quam facta fuerint. Nam prius fuit dominus à Ioanne in Iordane baptizatus, quam conuerſa fuerit aqua in vinum: itaque die ſexta Ianuarij hæc omnia celebrata reuolutis anni circulis.

Sexta dies Ianuarij miraculis tribuscoruſcat.

¶ Siquidẽ die. 13. à natalibus Chriſtus adoratur à Magis, & reuolutis triginta annis eodem die baptizatur à Ioanne: & reuoluto anno eodem die, anno trigeſimo primo ſuæ ętatis dominus edidit hoc in Cana Galilææ miraculum: & die tertia antequam hic annus compleretur vocauit Nathanaelem, quia die tertia hîc narratur, nuptias eſſe factas in Cana, &c.

¶ Qui dies tertius ſequebatur Nathanaelis vocationem. Quare diſcipulos dominus quoſdam ad ſe aggregarat ad finem huius anni trigeſimi primi, videlicet Petrum, Philippum, Nathanaelem, Andreã & Ioannem Euangeliſtam, vt multis videtur, vt iam prædiximus. Et Ioannes creditur ſponſus in nuptijs iſtis, à Hierony. in prologo ad Ioannem, qui matrimonio nõ conſummato à domino ad diſcipulatũ eſt aſcitus. Quamuis ſi vera alij narrant fuiſſe

Ioãnes euangeliſta ſpõſus in nuptijs Cana celebratis.

Ioannem discipulum Baptistæ, & simul cum Andrea secutũ fuisse dominum, ante nuptias has iam ascitus erat ad discipulatum Christi. Nisi dixeris, fuisse à nuptijs vocatum ad Christi sequelam: sponsam item opinantur fuisse Magdalenam. Veruntamen quale quale hoc fuerit diuinæ non docent literæ. Et Augustinus in Ioannem, vltimo tractatu refert quosdam non ignobiles theologos dixisse Ioan. vxorem non duxisse, id quod non constare ex scriptura docet, etsi vitæ contemplatiuæ significatæ per Ioanem nuptiæ non congruunt. At vero Hieronymus insinuat diuersum, qui in prologo ad Ioannẽ dixerit. Ioãnem ex nuptijs vocatum fuisse ad apostolatum. Itaque secundum Hieronym. vxorem duxit: sed ab vxore fuit domini autoritate abductus ad sanctiorem vitam, quæ est apostolica. Idemque dixit is, qui præfatiõnẽ quandam præposuit in Ioannem. Ait enim Ioãnem de fluctiuaga nuptiarum tempestate vocatum. Nos vero quarto libro Sentẽtiarum, de matrimonio differentes, vberius disseruimus: indidem hauries, si placuerit.

¶ Neque te moretur Epiphanius, credens die. 5. Ianuarij hoc miraculum celebratũ à domino, dieque eodem fuisse natum. Hoc enim falsum est, quia vt prædicebam sexta die Ianuarij fuit miraculum hoc editum, & dominus non quinta die Ianuarij, sed vigesimaquinta decembris natus est, & elapsis tredecim diebus adoratur à Magis, & adoratio incidit in diem sextum Ianuarij, vt ecclesia recolit. Rursus neque quod Rupertus docet libro. 2. admodum mihi probatur diem hunc tertium, esse numerandum ab illo die, quo stabat Ioannes & dixit, Ecce agnus Dei. Et hic primũ voluit esse horum diem. Secundus vero dies est illi, In crastinum voluit exire in Galileam, & inuenit Philippum: & die tertio nuptiæ factæ sunt. Contextus autem aliud insinuat, hũc diem tertium esse post verba illa habita cum Nathanaele. Amen, amen, dico vobis, &c. dein subdit coniunctionem copulatiuam, Et die tertio, insinuans postquam dixit hæc verba. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Dominus in paradiso nuptias instituerat, ipse namque per seipsum virum & fœminam consortio matrimoniali sociauit: ideo Matthæi. 19. Quos Deus, ait Christus, coniunxit homo non separet. Quia ergo in paradiso nuptialia sanxerat fœdera, illa modo extra Paradisum, in hoc exilio nostro, eadem probaturus, nuptias sua præsentia decorauit celebratas in Cana Galilææ. Esse duo oppida hoc nomine nuncupata aliud iuxta Sidonem, aliud in tribu Asser Hieronymus testatur, libro de locis Hebraicis, Vnde Euangelista, ad discernendum oppidum ab oppido, ne ex vnitate nominis confusio esset loci adiecit, in Cana Galilææ. *Et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Dominus notior erat in Galilæa, quam in Iudæa ideò ad nuptias fuit inuitatus ipse, & discipuli eius: quos quinque tum fuisse à domino vocatos dudum tradebamus. Quod si Ioannes fuit illarum nuptiarum sponsus, dominus & mater eius fuerunt inuitati, tanquam, consanguinei sponsi, & discipuli fuerunt inuitati ad honorem Magistri: mater verò domini tanquam sponsi etiam consanguinea. Et quidem maximo honore dominus affecit nuptias has, sua præsentia, & matris suæ, & discipulorum suorum easdem illustrans, & insuper primi sui miraculi autoritate eximia decoratit. Vnde hoc vnicũ, quod Euangelista denarrat accidisset in nuptijs illis sat est ad conuincendos hæreticos tradentes nuptias esse illicitas.

¶ Summatim autem, vt præstringam hæreses contra matrimonium hactenus subortas, scito quinque fuisse hæreses matrimonij dignitatem, vel plus satis extollentes, aut illam temere deijcientes.

¶ Fuit igitur prima quæ ascribitur Tatiano, qui fuit princeps Euchratitarum. Ista hæresis nefarias arbitratur esse nuptias. Quam hæresim vbilibet damnat scriptura, & gestum saluatoris, qui dignatus est interesse nuptijs, nuptias maxime easdem probat. Et. 1. Corinthiorum. 7. & Matthæi. 19. &c.

¶ Secunda hæresis est, quæ primas nuptias admittit, secundas tamen damnat. Hæc item. 1. Corinthiorum. 7. reprobatur. Et rursum si primæ sunt licitæ nuptiæ, secundæ quidnierunt? Quandoquidem si primæ sunt licitæ est gratia prolis, vel quia sunt in remedium, at vtraque causa adest in secundis nuptijs, aut potest adesse.

¶ Tertia hæresis negat nuptias esse sacramentum: vnde per matrimonium negat

Matrimoniũ fuit institutũ in paradiso, & confirmatum extra paradisum.

5. hæreses cõtra veritatem matrimonij.

Dominus nõ fuit natus. 5. die Ianuarij, sed. 25. decẽbris.

gat conferri gratiam. Autores huius fuerunt Armeni, vt secundæ hæresis Montanus fuit autor: & Cataphryges fuerunt patroni.

¶Post Armenos verò Lutherus hanc Armenorum hæresim accepit in suam protectionem. At verò, cur non exhibebit matrimonium gratiam, quod dominus dignatus est sua præsentia illustrare, & non solum sua, sed matris, & discipulorum suorum? Cur non exhibebit gratiam, vt prolem enutriant coniuges ad Dei gloriam? Cur non exhibebit gratiam, vt coniuges, ad Dei gloriam se cõmisceant & non instar brutorum ad explendam libidinem? Cur non exhibebit gratiam, vt æquo ferant animo coniuges coniugij molestias?

¶Quarta hæresis est docens nuptias, vt ex arbitrio contrahuntur coniugum, pro arbitrio etiam esse solubiles: cuius autor fuit Montanus. At verò ista pugnat hæresis cum Paulo. 1. Corinthi. 7. Et cum Euangelio. Matthæi. 19.

¶Quinta hæresis adeo extollit nuptias, vt non vereatur nuptias fateri pares esse virginitati. Hanc hæresim auxit Iouinianus, & introduxit Basilides, vt autor est Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum circa finem. Cum hac hæresi Paulus ex diametro pugnat. 1. Cor. 7. Igitur, inquit, qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit. Quia tamen alibi contra has hæreses prolixum texuimus sermonem, hoc loco parcẽdum erit, si breuissimè, rem percurrimus.

¶*Et deficiente vino dicit mater Iesu, Vinum non habent. Et dicit ei Iesus, Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea*, Chrysostomus, Homilia. 20. in Ioan. hunc enarrans locum. Optabat, inquit, hoc, ideſt, miraculum fieri, vt ipse hominum gratiã conciliaret, & ipsa filij gratia clarior efficeretur. Et fortasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius cum dixerunt, *Ostende te ipsum mundo.* Ioan. 7. Cupidi eius miraculis sibi famam comparare, ac paulo post idem versans subdit. Siquidem non adhuc debitam de ipso opinionem habebat: sed more matrum Maria, iure omnia se filio præcepturam censebat, cum tamen tanquam dominum colere, & reuereri fas esset. Est secum sapiẽs idem in homilia ad Matthæi. 45. cui concinit Theophilactus, enarrans locum Matthæ. 12. Quæ est mater mea, &c.

¶At vero ad hanc sententiam consectarium est, deiparam Mariam diuinitatem sui ignorasse filij. Siquidem istud astruit Chrysostomus, dicens, Mariam de filio ad huc non habuisse rectam opinionem. Porrò istud dogma non probat ecclesia, & est incredibile dogma, & Chrysostomo præfertur ecclesiæ autoritas. Quandoquidem Baptistam non latuit diuinitas Christi, vt supra differebamus, quomodo igitur latuisset virginem sacram multo excellentiorem Baptista? Quidquod Theologi quidam & Cyrillus etiam autumant Nathanaeli compertam fuisse Christi diuinitatem, dicendo, Tu es filius Dei, quid quod Maria non ignorasset diuinitatem tum Domini.

B. Maria non ignorauit diuinitatem domini.

¶Quamobrem quod mater Domini dixerit, Vinum non habent, hoc sanè fuit non ex ambitioso inanis gloriæ appetitu, à quo prorsus vacabat, sed quia aduertebat vinum iam deficere, ne probro afficerẽtur inuitantes ad nuptias ex vini penuria, ideo antequam sentiretur penuria, petit filium, quem sentiebat omnipotentẽ, vt sua operatione vini indigentiam tollat. Quod si dixeris, Quo nã pacto virgo hoc petit miraculum fieri, siquidẽ miracula sunt solũ expetenda, quando rei necessitas illud clamat: cessante enim necessitate miraculi petitio est diuina tentatio, at virgo non intendebat tentare Deum. Quod vero nõ fuisset tum miraculi necessitas, liquet quia si deficiebat vinum, poterant emere illud, aut si paupertas cogebat ne emeret, poterant bibere aquam: & vitare opprobrium, inuitantium non erat causa necessaria ad miraculum. Dixerim non ob has causas Mariam petisse miraculum fieri, sed quia iam ipsa sciebat tempus accedere in quo filius suus erat manifestaturus mundo gloriam suam ad salutem credentium: ideo hoc petebat fieri miraculum.

¶At huic sensui obstare videntur verba domini, Quid mihi & tibi est mulier? Quæ verba Theophilactus putat esse increpatoria. Ait enim, ille increpat eam non absurde, dicit enim, Si non adest vinum, oportet illos ipsos, quibus deest, accedere & rogare, & non te matrem.

¶Porro si increpatoria fuissent verba hęc, vtique mater nõ iussisset ministris Quodcunque dixerit vobis facite. Siquidẽ hæc

dicens, si prius fuisset increpata, ampliori patuisset increpationi, at virginis summa prudentia istud non permittebat.

¶Veruntamen verba hęc non promptum offerunt intellectum, ideo variam sortiuntur interpretationē. Theophilactus enim vt dudum cōmemorabā, verba dixit esse increpatoria. Siquidem virgo solicitabat, quod suum non erat solicitare, sed eorum quorum intererat mensis nuptialibus prouidere. In quam sententiam iuit Caietanus, vt sensus sit, Quid tua, vel mea interest, de vino agere nuptiali.

¶Augustinus vero multo secus, exposuit, videlicet, Quid mihi & tibi est mulier, subaudit, in hoc miraculo edēdo. Etenim miraculorum editio erat diuinitatis opus, & non ex humanitatis procedens, sed ex diuinitatis virtute. Et ideo vocat eam mulierem & non matrem, quia non editurus erat miraculum quatenus filius virginis, sed quatenus filius erat Dei. At vero etiā obstare videtur huic expositioni, quia dominus vocat matrem suam mulierem quā do ipse pendebat in cruce. Ioan. 19. dicēs. Mulier ecce filius tuus. At vero pendere in cruce, non congruebat Christo, vt filio Dei, sed vt filius erat virginis

¶Augustini expositionem, vulgati probant interpretes. Siquidem perinde dictu est, quid mihi & tibi mulier? ac si dixisset, Quid mihi tecū est mulier? Et Erasmica editio ita habet, Quid mihi tecum est mulier? Et hanc putant esse phrasim Græcam, atque Hebraicam. 2. Regum. 16, Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Et. 4. Regum. 9. Quid tibi & paci? Verum Theophilactus Græcus non ignorabat phrasim Græcanicam: & nihilominus priorem amauit sensum, at fieri potest phrasim hanc loquendi, vtrunque capere sensum. Et mihi Theophilacti sensus simplicior & Germanior videtur scripturæ. Quamuis non probauerim verba hæc esse increpatoria, quia nihil erat in tanta matre dignum increpatione: sed erant verba admonentia ne virgo torqueretur solicitudine ex vini penuria, quasi dixisset dominus, Ne afficiaris molestia ex vini penuria, quia tibi vini prouisio non incumbit, neque mihi vt homini. At vt Deo id mihi cura est prouidendi, at suo tempore. Hoc autem tempus mihi notum est, quando aderit, & tūc ego prouidebo de vino. Tu quæris manifestationem gloriæ meæ, & ego eandem curabo: at verò quousque ministris constet, vinum penitus defeciisse, non est opportunitas manifestandæ gloriæ meæ. Et hoc est quod Dominus insinuat dicens, *Nondum venit hora mea.* Hoc est, opportunitas edendi miraculi nondum adest, Erat autem opportunitas, quando nullus locus pateret dubitationi, sed ad sensum pateret miraculi magnitudo. Vnde opportunitas fuit, quando vino exhausto penitus, hydrię sunt impletę aqua, ne quis suspicaretur forsan aliunde esse vinum illatum hydrijs.

¶Arripuerunt hæretici tamen ex verbis istis ansam delirandi fatales esse necessitates sub horis & tēporibus decretas, quas subterfugere nemo poterit, quia dominus ait, *Nondum venit hora mea.* Cæterum nulla est, fatalis necessitas cogens hominē ad opus. Quandoquidē periret hominis libertas, & nulla esset, vel virtus, vel vicium hac submota. Proindeque nulla essent vel præmia virtutū, aut supplicia vitiorū. Fatalis necessitas à Genethliacis introducta nulla est.

¶Porrò Deus ab æterno voluit, & decreuit tali tempore conuertere in Cana Galilææ aquam in vinum, & hæc hora quæ à Deo decreta erat, vocatur à domino hora sua. Quod autem decreuit se facturum illa hora, potuit decernere alia quauis se facturum. Ideo non horæ est attribuendū miraculum, sed diuinæ voluntati.

¶At verò, quod dominus vocauerit matrem suam mulierem, non fuit vt inficiaretur illam esse matrem. Quandoquidem euangelista, matrem Iesu illam vocat hoc eodem loco. Nequevocat illam mulierem ex corruptione, siquidem Eua virgo erat, quando scriptura illam appellat mulierē, itemque & Adam Euam mulierem appellat. Mulier quam dedisti mihi in sociam dedit mihi, & comedi. Genes. 3. Neque eò illam mulierem appellat, quo minus illam reuereretur, siquidem. Lucæ. 2. erat subditus illis. Quod si Ioseph, qui alioqui non erat pater, erat Christus subditus, quia putabatur pater, Mariæ, quæ erat vera mater, cur non subderetur? Forsan ergo illam vocauit modo mulierem germanam conditionem mulierum illam habere insinuare volens. Est mulierum ingenium, videlicet, pium & misericordem affectum habere erga indigentes, vt Maria gerebat tū erga nuptiales illos homines. In cruce vero

pendens

pendens illam eandem vocat mulierem, quia ex eodem sexu procedit eximiè cõpati afflictis & maximè filijs. Vt ergo Dominus subdenotaret nimiam matris compassionem, ad crucem illius, & vulnera, ideò vocat illam mulierẽ. Ad hanc rationem hæc exponere libuit, non vt detrahamus alias sanctorũ expositiones, sed, vt data copia expositionum, illustrior reddatur exponendus locus, & optio relinquatur lectori eligendi, quod magis arriserit. *Dicit mater eius ministris, Quodcunque vobis dixerit facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas. Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua: & impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus, Haurite nunc, & ferte Architiclino: Et tulerunt. Vt autem gustauit Architiclinus, aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam.* Tres causæ concurrentes admiracula. Tres solent causæ concurrere in miraculis edendis, & necessitas patientium, & deuotio expostulantium, & fidei ædificatio. Vnde forsan aliquis reuocabit in dubium cum nunc hæc tria non concurrerint, qua nam ratione Christus hoc fecerit miraculũ. At qui huic dubio, & aliud copulare non piget, cur hoc miraculum sine verbo exponente miraculum, factum fuerit, quandoquidem alia miracula verbis sunt expressa, quæ significabant miraculosam operationem, vt, Lazare veni foras, Puella tibi dico, surge: Respice, & ita de reliquis. In præsentia verò, nullum Christi verbũ legimus dixisse, per quod denotaret se conuertere aquam in vinũ: sed sola voluntate Christi sine vllo verbo mirabilis facta est hæc conuersio.

¶ Primo horum dubiorum respondebis, verum esse, illas tres commemoratas causas non conuenisse ad huiusmodi miraculum: sed solum illa postrema causa se offert, quia factum est ad manifestandam Christi gloriã. Vnde Ioan. ait, Et discipuli crediderunt in eum. Hanc autem præcipuam causam cumulauit causa alia, scilicet, pauperes illos sponsos honorare, & inuitatos omnes iucunditate afficere ex copia optimi vini à Domino miraculo facti. Et nuptias deniq́ue honestissimas esse ostẽdere ex tãti miraculi operatione. Quod si sponsi erant pauperes, vt non est difficile collectu, quia non habebant vnde emerent abundans vinum potandis in uitatis, quomodo illarum nuptiarum Magdalena erat sponsa, quæ alioqui nobilis, & opulenta esse prædicatur, tu considera.

¶ Secundo dubio respondebis, eò factum esse, quò Dominus id temporis non docuerat verbo Israelitas, neque intendebat tunc se verbo & opere manifestare. Imò prius voluit ab opere mirabili, sine verbo exordiũ capere suæ manifestationis, post modum verò verbo se propalare. Nondũ enim, quando hoc signum edidit, Ioannes fuerat in carcerem coniectus, sed modico tempore elapso fuit carceri traditus, & interfectus. Quapropter ad illud vsque tempus Dominus non se manifestauit verbo suæ prædicationis, verba enim manifestius repræsentant, quam opera, ideò nõ fecit hoc miraculum verbo, aquis imperans, vt cõuerterentur in vinum. Vt post modum imperauit tumentibus fluctibus, & sedati sunt. Aliam poteris mysticam tamen addere rationem. Hoc namq́ue miraculum, cõuertendi aquam in vinum denotat gratiæ diuinæ infusionem in corda fidelium. Nos namq; ex innata nobis corruptione sumus frigidi coram Deo. Opera namq; nostra ex seipsis, sint quantum velis heroica, si gratia diuina orbentur, non sunt meritoria vitæ æternæ, & frigida sunt. Vertuntur tamen in vini suauitatem, & ardorem, quando diuina fouentur charitate: tunc namque in via hac qua ambulamus, ex Christi societate ardet cor nostrum. Miracula autem alia siue resurrectionis mortuorum, siue sanationis mẽbrorum, &c. denotant expulsionem peccati ab humana mente.

Christus se publicè manifestauit post mortẽ Ioan. & verbo & opere.

¶ Quia ergo gratia donari, nihil habet molestiæ, sed multum habet iucunditatis, at verò depellere peccatum, admodum est peccatoribus molestum, & ideò valde obsistunt Deo, ne expellat peccatum, idcircò, vt hoc significetur, quædam miracula verbo Christus effecit, alia vero sine verbo. Etenim, vt superet nostram repugnãtiam verbo & opere vtitur, vbi verò cedimus sat est diuina operatio. Vnde Paulũ verbo & opere exterruit. In mysticis deniq́ue rationibus exactas ne quæras considerationes.

Peccatores obsistunt sæpè Deo, ne depellat eorũ peccata.

Act. 9.

¶ Verum quod ait Euangelista, esse in loco illo nuptiarum hydrias sex capientes

metretas binas, vel ternas, tu intelliges, si aduertis Palæstinam esse inaquosam, neque vbicunque in ea inueniuntur fontes, & rursus Iudæos contaminari facile ex cõ tactu mortuorum, aut leprosorum, &c. Quocirca illis necessum erat recurrere plerumque ad purificandum seipsos, ex lotione aquæ: quem hodie morem seruant Saraceni frequenter sese aqua abluentes, vnde putant inquinationem mẽtis etiam abluendam. Ne ergo flumina essent illis frequenter petenda purificationis gratia, ideò asseruabant multas hydrias aqua plenas, vt ad manum esset domi illis aqua, ex qua sese purificarent, & hoc est quod ait, Secũdũ purificationem Iudæorũ. Est autem metreta liquidorum mẽsura, quæ est eadem, quæ cadus: capit autem metreta paulò minus quam tres canthari nostri. Nam continet decem congios, congius autem continet. 9. libras, igitur decem congij sunt. 90. libræ liquidorum. Cantharus verò noster continet. 32. libras, vnde tres canthari sunt. 96. libræ. Et quia singulæ hydriæ capiebant metretas binas, vel ternas, Dominus conuertens metretas aquę in vinum magnum vini fecit quãtitatem, & sponsorum inopiã, & nuptiarum paupertatem locupletem esse fecit, siquidem concesit illis vini optimi eximiam copiam. Vnde non solum nuptiæ fuerunt sibi sufficientes ex vini largitate, sed superfuit vinum, quod sponsi venderent, vt sibi prouiderent necessaria. Deus enim operans miracula, nõ parcè illa operatur, sed magnificẽtissimè, vt quondam mulier Sareptana ex miraculo olei, sibi prouidit, vendens quod sibi non erat necessarium. 4. Reg. 4. Et Dominus alens Israelitas in deserto, non solum sufficienti alimonia eos pauit, verumetiam redundauerũt ex conuiuio duodecim cophini. Ioann. 6. vt in præsentia etiam, non solũ miraculoso illo vino, prouidit abundè nuptijs, sed etiam ex superabundanti, inopiam sponsorum in futurum leuauit.

Metreta cadus, Congius cantharus.

Deus operãs miracula nõ parcè illa operatur, sed magnificentissimè.

¶ Quod si quæsieris, Cur non fecit vinũ ex nihilo (poterat enim) sed voluit potius ex aqua facere vinum? Vtique vtrumque magni est miraculi, vel ex nihilo facere vinum, vel aquam subito conuertere in vinum. Natura enim paulatim & valde morose humorem aquæ in vitibus vertit in vinum, non immediatè sed per intermedias transmutationes: siquidem terræ humor alit vitem, & hic humor vertitur in acinos, & acini in agrestam, & agresta in mustum, & hoc tandem in vinum.

¶ Porrò quod immediatè nulla intercedẽte transmutatione ex aqua elementaria, non ex humore terreno fiat vinum, istud est diuini operis: non enim hoc subditur facultati naturali, quæ nec ex elemento facit vinum, neque ex humore in instãti. Et quamuis ex nihilo facere vinum, maioris est miraculi, quia est creare vinum: verum ex aqua in instanti, sine interuentu transmutationum facere vinum, quod est conuersio quędam aquæ in vinum, miraculosaque vini generatio, etiam grandis est miraculi. Cæterum quia hoc erat sensibilius miraculum, quod testibus patere poterat, ideò non ex nihilo creauit vinũ, sed aquam transmutauit in vinum. Ministri enim testati sunt, qui aquam ex fonte, vel fluuio aduexerant, & infuderant in hydrias vsque ad summum, vt nemo dicere potuisset alium liquorẽ fuisse permistum aquæ, & post modum videntes ipsi hydrias plenas vino, & non vulgari, quale erat quod propinatum fuerat primo mensis nuptialibus, sed longe excellentiori, apertum erat miraculi testimonium. Accedit eodem, quia ministri gustandum obtulerunt hoc miraculosum vinum, primum Architriclino, cuius erat ad ministrare mensis necessaria, qui alterius vini qualitatem gustauerat, vnde differẽtiam à nouo vino grandem esse testatus etiam est.

Facultas naturæ non potest facere vinum ex aquæ elemento, neque ex musto in instanti.

¶ *Vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Architriclinus est præpositus mensis, vel qui illarum ministerio prouidendo præest, quod apud monachos vocatur Hispanè *refitolero*. Est autem deducta vox hæc à triclinio. Est autem triclinium mẽsa tripartita quales sunt mensæ refectorij monastici. Et quantum ex contextu literæ assequi possum, insinuat Euãgelista, hoc vinum, quod Dominus miraculo exhibuit, immediatè esse epotum post alterũ vinum potatum. Etenim inter epulas nuptiales erat, quando iam sentiebant vinũ deficere, idque ad finem vsque epularum non posse sufficere. Idque temporis vir

go

go mater dixit filio. Vinum non habent. Et Dominus antequã consummaretur cõ uiuium ministris dixit, Implete hydrias aqua. Et hoc factum videtur quam citissimè, quia conuiuium nuptiale vinum desiderabat, ad suum complementum. Et sta tim, vt sunt aqua impletæ hydriæ versæ sunt in vinum, ideo ait Christus, Haurite nunc, &c. Dominus enim sedens inter epulantes, imperio suæ virtutis statim aquam vertit in vinum: quod haurientes ministri propinabant mensis. Et Architri clinus illud gustans, cum proximè inter epulandum gustarat aliud vinum continuo sensit, hoc vinum esse excellẽtius primo. Et nesciens miraculi virtutem putabat, ab sponso esse aliunde clam inuectũ. Quid autem sponsus respõderit Architri clino, Euangelista supresit. Itaque conuiuium illud priorem habuit partem, & posteriorem, qualia erant Palæstinorum conuiua celebriora. In priore igitur parte conuiuij propinatum est vinum sponsi, in posteriore verò vinum Christi. Voluit autẽ Dominus, quod primo insumetur vinum sponsi, quo consumpto, ipse nouum miraculosumque cõcessit vinum. Etenim Deus primum vult, vt nos præstemus quæ nostra sunt, at verò deficientibus nostris, ipse sua munera concedit. Aliàs Deum tentaremus, si potentes nobis per causas secundas, consulere, ad diuina miracula expetenda confugeremus.

Mysticus sensus. ¶ Hæc autem duo vina, si mysticos amas sensus, lex Mosaica, & lex Christi sunt. Deficiente enim lege Mosaica, Deus cõcessit nouam gratiæ legem: quæ adeò inebriat fideles ex vino hoc diuino, vt illo inebriati vniuersa contẽnãt propter Christum. Vnde sancti Apostoli die illo Pentecostes ebrij putabantur ab infidelibus, illosque madere musto clamitant: cùm tamen non ex vinaceorum musto ebrij essent, sed nouæ legis amore. Hoc autem est, quod docuit Dominus, Lucæ. 5. Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Siquidẽ lex noua abrogauit veterẽ, & hac deficiente, illa succesit. Atqui, vt vinum posterius multò dignius fuit, quam primum ita lex nouissima, quæ est gratiæ lex, multis nominibus præclarior est quã lex vetus.

¶ Scito tamen, vt ad priorem literæ sensum regrediatur oratio, interpretẽ Theophilacti, legere capientes metretas binas, ac ternas, copulatiuè: at verò in codice græco, & in Latinis non legitur nisi disiunctiuè, binas, vel ternas. Quod si exquiris cur Euangelista non expresit liquido, si binas tantum, an simul & ternas, siquidem spiritu docente scribebat? Quinimo, si ipse fuit tunc sponsus, vt à multis doctoribus Theologis creditur, potuit scire, quot metretas capiebant illæ hydriæ. Cæterum hoc Euangelista volebat significare, hydriarum harum quasdam capere binas, & ad summum alias metretas capere ternas.

MORALIA,

¶ *Tertia die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.*

NVptias carnales hactenus prosecuti sumus nostra expositione, quas Dominus honestare volens, sua præsentia, & matris suæ, & discipulorum illustrauit, & miraculo conuersionis aquæ in vinum insigniuit. Quia frigiditatem ad diuina nuptiæ secum conuehunt, namque qui matrimonio iuncti sunt, soliciti sunt de rebus tẽporalibus prouidendis. 1. Corinth. 7. hanc tamen frigiditatem Christus sua gratia vertit in ardorem spiritualis vini. Quoniam coniuges si statum suum syncere seruent, Deo sunt grati. Et plerosque legimus spiritus feruore, & sanctimoniæ rectitudine præcelluisse. Abraham enim pater fidei, coniugem duxit, imò etiam cõiuges, & Isaac, & Iacob, quos scriptura, vt illustrissimos sanctitate viros in primis commendat, vt & Zacharias Baptistæ parens, & innumeri alij quos esset longum numerare. Nuptias frigentes ad diuina Christus vertit in spiritus ardorẽ

¶ Cæterum his missis nuptijs, sunt aliæ multò præstantiores nuptiæ, quæ sunt mysticæ, & non carnales nuptiæ. Et harum spiritualium nuptiarum primas tenẽtes, sunt illæ nuptiæ, quas Dei patris verbum celebrauit cum humana natura, quando in thalamo sacro virginalis aulæ verbum caro factum est. Istæ sunt nuptiæ ineffabiles, quas scriptura commemorat Matth. 22. dicens, Simile est regnũ cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Quoniã Deus pater rex cæli & terræ, nuptias Nuptiæ mysticæ.

has

has fecit, qui ſolus potuit illas facere. Iſtæ namque nuptiæ ſunt ſupremi miraculi: & omnia diuina, quæ operatus eſt aut operaturus eſt Deus miracula facilè excedũt: quamobrem ſuperant omnem creatam mentem. Siquidem, quod verbum ſit caro factum, quod humanitas Dei verbo ſit colligata ad vnionem hypoſtaticam Ioannes fatetur ſe indignum eſſe ad ſoluendum, hoc eſt intelligendum tantum ſacramentum. Et parum eſt hoc, quando neq; angelicis illis beatiſq; mentibus iſtud nõ patet, niſi Deo docente, atque reuelante, quid quod præcurſorem latuiſſet, harum nuptiarum myſterium, agentem in mortali corpore? Nuptiæ iſtæ indiſſolubiles ſunt, quia teſtante Damaſceno, quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit. Has nuptias ſummis habuerunt in votis priſci illi patres, & verba erãt deſiderij illa, Eſai. 45. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum. Et rurſum, Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent Eſai. 64. Iſtæ nuptiæ ſunt ſingulariſsimæ, quia neque ante, neque poſtea ſimiles ſperauimus nuptias: ſunt enim ſolæ ſine exẽplo. Hæ nuptiæ ſunt ſummum diuinæ charitatis erga homines ſymbolum. Nihil enim potuit magis commendare diuinam erga genus humanum charitatem, quam quod ipſe fieret homo: vt in humanitate aſſumpta, humani generis exolueret delicta. Iſtæ nuptiæ humanam ad diuinos prouexerunt honores naturam: quandoquidem Deus eſt homo, & homo Deus. Neque maior potuit cogitari ſublimitas, quam quod humana natura, ita ſit inſerta diuino verbo, vt eſſe perſonale diuini verbi ſit eſſe perſonale illius naturæ: ſiquidem humana natura in verbo, non habet propriam ſed diuinam perſonalitatem. Iſtæ nuptiæ conſtituunt ſpem noſtram ad cæleſtes ſedes obtinendas. Siquidem ſi credimus, (vt oportet credere) verbum Dei eſſe carofactum, non magni eſt negotij confidere nos ſi dignè viuimus Deo futuros eſſe beatos videndo Deum. Maius enim eſt, Deum eſſe hominem, & hominem Deũ, quam hominem videre Deum. Iſtæ nuptiæ confundunt luciferinam ſuperbiam, & diabolicum turbant faſtum. Diabolus enim erexit ſe contra Deum diuinitatem exoptans: at Deus ſe deijciens ad humanæ naturæ vilitatem, diabolicam confudit elationem. Namq; ſi creator ſe deijcit, cur creatura ſe eriget? Has nuptias die tertia celebrauit Deus: vtiq; fuit prima dies tẽpus legis naturę, ſecũda tẽpus eſt Moſaicæ legis: tertius vero dies, tẽpus eſt gratię. Hoc igitur tempore gratię celebratæ ſunt iſtæ diuinæ nuptiæ. Paulus enim inquit, Cũ venit plenitudo tẽporis, miſit Deus filium ſuũ factum ex muliere, factum ſub lege: vt eos, qui ſub lege erant redimeret. Tempora enim priora non erant plena tempora. Etenim tempus legis naturæ, corruptam tenebat naturam: omnis enim caro corruperat viam ſuam ſub lege naturæ. At verò ſub tempore legis Moſaicæ, corruptio & morbus noſtrę naturæ patuerunt per legem. Cæterum lex illa antidotum non ſubminiſtrabat, vulneri, quod demonſtrabat. Tempus autem gratiæ eſt tempus plenitudinis, quippe non ſolum lex gratiæ vulnera noſtra quanta ſint oſtẽdit, verum præſentaneum illis exhibet remedium.

¶ Hoc igitur tẽpus plenitudinis, eſt dies tertius, quando celebratæ ſunt iſtæ diuinæ nuptiæ: & aqua quæ erat in prioribus temporibus odij & triſtitiæ, verſa eſt in vinum conſolationis & lætitiæ. Siquidẽ priores patres quæ torquebat triſtitia, verſa eſt in gaudium. Quandoquidem ſub prioribus, quæ has præceſſerant nuptias, temporibus, animæ ſanctorum non volabant ad cæleſtia gaudia, ſed adhuc mærore afficiebãtur ex dilatione ſalutis, quam ſperabant per has nuptias ſibi concedendam. Verum quando ſacri venit plenitudo temporis, repleti ſunt gaudio & deſcendens Chriſtus ad inferos portas confregit ferreas, & ſpoliauit ſanctorum patrum lymbum.

¶ Fuerunt præter hæc iſtæ nuptiæ factæ in Cana Galilææ. Significat autem Galilæa volubilitatem, & tranſmigrationẽ. Vtiq; quia in hoc volubili ſeculo celebratæ ſunt nuptiæ iſtæ, ideò aptè dixeris in Cana Galilææ illas eſſe celebratas. Non enim verbum Dei patris accepit carnem in cælo, vt Valentinus hæreticus aſſerebat, corpus Chriſti dicens non eſſe terrenæ ſubſtantiæ, ſed cœleſtis naturæ: ſed potius accepit carnem in hoc tranſitorio ſeculo, in vtero ſacro Mariæ Virginis. Volubili tamẽ ſeculo faciens has nuptias illas

Myſteriũ incarnationis omnibus eſt occultum niſi Deo docẽte manifeſtetur.

Lex vetus nõ ſubminiſtrabat antidotũ vulneri quod demõſtrabat.

Diuina incarnatio eſt ſummum diuinæ erga homines charitatis ſymbolum.

Dei incarnatio conſtituit humanã ſpẽ ad cœleſtia.

Galilæa volubilitatem ſignificat.

illas non fecit volubiles, iuxta seculi conditionem, imò contra seculi conditionem æternas fecit nuptias: quia quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Qui volet poterit huc vocare de diuina incarnatione multa, quæ scholasticis sunt mittenda disceptationibus.

¶ Sunt & aliæ nuptiæ itidem mirabiles, & mysticæ, quas Christus Dominus celebrauit cum Christiana Ecclesia repudiata synagoga. Has nuptias denotare volebat ille, qui Ioann. 3. dicebat se non esse sponsum, sed amicum sponsi. Siquidem præcursor Domini nõ erat sponsus Christianæ Ecclesiæ, ei namque non fuerat desponsata Ecclesia Dei sed Christo: fuit sanè paraniphus harum nuptiarum, & procurator, verum quia ille non habebat sponsam non erat sponsus, sed sponsi amicus charissimus.

¶ Has item nuptias Paulus non obscurè significauit dicens. Despondi enim vos vni viro virginem, castam exhibere Christo. 2. Cor. 11. Videt quoque Ioann. 21. Apocalyps. ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo, à Deo paratam, tanquam sponsam sponso suo. Est autem hæc ciuitas Christi Ecclesia, quæ quidem tota moderatur, secundum cælestes regulas. Est namque Ecclesiæ gubernatio cœlestis, secundum leges à Deo latas, ideò ait vidisse se illam descendere de cælo: quia administratio Ecclesiæ in præcipuis rebus, non est humana, sed cœlestis. Ornataque videtur, ceu sponsa, quæ exornatur in gratiam sponsi sui. Ornamenta autem hæc etiam de cælo descendunt: sunt namque dona cælestia fide nãque, charitate, & spe cæterisque diuinis decoratur muneribus.

Ecclesia Christi sponsa

¶ Ferunt Lacedæmonios, quas ducunt in vxores indotatas ducere, sed pretio emptas. Christus quoque Ecclesiam accepit sponsam indotatam quidem, at pretio sanguinis sui emptam. Empti enim, ait Paul. estis pretio magno, portate, & glorificate Deum in corpore vestro. 2. Cor. 6. Hanc igitur sponsam sibi acquisiuit sanguine suo: id quod summum, & incomparabile est precium. Non enim. 1. Petri. 1. corruptibilibus pretijs auri, vel argenti, sed sanguine immaculato suo sibi duxit Ecclesiam in vxorem. Enimuerò nulla erãt merita in Ecclesia, propter quæ illam acciperet in spõsam. Ecclesia enim est homines ipsi in Christum credentes: at vero omnes in Adam peccauerunt. Ideoque Christus desponsans sibi Ecclesiam mundauit illam à peccatis suis, ex lauacro vitali baptismi: quam purgatam & mundatam à sordibus suis sibi copulauit in sponsam. Est sanè sponsa, quia illam amat Christus ceu sponsam, & exornat diuinis muneribus tanquam sponsam: cæterum est etiam ancilla, quia empta eximio, & inæstimabili pretio, scilicet, sanguine suo, qui Dei sanguis est. Porro autem tantisperdum in hoc nostræ mortalitatis exilio peregrinamur à Domino, nuptiæ istæ non sunt perfectæ: sed tunc demum erunt perfectæ, quãdo Ecclesia Dei peracto suæ peregrinationis cursu, suorũ, quos pro amore sponsi sui reportauit labores, & sustulit agones, reportet coronam. Id quod facile admonet Euangelica illa parabola virginum. Virgines enim prudẽtes, quæ paratæ erant intrauerunt cum sponso ad nuptias, Matth. 25. Thalamus enim nuptialis vita æterna est. Nunc ergo animæ sanctorum fruuntur nuptijs istis, quæ in cœlestibus habitaculis commorantur. At in fine seculi, vniuersa sanctorum Ecclesia consummabit cum Christo nuptias has: quãdo simul animæ cum corporibus suis fruentur sponso Christo. Vnde Apocalyps. 21. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est illi, vt cooperiat se byssino, splendenti: & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorũ.

Ecclesia est sponsa Christi & ancilla.

Thalamꝰ nuptialis vita æterna est.

¶ Venerunt igitur nuptiæ agni, quia per sanguinem agni reserata sunt cœlestia habitacula. At animæ sanctorum, dum hic agitur Deo cooperantes præparantur. Per pœnitentiam enim iustificantur, & iustificatæ iam introducuntur post corporalem mortem, ad Thalamũ cœlestis spõsi, qui est cœlestis habitatio.

¶ Quãdiu igitur in seculo demoratur sancta Christi Ecclesia, quod init coniugium cum Christo, est velut ratum solum. At verò quando animæ sanctorum ad cælum leuantur, consummantur hæ nuptiæ. Tunc enim non videbunt, per speculum in ænigmate: sed facie ad faciem contemplabuntur diuinitatẽ. Tunc cessabit mæror exilij huius, quia absterget Deus omnem

Quãdiu Ecclesia in seculo commoratur ratum habet cõiugiũ: at in cœlesti patria cõsummatum est.

nem lachrymam ab oculis sanctorum suorum.

¶ Resumptis autem corporibus in die nouissimo prorsus consummabuntur istę nuptiæ: quia tametsi modo animæ beatæ cõsummatam obtinent gloriã essentialem, at verò id temporis, etiam consummatio erit, quo ad gloriam accidentalem, vt nos in. 4. Sentent. libr. distinct. 49. &. 50. fusius disseruimus. Istæ autem nuptiæ Ecclesiæ cum Christo, quia in hac peregrinatione celebrantur (viatrix namque est hoc tempore Ecclesia) ideò rectè dixeris has nuptias esse initas in Cana Galilææ. Et quia tempus hoc est gratiæ tempus, non inepte dices, tertio die factas esse has nuptias. Sunt porro aliæ nuptiæ diuinæ particulares cum animabus sanctis. Etenim despõsat sibi Christus in baptismo animam rationalem per fidem & charitatem. Ait enim per vatem Hiere. 2. Scio charitatem desponsationis suæ, & Ose. 2. Desponsabo te mihi in fide.

Nuptiæ diuinæ particulares.

MORALIA.

¶ *Erant lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum.*

Sex hydriæ mysticæ ex Alberto Magno cõm. ad Ioannem.

SEX hydriæ sex lapideæ, quas Iudæi pro frequẽti suæ purificationis consuetudine, apud seipsos reposi tas domibus suis habebant, alias hydrias longè præclariores præfigurabant, quæ sunt mysticæ, & saluberrimę hydriæ: quas Albertus Magnus in comment. prosequitur, ego verò multò vberius illas prosequar. Hydriam primam, hydriam dixit misericordiæ esse erga miseros exercendam: secundam dixit esse zeli iusti commotionem in malignos: tertia verò est spiritus contribulatus in deuotionis sacrificio: quarta prægustatio quædam æternorum in diuino cultu: quinta consideratio nostræ mortalitatis in huius nostræ peregrinationis tædio: sexta pia meditatio in literarum sacrarum studio.

¶ Primamque harum hydriarum illa hydria Rebeccæ Genes. 24. ex qua seruum Abrahæ siticulosum, & iumenta eiusdem potauit facilè adumbrat. Rebecca nãque misericordiam exercuit in hominem sibi ignotum: deponens hydriam ex humero, ad vlnam suam, efflagitanti potum prompte subministrauit.

Misericordia in quibus cõsistat.

¶ Habet hydria hæc misericordiæ binas metretas, compassionem in corde, & subuentionem ex opere. Hæc enim duo habet perfecta misericordia.

¶ Enimuerò si pauperis, & indigentis cõmiseremur affectu duntaxat, & illi subuenire detrectamus, hæc hydria non est plena ad summum vsque: sed vacuitatem habet desiderantem impleri. Vnde Iacobus hanc hydriam esse ad summum implendam istis subdendis verbis docet. c. 2. Si autem frater, vel soror, nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, Ite in pace calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? Qui autem ait, Ite in pace calefacimini, &c. vtique commiserationis habet affectum, at Iacobus docet hunc affectum nudum à subuentione inutilem esse.

Præceptum eleemosynæ elargiẽde nõ impletur cõmiserãdo sed subueniendo

¶ Qui enim potest subuenire indigenti proximo, non explet Dei mandatum cõmiserando solum, sed subueniendo. Vnde dixit Ambrosius, Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti. Mirabilis quidẽ est hæc misericordiæ hydria, Deoque quam gratissima. Christus enim hãc beatificat dicens, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et rursum, Date eleemosynam, & omnia erunt vobis munda. Aduertebat enim Christus, quam malè affecti sumus erga pauperes. Vt ergo pauperes nobis concilietur mirum est dictu, quam solicitè pauperes curat. Etenim veniẽs iudex viuorum & mortuorum, vno discrimine discernet electos à reprobis scilicet, misericordiæ. Nã misericordes solũ vocabit ad regni cœlestis consortium, & immisericordes ab eodem repellet. Tota scriptura multis clamoribus vociferat ne hanc hydriam vacuã teneamus, quia qui vacuam illam asseruarit, ille non poterit misericordiam à Deo consequi. In qua enim mensura mensi fuerimus, & remetietur nobis. Si fuerimus misericordes fruemur Dei misericordia, si immisericordes, Deus suam auertet à nobis misericordiam. Si nostrorum cõseruorum miseremur nostri Deus miserebitur: si verò crudeles erga illos fuerimus, non est cur diuinã erga nos speremus misericordiam. Quia audiemus illud Euangelium,

Christus solũ misericordes vocabit ad regni cõsortiũ.

Matthæ. 7. Marc. 4. Matthæ. 18.

gelium, Serue nequam nonne oportebat miſereri conſerui tui, &c. Et vates ille regius admonet cum ſancto ſanctus eris, cũ peruerſo peruerteris, Pſalm. 17. Quia talem oportebit ſperare Deũ erga nos quales nos præſtitimus erga proximos noſtros. Quia in. 4. Sentent. multa tractauimus de miſericordia, maiori tractatui ſuperſedẽdum eſt: quia ſi omnia eſſent modo huc euocanda, creſcerent moralia hæc plus iuſto.

Secunda hydria.

¶ Secunda hydria eſt commotio zeli iuſti in malignos hoſtes Dei. Et quidem quantum prima hydria eſt incommoda noſtrorum fratrum hæc ſecunda eſt ad gloriam & laudem Dei. Siquidem ſi hoſtes Dei, vt hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ, non coercẽtur debitis caſtigationibus Eccleſia tranquilla pace non fruetur, ſed omnia ſus deque peruertentur. Vt ergo hoſtes Dei, & maligni homines, de medio auferantur, neceſſarius eſt zelus iuſtitiæ vindicatiuæ: qui comedat principes, & magiſtratus, quorum intereſt, ſcabioſas oues à ſanis ſegregrare, ne contagio ſcabioſa ſanas oues inficiat. Hanc hydriam adumbrant illæ hydriæ Gedeo. Iudi. 7. Siquidem feruens Dei zelo hydrijs ſe armauit, pugnaturus aduerſus Madianitas. Et ex hac armatura, hoſtes Dei ſuperauit. Habet autem hæc hydria, tres metretas, vt ad ſummum vſque impleatur.

1. Metreta, ſe cũdæ hydriæ

¶ Prima eſt zelus in corde iuſtus aduerſus Dei hoſtes. Tunc autem eſt iuſtus, quando illum non accendit propriæ iniuriæ libido vindictæ, aut terrenæ ſubſtantiæ cupiditas, aut propriæ gloriæ ambitio: ſed ſolum diuini honoris deſiderium: & diuinæ offenſæ exterminatio: qualis ille zelus erat Domini, qui conſerto ex funiculis flagello expulit à domo Dei commercia profana. Ioan. 2. Namque ille zelus erat verè diuinus, de quo ſcriptũ erat, Zelus domus tuæ comedit me. Namque ob mũdanas cupiditates ſi accingimur in hoſtes Dei non eſt zelus domus Domini, ſed zelus noſtræ, vel vtilitatis, vel gloriæ.

2. Metreta.

¶ Secunda metreta eſt correctio in opere. Quandoquidem zelus inutilis eſt, ſi cum poſsimus coercere hoſtes Dei & alios malignos homines, non coercemus. Si autẽ non poſſumus abigere, huiuſmodi homines laudandus quidem zelus dolentis, quod mala premant Eccleſiam Dei, & illam conturbent. Cæterum qui potens eſt, abigere peſtem hanc ab Eccleſia Dei, & non abigit, quam citiſsimè poteſt, inutilem habet zelum, etiamſi illum fingat habere.

¶ Ex huiuſmodi enim magiſtratuum ſocordia, ſæpè accidit tantum incendium in Eccleſia Dei, cui non poſſunt vires humanæ poſt modum ſubuenire, vt dixit Hiero. de illo hoſte Dei peſtilentiſsimo Arrio: quem quia non cito extinxerunt, ij, quorum intererat immenſam ſtragem fecit in Dei Eccleſia. Et in morbis corporalibus ſæpè videmus, etſi exitiales ſint, ſi tamen maturè illis obuiatur, medelam accipiunt, verum ſi opportunè illis nõ ſuccurritur conclamati ſunt. Quia in huiuſmodi curandis malis omnis mora damnũ facit, & omnis dilatio affert periculum.

3. Metreta.

¶ Tertia verò metreta eſt, quando iniquos exterminare non poſſunt proceres Eccleſiæ, aut rei publicæ magiſtratus, diuina implorare præſidia precibuſque & gemitibus hoc cõtendere à Deo, vt, colluuiem iniquorum abigat ab eccleſia, & republica fidelium. En tibi metretas tres, quæ zelum vindicatiuæ iuſtitiæ implent vſque ad ſummum. Quia ſi talem zelum geſſeris, qualẽ depinxi omnes partes zeli iuſti abſolues. At rara auis in terris nigroque ſimillima cygno.

3. Hydria.

¶ Tertia hydria, quæ eſt deuotio ſacrificij adumbrata fuit in hydrijs illis Heliæ, quas iuſsit perfundi ſuper ſacrificio Deo offerendo. 3. Reg. 18. vt autem Deo debitè ſacrificemus, & noſtra ſint Deo grata ſacrificia, tribus implebis hanc hydriam metretis. ¶ Prima quidem metreta, quæ exigitur eſt ſpiritus noſtri puritas à peccatorum contagione.

¶ Secunda eſt abſtractio à curarum ſecularium ſolicitudine: & ipſius mentis in ſe ipſam recollectio. ¶ Tertia eſt, quod ſcopus ſit in ſacrificijs omnibus Deus, itaq; mens ad Deum tunc tendat in cordis, & operis rectitudine.

¶ Sacrificans enim Deo, ſi hæc obſeruat purè Deo ſacrificat.

3. metretę implent vſq; ad ſummũ ſacrificij hydriã.

¶ Sunt autem ſacrificia, quę ex opere operato, hoc eſt ex ſua virtute, & inſtitutione Deo grata ſunt: neq; poſcunt puritatem ſacrificantis, vt ipſa Deo grata ſint: quale eſt ſacrificium Euchariſticum corporis, & ſanguinis Domini. Hoc namque, quanlibet

libet sacerdos sacrificans sit impurus, & contaminatus, non contaminatur ob hoc altius puritas, neque euacuatur illius profectus. Est enim diuinum sacrificiū, ideò non potest contaminari, aut euacuari ab indignitate sacrificantis. Cæterum, vt sacrificanti prosit hoc sacrificium, & vt sacrificans non contaminetur ex purissimo sacrificio necessum illi erit, vt purus accedat sacrificaturus. Namque sacrificare nequit, nisi ex sacrificio vescatur, atque potetur. At verò qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit.

Duo modi sacrificiorum.

Porrò quo puriores accedunt sacrificātes, & in Deum magis intenti, eò ipsis redditur hoc sacrificium magis proficuū. Sunt autem alia sacrificia, quæ ex sacrificantis bonitate, suam deriuant virtutem, qualia sunt eleemosynarum, orationum, & ieiuniorum, quæ offerunt Deo pœnitentes in remissionem suorum peccatorum sacrificia. Hæc autem, nisi mēs libera sit à peccato, nisi ad Deum referantur, vt gratia diuini amoris, non propter seculares affectus, sacrificia huiusmodi nobis non proderūt. Vnde eleemosynam purè esse prestandā, propter Dominum, Euangelica lectio docet. Tu autem cum facis eleemosynā noli tuba canere ante te, &c. Et de ieiunio itidem commemoratur. Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypochritæ tristes, extermi nant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Et orationis sacrificium eadem ratione esse peragendum, ibidem Matthæ. 6. Dominus docuit dicens, Cum oratis non eritis sicut hypochritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum instantes orare.

4. Hydria.

¶ Quarta hydria est prægustatio quædā, seu prælibatio cœlestium gaudiorum, cuius typus præcessit in hydrijs illis aureis, quas Salomon reponi iussit in tēplo Dei. Significat enim hæc hydria aurea sanctorum virorum animas, quæ adhuc in corpore mortali degentes nonnihil æternæ fœlicitatis degustant, vt August. de seipso commemorat. 10. lib. confessionum. Et Psalmus cecinit, Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Et quāuis hæc hydria simpliciter dum hic viuitur non potest impleri ad summum vsque, cæterum pro statu præsentis viæ, nonnunquam donatur, in signis quedam diuinorum delibatio. Vnde Paulus se vidisse arcana verba, quæ nō licet homini loqui testatur. 2. Corint. 12. Neque tu putes hanc visionem arcanorū Dei Paulo nudam fuisse, à dulcedine introrsus affectus. Habet nihilominus metretas duas hæc hydria, & dulcedinem in diuinis considerandis, & nō nunquam occultorum reuelationem. Id quod non obscurè insinuat Eccles. 37. Anima viri sancti, enuntiat aliquando vera, quam septē circunspectores, sedentes in excelso ad speculandum. Et hoc ita est, siquidem diuini vates, prænuntiant ventura, quæ omnes quotquot sunt, philosophi maximis ratiocinationibus vtentes, & naturā scrutantes, & interpretantes, prænunciare nequeunt.

Hydria. 4. in hoc exilionō potest impleri quoad summum.

5. Hydria. Locus Eccle. exponitur.

¶ Quinta hydria est nostræ mortalitatis in hoc exilio viua consideratio. De qua hydria mentionem fecit Eccles. capit. 12. Hortatur enim, vt memoria recolamus Deum esse iudicem nostrum. Antequam inquit, conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam. Cōteritur enim hydria super fontem, quādo morimur. Est enim hydria corpus nostrū fons autem vitæ est cor. Siquidem ab hoc fonte hydria nostri corporis, impletur vitali spiritu & sanguine vitali. Quando autem morimur hydria hæc exinanitur, quia sanguine & vitali spiritu destituitur, & conteritur super fontem: siquidem cor est primum viuens, & vltimum moriens. Quapropter corpore mortuo, cor etiamnum viuens est, ideò ait, cōteri super fontem. Sunt qui per fontem intelligant iecur, quia à iecore sanguis suggitur à toto corpore. Et quod sequitur, Et confringatur rota super cisternā, refertur ad caput, & cor. Caput enim est tanquam rota quedam, omnium sensuum officina: & cisterna est cor, vnde disfluunt omnes spiritus vitales, & animales in caput. Hæc autem hydria tres vtilissimas habet metretas, cōsiderationem necessitatis ad moriendum: & considerationem aliam, quam incerta sit mortis hora. Neque solum hora mortis incerta nobis est, quinetiam & mortis subeundæ qualitas ignoratur, si ferro, si igne, si aqua, &c. moriendum sit. Tertia autem metreta est diuini iudicij consideratio. Quæ consideratio magis terret animum pium, quam priores. Enimuerò non multi facerent homines mori, neque ob mortem deterrerentur à peccatis cōmittendis, nisi

In morte cōfringitur rota capitis supra cisternā cordis.

Mors est necessaria.

Mors incertam habet horam & qualitatem.

Iudicij Dei horrendum.

nisi illis à morte immineret Dei iudiciũ. Vnde Paulus, statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hæc iudiciũ, Hebræ. 9. Quamuis enim mors sola est formidabilis, quia vltimum corporis malum est, & ideò est valde terribilis: at verò quia necessaria est, ideò à facinoribus perpetrandis, non auerterentur homines metu solius mortis. Maximè si illa facere animo vehemẽti esset, nisi instaret à morte iudicium Dei. Vnde infideles, qui diuinum ignorant venturum iudicium, facile sub angustijs constituti, se suspendio, aut morti aliàs tradunt. Sub ducunt enim rationem, quod tandem ab illis est oppetenda mors, & ideò illam anteuertere nõ detrectant. ¶ At verò quia horrendum est incidere in manus Domini Hebr. 10. propterea multo fit formidabilior fidelibus mors. Et quidem hanc hydriã versare opportunum esse Ecclesiasticus monet dicens, Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. c. 7. Et Dominus idem hortatur, Matth. 24. Ideo, inquit, & vos estote parati, quia nescitis diem, & horam. Et rursum Paulus, dies Domini sicut fur veniet. 1. ad Thessal. cap. 5.

6. Hydria.

¶ Sexta deniq; hydria est pia meditatio in sacrarum literarum studio: cuius typus præcessit in hydria illa mulieris Sareptanę 3. Reg. 17. Etenim refertur ibi mulierem Sareptanam in hydria habuisse modicum farinæ, ex qua tamen ad imperiũ Heliæ, fecit panem: vnde Helias fuit primo pastus, & dein ipsa & filius eius. Hæc autem adumbrant scripturam sacram esse veluti hydriam continentem farinam vitalem, prophetis alendis, & rudibus etiam nutriẽdis: ex illa namq; fit panis vitæ, & intellectus. Meditatio namq; diuinarũ literarũ vtilis est ad conciliãda spiritualia bona, & fuganda spiritualia mala. Quocirca Paulus, omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata vtilis est ad docendũ, ad arguendũ, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2. ad Timo. 3. Et Dominus, Iam vos mũdi estis propter sermonem meum. Ioann. 13. Quia Prouerb. 30. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperãtibus in se. Vnde Dñs verbo Dei repulit à se diabolicas tẽtationes, Matth. 4. Et Paulus ob hanc causam appellat verbum Dei gladiũ spiritus ad Ephe. 6. Hęc porrò

Scriptura sacra continet farinã vnde fit vitalis panis.

hydria modicã dicitur habere farinã: quã tamẽ verbo Dei propheta multiplicauit. Quippe modica videntur, & nimis humilia quæ diuinæ continẽt literæ, Paulo docẽte. 1. Cor. 1. Prædicam⁹ Iesum Christũ Iudæis quidẽ scandalũ, gẽtibus verò stultitiã. Et ideò regnũ Dei à Dño cõfertur grano synapis Matt. 13. At verò, quãuis infidelibus modica, & despicabilia videantur quæ diuina docet scriptura, cæterũ grãdia sunt, & virtute diuina & veritate plena. Ideò Esaiæ dicitur, Sume tibi librũ grãdẽ, & scribe in eo stylo hominis. c. 8. Est siquidem liber grãdis diuina scriptura nõ quãtitate foliorũ, sed qualitate diuinæ veritatis. Quapropter, si infidelibus nõ penetrãtibus huius libri virtutẽ, modicus videtur, grãdis verò nobis censetur liber hic credẽtibus illius veritatem. Ex farina autẽ illa modica, quæ erat in hydria Sareptanæ, diuino imperio multiplicata, temperauit famem suã Helias propheta: & mulier & filius mulieris. Et ex etiam diuinis eloquijs declaratis secundũ Ecclesiasticorũ Doctorum sensum & pietatẽ, ipsi Doctores Ecclesiastici se pascunt, & reficiunt pane vitę, & intellectus & post modũ totã Ecclesiã reficiũt ex pane hoc. ¶ Augetur rursũ hęc farina, ꝓpter verbũ dei: quoniã diuina scriptura præclaris, & multis & varijs sensib⁹ abundat. Siquidẽ præter literalẽ, gaudet anagogico, allegorico, & tropologico sensu: anagogico sanè ad fructũ regni cœlestis allegorico ad fidei ædificationem, tropologico ad morum correctionẽ, literali ad fidei constitutionem quos forsan postmodum differemus.

Varij sensus scripturæ.

¶ Aut hæc hydria est illa Samaritanę mulieris, cuius Ioan. meminit. 4. Quã statim Christo credens Samaritana reliquit, & iuit ad Samariã, excitatura suos ciues, vt venirent, & viderent Christum. Est sanè hæc hydria scriptura Mosaica, quæ relinquenda est secundũ literalẽ sensum, quẽ præfert, vt Christũ credamus, & prædicemus, sectãda verò secundũ sensum interiorem spiritualem, quẽ nõ offert cortex literæ, sed spiritus intelligentiæ diuinæ. Ideò Samaritana hydriã reliquit, vt prædicaret Christũ. Quod verò hęc hydria secũdũ carnalẽ sensũ sit relinquẽda Paul⁹ nũquãnõ clamat legẽ illã veterẽ operãti irã, & ꝙ lex subintrauit vt abũdaret delictũ, & legẽ esse ministrationẽ dãnationis ad Ro. 5. &. 4. &. 2. Cor.

Alia expositio hydriæ sextæ.

&.2.Cor.3. Quæ omnia Origenes intellexit Homil.7. in Leuiticum ſecundum carnalem ſenſum,hoc eſt ſecundum corticẽ verborum, legem illam obſeruatã modo occidere. Siquidem ſi quis ſe circuncidat, aut veteres illas cæremonias Iudæorum obſeruet, peccat mortaliter, ſi ea obſeruet vt illius legis cæremoniam. Quia Paulus ait,Si circuncidamini Chriſtus vobis nihil prodeſt,ad Cala.5. Vnde Paulus hanc carnalẽ intelligentiã vocat ſapientiã ſecundum carnem.Et ait.c.8. Sapere ſecũdum carnem mors eſt: ſapere autem ſecũdum ſpiritum vita & pax. Itidem ſi canticorum cantica intellexeris iuxta corticẽ verborũ an nõ erũt libinis incẽtiua? Verũ ſi ſecundum Spiritus ſancti intelligentiã, plena ſunt diuino ſpiritu. Litera igitur Moſaicæ legis iam nõ eſt ſequenda ei qui volet Euangelicã conſequi gratiam. Ebionis enim fuit hęreſis, vtraq; currere ſimul, & legem & Euangeliũ. At verò ſi iſte vera narraſſet Chriſtiani maiori ſeruitute premerentur,quã Iudæi. Quoniã iſti vnica lege obſtringebantur, ſed nos duabus. Quorſum igitur Chriſtus mortuus pro nobis eſt,ſi magis ſerui ſum⁹ modo quãprius eramus? aut quã gratiã nobis attulit redẽptio per ipſum facta? Nã ſi magis captiui ſumus, quo nã pacto redẽpti ſumus? Quã obrem relinquenda eſt hæc hydria ſecundum corticẽ verborũ, ſi volumus Chriſto hærere, vt fecit Samaritana,quæ,vt Chriſtum nunciaret hydriam reliquit.

Carnalis intelligentia & ſpũalis quid Paulo.

Lex & euãgeliũ non currunt ſimul.

¶ Auguſtinus verò lib.de ſpiritu & litera, verba Pauli,Litera occidit,ſpiritus viuificat ad Rom.11. etiam de præceptis decalogi intellecta voluit. Verum in præſentia ſatis nobis ſit literalem ſenſum Moſaicæ legis occidere, & ſpiritualem viuificare.

¶ Origenes Homil.7. indicata, item voluit in nouo teſtamento, eſſe literam occidẽtem, & ſpiritum viuificantẽ, ſiquidem verba Domini,Lucæ.22. Qui non habet gladium vendat tunicam ſuam, & emat, ſecundum literalem ſenſum dicit, occidere, & ſecundum ſpiritualem viuificare: id quod non facile crediderim. Siquidem Dominus hoc inſinuat,vnicuique eſſe ius defendendi ſeipſum, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde qui armaemit; vt ſe inculpatẽ defendat, nihil peccati admittit.

Origenis placitum de litera occidente & ſpiritu viuificante.

Senſus myſticus & hiſtoricus.

¶ Quamquam mutẽ literalis ſenſus legis Moſaicæ, non ſit obſeruandus, at anagogicus allegoricus & tropologicus obſeruari poteſt. ¶ Iſti namq; tres enumerati ſenſus,ſub myſtico comprehenduntur. Myſticus autem eſt ſpiritualis ſenſus,qui non foris patet, ſed intus latet. Eſt autem diſcrimen horum ſenſuum, ſecundũ differẽtias temporum. Siquidem allegoria præteritas vmbras, cæremonias, ſcilicet, & Moſaica ſacrificia prænotiones eſſe Chriſtianæ Eccleſiæ,& præſagia ſacramentorum Chriſti eſſe manifeſtat. Vnde Paulus Abraham duos habuiſſe filios,ad allegoriam referens teſtatur, duo præſignaſſe teſtamenta. Anagogia verò ventura beatitudinis, & cœleſtis patriæ myſteria,ſpectat. Tropologia verò ad præſentes viæ mores componendos, geſta & dicta diuinarum literarum refert. Hiſtorica verò expoſitio eſt quando declaratur quid geſtũ, vel non geſtũ,quidve dictũ eſt. Hæc nãq; expoſitio ſolũ refert fideliter facta & dicta cõtenta inſcripturis ſecundũ ſermonis propriã & trãſlatitiã ſignificationẽ. Nãq; cæteræ expoſitiones non proprietatẽ ſequuntur ſermonis,ſed metaphorã,& trãſlationem, & ſecundum diuerſam tranſlationem diuerſæ conflãtur expoſitiones. Exitus namq; filiorũ Iſrael de Ægypto hiſtoricã habet expoſitionẽ,ſi referas,ſecundũ proprietatẽ ſermonis filios Iſrael eductos à Moſe per mare rubrũ ab Ægypto. Verũ ſi exponas exitũ Ægypti ſignificare exitum ab hoc ſeculo in cœleſtẽ patriã ad anagogẽ traduxiſti hiſtoriam. Si verò per mare rubrum baptiſmũ ſubaudias, vt Paulus ait,omnes in Moſe baptizati ſunt, & dixeris nos per baptiſmũ erui à poteſtate ſathanæ allegoriã cõcinnabis. Porrò ſi exitum ab Aegypto interpreteris eſſe exitum à vicijs ad deſerta virtutis, Tropologia erit. Et rectè virtus cõfertur deſerto, quia illa,vt hoc paucos habet incolas.

Ad Galat.4.

Senſus hiſtoricus proprietatem ſermonis ſequitur ſenſus myſticus trãſlationẽ amat ſeu metaphoram

¶ Auguſtinus ad Honoratum Epiſtola plures videtur alios inuexiſſe ſcripturæ ſenſus, videlicet,analogicum,& etiologicum. Eſt autem analogicus,quando conſonantia vtriuſque teſtamẽti exponitur, vt Matthæ.2. denarrat ſæuam illam infantium occiſionem pro Chriſto, & conſonam eſſe ad veterem Hieremiæ vaticinium illud, Vox in Rama audita eſt. Vnde ſubdit, tunc impletum eſt quod dictũ eſt per Hieremiam prophetam.

Analogicus & etiologicꝰ ſenſus reducuntur ad hiſtoricũ & myſticũ ſenſum.

¶ Etio-

¶ Etiologicus verò est, cũ causa redditur eius, quod traditur: vt Matt. 19. Memorãs Dñs libellum repudij Mosaicum adiecit causam, cur libellus fuerit concessus Iudæis. Hoc, inquit, Moses fecit propter duritiam cordis vestri.

Doctores sacri varij in expositione sensuum scripturæ.

¶ Cæterum isti sensus reducũtur ad alios cõmemoratos. Enimuerò quãdo literalis sensus exponitur, & inter exponendum simul declaramus illum sensum concinere cum alijs locis scripturæ, & causam etiã subdimus ad literã eius quod exponimus, tunc etiologicus, & analogicus literalem spectant. Et ad eandem rationem, quando anagogẽ disserimus, & ita de reliquis. Nam nihil vetat causam anagoges ex alia anagoge petere, & consonantiam demonstrare ad alias anagoges eiusdem scripturæ. Sub allegoria verò Augustin. comprehendit anagogen, & tropologiam, & ipsam quam vocamus allegoriam. Hieron. verò diuisit aliter scribens ad Hedibiam, expositionem aliam historicã, aliam tropologicam, aliam tradens esse spiritualẽ. Verũ de re hac hæc dixisse sufficiat quia indicatorum doctorum diuersitas est nominetenus, re enim sibi cõsoni sunt. Mosaica igitur lex secũdum sensus mysticos, si interpretetur, non occidit, sed viuificat: non est relinquẽda à fidelibus, sed amplectenda. Verum si secundum literalem, illam velis obseruare, iam mortifera est, & relinquẽda est, si Christũ sectari cupimus.

Litera occidit in cæremonialib⁹ & iudicialibus præceptis.

¶ Verum scito hoc habendum esse de sensu literali, cęremonialium, & iudicialium: hæc enim euacuata sunt à Christo: cæterũ si exitum de Ægypto credas secundum literam, nõ propterea male credes, imò necessario est ita credendum, vt plantationẽ Paradisi in Eden, & alia innumera. De quibus Paulus nõ est intelligẽdus dicens, Litera occidit, spiritus est, qui viuificat: sed solum de cæremonialibus, vel iudicialibus præceptis.

Obseruãs Iudaicas cæremonias, vt tales superstitiosus est.

¶ Qui enim hæc putauerit obseruanda esse modo ex vi legis Mosaicę, ille errabit. Dixerim ex vi legis Mosaicæ, quia si ob alias causas seruet, nõ est crimini superstitionis Iudaicæ obnoxius. Vti si quis ab esu suillarũ carniũ abstinuerit, quia esus salutẽ suam lædit, aut qui cãcerari sibi virile mẽbrum timet, & ideo ne cancer serpat amplius præputium abscindit, isti non ob hoc sunt superstitiosi, aut peccãt: vt neq; quia thura Deo adolemus aut ieiunia celebramus, ideò Iudaicũ ritũ obseruamus. Siquidem etiã Iudæi thura Deo cremabant, & ieiunia obseruabant. At verò fideles ex Ecclesiæ mãdato hæc obseruantes, non legẽ Mosaicam, sed Ecclesiasticã custodiunt. ¶ En tibi hydrias sex longe pulchriores, quã illę erant, quas Iudæi ad suam purificationẽ reponebant: siquidẽ illæ reponebãtur ad purificationẽ corporũ, istę verò ad purificationẽ animorũ. Rursus illę, quãuis lapideę, nihilomin⁹ fragiles erãt, quia corporales erãt: istæ verò fragiles nõ sunt, quia spirituales sunt. Has igitur hydrias apud te seruato, vt illis beatissimis cælestibusq; nuptijs fruaris. Sed iã hora est, vt ad Ioannẽ regrediamur.

ENARRATIO II.
in caput secundum.

¶ *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.*

Evangelista hoc sermone docet, primum miraculũ à Christo factum fuisse in Cana Galilææ sub nuptijs commemoratis, neque ante hoc miraculum aliud à Christo fuisse editum: quin potius hoc fuisse primum simpliciter, nõ eorum solum quæ facta sunt in oppido illo, sed primum omnino. Vnde Chrysostomus hinc reprobat libellum de infantia Saluatoris: quem quoque librum Gelasius Papa despuendũ tradidit cap. sancta Rom. Ecclesia. dist. 15. Et ridicula sunt miracula, quæ ex illo commemorantur libello, puta, Dominum sub infantia ascẽdisse quasi equiturum supra Solis radios, & nõ cecidisse: & hoc genus alia.

Fabulosa mi racula libelli de infantia Saluatoris.

¶ Porrò autem obiectant Alogi hæretici Ioanni, nõ hoc primum fuisse miraculum Christi, quia Luc. 2. aliud denarratur miraculum prius, videlicet, Domini stupenda responsa ad interrogata legis peritorũ. Et rursum dicet aliquis, Miraculo esse dandum, quod quadragenariã Christus sustinuerit inediam, & quod diabolicã superauerit solo imperio verbi tẽtationem, & ꝙ angeli accesserunt, & ministrabant ei.

¶ Verũtamen scito illud miraculũ, quod Dominus in puerili ætate in templo exhibuit doctores legis vertens in stuporem,

Miracula intelligibilia & sensibilia.

fuisse quidem intelligibile miraculũ, magis quam sensibile, siquidem soli doctores aduertebant responsa Domini supera re maximè eius pueritiam. At verò vulgares, qui legis ignorabant mysteria, asse qui nequibant miraculum hoc, nisi ex doctorum relatione.

¶ Rursus & sustinere quadragenariã inediam, non fuit exhibitum miraculum populo, quia in deserto sine arbitris illam sustinuit. Itemque ministerium angelicum, non fuit propalatum populo, siquidem populo ignorante, gestũ est. Quamobrem, quod Ioãnes inquit, Hoc initium signorum, &c. verum est de miraculis sensilibus, quæ verè signa dicũtur, at verò nõ est sermo de alijs miraculis, quæ sunt potius intelligibilia, & non sunt exhibita ante faciem turbarum, vt viderent, & crederent. ¶ Sunt qui nodum istum soluant, Ioannem subaudiendum de miraculis post baptismum Domini, & postquam accepit discipulos. At verò mihi magis arridet, quod dudum aiebam. *Et manifestauit gloriam suam.* Ex signo hoc mirabili manifestauit esse se verum Messiam, quem lex & prophetæ prædixerant: & discipuli videntes, hoc crediderunt. Sed quid est quod ait, Et crediderunt in eum discipuli eius, siquidẽ iam prius crediderant, quippe qui iam sequebãtur Christum discipuli cõmemorati, scilicet, Andreas, Petrus, Philippus, &c. Verum tu intellige, crediderunt in eum, ideſt, confirmati sunt in fide priori. Quamquam Augustinus lib. 2. de consensu Euãgelistarum cap. 17. doceat tum primo credidisse discipulos in eum. Et objicit sibi, si tum crediderunt, quo ergo vocantur discipuli? Respondet illo more locutionis dictũ est, quo loquimur, Apostolum Paulũ natum esse in Tarso Ciliciæ: neq; enim tunc iam erat Apostolus. Ita discipulos Christi inuitatos ad nuptias cum audiamus, nõ iam discipulos, sed qui futuri erãt discipuli. Iam enim vtiq; discipuli Christi erant, quando ista narrata, atq; cõscripta sunt. Et ideò de illis sic locutus est tẽporum prẽteritorũ narrator. Hæc Aug.

¶ Restat tamen scrupus, quia Philippus iam erat discipulus Domini, quia fuerat Ioan. 1. vocatus à Dño, & idem videtur de Andrea, & socio eius, quem non notificauit Ioãnes, qui Christũ sunt secuti vsq; ad habitationem suam. Propterea videtur non de omnibus intelligenda esse verba Augustini, sed forte de quibusdam alijs familiaribus Christi, qui id tẽporis non erãt discipuli, sed futuri erant. *Post hæc descendit in Capharnaum, ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt nõ multis diebus.* Peracto glorioso miraculo in Cana Galilææ, descendit in Capharnaum. Fuit autem Capharnaũ metropolis totius Galilææ, iuxta stagnum sita Genesareth, nobilitata admodũ ex cõmercijs multarũ gentium ibi confluentiũ: erat enim præclarum emporium. Ad hanc igitur vrbem Dñs descendit. Et nihil legimus miraculi tum ibi celebrasse, aut munus prædicationis exercuisse: sed solum ibi mãsit paucis diebus, quia instabat Iudæorum pascha, siue festus paschalis, quem Dominus Hierosolymis erat celebraturus.

Augustinus exponitur.

Capharnaũ celebri emporio nobili tabatur.

¶ Vnde videtur Dominum, mensem Ianuariũ, egisse in Cana Galilææ: quia sexto die Ianuarij, nuptias illustrauit ibidem & sui præsentia, & miraculi claritate. Et fortè partem mensis Martij ibi etiam egit, quia ait, Propè erat pascha Iudæorũ: erat autem pascha Iudaicum, sub Martio, vt suo loco tradetur vberius. Cur autem dixerit Ioan. pascha Iudæorum, putant eò dictũ, quò discerneretur à paschate Christianorum: quia quando Ioannes Euangeliũ scribebat, iam celebrabatur à Christianis pascha nõ ritu Iudaico, sed Christiano.

¶ Habuit autem Dñs comites huius descẽsus, matrem suam Mariã, quæ iam Ioseph destituta consortio erat. Opinantur enim Epiphanius, & alij, id temporis mortuum fuisse Ioseph: ideoq; filium suũ comitabatur, vt filij frueretur solatio, quæ viro orbata erat. Fratres autẽ vocãtur cognati Dñi, non sanè filij beatæ Mariæ, vt somniabat Heluidius Mariam post Christi partum virgineum, peperisse alios ex Ioseph. At verò Spiritus sancti templum non erat ab homine violandum. Et Dñi Dei mater indignissimum erat, si aliorum filiorũ esset mater, vnde ab aliquo viro esset corrũpenda. Quid quod Marci. 6. legimus fratres Domini numeratos Iacobum, & Ioseph, & Iudam, & Simonem. At vero Iacobus iste, Matth. 10. vocatur Iacobus Alphæi, quia erat filius Alphæi. Et matrem eius legimus Mat. 27. Mariã Cleophę, quia erat filia Cleophæ. Idemq; Marc. 15 hũc Iacobum esse filium commemoratæ dudum

Qui erãt fratres Domini.

Mariæ

Mariæ traditur: vnde dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph. Fieri igitur nequit, vt hosce dicamus esse beatæ Mariæ matris Domini filios.

Hilarius, & Theophil. de digamia Ioseph.

¶ Censuit autem Hilar. can. 1. ad Matthæ. Ioseph fuisse digamum, Theophilactus quoque idem autumat in præfatione ad Ioannem, Ioseph priusquam beatam Mariam duceret in vxorem aliam priorem habuisse: vnde accepit septem filios mares quatuor, fœminas tres, Martham, Esther, & Salomen, quæ fuit mater Euangelistæ Ioannis. Vnde quia Ioseph putabatur pater Domini, ideò & Salome soror Domini ex patre credebatur, & filij Ioseph ob eandem causam fratres Domini ex patre non ex matre. Nos in 4. Sententiarum libr. quãdo de matrimonio Virginis disserebamus, prolixè hanc disputauimus quæstionem distinctio. 30. Et hæsimus vulgato Theologorum dogmati, quod Ecclesia potiùs amplectitur Ioseph virginali pudicitia etiam viguisse. Ideoque Theophilacto non esse hærendum credimus.

Fratres multifariã appellantur in scriptura.

¶ Fratres ergo Domini dicuntur, quia Domini cognati erant, vt Abraham, & Loth, fratres appellantur. Et phrasis consueta hæc est in diuinis scripturis. Et quidem vox hæc, frater, multiuoca est, quia significat autore Hiero. & natura fratres, & gente & cognatione, & affectu.

¶ Aduertendum est autem, vt liquido tibi sit non fuisse Iacobum minorem, & Ioseph commemoratum, Iudam & Simonem, neque filios beatæ Virginis, vt Heluidius blasphemat, neque filios Ioseph ex altera vxore, vt Theophilactus

Annæ viri & liberi describuntur.

meminit, Annam Deiparæ matrem referente Petro à Natalibus in catalogo Sancto. libr. 6. capit. 139. fuisse Bethlehemiten ex tribu Iuda prosapiam ducentem. Ioachim autem vir eius, qui fuit Galilæus: Nazaretha enim fuit contribulis nihilominus vxori Annæ. Fuit autem hæc trinuba: priorque vir fuit prædictus, vnde accepit Deiparam Mariam. Cæterum, quia masculina prole erat orbata defuncto primo viro, nupta fuit secundo, qui erat frater prioris viri, vt suscitaret semen eius, iuxta legis diuinæ sanctionem: & hic secundus cognominatus fuit Cleophas. Ex hoc autem secundo connubio filiam habuit nomine Mariam, quæ dicta Cleophæ ex patre. Hæc autem ducta est ab Alphæo in vxorem, vnde progeniti sunt Iacobus dictus ex patre Iacobus Alphæi, & hic Iacobus item minor nuncupatus, & Ioseph dictus iustus, & Simon, & Iudas, quos Marcus capit. 6. retulit. Hoc autem viro mortuo Anna, tertias repetit nuptias, cum viro altero cognominato Salome, vnde accepit filiam alteram nomine Mariã, vt priores quam duxit vir nomine Zebedæus: ex illaque Ioannem Euãgelistam, & Iacobum maiorem suscepit.

¶ Porrò, quamuis Petrus à Natalibus asseueret hanc historiam se excepisse ex libr. annalium. 12. tribuum, nihilominus creditur à multis fabulosam esse hanc Annæ trigamiam, quamuis Haimo. comment. ad Galatas illam probat, alijs tamen reclamantibus, & asserentibus Annã non fuisse polygamam, sed monogamam, & nullam fuisse Mariam Salome, sed matrem Ioann. & Iacobi maioris appellatã fuisse Salome, nõ Mariam Salome. Euangeliũ enim non appellat illam Mariã Salome.

Anna an fuerit trigama.

¶ At verò isti testantur Annam ex viro suo Ioachimo duas obtinuisse filias eodem nuncupatas nomine & Mariam matrem Domini, quæ nupta est Ioseph: & aliam Mariam, quæ nupta est Cleophæ. At hæc progenuit filios, Iacobum minorem, & alios commemoratos Marc. 6. Et hæc sola fuit matertera Domini, secundum Hieronymum contra Heluidium. Vbi ostendit fratres Domini dictos, quia filij erant materteræ eius, sororis, scilicet, matris eius: quam ipse nominat Mariam Cleophæ.

Maria Cleophæ materte ra Domini.

¶ Obiter tamen tu aduerte Hierony. in Epistola ad Hedibiam, quatuor retulisse Marias, Mariam matrem Domini, & Mariam materteram Dñi, & Mariam Iacobi, & Mariam Magdalenam. Distinguendo Mariam materteram Domini, à Maria Iacobi. At verò pugnans contra Heluidium, solum tres esse Marias tradidit: id quod verum est. Et Mariam materteram Domini fuisse matrem Iacobi, &c. concesit. Sunt multa, quæ hoc placitum constituant, & quod Salome est nomen viri, & non mulieris, & quod indignum est, Annam trinubam fuisse credere, quæ mater genitricis Dei erat. Sed quidquid de veritate sit, argumẽta hęc nõ persuadẽt:

siquidem nomen fœminarum aliquando viris imponitur pro cognomine, vt quidam apud nos appellatur Ioannes Maria. Et rursus si ex legis sanctione tribus nupta fuit viris, indignum non fecit Anna, quia legis autoritate fecit, vt susciteret semen fratris defuncti. Adde istis, quia quę rendum restat, de Iacobo, qui dicitur Alphæi, qui fuit Iacobus minor Hierosolymorum archiantistes, cuius nam filius fuerit? Etenim, secũdum Petrũ Maria Cleophæ, nupta fuit Alphæo, vnde suscepit Iacobum minorem. Verum secundum aliorum sententiam Maria Cheophæ, non à patre appellata fuit Cleophæ, sed à marito: igitur superest vt respõdeant, vnde igitur Iacobus minor filius Mariæ Cleophę, sit appellatus Alphæi? Et nisi dixerint, Cleophã virum Mariæ Cleophæ, & Alphęum esse synonymas appellatiõnes, nõ video, quid respondere apte possint: verũ hoc illis incumbit probandum.

¶ Ego in præsentia istud non decerno dubium: sat sit nobis certũ esse dogma fidei, quos Ioãnes cõmemorat fratres Domini, non fuisse filios Ioseph ex cõiuge Maria: id quod fuit hæresis Cherinti, referẽte Irenæo lib. 1. aduersus hæreses cap. 25. Et fuit hæresis Ebionæa eodem autore libr. 3. aduersus hæreses. cap. 24. quos sapiens Heluidius, in eundem lapidẽ impegit, legens locum Esaiæ. 7. Ecce virgo concipiet, ecce adolescentula concipiet, vt suo patrocinaretur errori. De qua re nos fusius indilucidationibus ad Esaiã mentionẽ fecimus. Verum eò appellantur fratres Dñi quia Domino ex matre erant consanguinei. Et Irænæus eodem loco cap. 30. cõtendit, Si filius esset Christus Ioseph, Christus non potuisset rex esse: siquidem Ioseph descendit ex Ioachin, & Ieconia, at isti testante Ieremia. 22. orbati sunt à Deo autoritate, & sobole regia: at quanti pendẽda sit ratio hæc, non huius est instituti.

Cherintus, Ebion, Heluidius virginalis pudoris S. Mariæ hostes.

ENARRATIO III.
in caput secundum.

¶ *Propè erat Pascha Iudæorum: & ascendit Hierosolymam, & inuenit in templo oues & boues, & columbas, & numularios sedentes.*

Sectio. 2.

HANC voluisse huius secundi capitis sectionem secundam: quia in ea enarratur, quoddam admiratione & stupore plenum opus, videlicet, eiectio boum, & ouium de templo. Supra quidem denarrat Euangelista nuptiale illud vinum, quod Dominus in instanti ex aqua fecerat, stupendum quidem opus. At verò non tanti est stuporis, quanti hoc gestum quod modo indicat Euangelista. An non maximo stupore plena hæc est eiectio? Vide causas maioris stuporis. Christus quãdo aquam vertit in vinum, cum stupida creatura agebat, quæ obsistere Christo nequibat, at eijciens numularios, cum suis sarcinis cum hominibus agebat potentibus repugnare, at nemo repugnauit. Tu hæc intellige esse hoc, quam illud maius miraculum, non secundum factum, sed ex modo faciendi. Quandoquidem factum conuersionis aquæ in vinum superat omnem actionem naturæ, & angelicã item vim. Verum expulsio vendentium & ementium & boum, & ouium à templo non superat secundum se humanas vires, quia idem possent multi facere homines, & angelus vnus. Porro modus faciendi fuit, admodũ miraculosus. Et quod auget miraculi huius stuporem, est quod Dominus tũ ignotus erat, nec clarus verbo, neq; miraculis. Vnum namq; solum ediderat intra priuatos nuptiarum parietes, inter sibi notos, & consanguineos: reputabatur etiã filius fabri. Nulla ergo nitens põpa, vt qui cẽsebatur ex promiscua plebecula, & infimæ sortis homo, tantum aggressus est opus, vt nullo contradicente eijceret mercatum omnem à templo Dei. Et quod mireris vehementius, neque detulerunt causam hanc Iudæi ad iudices, opponendo Domino, quod turbasset Dei templum. Neque sacerdotes, & scribæ, & Pharisæi, qui nunquam non Domino insidiabantur, hoc opus vitio dederunt Christo: cum alioqui sacerdotum causa ageretur: quia lucrum illorum periclitabatur, aut perdebatur ex hac eiectione. Ipsi enim permittebant boues, oues, columbas, deferri ad templum Domini, & ibi vendi peregrinis, qui non poterant peregrè profecti, animalia huiusmodi secum portare.

Miracula pẽduntur aut secundũ factũ, aut secũdum modum faciendis.

¶ At

¶ At verò sic volente Christo, cuius voluntati orbis paret totus, neque proceres Iudæi, neque maiores Iudæorum, neque minores, obiurgant Christum calumniando vt illis moris erat, & falsò obijciendo, Quid turbas Dei templum? quare auertis homines à sacrificando Deo? cum alia longe minora illi post modum obiecerunt. Solum ausi sunt scisciatari in cuius signi demonstratione tantum opus faciebat. At verò duo hæc Dñi miracula sunt eximio mysterio quam refertissima, quæ Dñs exhibuit, prius quam verbo prædicationis se se propalaret.

Duo Dñi miracula prima grandi referta sunt mysterio.

¶ Primum enim, quod relinquens Iudæam concesserit Galilæam, & apud Galilæos solennizauerit nuptias illas mirabili vino lætificans, non vacat à mysterio. Nempe quod deserturus esset Iudæos, & gentilitatem esset spiritualibus nuptijs lætificaturus. Quia Ecclesiam, quam sibi selegit in sponsam maiori ex parte ex gentibus coalescit.

¶ Quod verò modo eiecit animalia, quæ erant sacrificanda, & immolanda Deo, iam præsagiebat, templum illud iamiam abolendum, & sacrificia illa cito obliteranda, vt Dominus prædixit Samaritanæ, Mulier crede mihi, venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis, adorabitis patrem, &c. Ioann. 4.

¶ Porro autem hæc eiectio fuit prior illa quam alij Euangelistæ denarrant Matth. 21. Marc. 11. & Lucæ. 19. Vnde Ioan. non meminit eiectos vendentes, & ementes, neque quod illos vocauerit latrones. Nam quamuis translatio nostra legat. *Eiecit omnes, oues quoque & boues.* Græcè non legitur, quoque, sed oues, simul ac boues, vt sit sensus, Eiecit omnes, scilicet, oues, simul & boues, Vnde quidam volunt Dominum in hac prima eiectione, non eiecisse vendentes, & ementes, sed solum oues, & boues, & mensas numularias. Et de vendentibus columbas Ioann. insinuat, hos non fuisse expulsos: quia illis Iesus dixit, Auferte ista hinc. Porrò Origenes, censet nunc à Domino eiectos solos vendentes: non tamen ementes. Et quia maior multitudo est ementium, quã vendentium, multo plures eiecit secundo quando erat proximus suæ passioni testante Matthæo. Eiecit vendentes & ementes: idem Marcus contestatur. Quã obrem, etiamsi legamus cum vulgata, Eiecit omnes, oues quoq; & boues, stabit sensus integer, si cum Origene intelligamus, Eiecit omnes vendentes, oues quoque & boues. Verba subdam Origenis, Et Ioãnes quidem hic dicit, quo expulit vendẽtes de templo. Matthæus autem ait, quoniam expulit ementes, & vẽdentes. Multò autem maior erat numerus ementium, quam vendentium, quorum. Expulsio transcendebat dignitatem eius, qui putabatur filius carpentarij nisi quod diuina potestate sibi omnes subiecit, vt dictum est.

¶ Augustinus quoque non abhorret ab hoc placito: inquit namque. Et qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellauit. Igitur non solum oues & boues, expulit flagello, quin & ipsos siue vendentes solum, siue vendentes simul ac ementes, etiamsi Ioannes istud clare non aperiat vt cæteri Euangelistæ. Matthæ. namque & Marcus, idem prorsus tradunt, quod eiecit vendentes, & ementes, & cathedras vendentium columbas euerterit, &c. Lucas autem solum commemorat, quod eiecit vendentes, & ementes. Ioannes verò si non expressit vendentes, vel ementes, sed quod eiecit omnes: quod etiam referri potest ad vendentes & ementes, vt Augustin. insinuat, aut ad vendentes solum, vt Origenes aiebat. Verum vendentibus columbas dixit apud Ioann. Auferte ista hinc, apud Matthæ. & Marcum, quod illorum cathedras, siue sedes euertit. Vnde insinuatur sedentes Dominum expulisse vi à templo. Ego autem non dubito hanc primam expulsionem fuisse mitiorem secunda. Diximus porrò hanc expulsionem fuisse antequam Dominus publicè profiteretur suum cœleste magisterium: quippe fuit antequam Ioannes Baptista carceri mandaretur. At verò postrema expulsio fuit post Baptistæ incarcerationem, atque martyrium. Christus autem in re hac se gessit instar peritissimi, & optimi medici, qui curaturus difficilem morbum lenioribus primo vtitur, quod si hæc viderit incrudescente morbo frustra fuisse intenta, ad acriora se accingit medicamẽta. Ita Dñs curaturus auaritiam Iudaicã expulit auaros illos de tẽplo primo mitius cũ illis

Castigatio Iudæorũ prima fuit mitior quam secunda.

Christus instar optimi se gerit medici.

agens, vnde Ioan. non expresit quod illos dixerit esse latrones, neque quod sedes vendentium columbas euerterit, vt ceteri Euangelistæ. Cæterum quia ex hac prima expulsione non fuit Iudæorũ curatus auaritiæ morbus, ideò secundo expellens eos, acrius illos expulit.

¶ At verò dicet aliquis, Cur non expulit solo verbo, vt post modum imperauit vẽtis, & mari, ad cuius imperiũ deposuerũt tumorem suum? Vtiq; noluit, qui poterat solo depellere illos verbo, verbo solo vti, sed potius flagello ex resticulis contexto. Siquidem non subito demonstrare intendebat potentiam suam, sed paulatim. Et equidem admodũ mirabile est, quod fragili flagello quale est ex resticulis, seu ex funibus, qui tum aderant copiosi ex armẽtorum colligamentis, immensam hominum, & armentorum expulerit multitudinem. Siquidem ex vniuerso orbe id tẽporis Iudæi confluebant ad templum Salomonis, vt hæc offerrent sacrificia. Et necesse erat depulsis armentis, quod emẽtes, & vendentes, & custodes armentorum depellerentur: & templum Dei relinqueretur liberum ab omnibus istis mercatoribus. Et equidem si vi armorum fuissent abigendi, multa armatorum millia non sat fuissent illis abigendis, & non sine cruore abigerentur. At verò Dominus solus flagello vnico, & fragili vtens, omnes sine cruore abegit, vt iam inde flagellantis potentiam aduertere potuissent. At si dixeris, Cur Dominus abigit à templo oues & boues, siquidem Deuter. 14. Dominus iubet, vt qui ex longinquo venissent in templũ Deo sacrificaturi, quæ domi habebant, in sacrificia reposita vendant, & ex pecunia illa Hierosolymam venientes, emant oues, vel boues, &c. vt ibi sacrificent? Videtur igitur sacerdotes non violasse templi maiestatem, iubentes in templo parata esse armenta, & columbas, in fauorem peregrinorum ne illis vagandum fuisset per totam vrbem, quæ latissima erat ad querendum animalia offerenda. At verò scito ob triplicem causam Dominum hos castigasse, depellendo armẽta à templo. Primo quidem, quia confluxus vendentium, & ementium, & mercationis strepitus impedimento erat maximo ijs, qui venerant oraturi in templo, & alijs, qui forte tunc orabant. Deus autem plurisfaciebat tunc labiorum vitulos, hoc est, preces Deo porrectas, quam vniuersas boues, & oues oblatas. Et hæc ratio insinuatur à Domino illos increpans, quod domum orationis vertebãt in mercatum.

¶ Secũda verò causa est, quod vendebant vendentes iniusto precio. Emimuerò peregrinis ignaris consuetudinis indigenarum facile imponitur in pretio rerum venalium.

Tres causæ cur eiecerit vendentes & emẽtes de tẽplo Christus.

¶ Tertia propter vsuras, quas ibi contra legis prohibitionem exercebant. Siquidẽ pauperibus non habentibus pecunias, vnde emerent boues, & oues, & alia id temporis offerenda, mutuo dabant pecunias recipientes ex vi mutui aliquid vltra sortem. Et has duas insinuat apud Ioannem Dominus causas, effundens numularium æs, & mensas subuertẽs, ceu æs iniustè paratum. Et apud alios Euangelistas increpans hos vendentes, inquit, Domus mea domus orationis vocabitur: & vos fecistis illam speluncam latronum. Vocat illos latrones, quia sua iniusto vendebant pretio, id quod palliatum est furtum: siquidẽ aufertur pecunia aliena titulo vẽditionis, emente inuito. Itemq; vsuræ sunt ad eandem rationẽ furtum. Dñs autẽ Deut. 14. non iussit, mercatũ celebrari in tẽplo suo, sed quod emerent Hierosolymis, non tamen in templo: sed hunc mercatũ fieri in templo excogitauit auaritia sacerdotum, vt haberent prõptè eos, quibus venderent animalia ipsis oblata. In fauorem autem peregrinorum alius locus non sacer deputari potuisset, vnde ipsi emerent offerẽda.

Vendere sua iniusto precio palliatũ est furtum.

ENARRATIO IIII.
in caput secundum.

¶ *Ascendit Iesus Hierosolymã, & inuenit in templo vendentes oues, & boues.*



Vrauit sedulo Dominus legẽ Dei exequentissimè absoluere, Matth. 5. Est autem scriptum in lege Dei, Deuter. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit. In solennitate azymorum, & in solennitate hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum. Dominus autem impleturus hanc

Christus obseruator legis strenuus.

hanc legem, quia prope erat pascha, quæ erat solennitas azymorum, ascendit Hierosolymam. Et antequam pascha celebraret, templi diuini violatores flagellat, & à templo Dei violationem excludit. Per templum intellige externum atrium vbi populus orabat non penetralia templi, aut atrium sacerdotum. Quod si templum illud tanti facit Christus, vbi vmbratilia exercebantur sacrificia, quæ iam sunt antiquata, quanti putas facit templum suum in quo corpus, & sanguis eius quotidiano offeruntur sacrificio? Quod si vendentes, & ementes eiecit, & boues, & oues, quid tu putas si inuenisset scortatores, homicidas, simoniacos, adulteros, & hoc genus, alios peccatores? Et miratu dignum est Iudæos, qui ex altera parte templum domini maximi faciebant, ex altera parte pessimis operibus illud violabant. Vnde Hieremias. 7. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum domini, templū domini, templum domini est, dissuadens verbis istis Iudæorum vanam opinionem ex qua credebant, sufficere sibi tanto gaudere templo, vt Deus illis esset propitius: siquidem malis violabant operibus, quod verbo honorabant.

Christus maxime coluit templum Dei.

Templa Christi valde esse honoranda.

¶ Hinc iam discamus quanto honore sint templa prosequenda christiana, si tanto prosecutus est dominus Hebræorum templum, quod nostri templi erat typus.

¶ Considerabis præter hæc Galileam esse humiliorem, quam Iudæam. Siquidem euangelista ait, ascendisse dominū ex Galilæa in Hierusalem, quæ comprehenditur sub Iudæa. Et idem alibi cōmemoratur: Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, &c. *Et numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Græcè numularij appellantur à Ioanne κερματισταί. Est autem κέρμα minutula moneta. Et hos vocat Theophilactus columbistas. Est enim Græce κολυβιστής. numularius: nam κολυμβώρ numismatis est genus. Et secundum proprietatē Latinę linguæ rectè numularij dicuntur ij, qui viles pecunias cōmutant pro nobilioribus, quod vocant vulgares campsores. Etenim numus Latinis est idē quod sestertius. Est autem sestertius, quod Hispanis est, *Vn quartico de plata*, quia est quarta pars regalis nostri. Erant ergo quidam tum qui ad mensas sedentes plenas huiusmodi pecunijs vilioribus corradebāt vtilitatem ex commutatione iniusta pro maioribus. Et forte has minutulas pecunias, etiam vsurarias flaciebant pascisentes, vt pro mutuo datis numis essent soluendæ aliæ pecuniæ aureæ aut argenteæ. Hieronymus verò ad Matth. aliter expressit vocem, colibistæ. Ait enim esse coliba, quæ Græca voce vocantur τραγηματα, & Latina bellaria. Etsi Hiero. tradat τραγηματα. esse Latinam vocem forsan, quia in vsu Latinorū est. Quāuis latina vox est bellaria, Hispanè, *frutas de sobre mesa*. Vnde verba Hieronymi sunt, Colliba apud illos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula, verbi gratia, frixi ciceris vuarumque passarum, & poma diuersi generis. Et putat hoc vsu fuisse Iudæis illis, quia prohibitas habentes vsuras, hæc munuscula pro beneficio dati mutui accipiebāt à suis contribulibus, credentes, hæc munuscula non esse prohibita ex lege. Et quidē fallebantur, quippe munuscula hæc pecuniam valebant, & pecunia est, quod pecuniam valet. Et apud nostrates eadē fallentia est. Vendentes enim triticum hoc, & præterito anno, quibus raritas accidit frumenti vendunt frumenta sua commutantes pro oleo, vel vino, & mensuram frumenti quam *fanega* Hispani appellant, quæ valet ex præscripto pretio aureum numum, commutant pro cantharo olei, quod ad minimum hoc anno in regione nostra superat duos numos aureos, de qua re alibi.

Hierusalem cōprehēditur sub Iudæa, quia ibi est sita.

¶ Sed vt ad me redeam, probabilior mihi est Theophilacti sententia, quæ hos colibistas, putat fuisse cōmutatores pecuniarum vilium. Etenim isti dicuntur à Ioan. cermatistæ, qui dubio procul numos viles commutabant pro nobilioribus pecunijs: vt faciunt nostri cāpsores. Et rursum mensæ, ad quas sedebant, erant quidē adnumerandos hos numos. Namque ad bellaria reponenda non vterentur mensis, sed thecis. Hos igitur numos effudit dominus & mensas subuertit: vt ex effusione & subuersione insinuaret, iniquam fuisse horum numulariorum negotiationem, & iniusta lucra: ideo digna, quæ perderentur à domino. Hinc considerent pessimi mercatores, qui fraudibus parant sibi lucra, illa à domino tandem esse perdenda. *Et his qui vendebāt columbas dixit, Auferte ista hinc: & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum*

Psalm. 68. *ptum est, Zelus domus tuæ comedit me.* Quia exigua res est columba, & exigui pretij, ideo venditores columbarum, non tam iusti erant, neque tantum nocebant alijs, quantum venditores animaliũ quadrupedum, ideo forsan benignius istis loquitur dicens, Auferte ista hinc, quanquam in hos seuerius incanduit, quando secundo illos depulit à templo. Quippe dignum erat in eos acrius animaduertere, quia ex priore correptione non se correxerant. Vocat templum domum patris sui, non nostri vt suam diuinitatem patefaceret, tametsi auditores sensum verborum nõ sunt assecuti, sed ad eum sensum acceperũt forte eoquod Dauid, inquit, Deus Deus meus: obseruabis autem nihil sanctius sancto zelo, & nihil iniquius culpabili zelo. Finitur autẽ zelus. Est amor intensus non ferens consortium in re amata. Et hic triplex est, cõiugis, inuidiæ, & amicitiæ Dei & proximi. Et qui coniugis est, si à recta ratione procedat nõ est culpandus. Qui vero est inuidiæ zelus, iniquus est, & contentionum origo. Zelus vltimus est bonus zelus: & qui ex Dei amicitia proficiscitur est sanctissimus. Qualem habuit Moses. Exodi. 32. trucidans idololatras, & Phinees occidẽs, fornicarios. Num. 25. Et Helias Baal sacerdotes iugulans. 3. Reg. 18. & dominus modo abigẽs latrones à templo Dei. Quia tamen Andreas ex Ioãnis Baptistæ magisterio, iam didicerat diuina, & Nathanael erat peritus in lege, ideo doctè meminerũt verbi regij vatis. Quamuis Euangelista nõ expressit, si omnes discipuli, an discipulorum quidam, recordati sunt verbi illius, Zelus domus tuæ comedit me. Tunc autẽ zelus domus domini nos comedit, quãdo accendimur ad repellendas diuinas iniurias, non nostri lucri, aut honoris gratia, sed solum Dei amore succensi. Ideo rectè discipuli de Christo locum intellexerunt, quia ipse, vt filius naturalis Dei patris, in natura assumpta incedebatur summo zelo obseruandi diuini honoris. Qui tamen zelus hac ætate rarus est: nam quotusquisque est qui ex solo Dei amore, accendatur ad diuina curanda? Sed omnes quærunt quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi: zelare tamen diuina ex affectu omnium est, at castigando scelera procerum est. *Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis. Respondit Iesus, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

Zelus sanctus & zelus culpabilis.

Zelus triplex ex coniugio ex inuidia ex amicitia Dei vel proximi.

ad Philip. 2.

Zelare diuina ex affectu omnib' datur at castigando scelera est magistratuum.

¶ Consuetudo gentis Iudaicæ erat, signa exquirere: vt Paulus testatur Iudæi signa quærunt. 1. Corin. 1. Et Euangelica lectio satis admonet Mar. 8. Vt ergo sibi nunquam essent dissimiles, signum à domino petũt, cum alioqui sat illis in signum erat, tãta autoritate depulisse homines auaros, cum suis omnibus ex templo, vt indignos tali mãsione. Quia ergo dominus dixerat, Nolite facere domum patris mei domũ negotiationis, respondent Iudæi, Quod signum ostendis nobis. At magis responderunt, ad Christi factum, quam ad Christi verbum. Quibus dominus respondit, Soluite dicens templum hoc. Hebraismus est soluite, pro, soluetis. Imperatiuum enim modum vsurpant sæpè Hebræi proindicatiuo. Enim vero dominus nusquam imperauit, vt soluerent templum sui corporis, ideo verba hæc sunt prophetica. Vos, inquit, soluetis meum corpus, quia morte crucis me afficietis.

Christi humanitas est templum Dei.

¶ Vocat suam humanitatem tẽplum, quippe quæ erat diuinitatis sacerrimum habitaculum. In ipso enim habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, idest, verè & realiter. Et quia in templo omnes dicunt Deo gloriam, itidem in Christi humanitate dicenda est Deo gloria: quia qui Christum non credit gloriam Deo gratã canere non potest. Et demum omnia sacrificia nostra, si extra Christũ celebrentur, inutilia sunt ad vitam æternam consequendam. Hoc tẽplum nituntur hæretici contaminare, at verò nequeunt: & hæreticam audaciam flagello sempiterni cruciatus Deus puniet. Quod si corpora sanctorum fidelium, templa sunt Spiritus sancti. 1. Corinthio. 6. An nescitis quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? nihil mirabile erit, Christi humanitatẽ dicere templũ esse diuinitatis. Nõ tamen tu hæc sinistre intelligens, torqueas ad sensum hæreticorum, credentium Christi humanitatem copulatam verbo Dei, vt habitans domum cum domo coniungitur ipsa. Hoc dogma namque ecclesia catholica despuit, vt in enarrationibus ad cap. 1. tradebamus. Est quidem templũ Christi humanitas diuini verbi propter rationes cõmemoratas: at vero non solum est templũ, vt fidelium corpora, sed est Dei verbo ad vnitatem personalem coniuncta.

¶ Apolli-

¶Apollinarius autẽ hæreticus ex hoc verbo domini suæ hæreseos astruendæ, inuenit iniustum patrocinium. Si tẽplum est Dei Christi caro igitur cum templum sit inane, Christi caro inanimata est, & verbum est illi animæ vice. Sed quid si inanimata erat, igitur mortua Christi caro erat tunc: quomodo ergo dominus ait, Soluite templum hoc? Vtique soluendum erat per mortem, sed si caro non viuebat Christi, nihil erat in Christo, quod soluere potuissent Iudæi.

Apollinarius hæreticus refutatur.

¶Et quod subdit *Tribus diebus excitabo illud.* ænigmaticè, & subobscurè resurrectionis suæ gloriam demonstrat. Quasi dixisset, Soluetis hanc carnem, me plectentes morte: at vero ego depellã à me mortem, quã mihi infligetis. Et quemadmodum potero mortem à me depellere, qui sum templum Dei, ita possum vos a templo Dei depellere, qui estis tanquã, quædam mors destruens maiestatem huius templi.

¶Obseruabis dominum præclara & innumera, edidisse miracula, at nullius meminit modo, sed solius resurrectionis ex mortuis. Etenim hoc miraculum, non solum fecit circa alios mortuos, sed circa seipsum suscitans se à mortuis, id quod nullus exhibuit miraculum. Namque prophetæ mortui sunt, & qui alios excitarant à morte, propriam à seipsis abigere mortem, nõ potuerunt. Et ideo per resurrectionem maxime claruit Christi diuinitas. Et dispice vt dominus suã diuinitatem insinuat dicens, Et ego excitabo illud. Erat enim hoc diuinę potestatis latentis in Christo mortuo, signum excitare se ipsum, à morte: ideo dixit, Et excitabo illud. Hæc autem non commemorantur verba ab alijs euangelistis, quæ tamen obstinati Iudæi altamente reposuerunt, vt ex illis accusarent dominum. *Dixerunt ergo Iudæi quadraginta & sex annis est ædificatum templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? ille autem dicebat de templo corporis sui.*

Resurrectio domini maxime omniũ declarat Christi diuinitatem.

¶Iudæi metaphoricam domini locutionẽ non assecuti, obiecerunt domino, templũ illud esse morosissime ædificatũ, insinuantes fieri non posse tribus diebus reædificari, si solueretur. Et sermo hic audiendus est de templo secundo, quod Zorobabel reædificauit, non de templo primo à Salomone constructo, quod septẽnem habuit ædificationem.

¶At templum secundum. 46. annis fuit constructum. Quippe non perpetuam habuit ædificationem, à gentibus enim vicinis, sæpè fuit interpollata testante Esdra. At verò mora tota ædificationis ab exordio ædificationis imperatæ à Cyro, vsque ad finem sub Dario Longimano fuit spacium cõmemoratum. Cyrus enim regnauit viginti annis, & paulo amplius. Posthunc Assuerus etiam viginti annis, & posthunc Darius Longimanus, cuius anno sexto templum fuit consummatum.

46. annis fuit ædificatũ templũ secundũ.

¶Dominus porro, huic obiectioni non respondit dicendo se non locutum de templo illo materiali, sed de tẽplo quod erat corpus suum: siquidem hæc responsio amplius illos exasperaret, quã ædificaret. Siquidẽ resurrectionis mysteriũ est satis sublime, & quod infidelib⁹ patet risui, quid quod si dixisset. Vos me interficietis, & ego me excitabo à mortuis? Quia igitur nõdum opportunitas tẽporis aderat, vt mortis suæ, & resurrectionis sacramentum reseraret, ideo sub vmbra metaphoræ, hæc exposuit, vt post resurrectionem suam discipuli recolentes hęc dixisse dominum, in resurrectione dominica firmarentur. Ideo Ioãnes ait. *Recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.*

¶Notandum est autem. D. Augustinum libro. 83. quæ. 56. & tracta. 10. in Ioannẽ superiora verba retulisse ad Christi conceptionem, vt quemadmodum templum illud materiale. 46. annis absoluit suam ædificationem, ita corpus Christi. 46. diebus fuit formatũ & organizatum in virgineo vtero. Et Rupertus idem asserit libro. 3. Verum si Augustinũ intelligas iuxta corticẽ verborum, errabis haud dubiũ. Siquidem si caro domini prius formata fuit & dein animata, atque assumpta cum illa caro etiam ante animationem sit suppositũ, quia fætus erat, & si non vt nostri fætus: fætus nãque apud nos, ex Aristo. est commixtio vtriusque seminis, virilis, & masculini: at Christi caro non ex semine, ille fætus tamen verum erat suppositum, quia substantia prima, & totalis: igitur si prius formatus quam assumptus post assumptionem, corrumperetur suppositalitas illius fætus, quia incompatibilis erat cum diuina personalitate: aut admittis in Christo duo fuisse suppositа: id quod vt alienum à

Augustinus exponitur.

fide

fide fides respuit. Quo circa necessum est dicere, carnē domini in instanti fuisse formatam, atque cōceptam, & diuino verbo copulatam. Et hoc subindicat Ioan. dicēs & verbū caro factum est. Non enim prius caro facta, & animata, & postmodum verbo Dei copulata, sed statim vt concepta, verbum Dei fuit conceptū, quia caro concepta Christi. Et hoc fatetur Augusti. libro de fide ad Petrū cap. 17. Etiam si Erasmus in censura hunc librum orbet autoritate Augustini.

Caro Christi fuit in instāti concepta, & diuino verbo copulata.

¶Magister autem Senten. distin. 3. tertij Senten. exposuit Augustinum esse intelligendū. 46. diebus formatum corpus domini, ad perfectiorem quantitatem, quæ potuisset oculis videri. Cęterum quod Augustinus testatur Physicorum esse dogma 46. diebus formari fœtum, vt animetur nō probatur physicis omnibus, sed quod masculinus. 40. fœtus animatur: & ideo. 40. diebus perfectè organizatur. Distinguntautem Physici, quatuor fœtus principalia tempora. In primo est tantū sperma, quando primis sex diebus fit, quædam substantia similis lacti coagulato. Secundo vero tempore, hoc est, tribus diebus sequētibus perit illa lactea forma, & vertitur in formam similem sanguini. Et sex diebus sequentibus sanguis ille coagulatur, indurescitque valdè, & fit exiguæ quantitatis instar pillæ rotundæ: idque temporis fœtus appellatur.

Sperma, fœtus embryo conceptus.

6
3
6
12
3
6
4

¶Postmodum, tertio tempore duodecim diebus sequentibus formantur principalia membra cor, cerebrum, epar, & testiculi. Et dein tribus sequentibus diebus, cætera generantur membra, & discreta extant in tota massa. Et toto hoc tempore vocatur embrio. Quarto denique tempore subsequenti sex diebus cætera formantur membra, & caput secernitur ab spatulis formaturque facies, &c. Et quatuor denique diebus, membra præfata crescunt, & suam obtinent perfectionem: & tunc vocatur conceptus, huiusmodi fœtus. Quocirca quadraginta diebus solum formatio cōpletur fœtus, & est sermo de cōcepto masculo. Christus vero, simul fuit fœtus, & embrio, & cōceptus, vt diximus. At vero eius caro nunquā fuit sperma, quia fuit cōceptus sine semine. Verū hactenus hæc. *Cum autē esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderūt in nomine eius videntes signa eius, quæ faciebat. Ipse autem Iesus, non credebat semetipsum eis.* Cum esset Iesus Hierosolymis, & festus paschæ dies esset, hoc est, sabbatum: quia sabbatum intercurrens sub diebus azymorum, erat valde festiuus dies, duplici nomine, & quia festiuus ex se, & quia azymalis erat. Vnde Ioan. 19. Erat magnus dies sabbati. Propterea videtur cum Ioan. meminerit Paschæ, & diei festiui sub paschate, quod intellectum voluit festum diem sabbatū illud esse interueniēs. Alij referūt ad primum vel vltimum azymorum diē, qui valde erant festiui. Exodi. 12. Die igitur festo, dominus multa edidit miracula: & si Ioan. nō expresit si in templo hæc facta fuerint, an extra templum, neque docuit quæ erant. At miracula videntiū multi crediderunt in Iesum. Hoc multi sunt confessi Iesum esse Messiam, quē ipsi expectabant ex longo seculorum tramite. Enim vero, fides latens in corde, nisi exprimatur ore, non videtur, ideò dicens Ioan. Multi crediderunt in eum, non solum fidē internam, sed confessionē illorum exteriorem nobis aperire voluit. *Videntes signa crediderunt.* Auidi erant signorum videndorum Iudæi: & ideò illorum erat moris signa petere. Vnde Ioā. 4. Nisi signa, & prodigia videritis nō creditis. Et istud ex auito more trahebant. At quæ est hominum peruersitas: nonnunquam enim domino iubente illis petitionem signorum, illa refugiebant: vt in Esai. 7. legimus, Deum dixisse Achaz, Pete tibi signum à domino Deo tuo, &c. Et dixit Achaz, Non petā. Verum aliàs Deo nō iubente hæc peti, petebant Iudæi, vt supra, *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis.* Et Lucæ. 11. Quærebant ab eo signum.

Primus azymorū dies & septimus valde festiui, sed sabbatū excedebat festiuitate.

¶Christus vsus est signis mirabilibus facultatem naturæ supergredientibus, quia illa exhibebat in testimoniū doctrinę suę. Quæ quia erat item supergrediēs vires naturæ, & humani rationem intellectus poscebat testes supernaturales, qualia erāt miracula, quæ ipse faciebat. *Multi crediderunt in nomine eius.* Non omnes, quia non omnium est fides. Miracula enim persuadent fidem, at non cogunt ad fidem: quippe fides etiam ex miraculis concepta voluntaria est, & non violenta, vnde etiam meritoria. *In nomine eius*, seu in nomen eius. Promiscuus autē est vsus huius præpositionis, aut illam iungere accusatiuo, aut ablatiuo apud

Doctrina supernaturalis, quia ratione superat signis supernaturalibus probatur.

apud Ioānē, vt supra ostēdebamus. *Crediderunt in nomine eius.* Quia Iesus appellabatur Christus seu Messias. Quia ergo multi cō fitebātur esse illum verum Messiam, ideo ait, Crediderunt in nomine eius. Obseruā dum autem credibile esse confitentes hos, videntes Christi gloriam, appetisse Christi familiaritatem, & discipulatum, vel eo maxime quod persuasum habebant Messiam venturū regnaturum in maxima mū di gloria: vt filij Zebedæi. Matth. 22. facile indicāt. Quamobrem huius gloriæ participium isti ambientes, Christi familiaritatem expetebāt. Christus verò sciens hos ex ambitione suam familiaritatem, & discipulatum exquirere, non admisit eos in suam familiam, & sodalitatem. Et hoc est quod ait, Ipse autem Iesus, non credebat semetipsum eis, hoc est, non admittebat eos ad suum sodalitiū, & sequelam, vt præ dicebam. Et rem hāc patefacit apertius dicens euāgelista. *Eo quod nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Hoc est quamuis confitebantur Christum esse Messiam, & eundem laudabant, & cupiebāt summopere Christi familiaritatē, illos tamen non admisit Iesus: quippe nō latebat eum huiusmodi confitentes, & laudantes, ex ambitione non ex suo amore sequelam eiusdem procurare. Alij aliter exponunt lege apud illos.

Quisequūtur Christum ex ambitione Christus non amat.

MORALIA.

¶ *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit.*

Deus multi facit locū habitationis suę

VANTI Deus faciat locum habitationis suæ, non solum hoc quod Euāgelista denarrat factum, nobis aperte indicat, quin etiam alia multa sunt, quæ hoc ipsum facile admoneant. Et enim in exordio seculorum, Deus creās empyreum cælum, agminibus repleuit cę lestium spirituum. At vero horum multi sibi ex sua creatione gratulātes, & nō creatori gratias agētes, Deum non vt par erat, sed seipsos plusquam satis erat dilexerūt. Qua propter Deus iniquos spiritus non ferens à cæsti loco, vbi eos crearat, deturbauit ad tartara. Indignum erat enim vt sacerrimus diuinæ habitationis locus, ab iniquis spiritibus versaretur: ideo vt sacrilegos violatores tanti templi Deus cōtinuo expulit à templo suo, quod erat empyreū cælum. Quod sane congruentissimè templum esse dices diuinitatis, imò omnium templorum dignissimum. Templa namque nostra sunt templa viatorum, illud vero est beatorum templū: nostra sunt templa fidei, & laboris, illud claræ visionis, & pacis summæ. Ad hæc legimus Deut. 23. arcendos esse ab ingressu ecclesiæ Eunuchos, & ex scorto natos: Amonitas, & Moabitas, aliasque nationes, vt imputas arcendas à templo Dei iubebat dominus. Et horum quidem primi, citra culpā suam erant Eunuchi, siue atritis, siue auulsis testiculis, aut abscisso veretro: rarissimi enim sunt, qui seipsos castrant. Itaque filij scorti, seu prostibuli, etiam si culpanda parens ex coitu, at filius ex coitu non erat culpandus, quippe sui arbitrij non fuit, quod sic nascerētur. Amonitarum, item & Moabitarum progenitorum erat culpa, non posterorū, quod Iudæis peregrinis non subuenirent. Porrò autem his non obstantibus olim arcebantur diuino iussu à templi ingressu, vt expositorum quorundam fert sententia. Atqui ratio vel potissima prohibitionis huius hæc erat, vt vel hinc commendaret Deus sui templi maiestatem, & sanctitatē quod non solum facinora nō sinebat in eo fieri, verum etiam, quæ ex facinore proueniebant, ab illo arcebat. Neque tantū hoc, sed etiam infæcūdos homines ex eunuchisatione, quia hoc, ingens naturæ vicium erat, arcendos etiam præcipiebat.

Cęlum empyreum sacerrimum Dei tēplum.

Qui olim à tē pli ingressu arcebantur.

¶ Iam vero quod in Ioāne legimus multò euidentius quanto honore sint habenda Dei templa nobis ostendit. Quandoquidem ipse Deus homo factus, mercimonia tractātes in sua domo, zelo domus suæ succensus expellit. Et vt indignationem suā circa illos clarius patefaceret, quasi flagellum componit, vt flagellet, non solū auaros, & noxios ex auaritia in templo patrata homines, verum & horū oues, & boues. Quamuis enim armenta innoxia erant, verum quia ad noxios pertinebant, ideo in pœnam noxiorum, etiam innoxia pœnas dederunt.

¶ Vtique in plateis Hierosolymorū etiam auari suam exercebant auaritiam. Verum Christus nō propellit auaros à plateis, vel à domibus suis, sed à templo suo. Templa enim

enim dicata sunt Deo, vt inibi homines precibus & sacrificijs veniam suorum pec peccatorum à Deo obtineant. Qui ergo templo abutitur non ad preces, & peccatorum impetrandam remissionem, sed ad paranda sibi lucra, ille quidem templi profanator est, atque sacrilegus: quo circa à domino depellendus extra tẽplum. Nãque si Amonitæ, & Moabitæ, ob auorum culpam, arcebantur à templo, hoc est, ab atrio exteriori vbi conueniebat tunc oratu rus populus, an non multo æquius, vt ex propria culpa sunt depellendi? Vnde ius statuit canonicum, templa ex seminis decisione, aut sanguinis effusione, aut ex, ex cõmunicatorum humatione polluta esse: & postquam polluta fuerint, abstinendũ esse in eis à sacris, donec diligentissimè expurgata fuerint. de consecra. distin. 1. Can. Ecclesijs, versi. Nisi. Præterea statuit nullibi sacra esse celebranda, nisi in ecclesia consecrata. extra de consecra. eccle. cap. finali. Nisi ex priuilegio aut causa necessitatis aliud concedatur. de consecra. dist. 1. cap. sicut non alij. Et cap. ea quæ. de consecra. distin. 1. & cap. fin. extra. de consecra. Eodem accedat de consecra. distin. 1. cap. solẽnitates. el. 2. mandari, vt quotãnis cõsecrationes ecclesiarum celebrentur, quia dominus illam celebrauit Ioan. 10. Facta sunt encœnia Hierosolymis, & erat Iesus in porticu Salomonis.

Ecclesiæ iura in fauorẽ templorum.

Quotãnis dedicationes ecclesiarũ sunt celebrandæ.

¶ Cur obsecro hęc omnia tam longo iuriũ tractatu sunt sancita? Vtique, vt inde discamus, templa Dei non esse domos communes, sed esse domus ab omni vsu profano separatas, quia solum ad laudem Dei & sanctorum, sunt instituta: id quod aduertentes, abstineamus ne in templo Dei profana tractemus. Quo circa Paulus. 1. Cor. 11. Corinthios acerbè carpit, quod in templo Dei manducarent. Nunquid, inquit, Domos non habetis ad manducãdum, aut ecclesiam Dei contemnitis? At verò manducare, opus est innoxium: verum neque hoc opus in ecclesia faciendũ Paulus vult: quia videtur ex opere cõmuni sacra contẽni, & profanari. Quidquod carperet, si alia noxia aduertisset à Corinthijs, ibidẽ perpetrari? Vnde cap. cũ ecclesia. de immunitate ecclesiarum, docetur, ecclesiam secundum euangeliũ domum esse orationis, ideo alienam esse à profanis vsibus. Adeòque alienam esse ab istis voluit, vt eodem titulo. §. seculares. processus factos, & sententias latas in ecclesijs constituat esse nullas, quando seculares iudices illa tractant in ecclesia vel cæmeterijs, & sub anathematis prohibetur interminatione & rationem subdit. Absurdum est enim, ibi iudicium sanguinis exerceri, vbi est tutela constituta refugij. Et in eodẽ titulo in. 6. cap. 2 §. cessent, consilia publica nundinæ & negotia secularia ne in ecclesia tractentur vetat. Et conuiuia, item ibi fieri prohibet: nisi ex necessitate, quia hospitia desunt reficiendis fidelibus. cap. non oportet. 42. distin. Neque solũ ecclesias consecratas hac veneratione esse colendas, ius canonicum constituit, quin etiam, & ecclesias non consecratas, & oratoria. Et rationem subiecit, Ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio. Et quamuis ecclesia consecrata non fuerit, satis est, si in ea diuina mysteria celebrentur: quia cum obsequijs diuinis sit dedicata, nullius temerarijs ausibus est profananda cap. penult. extra eodem titulo. Vnde qui inuitum abstrahit à sacris locis, excommunicatur, & quasi sacrilegus punitur. 17. q. 4. Can. diffiniuit. Vbi etiam statuitur eadem immunitate esse donanda non solum penetralia, ecclesiæ, imò & atria exteriora ad triginta vsque passus. Quamobrem, qui temerario ausu, & impudenti audacia, hæc iura contemnunt, & templa domini profanare non formidant, non sunt censendi fideles, sed infideles reputandi: quales illi erant, quos hymnidicus ille, Psal. 78. flebili cantu decantat, dicens, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Fidelium enim diuersus mos, diuersaque vox est, nempe illa, Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psal. 137. At vero infidelium est, polluere & profanare locum diuinæ habitationis, quippe illos latet, domum Dei decere sanctitudinem. Et quis obsecro fidelium, non se continebit à profanãdo dei templo, si obseruat filium Dei humana carne indutum, adeò templũ Dei honorasse, vt contexto flagello ex resticulis diuinam iniuriam vlciscceretur, & abigeret à tẽplo mercatus, & mercimoniorum strepitus? An non si hæc considerant fideles abstinebunt à violando Dei tẽplo? Si is qui mulierem deprehensam in adulterio apud se delatam absoluit, si is qui ait, Ioan.

Ecclesiæ cõsecratæ & non cõsecratæ immunitatis gaudent priuilegio.

Profanare tẽpla peccatum est infideliũ.

Forensia non sunt tractãda in ecclesia.

Ioan.3. se non venisse, vt iudicet mũdum, sed, vt saluetur mundus per ipsum, si is qui se miteṁ, & humilem profitetur, Mat.11. & proniorem ad misericordiam, quam ad sumendam vindictam, adeò accenditur, adeò prouocatur ex violato Dei templo, vt non contentus verbis, facinus increpare, etiam flagello corripiat, an non summi sceleris profanare templa Dei asseuerabimus esse? ¶Neque semel hoc fecit, sed iterato flagitio, flagellum repetit. Consideremus igitur attente, quantum sit scelus Dei templa violare, quod dominus non aliena, sed propria, non semel, sed bis corripit manu. Est namque dominus speciali quandam assistentia in templis suis, vt Dauid cecinit, Dominus in tẽplo sancto suo. Psal.10. & Deute.12. Erit nomen meum ibi. Vnde Salomon. 3. Regũ. 8. dedicans Deo templum quod dudum cõstruxerat, hæc eadem Deu. verba in orationem suam recepit. Precatur enim Deũ, vt oculi eius sint aperti super templum suum nocte ac die. Preces enim, quæ Deo offeruntur in templis, Deo sunt gratiores, & ideo efficaciores ad impetrandũ, quam quæ fiunt extra templum. Siquidem templa sunt domus orationis, & Deus specialius ibi assistit ad exaudiendum preces sibi porrectas, Quare. psalm.67. In ecclesijs benedicite Deo. Non quod vbilibet non sit precandus, & benedicendus Deus, & vbilibet gratæ Deo sunt Deo laudes suæ: cæterũ specialiorẽ habent prærogatiuã, si in propria orationis domo exerceãtur. Propterea que Salomon dominum precatur, vt oculi eius sint aperti, & aures eius pateant, ad preces & laudes, & ad sacrificia, quæ in templo Deo erant tunc offerenda. Quod si tanta prærogatiua honoris, tẽplum illud Salomonicum fulgebat, quia ibi arca testamenti veteris condita erat, quia ibi altare thymiamatum, & panum erat, quia ibi candelabrum septem infusorijs distinctum micabat, quia ibi altare holocaustorum, boues, & oues cremabat, quid tu putas de ecclesia Iesu Christi, vbi ipse Christus, qui non typica illa, sed vera est arca testamenti non veteris, sed noui, asseruatur sub speciebus panis & vini, vbi non altare thymiamatũ, sed sanctarum thura precum Deo redolent, vbi non altare panis illius marerialis, sed panis, qui de cælo descendit perpetuo adest, vbi nõ candelabrũ illud aureum, sed euangeliorum micans per orbem doctrina coruscat, vbi demum non holocausta boum, aut ouiũ, sed animorum Deo iugiter offeruntur? Si igitur vmbram illã veteris templi tanti Christus fecit, an nõ pluris faciet sui templi veritatẽ? ¶Neque tamen oscitanter prętereundum censeo, quod euãgelista cõmemorat, cũ fecisset quasi flagellũ. Quid est quasi flagellũ? Vtiq; Deus omnipotẽs duplici circa homines corripiẽdos flagello vtitur: alio quidem in præsenti, alio vero in futurũ. Præsens flagellum temporale est, & transitorium, at futurum æternũ est. Vnde flagellum, si flagello conferas, illud vmbra est, hoc veritas: illud est quasi flagellum, quia momentanea sunt, quæ homines nunc patiuntur pro delictis suis. Hoc vero est perfecte flagellum, quia perpetuo torquebit iniquos.

¶Fecit ergo dominus quasi flagellum ex resticulis. Et enim quandiu præsentis vitæ cursus deuoluitur funiculariũ domini est flagellum, siquidem temporale est, solubile est quod homo modo patitur, quia tandem finietur. Cæterum flagellum venturum non funicularium est, sed ex scorpionibus est.

¶Virga enim, qua modo castigamur à Deo lignea est, quia mollis est, & fragilis est, quia tandẽ cessabit. At verò virga, qua scelesti puniẽtur post hac adeo ferrea est, vt Dauid decantet in psal. 2. Et reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

¶Porrò autem Christus ascendens in altũ hoc, de quo prælocuti sumus quasi flagellum, commisit apostolis suis exercẽdum. Namque flagellum æternũ ipse solus est, qui illo flagellat. Ipse namque solus dicet, impijs. Ite in ignem æternum. Matth.25. Siquidem quamuis legamus apostolos iudicaturos. 12. tribus Israel: istud quidem non est inferendo æternum damnationis iudicium: sed approbationis est cõsensus, aut comparationis damnatio, vt in. 4. Senten. dist. postrema, nos late differuimus. Flagellum igitur, quod cõmisit apostolis, & successoribus, ecclesiæ prælatis, est temporale flagellum: illis namque à Christo concessa est potestas puniendi & corpora, & animos ad correctionem quidem fidelium, non ad corrigentium, vel inuidiam vel elationem. Quo circa Petrus hoc flagel-

Maximũ scelus profanare templa Dei.

Laudes Dei & preces illi porrectæ in templo sunt efficaciores, quam extra.

Oculi domini aperti ad sacrificiaq; in ecclesia offeruntur, & aures eius patẽt ad preces, & laudes, quæ ibi Deo sacrãtur.

Duplex Dei flagellum.

3. Regũ. 12.

Flagellũ temporale conceditur prælatis æternũ vero Christus sibi reseruat.

gel-

Ecclesia habet flagellum tẽporale quo ad corpus, & quo ad animã

gello vtens, interfecit Annaniã & vxorẽ eius. Acto. 5. Et Paulus spiritualem pœnam in Corinthiũ illum exercuit. 1. Cor. 5 quem tradidit Sathanæ: vt spiritus saluus fieret. Et. 1. Co. 4. Quid vultis in virga veniam advos? Habebat vtique flagellatoriã virgam, qui ex virga minabatur. Et quidẽ punire & spirituali, & corporali fideliũ delicta pœna, ad illũ pastũ ouiũ spectat, quẽ Petro dominus commendauit dicens, Pasce oues meas. Hoc itidẽ flagellum se commisisse apostolis dominus exponit dicẽs, Quorum retinueritis peccata retenta erũt. Vt enim donare peccata est misericordiæ, ita retinere est iustitiæ. Qui namque indignos sese præstant fruendæ remissionis, dignum est, vt hoc flagello flagellentur retentionis peccatorum. Cæterum in hoc flagello administrando, heu quantum delinquitur. Idcircò operępretium est, ne delinquatur in eius administratione tria obseruare. Primum sanè necessarium est legitima ad flagellandum potestas. Non enim est omnium flagellare fideles: neque quisquam sibi sumit honorem hũc, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron ad Hebræ. 5. Quãquam enim flagellare lingua, hoc est, fratrem corripere, omnium fidelium sit, siquidem domino testante, si peccauerit frater tuus in te, corripe eum inter te & ipsum verum opere punire ob delicta, nõ cuiuslibet est, nisi potestate donati ad munus hoc exequendum. Vnde Paulus ad Roma. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui ergo nõ est sublimis ex potestate, nõ habet animas sibi subditas, quas flagellare possit. At verò non sat est potestas ad debitũ ministerium: sunt enim qui hac à Deo concessa potestate abutuntur, si non ex zelo iustitiæ illam moderentur. Quo fit, vt zelus iustitiæ sit necessarius, debitæ moderationi. Quandoquidem prælati flagellantes subditos ex odio subditorũ, vel vt proprias vlciscantur iniurias, aut ex alia iniqua causa. Vtique flagellant, at nõ ex zelo Dei vt Christus flagellauit, sed ex mundano zelo. Cæterum zelus hic iustitiæ sæpe vertitur in tyrannidem, nisi sociũ habeat temperãtem misericordiæ affectũ: ideoque hæc reddũt flagellandi actionem ordinatam, & potestas legitima, & iustitię zelus, & misericordiæ affectus. Vt enim expedit incorrigibiles castigare, ita expedit erga correctos mollius agere: vt enim

Tria necessaria ad hoc vt quisdebitè flagellare alium possit.

Prælati si nõ rectè flagellãt subditos non imitãturChristum.

superbi sunt debellãdi, ita subiectis est parcẽdum. Vnde Paulus, corripite inquietos, consolamini pusillamines. 1. ad Thessa. 5. Horum primũ ex zelo fit iustitiæ, postremũ ex affectu misericordiæ. Quippe beatus ille medicus Samaritanus vulneribus sanandis, vtrumque infudit, & oleum misericordiæ, & vinum iustitiæ. Lucæ. 16. Hæc autem in Christo consummatissimè sunt. Est enim in eo legitima potestas, Data est mihi potestas in cęlo, & in terra. Homines quidẽ potestatẽ habent à Deo super terrena, at Christus etiam super cælestia: ideo dixit se gaudere potestate, & in cælo & in terra. Rursum zelus ardentissimus & constantissimus iustitiæ, quantus in eo sit vel gestum hoc facile indicat, quod mercimonia abegit à domo Dei: & rursus quia ipse iudex est viuorum & mortuorum. Misericordię affectus, quantum in eo viguerint. Ioan. indicat. 6. Misereor, ait, super hanc turbã, quia iam triduo sustinet me. Et Lazarum resuscitaturus. Ioan. 11. misericordia motus fleuit: & pręuidens ruinam Hierosolymorum fudit lachrymas super eam. Et quid aliud fuit illuminare cæcos, sanare surdos, & omnia alia quæ præstitit miracula, nisi misericordiæ opera? Verum quod Christus iustitiã exerceat nostra exigunt delicta: quod misericordia nos mulceat sua poscit clementia. Multa, ait, ipsaltes flagella peccatoris, sperantẽ autem in domino misericordia circundabit. Si ergo cupimus flagella domini deuitare, nos ipsos flagellemus, iuxta Pauli decretum. 1. Cor. 11 Si nos ipsos iudicaremus, nõ iudicaremur. Optimum sanè decretũ, corripe teipsum, & nõ corripieris à domino. Neque vacuũ putes esse à mysterio, quod dominus contexuerit flagellum ex funiculis: siquidem Prouer. 5. legis, vnusquisque funiculis suorum peccatorum constringitur. Quia peccata peccantẽ constringunt: quippequôd nisi Deus opem ferat, nemo cõuertetur ad dominum: ligat nãque peccatum adeò fortiter peccatorem, vt necesse sit Deum concurrere cum libero arbitrio, vt peccatorum funes dissoluat. Vnde Esaias. cap. 3. Erit inquit, pro zona funiculus quãdoquidem zona, quæ muliebre corpus exornat, mundanas delicias facile denotat. At hæ humanæ deliciæ trãseunt velociter, & relinquũt animã peccatis ceu funiculis ferreis ligatã. Dominus ergo funiculis flagellat peccatorem

Correctis est parcendũ obstinatiunt flagellandi.

Lucæ. 19.

Qui cupit diuina deuitare flagella se flagellet, & non flagellabitur.

A funibus peccatorũ peccator adeo ligatur, vt nisi Deo opẽ ferẽte solui nequeat.

torem exteriorib⁹, vt vel sic admoneatur funibus interius ligari criminũ suarũ, & cu ret quãtocyus funes hosce diuina opitulã te gratia dissoluere. Etenim si funi contexas funẽ peccati, vt lõgam pares tibi restẽ peccandi, audies Esaiam tuam dolentem vicem væ, inquit, qui trahitis iniquitatem in funiculis. Neque aliud puta esse trahere iniquitatem in funiculis, quã peccato contexere peccatũ: at funiculus valde contextus, vt sapiens monet Eccle. 5. difficile rumpitur.

ENARRATIO PRIMA in caput tertium.

Cap. 3. ¶ *Erat autem homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.*

EX his, quos dominũ Iesum ad suum discipulatũ assumpsisse legimus, quosdã vocatos legimus, non solũ interna pulsatione, sed etiam externæ vocis ministerio, vt fuerũt apostoli, quãuis omnes illos vocatos nõ legamus, nisi Andreã, Petrum, Philippũ, Ioannẽ, Iacobũ, Matthęũ, aliorum autẽ non expressa fit mentio, quando & vbi fuerint vocati. Augu. autore. libr. 2. de cõsen. cap. 17. Cæterũ alios vocauit inter no afflatu: ex quorũ numero est Nicodemus, qui visis signis mirabilibus, quæ dominus Hierosolymis ediderat, concepit intra penetralia pectoris sui fidẽ de Christo: ex qua ductus sub nocturnis tenebris, vt arbitros fugeret, Christum petit, cum illo allocuturus.

Ioannis. 1. Matthæi. 9. Marci. 2.

¶ Vbi tu considera, in primordijs christiane religionis, non omnes ascitos ad illam, fuisse ignobiles, & idiotas, quales erãt Petrus & Andreas, Ioãnes & Iacobus, si tamẽ credimus hos nõ fuisse Christi consanguineos, vt multi existimãt, & nos supra diximus. Quia si cõsanguinei erãt domini, vt multi opinãtur, nulla præclarior nobilitas secundũ carnem, vt etiam hac nobilitate insignes fuerunt Iacobus minor, Simõ, Mar. 6. quẽ Simeon vocat calendariũ Romanum, qui annos natus. 120. duram pro domino sustulit mortem, & Iudas horum frater. Isti enim erãt filij Mariæ Cleophæ, quæ filia fuit B. Annæ, & soror Dei genitricis, vt multis est confessum: neque à veritate abhorret valde confessio hæc.

Iacobus minor Simeon, & Iudas.

¶ Fuerunt ergo in primordijs religionis christianæ nobiles, & sapientes professores illius: a vero non fuerunt multi huiusmodi, sed pauci. Vnde Paulus, Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, nõ multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Hoc est, non elegit Deus sapientes sapientia mundana, vel potentes potentia mundana: hoc enim vocat sapientes secundum carnem, vel potentes: sed elegit insipientes impotentes, & ignobiles, secundum mundi æstimationem.

¶ Elegit nihilominus quosdam nobiles & sapientes. Etenim rationabile erat, vt sub elementis christianæ fidei, quidam essent eius professores nobiles, & sapientes ne potentibus & sapientibus despicabilis prorsus videretur christiana fides, quippe quam sapientum vel nobilium nullus profitebatur. Vnde Phariſæi, Ioan. 7. Responderunt, Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum? Quanquam enim id temporis quidam ex principibus credebant Christo, at vero erat illorum occulta fides propter metum Iudæorum. Noluit autem multos sapiẽtes, aut potentes, &c. tunc Christus ad se trahere, sed potius idiotas, & ignobiles, & infirmos, ne fidei christianæ persuasio tribueretur mundanæ vel sapientiæ, vel potentiæ, vel nobilitati, vt Paulus ait, Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientię verbis, &c. vt fides vestra nõ sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 1. Corinthio. 2.

¶ Horum autem nobilium & sapientium alter fuit Nicodemus domini discipulus occultus, qui erat nobilitatus sapientia, quia erat Magister in Israel, & item ex Phariſaica secta honorabilis: quia secta illa tum erat, quæ synceriora dogmata profitebatur fidei. Siquidem confitebatur spirituales substantias, & animorum immortalitatẽ, & mortuorũ resurrectionem. Et demũ Nicodemus erat illustris ex Iudęorum, quẽ gerebat principatu: nã vocatur princeps Iudæorũ. Itẽ Nathanael erat insignis legis peritus. Ferũt autẽ Nicodemũ fuisse discipulum Gamalielis, qui fuit etiã Pauli præceptor. Hic Nicodemus curauit domini sepulturam: & arbitror esse eum, quem historia refert esse inuentum in se-

Nicodemus vir potens & sapiens, & religiosus.

Nicomedes & Nicodem' idem.

pulchro Stephani sub Honorio imperatore. Namque refert cum corpore Stephani inuenta corpora Gamalielis, & Abibonis, & Nicomedis. Et hunc Nicomedem puto esse Nicodemum, quia vt Petrus à natalibus scribit, libro quarto, cap. tertio Catalogi sanctorum fuit Nicodemus sepultus in sepulchro Stephani protomartyris. Hic igitur Nicodemus venit ad Iesum nocte, siue timens increpationem aliorum Pharisæorum, siue quia eum pudebat palam doceri à Christo, quandoquidem erat Magister in Israel, siue quia Christus non tum docebat admodum publice. Ideo quæsiuit noctis silentia, secum reputans forsan, si publicam peteret disciplinam fore repellendum. Christus enim primo est operatus miracula publicè, quam doceret publice: nam ab operibus mirandis cœpit testari, & profiteri quis nam esset. Cæterum, & prius publicè fecit quam docuit. Accessit namque Nicodemus in anno primo prædicationis domini, in quo anno dominus Hierosolymis palam signa fecit miranda, etiam antequam in carcerem mitteretur Ioannes, vt post Ioan. incarcerationem ipse palam prædicabat: ideo Ioan. misit tũc ad eum discipulos suos. Propterea igitur Nicodemus venit noctu, veritus forsam repulsam, si interdiu accederet.

Christus pri' publica fecit miracula, quã publicam profiteretur doctrinã.

¶ Opportunum sanè selegit Nicodemus tempus. Namque Iob. 4 scribitur. Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius, in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines. Quia igitur noctu Deus sæpe instruit suos, vt Salomonem, & Samuelem, &c. ideo sub nocturno instruendus Nicodemus accessit tempore. Adde Dauidem. Psalm. 41. commendasse silentia noctis, vt diuinis aptissima fundẽdis canticis, In die, ait, mã dauit Deus misericordiam suam, & nocte canticum eius. Et Esaias concinit, Anima desiderabit te in nocte. Mens namque liberior tunc est ab strepitu seculi, vnde liberius cælestibus vacare quibit. Ideo in alio psalmo ait rursus Dauid, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Nocte quoque Abraham quinque superauit reges, & Loth retulit spolia. Nocte rursus Gedeon Madianitas superauit fractis hydrijs, & micantibus lucernis. Iudicum. 7. Andreas verò & suus condiscipulus hora iam decima prope noctem ad dominum venerunt Ioan. 1.

Tẽpus noctur nũ diuinis persoluendis laudibus aptum.

¶ Opportunè igitur nocte accessit Nicodemus ad dominum de diuinis instruendus, quem dominus adeò honorauit, vt primam, & dignissimam illam de baptismo doctrinam ipse primus audiret. Hoc enim est primum, quod legimus dogma Christũ protulisse de baptismo. Est namque baptismus fundamentum christianæ professionis, & omnium sacramentorum ianua, & initium, ideoque & primam sedem in doctrinis Christi obtinuit.

Baptismus primã sedẽ habet in doctrina Christiana.

¶ *Et dixit ei, Rabbi scimus, quia à Deo veniſti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Exordium accepit alloquendi Christi ex commendatione Christi: commendat autem ex duobus Christum, & quia à Deo missus magister, & quod signa præclara ediderit: & vnum affert in probationem alterius. Dixerat enim esse Christũ constitutum magistrũ à Deo, hoc probat: quia nemo potest talia signa facere, qualia Christus fecerat, nisi esset à Deo missus, vt illa faceret.

¶ Est autem hoc argumentum ab effectu ostendens causam: quod genus colligendi, est à posteriori. Nam peripatetici ex operatione docent diiudicãdam formam. Et aduertenter dixit, Nemo potest facere hæc signa, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cũ eo. Possunt nãque dæmones facere signa, non tamen qualia Christus. Dæmones enim mirabilia faciunt, non superando ordinem naturę, sed solum egrediendo cursum ordinarium naturæ, eum vel accelerando, aut peruertendo. Verum semper ad mirabiles operationes vtuntur natura. At sunt mirabilia, quę dũt in natura, quia transcendunt cõmunem modũ operandi naturæ. Vt Magi Pharaonis, Gen. 7. faciẽtes serpẽtes ex virgis de repente, vsi sunt nihilominus naturæ viribus, quia semina serpentũ subtilissimè opportuno loco, & subconuenienti aspectu cæli cõmiscuerũt, vnde in modico tẽpore apparuerũt serpẽtes ex virgis. Cæterum & si non eodẽ modo quo alij fiunt serpentes, illi serpentes facti fuerant, & ideo fuere mirabiles illi serpẽtes. At vero, quia ex semine geniti sunt, aut ex putri materia, vt alij serpẽtes, ideo nõ fuerũt miraculosi propriè magorũ illi serpẽtes: qua facti fuerunt per verã genera-

Dæmon facit mirabilia accelerãdo modũ agendi naturæ, aut illiũ peruertendo.

Dæmones faciunt mirabilia cõtra modũ naturalem at nõ contra naturam.

neratione naturalem, vt alij serpentes. Idem est, quando dæmon fit succubus, vel incubus, quia tunc semen non infunditur modo naturali: cęterũ generatio prolis est naturalis ex humano semine. Christus autẽ quę præstabat erant vtraque causa miracula, & quia sine ordine naturæ, & quia supra legem naturæ, vt quod ex aqua vinum faceret in instanti. Legimus autem quosdam sub diem iudicij dicturos, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes fecimus multas? Quibus dominus dicet, Amen dico vobis, nescio vos. Vnde fortasis obstrepet aliquis Nicodemo dicens, signa fieri posse qualia Christus fecit, ab impijs, cum quibus non est Deus, quia longe à peccatoribus salus.

¶ Veruntamen esse Deum cum homine multifariam contingit, aut esse per gratiã gratũ facientem, aut per gratis datam gratiam. Est quidem frequẽtius, homines iustos, cũ quibus Deus est per gratiam gratum facientem, facere miracula, non tamen est necessariũ, quippe accidit etiam iniustos facere miracula, ab istis autem etiam si Deus absit per priorem gratiam, adest per posteriorem. Et idem est de prophetiæ dono, quod frequentius accidit iustis, quam iniustis, non tamen est necessarium: quia etiam iniusti prophetare possunt, vt locus citatus indicat apertè. Nõne, inquiunt, in nomine tuo, prophetauimus? Et Balaã item prophetauit, & Caiphas, &c. Cęterũ isti si prophetãt est Deo illustrante: & docente prophetica, ideo dicũt, Nõne in nomine tuo prophetauimus, hoc est, te donante propheticum donum: itidem & te donante fecimus miracula? Verba ergo Nicodemi intelligenda sunt, *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ad operationem subaudi, miraculi. Quia ergo miracula hæc sunt diuinæ operationes, per quencunque edãtur, ideò vera testimonia sunt doctrinæ, quæ sub illis prædicatur. Aut forsasis, non solum hoc intendebat Nicodemus, sed voluit ex miraculis visis colligere Christum esse magistrum à Deo constitutum verum, & sanctum. Etenim ex modo faciẽdi miracula colligebat Christum sanctum esse. Quamuis enim facere miracula etiam peccatoribus aliquando concedatur à Deo: at vero modus faciendi, Christo proprius, alijs non est cõcessus: vt quod sedens in Cana Galilææ inter epulantes, & tacens, solo voluntatis imperio verteret aquam in vinum, tam sibi fuit proprium, quam nulli cõmune.

Nõest necessariũ à iustis fieri miracula.

Frequentius accidit miracula fieri à iustis quã ab iniustis.

¶ Aut tertiò dices, Nicodemum locutum fuisse secundum ea, quæ frequentius accidunt, videlicet, sanctos edere miracula, non peccatores, ideò à posteriori ex signis colligit Deum esse cum Christo, non solum cooperando, sed sanctificando. *Rabbi, Scimus*, Rabbi Hebræis, est Latinis Magister, vir, scilicet, magnus, & cuius multæ sunt dignitatis. Nam Rab, inter alia hoc significat. Et Chaldæi proferunt Rabbon, vnde in plurali numero, Rabim, significat optimates: in fœminino vero Rabat, domina. Ducunt Hebræi nomen à verbo Rabab, quod significat auxit, auctus est, multiplicatus est, & ideo virum magnum, qui auctus est honore dignitatis vocant Rabbi, hoc est, magistrum.

¶ Et Nicodemus sentiens Christum esse virum magnum, & potentem miraculorum operatione, expresit insignem Christi dignitatem, dicens, Rabbi. Et quia aduertebat Christum non esse magnum ex põpa temporali, aut ex mundanis rebus, quæ homines communiter erga alios homines faciunt magnos, ideò vt significaret esse magnum ex diuina autoritate, & non ex splendore humani potentatus, adiecit, A Deo venisti magister, hoc est, à Deo est tua autoritas, non ab hominibus.

Cur sit dictus Christus Rabbi.

¶ Porrò dicet aliquis, Cur ait, Scimus, & non, Credimus? Siquidem scientia est euidens, at Nicodemo non erat euidens Christum à Deo venisse magistrum: sed tantummodo credebat. Respondebis, Nicodemum fidem non euidentiam habuisse Christum à Deo venisse Magistrum. Hoc enim ratione euidenti colligi non poterat, quia si euidens fuisset, scibile fuisset ab omnibus, & nullius meriti esset: quia fides orbatur merito, si demonstrationi subijciatur. Nam demonstratio est necessaria, ideoque extra meritum est: quia propter ea, quæ nobis à natura insunt, neque laudem meremur, neque vituperium.

Fides aliquãdo vocatur scięntia & cur.

¶ Cæterum, quia fidem suam Nicodemus conceperat ex visibilibus signis, ideo fidem vocauit scientiam. Nostra autem fides, quia meracissime fulcitur in au-

toritate diuina reuelante, & in ecclesiæ autoritate reuelata proponente, ideo fides appellatur magis quam scientia. Verum si fides theologorum, quia discursiua est sit appellitanda scientia nos in præcursorijs nostris, ad. 1. Sententiarum opulentius disseruimus. At rogitabis, quid est, quod in pluratiuo ait, Scimus? Sunt qui credant, Nicodemum sub persona etiam aliorũ Pharisæorum, extulisse verbum hoc, scimus. Vnde inferunt Pharisæos esse inexcusabiles, quia sciẽtes Christi autoritatem diuinam, illi terga verterunt. Verũ hæc collectio friuola est. Quãuis enim Nicodemus fuisset Pharisæus, non accesit tamen, vt legatus aliorum Pharisæorum, sed suo nomine accesit: Quod vero ait, scimus, subdenotat non ipsum solũ credere Christũ esse magistrũ à Deo missum, sed alios Hierosolymitas idem credidisse, ideoque & suam & aliorum fidem exponit. *Rabbi scimus.* Andreas & condiscipulus eius, primi fuerunt, qui hoc cognomento dominum cognominarunt. Dixerunt namque, Rabbi vbi habitas? Ex testimonijs autem Magistri ipsorum baptistę didicerant Christũ esse Rabbi. Nathanael verò Christum vocat sublimiori appellatione, nam ipsum vocat filium Dei. Et hoc ideo quia Christus patefecerat secretũ Nathanaelis, dicens, Quãdo eras sub ficu vidi te, Nicodemus autem Christum vocat, Rabbi, ductus ex signis, quæ viderat: itaque ex varijs causis vna & eadem concipitur fides.

Fides fulcitur in autoritate diuina reuelante & in autoritate ecclesiæ proponente.

Ex varijs motiuis vna procreatur fides.

¶ Cæterum non omnes appellantes Christum, Rabbi, seu magister ex candido animo appellãt, Nicodemus quidem candido animo ad dominum accesit, & eum vocat Magistrum, quia ab eo desiderabat de diuinis instrui. Sunt vero qui Christum ficto animo magistrum vocitent, vt discipuli Pharisęorum, qui venerunt cum Herodianis. Matthæi. 22. Magister inquiunt, scimus, quia viam Dei in veritate doces, &c. Isti subdole vocant dominum magistrum, cuius disciplinam refugiebant. Tales sunt hæretici Christum vocantes suum magistrum, & spernentes doctrinam ecclesiæ, & soli expresso verbo scripturæ fidem adhibentes. Sed re vera non omnis, qui vocat Christum Magistrum introibit regnum cælorum, sed qui vocat sincere, & iuxta ecclesiæ fidem.

Hæretici Christum vane & subdole iactant esse suũ magistrum.

Respondit Iesus, & dixit ei, Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Quia Nicodemus Christum appellarat magistrum à Deo missum, ideo dominus primo quoque verbo, illum instruit in diuinis, docens, id quod est fundamentum Christianæ disciplinæ, scilicet, Nisi quis renascatur ex aqua & Spiritu sancto, non poterit videre regnum Dei. Aduerbium denuò, Græce est, ἄνωθεν. Quod aduerbium ancipitem habet significantiam: significat enim vel desuper, vel iterum, vt Origenes annotauit edisserẽs epistolam Pauli ad Romanos. cap. 6. Et post Origenem Chrysostomus. Vnde sensus germinatur duplex ex hac significatione ancipiti, vel, Nisi quis natus fuerit desuper, idest, de cælo, aut nisi natus fuerit, iterum. Cyrillus, & Theo. & Erasmus priorem amant sensum: vulgatus interpres posteriorem elegit, cui magis ego astipulor. Etenim Euangelista, vt denotaret hanc natiuitatem esse supernam, refert Christum dixisse Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Quandoquidem renatus ex Spiritu sancto, supernè nascitur: ideo videtur aduerbium, ἄνωθεν, hoc loco significare potius iterationem. Quod vero ipse transtulit, renatus, Græce est γεννηθῆ. Et Vala mauult interpretari, genitus: & Erasmus idem probat. Ait enim, Nasci est ex fœmina, gigni vero est commune ad vtrumque parentem. Hoc autem non est inuiolatum, quia etiam nasci refertur ad patrem, vnde ecclesia canit. Venit ab arce patris natus orbis conditor.

Nasci vt differt à gigenerari

¶ Cæterum cum transtulisset vocem Græcam ἄνωθεν. per denuò, videbatur hoc sat fuisse ad denotandum iterandam esse natiuitatem, absque eo quod geminaret, transferendo, renatus, nisi quod forte fecit ad maiorem sensus expresionem.

¶ Quæret fortè quispiam & non temere, cur dominus non expectauit interrogationem Nicodemi, sed illam præueniens continuo, inquit, Nisi quis renatus fuerit denuo, & cur de baptismo in primo congressu verborum meminerit? Respondent, quidam eò factum, quòd Nicodemus perturbatum gerebat animum secum voluens anxiam dubitationem.

Quippe

Quippe ipse credebat per opera legalia salutem esse adipiscendam: at ex altera parte audiebat Christum dicentem, per fidem & opera. Ideo Christus, vt hanc perturbationem abigeret, instruit in fide baptismi.

¶ Verum hoc commentum ea facilitate reijcitur, qua probatur. Quoniam hactenus, neque vllum verbum à Christo, de fide & operibus prolatum est. Rupertus, aliud excogitauit, sed non absoluit propositam quæstionẽ. Quo circa subit mihi aliter sapere, videlicet, ex Christi sermone Nicodemi colligendã mentem, ex qua accesserit ad Christum. Christus autẽ de baptismo instruit, vnde signum est, Nicodemum, de baptismo interrogaturum ad Christum accessisse. Enim verò celebris erat id temporis Ioan. baptismus: at vero Pharisæi. Lucæ. 7. Ioannis baptismum negligebant. Spreuerunt, ait, Lucas, Dei consilium in seipsos, non baptizati à Ioãne. Vnde Nicodemus, quia secta erat Pharisæus, poterat anxiam trahere mentem, de veritate & efficacia baptismi Ioannis. Insuper tenebat ex vulgata doctrina Ioã. quod Messias erat baptizaturus Spiritu sancto, & igni. Hoc namque non poterat latere, quandoquidem Pharisæis annuntiauit hoc dogma de Christi baptismo Ioãnes Matth. 3. Idcirco hæc apud se volues Nicodemus venit ad Christum, vt plenũ de baptismo Christi & Ioã. assequeretur. Quamobrem Iesus responsione sua mentem interrogantis præuenit: vt nõ solum ex respõsione Christus Nicodemo esset mirabilis, sed expræuentione interrogationis mirabilior. *Amen, amen, dico tibi.* Amẽ, nomen est, vel aduerbiũ, Hebræis Si nomen est idem quod verum, si aduerbium verè. Ducunt hoc nomen vel aduerbium quidam à verbo, heemin, quod significat asseruit, firmauit, credidit. Alij vero à verbo Hebraico Aman, quod significat probabile fuit. Reperitur tamen in passiuo tantum, ieemen, firmetur: inde Amen, quasi heamen, verum fiat, seu efficiatur: & tunc est dictio optãtis perfectionem rei quam loquitur. Vt Nume. 5. extat locus de muliere, quæ venerat viro suo insuspicionẽ adulterij: & sæpe alias. Quod ergo dominus ait, Amen, Amen, si aduerbium est idem est, ac si dixisset verè & realiter. Si vero est nomen, ideſt, quod verũ, verum est: & geminatio dictionis veri maximam veritatẽ esse testatur, vt apud Hieremiã. 24. Quid tu vides Hieremia ficus ficus bonas, bonas valde, ideſt, optimas. Dominus ergo solidissimam, & firmissimam significans se docere veritatẽ, dixit, Amen, Amen. Quidam referunt geminationem, Amen, Amen, ad excellentiam sacramentorum, quæ Christus docebat. Verum dixerim geminationem veritatis firmitatem potius significare. Protulit autem dominus generalem sentẽtiam: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Hoc namque expediebat diuino ordini, vt nullus esset consors æternæ hęreditatis, nisi primũ esset renatus ex spiritu. Et modo nihil meminit de regeneratione ex aqua, sed solũ ex spiritu, postea vero de regeneratione ex aqua & spiritu. Paulatim enim voluit dñs deducere Nicodemum ad fidem baptismatis, primo docendo necessariam esse regenerationẽ spiritualem, & dein illam prouenturam hominibus ex aqua & Spiritu sancto.

Nullus hæres potest esse Dei nisi renascatur ex spiritu.

¶ Cœpit autem à generalissimo decreto Dei, cui subditur omnis creatura rationalis, videlicet, omnem creaturam rationalem, non posse fieri compotem hæreditatis sempiternę, nisi renascatur ex spiritu: Angeli enim primo nati sunt per creationem ex nihilo secundum naturam. Verum hæc secundum naturam natiuitas, nõ sufficit illis ad vitam æternam. Nam per naturã non erant filij adoptiui Dei, quare neque hæredes Dei. Quia igitur per naturam non possunt esse hæredes Dei, restat eos necessario, vt sint hæredes Dei, esse donandos Dei gratia. Atqui hæc donatio est natiuitas ex spiritu, quæ collata ad natiuitatem naturalẽ, est quasi quædã, vt sic loquamur, renascentia spiritualis.

Angeli renati est spiritu.

¶ Porrò etiam si hæc vera sint, non tamẽ arbitror esse germana textui. Etenim Christus non intendebat Nicodemum de iustificatione angelorum instruere, sed solum de humana iustificatione. Neque Nicodemum subierat de angelorum iustificatione. Vnde videtur dominum hæc verba, Nisi quis renatus fuerit denuò, non poterit videre regnum Dei, de sacramento baptismatis intellexisse, Quamuis enim non meminerit aquæ, vt postmodum, cæterum meminit regenerationis spiritualis, quę est propria bap-

Quid sibi velit Amen.

tiſmo. Et voluit Chriſtus primo docere natiuitatem hanc ſpiritualem hominibus eſſe neceſſariam, & dein docere clarè per baptiſmum parari ex aqua & Spiritu ſancto. Itaque primo inſinuauit, dein clarè docuit baptiſmi gratiam, vt ab vniuerſali ad particulare progrediendo Nicodemum inſtitueret. Vt enim aperiret dominus baptiſma ſuum, expectauit dubitationem Nicodemi hanc. *Dixit ad eum Nicodemus, Quomodo poteſt homo renaſci, cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* Hęc eſt dubitatio Nicodemi. Græcè non renaſci, ſed naſci legitur γεννηθῆναι, & in latinis codicibus correctioribus. Verum interpres, non verbi ſenſum, ſed dicentis expreſsit animũ. Siquidem Nicodemus hoc intendit ex ſua dubitatione fieri non poſſe hominem renaſci. At adiecit, cum ſit ſenex, non quod iuuenis vel infans renaſci poſsint: ſed vt clariorem, & difficiliorem redderet ſuam hæſitationem, dixit, cum ſit ſenex: quia ſenex iam non habet matrem: Vnde impoſsibilis ſit illi repetita natiuitas. Theophilactus reprehendit Nicodemum, quia verba clara Chriſti non eſt aſſecutus. Namque Dominus clarè dixit, Niſi quis natus fuerit deſuper, vel ex ſupernis, igitur ſiniſtrè torſit ſermonem Chriſti ad natiuitatem carnalem, quæ non eſt de ſupernis. Cæterum admonuimus ex Origine, & Chryſoſtomo ambiguam eſſe ſignificantia aduerbij ἄνωθεν· ideo ex hac parte non ſubditur reprehenſioni Nicodemi dubitatio. Neque tam hebes erat Nicodemus, qui alioqui erat Magiſter Iſraelis & Iudæorum princeps, quod ſi clare dixiſſet dominus, Niſi quis natus fuerit ex ſupernis, non poteſt videre regnum Dei, quod intuliſſet, Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex, &c. ſiquidem Domini verba clarè diſſuadebant hunc ſenſum, ſi legimus cum Theo. & Eraſmica editione. Vnde ex illatione Nicodemi, ſeu hæſitatione non dixiſſe dominum de ſupernis, neque Nicodemũ ſic intellexiſſe videtur, ſed denuò vel iterum: & tunc aptè Nicodemus ſuam intulit dubitationem. *Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei.* Græcè non legitur ſancto, verum refert nihil, quia certum eſt regenerãdos, regenerari ex Spiritu ſancto. Quod ergo ſupra dixerat dominus, viſuros Dei regnum oportere naſci denuò, modo explicat, quid voluerit ex ſermone ſuo. Volebat enim ex aqua & Spiritu ſancto noua natalia debere eſſe filiorum adoptionis Dei. Vt enim apud nos ſunt filij naturales & ſunt adoptiui, illi hæredes ſunt ex natura, iſti ex adoptionis gratia: ita Deo eſt filius vnus ſecundũ naturam, qui ex natura eſt hæres vniuerſorũ, ſunt quoq; filij adoptionis, & iſti hæredes ſunt ex gratia.

Filij Dei adoptiui noua habẽt natalia ex aqua & Spiritu ſancto.

¶ Filiatio autem adoptiua nulli mortaliũ modo poteſt contingere, niſi ex aqua, & Spiritu ſancto. Soluitque iſtis verbis dubitationẽ Nicodemi docens eum, ad hanc ſpiritualẽ natiuitatẽ, non eſſe neceſſe iterũ repetere maternã vuluam: quia hæc natiuitas ſpiritualis eſt ex aqua & Spiritu ſancto. At obijcies, Quid ergo ſi ſpiritualis eſt, cur ex aqua eſt? A qua enim corpus non ſpiritus eſt. Scito igitur indicante Auguſti. de hære. ad quod vult Deum hære. 46. Manichæos nihil cuiquam perhibere ſalutis afferre baptiſmum in aqua. Neque quenquam eorum, quos decipiunt baptizandum Manichęi putant. At hæreſi. 78. Pelagiani, inquit, paruulos negant ſecundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ, prima natiuitate contrahere. Sic enim eos, ſine vllo peccati originalis vinculo, aſſerunt naſci, vt prorſus non ſit, quod de eis oporteat, ſecunda natiuitate dimitti, ſed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati, admittantur ad regnum Dei, de bono in melius trãſlati, non iſta renouatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiam ſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed æternam & beatam quandam vitam. Hierachitæ autem hære. 47. paruulos etiam baptizatos nõ eſſe admittendos ad regnum Dei contendũt, quia meritum non habent. Manichæi ergo baptiſmum aquæ repudiant, & illis aſſenſerunt, qui aquam baptiſmi non eſſe neceſſariam non formidant concedere, ſed ſolum fidem baptiſmi iuſtificare. Et iſti domino repugnant, qui eſſe neceſſariũ, & regenerationem ſpiritualẽ aquam docet. Neque quia aqua eſt corpus ideo nõ eſt per illã regeneratio ſpiritualis. A qua enim aſſumitur vt ex illa admonea mur, tãquam ex ſenſibili ſigno nos ablui & re-

Manichæi Pelagiani Hierachitæ hoſtes baptiſmi & anabaptiſtæ.

& regenerari ex Spiritu sancto. Causa quippe efficiens regenerationem, Spiritus sanctus est. At verò aqua est tanquam materialis causa, ex qua homo regeneratur: & ipsa aqua cum baptismi forma instrumentum sunt, per quod Spiritus sanctus regenerat baptizatos.

Spiritus sanctus efficit regenerationẽ.

¶ Pelagiani verò siniſtrè torserunt verba domini, distinguentes temerè inter vitam æternam, & regnum cælorum: vnde pessime theologizant paruulos non intinctos ex aqua baptismi, adepturos vitam æternam, non tamen regnum cælorum. Quia legunt locum hunc, Nisi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu sancto non introibit regnum cælorum. At verò Christus ait, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Si ergo paruuli isti hanc vitam æternam possidebunt, vtique in regnum cælorum introibunt. Nam obsecro, quod aliud regnum cælorum præstantius commentabuntur?

Malè distinguunt Pelagiani inter vitã æternã & regnum cælorũ.

¶ Et rursus aut videbunt huiusmodi paruuli Deum, aut non. Si non videbunt, hoc sanè illis pœnale erit, igitur non gaudebunt vita beata, quippe hæc pœnam non admittit. Aut videbunt, igitur videbunt regnum Dei. Sed quomodo videbunt, quia non videbunt, nisi ij qui denuò nascuntur ex aqua & Spiritu sancto, qua natiuitate supponimus ipsos orbatos decessisse? Hierachitæ verò non obseruarunt infantes baptizatos ex merito Christi, obtinere regnum Dei. Nam si ex malo merito protoplasti sunt infecti, & expelluntur à regno Dei, ex bono Christi merito, quod illis impartitur per baptismum, cur non admittentur.

Infantes baptizati ex Christi merito admittuntur ad regnum Dei.

¶ Nunquid potentius fuit delictum protoplasti ad expellendum à regno Dei, quam Christi gratia ad admittendum in regnum Dei, contra Pauli doctrinam, vbi abundauit delictum ibi superabundauit & gratia, ad Romanos. 5. Verum hæc commemorasse sat fuerit, quia in secundo Sententiarum. de peccato originali, & in. 4. de baptismo paruulorum multa discussimus, ideò illis supersedemus differendis modo. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Hanc renascentiam, vel istud (si mauis) renasci, Paulus, regenerationem vocat: ideoque baptismum vocat lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. ad Titum tertio. Quod si lauacrum est, ablutio aquæ est, contra Manichæos, & Manichæorum sectatores hæreticos nouellos. Si autem Spiritus sancti est, supernaturalis animi ablutio est.

Baptismus est lauacrũ aquæ & lauacrũ Spiritus sancti.

¶ Et rursum Petrus, Quasi modo, inquit, 1. Catholic. 2. geniti infantes, rationabile lac, &c. quid est quod viros baptizatos vocat, quasi modo genitos infantes, cum alioqui senes erant & grandęui, qui id temporis baptizabantur? At quia per baptismum renascebantur, ideo eos appellat quasi modo genitos infantes: id quod dominus appellat renatos. Atqui hanc nouam natiuitatem, seu regenerationem, amissam præparare non possumus ex toto, quia baptismi non conceditur repetere lauacrum, & sacrilegi sunt, qui illud repetunt, qui sunt Anabaptistæ. Imo, vt non potest homo rursum nasci corporaliter, ita semel renatus nequit rursum renasci spiritualiter ex baptismo.

¶ Porrò, quia pœnitentia, vt Tridentin. synodus definit, est baptismus quidam laboriosus: ideo quodam modo ex illa renascimur non tamen perfectè, vt ex baptismo, nisi longo æuo illam exerceamus. Itaque perfectè renasci semel conceditur hominibus, imperfectè verò, toties conceditur quoties pœnitere illis datur, sed hoc semper datur, imo non solum datur, sed præcipitur semper peccatoribus.

Regeneratio baptismalis ex toto nõ potest reparari semel amissa in longo tempore pœnitẽtiæ incumbamus.

¶ Ioannes etiam huius natiuitatis nouæ spiritualis. 1. catho. capitulo. 3. meminit. Omnis, ait, qui natus est ex Deo non peccat. Tu intellige, ex ipsa natiuitate non habet quod peccet. Natiuitas enim spiritualis, depellit peccati vetustatem.

¶ Quæres forsan, cur dominus primo dixit. Nisi quis denuò renatus fuerit, non potest videre regnum Dei, nunc verò ait, nõ potest introire in regnum Dei? Num est discrimen inter hæc videre & introire? nõ sane, nam & si sermo sit alter sententia est eadẽ. Porrò tu considera, si videre regnum Dei est beatitudo, quia videre est introire, igitur beatitudo in ipsa visione consistit, quã rem. quia. 4. Senten. noster distinctio. 49. latius disserit, supprimimus in præsentia.

Beatitudo locatur in visione Dei.

¶ Adhuc forte te solicitat quæstio cur dominus clanculum doctrinam exposuit baptismi, cum ipse alias dixerit, Ego in occulto locutus sum nihil? Respondebis natu

ram, & artem ab imperfectis ad perfecta habere progressus, & dominus in docendo eadem methodo vtitur, sensim ducēs nos ad veritatis notitiam. Ideo Nicodemum instruit de baptismo, non omnia docens, quæ baptismus vocat in essentiam suam, quia de forma baptismi nullam mentionem fecit. Quippe formā baptismi mox edocturus erat palam, docens baptizandos omnes in nomine patris, & filij & spiritus sancti, ideo hanc siluit, quousque Nicodemus capacior redderetur.

¶ Namque si in regeneratione hæsitauit, an non hæsitaret si à domino audiuisset verba hæc, In nomine patris & filij & spiritus sancti? Vnde ob hanc causam forsan inter alias, dixit illis Iesus, Si terrena dixi vobis, & non creditis mihi, quomodo si dixero cælestia credetis? Quasi dixisset apertius, Si in modico dubitastis, dubitabitis quoque in maximo. Nā Iudæis magis dubitabilis erat trinitas, quā regeneratio.

Cur dominus non expresit baptismi formam Nicodemo.

¶ Tertio hæsitabis circa hoc domini de baptismo præceptum, quia patriarchæ, & summi illi Dei vates, non fuerunt renati ex aqua & spiritu sancto, at vero beati sunt. Item sancti in martyres, & latro ille, cui dominus dixit, Hodie mecum eris in paradiso: non fuit aqua lustratus baptismi. Respondebis hoc domini præceptum esse euangelium, & solum obligasse sub tempore reuelatæ euangelicæ gratiæ, ideo patres illos siue legis naturæ, siue Mosaycæ non obligasse: sed habuerunt alia remedia, vt Deo conciliarentur. Verba ergo domini semper vera sunt, sub coruscante euangelio.

¶ Sancti vero martyres, si non actu, saltem voto fuerunt baptizati. Vnde Augustinus. 13. de ciuitate Dei, capitu. 7. Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriūtur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerētur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit, &c. alia sententia istos facit exceptos, vbi non minus generaliter dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Matt. 10. & 11.

Sancti martyres sine lauacro aquæ saluari possunt ex sanguinis lauacro.

¶ De latrone vero libro de Anima, & eius origine, ad Renatum inquit, ex Cypriano hunc latronē martyrem fuisse suoque sanguine baptizatum. Quanquam Augusti. non probatur admodum sententia hæc, & merito: si quidem martyr non est, qui ob sua scelera patitur mortem: sed obfidei confessionem. Latro autem ille ob suū scelus, patibulo fuit affixus, ipso testante, Nos, inquit, digna factis recipimus. Qua ex causa, vel latro ille fuit baptizatus, aut si non fuit, nondum constringebatur ad suscipiendum baptismum, quia nondum promulgata fuerat lex baptismi: sed tum baptismus erat in consilijs, ideò non obligabat. Sunt qui cum Scoto credāt etiam ante quam Christus scanderet dexteram æterni patris, Baptismum esse obligatorium, Circuncisionem vero esse in cō silijs. Sed quid si lex non obligat donec publicam habet promulgationem, Baptismus id temporis hac promulgatione non fruebatur, Baptizabant sanè discipuli domini, at non docebant iam tum obligare. Quare quod dominus modo ait., *Nisi quis renātus. &c.* non promulgando dixit, quia noctu, & clanculum dixit, dicturus postmodum palam, Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluabitur, qui non crediderit condemnabitur. Sufficit igitur ad damnationē non credere: at ad salutem non sat est credere, nisi baptismus vel re, vel voto suscipiatur.

Nicodemum docuit dñs baptismi efficaciam & necessitatem, non promulgādo legem, sed doctrinaliter.

¶ Vnde distingunt Theologi baptismum flaminis, & sanguinis, & fluminis, de quibus copiosius, in quarto Sententiarum, disputauimus. Verum omnis baptismus quius is sit præter fluminis baptismum, vt prosit ad salutem in voto habeat est necesse fluminis baptismum. Qui enim sic fun deret sanguinē pro Christo, vt nollet etiā si posset fluminis prolui baptismo, martyr non est.

¶ Statuit autem dominus regenerationem hanc fieri ex aqua, & Spiritui sancto, siquidem aqua omnibus vegetabilibus, est generationis principium. Nam tolle aquam, & vegetalia neque nascentur, neque nata si dederis alentur. Quia igitur homo est ceu planta quædam, quia autore Aristotele est quasi arbor euersa: ideo aquam accepit Spiritus sanctus, ad hominis regenerationem. *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi. Oportet vos nasci denuo: quia spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Ostendit Dominus Nicodemo

Cur baptismus in aqua.

demo verbis istis, quod noua natiuitas ex aqua & Spiritu sancto, sit spiritualis, & non carnalis natiuitas, vt hinc illum man ducat ad credendam, aliam natiuitatem præter sensibilem carnis natiuitatem. Et ait, Quod natum est, &c. Hoc est natiuitas, quæ habet originem ex carne, carnalis est, qualis est natiuitas hominis ex homine, aut cuiusuis animalis ex alio animali. Quæ verò habet originem ex spiritu, spiritualis est qualis est filiorum Dei secundum adoptionem.

Obiectiones notandæ.

¶ At figamus hoc loco paululum gradũ, quia forsan obijciet aliquis, si quid natum est ex spiritu spiritus est. Cum ergo vniuersa nata sint ex Deo qui est spiritus, omnia ergo sunt spiritus, cum tamẽ visibilia non sint spiritus. Quod si hæsitas, opponẽdo visibilia nõ esse nata, sed creata Iob tibi respõdebit. 38. stillas roris quis genuit?

¶ Secundo, quia dicet aliquis, si quod natum est ex spiritu spiritus est, iam ergo spiritualis homo generans filios, generabit citra peccati labem, quia generabit spirituales. Quòd si annuis, toto cælo errabis: siquidem Abrahã genuit Isaac in peccato originali, & hic Iacob similiter: vt Zacharias Baptistam. Quod si dixeris nihil mirũ si in peccato fuerint geniti, quia sicut nõ præputiatus generat filiũ cũ præputio, & granum sine palea generat grana sub paleis: itidem homo sine originali generat hominem cum originali, quia generat eum carnaliter, & non spiritualiter: proferam contra hoc Isaac cuius natiuitas fuit carnalis, at Paulus inquit, illam fuisse secundum spiritum ad Galat. 4.

¶ Tertio, quia Dominus vere natus est secundum carnem ex Maria virgine: cæterũ cõceptus est de Spiritu sancto, Luc. 2.

¶ Primo respondebis verba Domini intelligenda, Quod natum est ex spiritu spiritualiter, spiritus est, hoc est, spirituale est. Visibilia autem nata sunt ex Deo per sensibilem creationẽ, quia creatio passiue est res creata, ideò suo modo rerũ sensibilium creatio, quę est generatio, vel natiuitas sua ratione, vt ex Iob cõmemorabam sensibilis est. Angelorum verò creatio, vel generatio fuit insensibilis, quia sunt ipsi insensibiles, quippe qui sunt spirituales. Cæterum ipsi quoq; quãuis sint spiritus, egerunt hac noua natiuitate spirituali vt fieri possent filij Dei, & participes supernaturalis beatitudinis, vt supra diffinitum est.

Exponitur Paulus.

¶ Secundo dices, Isaac natum secundum spiritum, propterea dixisse Paulum: non quia natiuitas Isaac non fuerit carnalis ex Sara, cæterum quia per vim naturæ non poterat Sara concipere, neque Abrahã illam fœcundare, sed solum hoc gestum est per operationem miraculosam: ideò, vocatur secundum spiritum, idest supra naturam.

¶ Tertio dices, Domini carnalem fuisse natiuitatem ex Maria virgine. Cæterum quia non ex semine virili fuit Christi concepta caro, sed secundum specialem Dei operationem, ideò dicitur ex Spiritu sancto concepta.

Spiritus in plura se diffẽdit quam caro.

¶ Sẽsum igitur paucis habeto Dominici verbi, Quod natum est ex spiritu spiritualiter spiritus est. Spiritus enim diuinus ex sua omnipotentia quędam efficit spiritualia, alia corporalia, illa inuisibiliter hęc visibiliter efficiens. Vnde ab ipso tam procedit caro quam spiritus, quia vniuersorũ est conditor: cæterum differenti modo, vt prædixi illa operatur.

Semẽ est virtualiter caro

¶ A carne verò nõ procedit nisi caro, quia causa est limitata, & vniuoca, & solũ potest efficere carnem sibi specie similem. Ideò ait Dominus, Quod natum est ex carne caro est: siquidem ex virili semine in vulua concepto fœminæ procreatur. Semen autem est superfluum vltimi alimenti, quod sanè sanguis est: at sanguis virtualiter caro est, ideo Dominus semen vocat carnem.

Natiuitas carnalis & spiritualis.

¶ Et vt semel dicam, natiuitatẽ spiritualem Dominus appellat filiationem adoptiuam filiorum Dei, quæ est ad cœlestia capessenda regna, at natiuitatem carnalẽ eam, per quam homo fit filius alterius hominis. Et phrasis est scripturæ, carnalia dicere, quæ sunt naturæ, vel hominum opera, ea verò spiritũ, quæ naturæ vim, & humanam transcendunt conditionem.

¶ *Ne mireris quia dixi*, &c. Non dicit Dominus, Ne dubites in verbis meis, quæ dixi tibi, sed ne mireris. Vnde videtur collectum iri Nicodemi verba, etsi prætextum habeant dubitationis, potius esse admirationis, vt verba beatæ Mariæ, Quo modo fiat istud. Obserua autẽ, quia Dominus verba hæc non prædixerat, Oportet vos nasci denuo, sed, Nisi quis renatus fuerit, &c. Vnde hæsitabis forsan, quî hæc

cõueniant? Verũ, quia verba hæc etsi sint alia à prioribus, sensu sunt eadẽ: nam ex prioribus illis verbis, Nisi quis renatus fuerit euidenter sequitur nos oportere renasci secundum spiritum. Ideò Dominus ait, se dixisse, quod etsi ad verbum non dixerat, ad sensum tamẽ eundẽ affirmarat. ¶ Iam verò verbis istis, Ne mireris, &c. ad profundam verborum suorum Christus intelligentiam promouere Nicodemum intendit. Quasi dixisset, Tu miraris verba mea, quia illa spectas iuxta corticẽ verborum, verum penetra medullam, & desines mirari. *Quia, spiritus vbi vult spirat.* Varia est loci huius intelligentia Græcis enim vt Chrysost. Theoph. Cyrillo, &c. probatur spiritum hoc in loco significare flatum. Et sensus est, vt flatus hic, quem sentimus, pro naturæ suæ volubilitate, voluitur quoquo versus impetus tulerit suus, & nos sentimus strepitum eius, & impetum, & latet nihilominus, vnde veniat, aut quo vadat. *Ita est omnis qui natus est ex spiritu*, Hoc est ita spiritualis homo, pro sua voluntate & non coactè agitur, quo volet. Et quamuis videamus hominum spiritualium vim, atque magnificas ostensiones ex plerisq; eorum operibus, at verò latet videntes eos vnde hæc opera procedant mirabilia, aut quo vadãt: quippe vis spiritualis illos agens videri nequit. Augustinus aliud sapit, per spiritum intelligens sanctũ Spiritum. Primo, quia sub verborũ paucorũ interstitio esset æquiuocatio vocis huius spiritus: secundo, quia flatus non habet voluntatẽ: tertio, quia flatus origines, & fines non latent nos. Quoniam scimus austrũ à meridie spirare, &c. Quocirca exponit ad aliam rationẽ, Spiritus sanctus, vbi vult spirat, & vocẽ eius audis. Quando enim Nicodemus audiebat Christi vocem, illa erat spiritus sancti vox, & nescit, vnde veniat, quia latebat persona Spiritus sancti Nicodemũ: itemque eundem latebat vita æterna in particulari, quæ erat finis, ad quem corda fidelium Spiritus sancti agitat gratia. Sectantur Augustinum vulgati interpretes Latini. Porrò rationes præfatæ non colligunt contra Græcanicam expositionem. Primam dilues, nihil mirandum, si sub paucorum verborum interstitio æquiuocatio sit huius dictionis, spiritus: siquidem sub tam exiguo intestitio æquiuocatio est huius præpositionis, Ex. Siquidem quãdo Dominus ait, Quod natum est ex carne caro est, causam subnotat materialem: siquidem semen vnde fit caro, est illius materia secunda. At quando subdit, Quod natum est ex spiritu spiritus est, non causam materialem, sed efficientem demonstrat. Spiritus enim Dei non potest subigi in materiam alicuius, neque Deus est de substantia creaturæ, aut creatura de substantia Dei, sed autor eius, & causa eiusdem efficiens.

Deus nõ est de substantia creaturæ, aut creatura de substãtia Dei

¶ Secundo respondetur, voluntatem ventorum dici eorundem impetum: vt etiam brutorum voluntatem Aristot. dixit esse eorundem concupiscentiam, ex cuius impetu feruntur. Et est phrasis vulgata in animatis, & brutis tribuere hoc modo voluntatem, pro naturæ impetu non pro rationis libero arbitrio.

¶ Tertio dices, vẽtos in vniuersali notas habere origines, videlicet, oriens, occidẽs, &c. At verò non possumus videre, sensu ve percipere, vnde punctialiter hic vẽtus, qui modo flat flandi habeat punctuale exordium, aut quò punctualiter desinet. Quocirca Dominus ait, *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, &c.* Et aduerbiũ, vbi, vsurpatur pro aduerbio, quò: Græcè enim scribitur, πῦ.

¶ Fortasis igitur exponemus clarius Domini verba, si dixerimus Christum intendere Nicodemum instruere veram esse renascentiam spiritualem, vnde ipse mirabatur: at occultam esse valde. Et vt hoc doceat inducit exemplũ ex sensibilibus. Nam si ventus, quem nos ipsi sentimus, tam occultam habet originem, tamq; occultum finem, vt Dauid canat, qui profert ventos de thesauris suis: quid mirum, si natiuitatem homo nesciat spiritualem, quam etsi homo renatus intelligit, aduertens se esse noui animi, quem prius in se non aduertebat. Cæterum vnde illi proueniat tanta nouitas, aut quo tẽdat nescit? Quamuis enim renatus huiusmodi coniectare possit, se potiri noua hac natiuitate, cæterum neque ex sententia, neq; ex sensu, neque per fidem hoc cognoscere certo potest: quia solum fides docet per baptismum hominem renasci. At quod hic qui baptizatur, sit renatus, fides non docet: quippe fidei falsum non potest subesse. Fieri autem potest baptizatum ex obice

Natiuitas spiritualis vera est, sed occulta est.

oblato,

Baptizatus aliquãdo nõ renascitur.

oblato, aut ex alio impedimento non renasci. Quocirca vt etiam Cõcil. Trident. cõmemorat sub alia verborum forma hęc natiuitas occulta est, etiã ipsi nato: quid ꝙ alijs sit ignota seu nescita? Vnde Sef. 6. capit. 9. Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei fuisse consecutum. Et satis congruit Domini verbis, capitulum hoc: siquidem hoc volebat Dominus dicens, Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Idest, natiuitas hæc spiritualis, sciri nequit dum hic agitur in via: quia origo illius est Spiritus sanctus, qui sciri nequit, & finis eius est vita æterna, quæ etiam hominibus est satis abscondita. Itaq; per natum ex spiritu, intellexit Dominus natiuitatem spiritualem ex cõcreto, vt notiori abstractum occultius insinuans. Quamobrem vanam puta esse hæreticam arrogantiam sibi arrogantem se scire certo hanc spiritualem natiuitatẽ, imò etiam vanè asserentem necessum esse homini iustificando, seu renascituro, certissimè credere se esse renascituram, id quod nos repudiauimus satis. 4. lib. Sentent. *Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?* Quando primo audierat Nicodemus Dominum docẽtem, Nisi quis renatus fuerit ex spiritu nõ poterit videre regnum Dei, raptus est in verbi huius admirationẽ. Dein verò Domino repetente, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto nõ potest introire in regnum Dei adduxit admirationẽ, secum reputans quî fieri possit aquam esse necessariam ad natiuitatẽ spiritualem. Ideò modo ait, *Quomodo hæc fieri possunt.* Non hæsitãs in verbo docentis, sed admirans natiuitatem edoctam, modũ exquirit quomodo hæc fieri possunt, videlicet, quis modus erit vt intelligam hominem renascituram ex aqua & Spiritu sancto. *Respondit Iesus, & dixit ei, Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Quasi dixit, Tu es Doctor primarius Iudæorũ, & hæc ignoras? Græcè est articulus, ille, sic vertere liceat, Tu es ille magister Israelis, & hæc ignoras? Et videntur reprehensoria verba Theophilacto. Quandoquidem dignus erat Nicodemus qui à Domino carperetur: quandoquidem in lege Dei multa à Deo mirabilia facta didicerat, vt quod formatus sit homo ex luto, & quod Eua ædificata ex costa fuerit viri, & Ægypti miranda prodigia, & maris rubri transitum, & sterilis fœcunditatem. Idcirco obiurgatione dignus, quod hoc discrederet, quod Dominus docebat de spirituali natiuitate. Nam qui alia prodigia facere potuit, hoc item facere potuisset. Quocirca iuxta Theophilactum reprehenditur à Domino Nicodemus modo, tanquam incredulus. Ad eandem etiam rationem Rupertus exponit hunc locum, credens per hæc verba Dominum non solum Nicodemi, sed & aliorum Pharisæorum in Nicodemo decussisse supercilium: quia iactantes legis scientiam legis tamen sensum verum ignorabant. Poterant namque facile hanc intelligere natiuitatem, ex Ezechiele capit. 36. dicente, Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, &c. Et rursus, capit. 47. vidit aquam egredientem de templo à latere dextro, &c. Et apud Zachariam, Et erit fons patens in ablutionem menstruatæ. Et Dauid psal. 50. Cor mundum crea in me Deus, item, renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua, psalm. 102. Caietanus porrò subiecit Nicodemum ali quantæ reprehensioni, quia sciebat prophetas & patriarchas, aliosque viros sanctos fuisse renatos ex spiritu, ideò non debuisset hærere in verbis Domini.

Origo & finis natiuitatis spiritualis absconditæ sunt.

Nemo nouit certo se esse Deogratum.

Genes. 1. & 2 Exod. 7. & 9. & 14. 1. Reg. 1.

¶ Porrò autem Theophilacto obstat, quia Dominus non dixit, Tu es magister in Israel & hæc discredis, sed, & hæc ignoras? Aliud verò est ignorare, aliud discredere, quia illud aliquando est inculpatum quando est inuincibile, hoc verò nunquã à culpa vacat: semper enim est in culpa discredere Deo. Rupertoverò obsistit, quod illa omnia testimonia solum colligunt iustificationem hominis à Deo, quam credebat Nicodemus. At verò non apertè enũtiant regenerationem ex aqua & Spiritu sancto, ad quam stupebat Nicodemus. Et quod de aqua legebat Nicodemus, nisi Christus exposuisset hanc natiuitatẽ, quis tantum sacramentum assequeretur? Putabant igitur legis illius periti forte aquam emũdaturam, ad eam rationem, ad quam sacrificia vetera tradebantur expiare peccata, vel figuratum sensum ibi esse suspicabantur, vt apud Esaiam, Lauamini, mũdi estote, &c. Caietano obuiat, quod Nicodemus nõ hærebat in iustificatione sanctorum, quam credebat, sed solum natiuitatem

tatem nouam esse necessariam ex aqua & Spiritu sancto admirabatur. Prophetas enim cæteroſq; patres illius legis sine hac natiuitate iustos fuisse tenebat. Fortasis igitur aliter locum hunc apertius differemus, si dixerimus Nicodemum reprehensum à Domino de ignorantia quadam, siquidem ignorabat Deo subesse hanc natiuitatem hominis nouam. Quippe quamuis generaliter credidisset, Deo esse vniuersa possibilia, cæterum quod hæc natiuitas noua hominis Deo suberat ignorabat. Et ideò semel atque iterum exquirit horum nouorum natalium rationẽ, cum tamen cedere continuo verbis Domini debuisset, certò tenens Deo hoc subesse, videlicet, noua ista hæc hominis parare natalia. ¶ Propterea igitur Dominus illi ait, Tu es magister in Israel & hæc ignoras? Non reprehendit quod ignoret Nicodemus modum horum nataliũ, quia hoc inculpabile est, modum hunc nescire, qui soli Deo notus est: humanitus namq; sciri nequit, quo nam pacto, humana mens, renouetur & renascatur per baptismi sacramentum. At verò reprehendit quod ignoret hunc modum renascendi humanæ mentis, esse Deo soli possibilem eiusdemque indaginem homini non esse necessariã. Quod si hoc sciuisset non anxie exquisiuisset huiusmodi scientiã à Dño. *Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* Caietanus hæc refert, ad duas naturas in Christo: ideoq; Christum plurali numero dixisse, Quod scimus loquimur, non quod sint in Christo duæ personæ. Quippe secundum diuinitatem, vniuersa nouit, & item secundũ humanitatem: quia anima eius simul atq; creata fuit, summa rerum imbuta fuit notione: quare ait, *Quod scimus loquimur, &c.* Cui ego refragor, & mirari subit, cum ipse tantopere celebret axioma illud apud illum, actiones sunt suppositorum, cur non obseruauit modo, loqui, & videre, & scire esse suppositi actiones, ideò non referendas ad Christi humanã naturam: quocirca puto non propter humanam naturã Christi, verũ est quod Christus ait, Quod scimus loquimur, &c. Aliorum verò est interpretatio, quam amplexi sunt Cyrillus, Rupertusque, & Nicolaus plurali numero Christum locutum, quia testimonium latum à Christo, ferebatur à patre & Spiritu sancto. Et Deuter. 17. In ore duorum, vel trium stat omne verbum.

¶ Vel forsan ideo dixit, Quod scimus loquimur, quia familiare est scripturæ ex singulari pluralem, & contra denotare. Vnde Paulus. 1. Cor. 2. Sapientiã, inquit, loquimur inter perfectos, cum tamẽ Paulus vna & non plures personæ esset. Interlinealis autem ad viros iustos & prophetas retulit, vt quasi in persona eorum Dominus dicat, Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.

¶ Vel dixerim secundo propter se & Ioãnem Baptistam Christum dixisse, Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: siquidem Ioann. Baptista tum ferebat testimonium de Christo, & de Christi baptismate, Matth. 3. Ille, inquit, vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Pharisæi autem Lucæ. 7. Ioann. testimonium de Christo simul cum baptismo spreuerunt: ideo ait, & testimonium nostrum non accipitis. Neque tam hæc dixit propter incredulitatem Nicodemi, quam propter aliorum Pharisæorum petulantẽ infidelitatem. Siquidem Nicodemus accedens ad Christum, & eũdem profitens esse magistrum à Deo missum admodum vero simile est, quod Christo credidit, nisi quod admirabatur ex nouitate nataliũ, quam ex lege non didicerat. Nam quamuis baptismi gratia esset adumbrata sub propheticis sermonibus, cæterum erat satis obscura, nisi Christi luce, illustraretur. Idcirco etiamsi fidem exhibebat docenti Christo, persuasus tanti magistri autoritate, at ex doctrinę nouitate miratus, exquirebat, quanam ratione natalia noua fieri possent. Aliorum verò Pharisæorum, elata mens, non solum non demirabatur ex Christi verbis, sed potius ex illis incandescebat aduersus Christum: propter quod Dominus ait, Et testimonium nostrum non accipitis. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero cœlestia credetis?* Chrysostomus censet ideò baptismum appellatum terrenum, quia in terra fit, & quia collatus æternę natiuitati gratię natiuitas terrena censetur. Augustinus retulit ad verba priora illa, Soluite templum hoc, &c. quæ vocauit terrena, quia de tẽplo terreno erat sermo.

¶ Vel dicito natiuitatem gratiæ quæ ex baptismo

Deo soli subest renouare mentem, at modum indagare quo de° illã renouat non est scitu necessarium.

Obseruabis expositionẽ.

baptismo accidit, esse similem carnali natiuitati. Vt enim per hãc fit homo nouus secundum naturam, ita per illam fit nouus secundum gratiam. Ideò ex similitudine, quam habet ad terrenã natiuitatem, natiuitas gratiæ, terrena vocatur à Domino. Quod ergo dicit tale est, si tu Nicodeme tanta teneris admiratione in doctrina mea, de natiuitate spirituali, maior te teneret vtique si maiora te docerem. Abstinebo porrò à rerum maiorum doctrina, quia nondum capax est maiorum, qui in minoribus hæret.

¶ Quemadmodum & Paulum legimus, se gessisse erga suos Corinthios. 1. Cor. 3. Ait nãque, Lac vobis potũ dedi, nõ escã, nõ enim poteratis, sed nec nunc quidẽ potestis. Qua ex causa, cum Nicodemus litera legis Mosaicæ onustus, ad subtiliora nouæ legis sacramenta, non facile assurgebat, Dominus eum in superioribus nõ erudit sacramentis, vt fecerat. cap. 1. Nathanaelem: sed in instituto baptismatis sistit. Quod verò ait, Nõ creditis, videtur incredulitatem Nicodemo vicio vertere. Verũ ad eandem rationem capito verba hæc, ad quam illa sum interpretatus superius, Et testimonium nostrum non accipitis. Nõ enim, vt dicebam ad personam, sed ad sectam Pharisaicam Nicodemi sunt referẽda, etiamsi sunt qui censeant illum fuisse tum incredulum, vt diximus. *Et nemo ascẽdit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Nexum horum verborum, seu continuationem ad præhabita non est promptum edisserere. Et hac diserta, verborum exponere sensum, non est perspicuum. Rupertus nectit hæc cum prioribus, ad hunc modum. In prioribus enim docuerat Dominus regenerationem spiritualem esse necessariam hominibus, vt illis reseretur Dei regnum, ostendit in præsentia Christus, qua nam ratione, hãc regenerationem assequentur homines: assequentur enim si efficiantur membra Christi. Etenim, qui in Christi vnionem ex gratia non transierit, nõ poterit regno potiri cælorum. Et hoc est quod ait, Nemo ascendit in cælum, nisi, qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Hoc est, nemo potest ascẽdere ad cælum, nisi fiat membrum per fidem, & charitatẽ filij hominis, qui descendit de cælo, humanam carnem accipiendo. Ad quã rationem Ordinaria glossa, & Nicolaus exposuerunt. Theophilact. verò aliter nectit, videlicet, Ne putes me Nicodeme esse quasi prophetam, qui de terra est, à Deo missum doctorem, sed à supernis me scias descendisse vt filium, non à terra esse. Nullus igitur prophetarum ascẽdit in cælum, nisi ego solus ascensurus, qui & descendi. Cyrillus verò multò seciùs iũgit hæc cum prioribus in hæc verba. Si dicenti mihi nõ creditis, sed multos in singulis testes poscitis, quis cœlestia vidit mysteria, quem possim in testem vobis adducere? Nemo enim potest ascendere in cælũ, nisi filius hominis, qui est in cælo. Et hæc connexio textuum videtur magis cõtexta, quã priores contexturæ.

¶ Quantum verò ad sensum pertinet, scito primo ex loco isto. Apollinarium hæreticum indicante Theophilact. credidisse corpus Christi ex cælo ad terras delatũ, & per sacram virgineamque vuluam tanquam per fistulam quandam fuisse ad nostra transmissum: quæ hæresis etiam fuit Valentini hæretici. Colligebant autem hæresim ex verbo Domini, filius hominis descendit de cælo. Ignorabant autem isti communionem idiomatum vtriusq; naturæ. Quia tamen filius Dei est caro factus, & incarnatio hæc descensus vocatur, ideò ait, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descẽdit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Filius enim Dei de cælo descẽdit, quia se fecit filium hominis: & filius hominis ascendit in cælum, quia verus est Deus. Itaque ascendere competit filio hominis ex vnione ad verbum diuinum personali, & descendere competit diuino verbo, ob eandem hypostaticam vnionem. Vnio igitur hæc hypostatica est Deo descensus, quia exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & est ascensus homini, quia per illã verum est quod homo çst Deus, id quod est infinitæ maiestatis promotio. Vnde Nestorius confunditur credens in Christo duas esse personas, quia duæ erant naturæ. Etenim locus hic hæresim suam redarguit. Nam si pendis libratè Christi verba vnitatẽ personalem haud dubium denotant: videlicet, eundem omnino esse ascendentem in cælum & descẽdentem de cælo, filium hominis, qui est in cælo. Si ergo vnus est filius hominis ascendens in cælum, & is ipse est descẽdens è cælo,

Apollinarius Valentinus, Nestorius ex verbo Ioann. confundũtur

Hypostatica vnio est descẽsus Dei & hominis ascensio.

è cælo, & is ipse est in cælo, quomodo iste fingit duas esse & non vnam personam filium Dei ascendentem, & filium hominis descendentem?

Varia interpretamenta.

¶ Cæterum quòd remoratur huius loci intelligentiam est, quod ascendit, est Græcè præteriti, & non præsentis temporis. Καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν, εἰς τὸν οὐρανόν. Vnde videtur verba Domini non esse referenda ad ascensionem suam in cælum, quippe hæc nondum celebrata id temporis fuerat: tametsi Theophilact. ad illam retulit, vt dudum indicabam. Ordinaria verò glossa ad ascensionem fidelium cum Christo, quæ etiam futura est secundum corpora, & est quotidiana animarum sanctarum ascendentium, ad æternitatis beatæ gloriam. Et forsan Theophilact. expositio non est reijcienda: quippe familiare est Hebræo sermoni tempus vsurpare pro tempore: ideoque præteritum Dominus vsurpauit pro futuro. Caietanus autem commentus est aliam expositionẽ, Christum, scilicet, solum modo ascendisse in cælum: quia anima eius simulatque creata fuit donata fuit diuinæ visionis claritate, id quod nulli vnquam contigit. Iãsenius autem abhorret & ab hoc placito, at quod probat, verbo tenus à Caietanico differt. Credit enim non ob hoc Christum ascendisse in cælum commemorari, sed quia solum ipse omnia arcana collustrauit cœlestia, esseque locum hunc similem illi in cap. 1. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrabit nobis, &c. Vtraque hæc expositio, de metaphorica ascensione, & non de propria textum hunc elucidat. Siquidem, vel visio beata, vel collustratio diuinorum arcanorum, non est ascensio propria, quæ est localis ad suprema latio, sed est metaphorica, seu similitudinaria ascensio. Quid quod de filio hominis est sermo, non de anima eius. At coegit hos autores in hanc exponendi rationem, verbum præteritũ ascendit. Verum eodem obseruato tempore forsan aptius exponemus, si per ascẽsum in cælum ipsam vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum Deo, subaudiamus. Enimuerò Esai. 14. Luciferi cõmemorantur verba illa, Ascẽdam in cælum. Et elucidauimus locũ in dilucid. nostris: quippe Lucifer appetebat diuinitatem, non ergo ab re erit exponere per ascẽsum in cælum filium hominis, esse filiũ Dei, vt sit sensus, Nemo ascẽdit in cælum, hoc est ad diuinam personalitatem nemo est promotus, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo. Hoc est, Nisi ipse Christus qui ratione naturæ assumptæ descendit de cælo. Exinaniuit enim semetipsum formam serui accipiens, qui est in cælo, quia ipse Christus in terris agens, erat in cœlestibus. Gemina enim potitus natura, ex diuina in cælo erat, ex humana in terra agebat. Et quia vna persona erat, idem qui in terris versabatur, cælum tenebat, & in cælo residebat.

Vnio hypostatica est ascẽsio filij hominis.

¶ Porrò mihi non videtur absona dilucidatio, si ad futuram Christi ascensionem, locus referatur, vt de propria ascẽsione locum intelligamus, vt sit sensus, Nemo ascensurus est in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, &c. vt Theophil. collibuit vsurpando tempus, pro tempore ex Hebraica dialecto. Etsi tamen de ipso Christo locum interpremur. Namq; si de corpore mystico locũ subaudiamus qui reputatur Christus Actor. 10. Saule, Saule, quid me persequeris? mystica est elucidatio. Nemo enim potest ascendere in cælum, nisi filius hominis, idest, corpus Christi mysticus, quod propter humilitatem animi, & corporis varias pressuras, descendere dicitur. Est tamen necesse descendere hoc modo, vt ascensus ad æthera pateat: quia qui Christi sunt persecutionem patientur. Et si Christus descẽdit vsque ad crucis ignominiã, vt intraret in gloriam suam, corpus eius, quod est Ecclesia item descendere debet, si ascendere ad cœlestia cupit: quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Verum hic sensus mysticus tropologiæ magis quam literali expositioni est subseruiens. Et nihilominus coactior videtur sensus hic quam par fuisset, quia descendere de cælo non congruit Ecclesiæ, etiamsi humilitatis opera illi congruant. Quod enim in Apocalyp. legimus. 20. Ego Ioann. vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo, non ad fideles descendentes de cælo referendum est, sed ad instituta, quibus Ecclesia regitur, quæ ex cælo descenderũt, quia Deo afflante sunt nobis tradita. *Nemo ascẽdit in cælum, &c.* Si de ascensione translatitia sit audiendus locus, vtique nemo promotus

Mysticus sensus.

Nemo ascendit cũ Christo ad iucunditatem gloriæ nisi prius descẽderit ad tribulationis humilitatem

motus est ad sublimitatem diuinitatis, vt esset homo idem qui Deus, nisi Christus. Si verò de ascẽsu proprio, tunc sensus est, Nemo ascensurus est in cęlum nisi, qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo. Vnde Paulus, qui descendit, ipse est qui ascẽdit, supra omnes cęlos Eph. 4. ¶ Quod si obieceris, si Nemo ascendit in cælum nisi vnus Christus, quid est quod sperant fideles se ascensuros tandem in cœlestia regna? Fuerunt hæretici qui insanirent hoc contendentes, neminem ascensurum in cælum excepto Christo. At verò hæresis hæc stulta est, quandoquidem scriptura vbilibet diuersum clamat, Beati ait, pauperes spiritu, ipsorum enim est regnum cælorum. Et. 2. Corinth. 5. Paulus, in hoc ingemiscimus habitationẽ nostrã, quæ de cælo est, superindui cupientes. Vbi vocat cælũ habitationem suam, quã sanè id temporis quãdo hæc scribebat, nõ dum habitabat, sed quia spe firma illam habitandam ab ipso conceperat. Et quid multa huc sunt vocanda, quando Matthæ. 25. Iustis cœlestia donantur regna, & iniustis tartarea impartiuntur tormenta? Ascendit igitur solus Christus, & non solus Christus. Solus ipse, quia propria virtute cælos penetrauit: non solus ipse, quia ipsius virtute fideles penetrãt. Quia ergo Christus dixerat Nicodemo, Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo, vt subducat illum à concepta admiratione subiecit, hęc quæ sunt prefata verba, Nemo ascendit, &c. Quasi clarius dixisset, Define mirariò Nicodeme natiui tatem nouam hominis, quam te doceo, quasi rem impossibilem: imò me doctore eandem necessariam ad salutem æternam consequendam esse crede. Me etenim appellasti dudum magistrũ à Deo missum: propterea quę continuò sublata omni hæsitatione fidem eras mihi præbiturus. Quid quod minora de me dixisti, quam dixisse par fuisset: quandoquidem non solum missus sum à Deo magister, vt cæteri vates missi sunt. At vt maiora iam deinceps de me concipias, & firma fide teneas quæ hactenus te docui, scito me solũ ascendisse in cælum, & descendisse de cælo, ad eamque rationem descendisse, vt nihilominus in cælo modo sim. Quid ergo videris hæsitare in doctrina mea, quasi in doctrina puri hominis, qui cœlestia nõ vidit? Porrò si cœlestia vidi, quippe qui in cælo sum, & ex cælo descendi, sublata est tibi omnis occasio non credendi, omnis apparentia hæsitandi, & omnis denique amputata est admirandi causa ex verbis meis.

Hæreticum cõmentum.

¶ *Filius hominis, qui est in cælo*, Græcè ὁ ὢν, ἐν τῷ οὐρανῷ. Erasmus, verti, inquit, poterat, participium, per præteritum imperfectum, Qui erat in cælo. Sanè verti poterat, at aptius per præsens versum est. Etenim si verteretur, *Qui erat in cælo*, significaretur humanitatem Christi fuisse ante secula, vt dicebat Arrius. Vnde consequebatur non fuisse vere natum ex Maria virgine, vt dicebat Valentinus. At verò iuxta vulgatam editionem non hoc præfertur, nam cum ait, Filius hominis, qui est in cælo, non significatur filium hominis fuisse ante secula, sed esse in cælo, quod verum erat ex communicatione idiomatũ. Quod si dixeris ex eadem communione verum est, Erat in cælo, & hoc fateor: quia ex illa communione filius hominis æternus est, ideò erat. Veruntamen, quia hac ratione interpretando magis prefertur humanitatis æternitas, quam si interpretemur, *Qui est in cælo*, hac de causa aptiorem dicebam nostram editionem. Legimus porrò in Paulo, Christus heri, & hodie, & ipse vsque secula. Veruntamen verba hæc, quæ Christi æternitatem testantur facilè ostendunt, non humanitatem eius, sed diuinitatem esse æternam, quia Christus clarius personam diuinam quam humanitatem significat. Porrò filius hominis, etsi eandem personam, at clarius humanitatem denotat: ideò si transtulisset, *Filius hominis, qui erat in cælo*, videretur humanitati æternitatem quandam tribuere.

Hebræ. 13.

¶ Filius hominis: quod si te solicitat quæstio, cur Dominus frequenter se appellet filium hominis, & multò frequẽtius, quã filium Dei, dixerim tibi, ne ex magnitudine miraculorum conciperet aliquis, nõ esse Christum verum hominem, sed phãtasticum, vt Manichæi crediderunt: idcir cò frequentissimè hanc appellationem inculcat esse se filium hominis. Est autem phrasis hæc Hebræis consueta filium hominis vocare hominem. Vnde Psalm. Filij hominum vsquequo graui corde? hoc est, vos homines, quousque grauia geretis iniquitatibus corda? Et istud est vsitatissimum

Christus cur assiduè se nominat filium hominis.

mum sacris eloquijs. Est ergo idem filius hominis, atque verus homo. Ne suspiceris tamen ex eo se appellasse filium hominis, quia ex semine humano cõceptus est: id quod absit à tuo cogitatu: quia Ecclesia canit de Christo, procedens homo sine semine largitus est nobis suam Deitatem. Rupertus autem testatur hoc loco Christum processisse de stirpe Dauid, ex carne vel semine Mariæ, licet virginis. Porrò Ruperto in dogmate hoc non est subscribẽdum. Quippe quamquam ipse, fortassis semen, intelligat sanguinẽ Mariæ, vn de cõceptus est Dominus, at sermo isteest corripiendus, quod conceptus fuerit ex semine Mariæ. Semen enim, non excidi tur, nisi ex libidinosa voluptate, quod procul fuit à Domini conceptu, qui conceptus est ex Spiritu sancto, superuenientẽ in virginẽ, vt Christum conciperet. At quia Hispano idiomate homo masculum denotat, hac ratione Hispana loquela nõ aptè dicemus Christum esse filium hominis, *Hijo del hombre*, sed Latinum sermonẽ commodius interpretamur, *Por hijo de la Virgen*, propter causam dudum tactam.

Christus ex semine Mariæ nõ est cõceptus.

Ad Rom. 1. Quod verò Paulus inquit, Qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnem, non eo sensu accipito, quo credas, Dominum conceptum ex semine fuisse: sed eatenus ex semine Dauid traditur factus quatenus, ab illo duxit originem secundum carnem. Est namque familiare scripturæ, semen, genus & prosapiam, appellitare. Sicubi verò apud quempiam Doctorum sanctorum extiterit Spiritum sanctum se gessisse pro semine, in Christi conceptu, habeto verba, non secundũ sermonis prætextum, sed secũdum veram internamq; intelligentiam, videlicet, quod Spiritus sancti virtute fœcundata est virgo, vt sine virili complexu Christum conciperet. De qua re supra nonnihil attigimus. Est præter hæc Christus appellatus hominis filius, quod idem est, atque homo, ex singulari quadam ratione. Sicut enim Adã primus ille homo, qui formatus est, quia primus fuit hominum, vnde cæteri posteriores omnes ducunt originem, ideò appellationem communem sibi arrogat singularem, vt appelletur non alio nomine, quam homo: ita quoque Christus eãdem sibi arrogat appellationem, vt propriam, quia est etiam hominum primus, quia est caput omnium hominum, non secũdum carnalem progeniem, sed secundum spiritualem filiorum Dei adoptionem. Vnde Paulus. 1. Corinth. 15. Primus homo, de terra terrenus, secundus homo de cælo cœlestis. Et ante hæc præmiserat, Primus Adam factus est in animam viuentem, novissimus Adam, in spiritum viuificãtem. Quemadmodum ergo primus appellatur Adam, idest, homo, quia est principium hominum, secundum animalem vitam, ita nouissimus Adã, idest, Christus, Adam appellatur, quia est principium hominum, secundum spiritualem vitam. Hacque ratione Apostolus vocat Christum nouissimum Adam, non quod post Christum non successerint huc vsque infiniti homines, sed quod ex ratione principij spiritualis vitæ, ipse est nouissimus. Quippe duo sunt tantum principia hominum protoplastus, & Christus, iuxta varias rationes principij.

Duo sunt principia humani generis Christus & Adam.

Christus cur nouissim' homo à Paulo appelletur.

¶ Sed forsan iam te alia pulsabit hæsitatio, quid est quod Dominus pridem dixerat, Dixi vobis terrena, & non creditis, &c? Modo autem cœlestia docet sacramẽta dicens, Nemo ascendit in cælum & reliqua. Respõdetur Dominum non dixisse deinceps se non docturum cœlestia, sed Pharisæos non credituros, vt rei probauit euentus. Hactenus Dominus baptismatis expressit virtutem, & suæ mirificæ incarnationis insinuauit sacramentum, dicens, Nemo ascendit, &c. Sequens verò denarratio passionis Dominicæ reteget arcanũ.

ENARRATIO II.
in caput tertium.

¶ *Et sicut Moises exaltauit serpẽtem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

1. Sectio.

POstquam Dominus Nicodemo baptismatis efficaciã, & necessitatem, referarat, iam modo in hac secunda Euãgelij sectione, vnde baptisma tantæ sit efficaciæ originem ostendit eidem. Et congruentissimè post enarrationem baptismatis subiecit incarnationis suæ mysterium, docens, se de cælo descendisse ad terrã, & nihilominus in cælis resi-

Baptisma incarnatio christi mors.

residere. At huius mysterij absoluto sermone ad passionis suæ adumbrandum arcanum se conuertit. Non enim clare expossuit Nicodemo suam, quam subiturus erat crucem, sed sub typo illius serpentis, quem Moises suspendit in ligno, agens in deserto ex Domini præcepto. Numer. 21. Quem item contemplantes percussi ab ignitis serpentibus à plaga serpentium liberabantur mortem suã subnotat, futuram in cruce, quam oculis fidei contemplans, à diabolica plaga liberandum insinuat.

¶ Opportunè autem meminit suæ crucifixionis, post baptismatis doctrinam. Quippe baptisma exprimit Dominicæ mortis formam, ad Roman. 6. Et ideò sacramentorum nullum, tanta potitur vi sanctificatoria, quanta baptismus.

Christi mors vberius influit in baptisimum, quã in cætera sacramenta.

¶ Quoniam cum hoc sit ianua omnium sacramentum, à quo cætera pendent sacramenta, hoc enim submoto nullus est hominum capax Ecclesiasticorum sacramentorum: propterea Christi passio, & mors in hoc sacramentum vberius influunt, quam in cætera sacramenta. Quocirca cum Dominus mentionem fecisset de baptismate paulo ante, subiecit modo suæ mortis doctrinam, vnde baptisma efficaciam hauriebat. At verò non clarè enunciat modo se moriturum Nicodemo in crucis patibulo, ne Nicodemus inde contristaretur, sed sub typo serpentis illius æneis se moriturum crucifixum pronunciat, & suæ mortis energiam declarat. Apostolis autem etsi secretò, clarè tamen declarauit mortis suæ qualitatem, & locum dicens, Ecce ascendimus Hierosolymam, &c. At verò Nicodemo, vt legis diuinæ doctori, sufficit sub typo rem exprimere, quem ipse secum postmodum voluens, mortis Dominicæ intelligeret sacramentum, quippe qui legis typis interpretandis erat assuetus. Est autem typus hic quod Moses ex Domini mandato erexit super palum, aut vt, vox Hebræa sonat, super hastam lanceæ, serpentem quendam æneum, aut vrentem, vt Hebræa lectio habet. Dicebatur autem serpens ille æneus vrens, vel ardens, quippe qui exprimebat similitudinem serpentis viui, quem scriptura commemorat fuisse ignitum. Serpentes enim, qui mordebant filios Israelis tum agentes per vastam eremum, igniti erant, vel quia flammas spirabant, aut quia, quos mordebant, igniebant. Creduntur autem à quibusdam fuisse aspides, quorum morsus est fere insensibilis, & est nihilominus continuo mortifer. Isti autem qui erant id temporis demorsi à serpentibus, Deo iubente intuebantur serpentem illum suspensum in palum, & continuo sanabantur à pestifero ictu. Non sanè, quia in serpente illo æneo fuisset virtus sanatiua, quippe neque quia figuram gerebat serpentis, neque quia æneus, demorsos sanare poterat. Sed istud erat diuini miraculi: quippe ad intuitum serpentis, Deus læsos sanabat. Huius verò serpentis tantum creuit cultus, vt postea Israelitæ, diuinum nonnihil in illo latere esse suspicantes, ad idololatriam ruerent. Quare Ezechias. 4. Regum. 18. illum confregit, ne diuinus illi cultus impenderetur, neve quod institutum fuerat ad corporis remedium fieret in animi exitium.

Serpẽs æneus indeserto erectus nihil viriumhabebat ad sanandum læsos à serpẽtino morsu.

¶ Serpens autem præsefert peccatum. Etenim Gene. 3. serpens seduxit Euam, vt violaret Domini mandata, quæ seducta, illexit suum virum ad eandem violationem, & noxæ huius seductionis eundem fecit, sine seductione participem, quippe vir non est seductus, sed mulier. 2. Corinth. 11. In peccato autem duo pendimus, & culpam, & pœnam. Fuit porrò mortalitas peccati pœna: nam per vnum hominem peccatum introiuit, in genus humanũ, & per peccatum mors, ad Rom. 5. Deus autẽ veniens in mundũ, humanitatem nostram accepit, quam serpens tamen suo venenato nõ momordit morsu: quia expers fuit Christi humanitas omnis culpæ: peccatum enim non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius testante. Petr. 1. capit. 2. At verò, quia humanitatem accepit, specie similem nostræ passibilem, atque mortalem, ideò similis erat Christi humanitas nostræ, non ex culpa, sed ex passionibus corporis, quibus se subiecit ex morte, quam tulit, quæ originem traxit ex serpentina persuasione. Vt ergo vipereus morsus curatur ex vipera, & cancri

morsus curatur ex cancro, namque theriacalia pharmaca, ex vipera temperantur, & cancer contritus & vulneri cancri impositus auxiliatur: ita quoque Dominus voluit mortem subire, quæ hominibus acciderat ex serpentina persuasione, vt mortem nostram moriendo superaret, & vitam resurgendo repararet. 2. Timoth. 1. Istud est quod idem Paulus voluit ex verbis illis, ad Roman. 8. Deus mittens filium suum, in similitudinem carnis peccati, & de peccato, damnauit peccatum. Quippe accepit humanitatem passibilem, similem, nostræ, & moriens, quasi esset peccator, cum alioqui esset innocentissimus, damnauit peccatum. Vnica namq; morte sua geminam destruxit nostram. Mortui enim eramus secundum animam, quia Deo non viuimus ante iustificationem, & mortui secundum corpus, quia mortales sumus.

Vnica mors Christi destruxit gemi nam mortem nostram.

Christus igitur vnica morte suæ carnis, destruxit vtramque mortem nostram, quia mors eius est causa vitæ nostræ si in illam credimus. Quippe infidelibus non prodest mors Christi, actus namque actiuorum sunt in patiente benè disposito, vt neque lux solis illuminat, se se obcæcantem. Mors igitur animæ humanæ destruitur ex baptismo per Christi mortem. Instituit enim Dei ineffabilis sapientia mortis suæ virtutem per causas quasdam secundas, quæ sunt sacramenta hominibus credentibus impartire.

Mors Christi virtutem suam impartit per media sacramenta.

Mortem verò corporis non destruit modo Christus, at spem donat destruendam tandem sub diem iudicij.

¶ Christus igitur instar illius serpentis ænei est, qui gerebat similitudinem venenosi serpentis, & nihil continebat alioqui veneni. In quem prope modum Christus accusatur quasi peccator, sistitur coram iudice, damnatur ad mortem, quasi peccati venena continuisset. At verò nihil serpentini veneni, nisi similitudinem quandam gerebat: foris iudicabatur peccator, intus humani generis salus & vita erat. Verè mortuus fuit, at mors quam sustunuit non ex debito sui sed nostri erat peccati.

¶ Quamobrem iniustissimè damnatur, iniustissimè occiditur. Cæterum ex mortis iniustissimæ, quam tulit, veneno, confecit nobis diuinum salutis nostræ pharmacum, mortisque venenum, salubre fecit antidotum. Et principe tenebrarum harum, qui sedulo studio Dominum curauit patibulo adigi crucis, ex que procurata ab eo morte, eiusdem imperium aboletur. Vnde Christus iam iam moriturus, inquit, Ioann. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, siquidem per mortem suam deturbauit Christus Satanam, qui habebat mortis imperium. 2. Timoth. 1. Vocat autem aptissimè Dominus mortem suã exaltationem: siquidem quamuis videbatur infidelibus Christi mors summa depressio, veraciter tamen exaltatio erat. Ideò Ioann. 12. Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me: quo sermone mortis suæ qualitatem insinuabat: ipse namque per mortem suam fuit exaltatus, ad Philippens. 2. Et fideles exaltauit, per ignominiam suæ crucis suos glorificans. Vt autem serpens ille æneus fuit erectus à Mose insignum, Hispanè, *Por blanco*, ita Christus est leuatus à Deo patre in signum. Namque in cruce fuit leuatus, & ibi suspensus existebat in aere, vt ab omnibus esset conspicuus: quia non solum salutis est signum, vt serpens ille erat, sed causa. Est autem Christus leuatus in signum, quia est manifestatus ab Apostolis cuncto orbi. Et Simeon cecinit in suo Cantico, Erit in signum cui contradicetur. Est sanè Christus leuatus in signum fœderis, & reconciliationis humanæ, cum Deo. At verò huic diuino signo, omnes hæretici, omnes schismatici, omnes apostatæ, omnes Iudæi, omnes denique pagani repugnant. Hoc est signum, quod memorat non semel Esai. 5. 11. &. 13. &c. Leuabit, inquit, signum in nationibus. Est equidem signum diuinæ charitatis erga homines, quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis illum morti tradidit, Roman. 8. Est signum rursus pacis, & reconciliationis, & misericordiæ. Erat enim Deus in Christo, mundum reconcilians sibi. 2. Corint. 5. Est signum præterea diuinæ iustitiæ, quæ tanta est, quanta non reseruit cœlestia hominibus regna quousq;

Christus ex mortis veneno salubre fecit antidotũ.

Ioan. 12.

Ioan. 12.

Ioan. 8.

Roman. 8.

Christus

Christus per proprium ipse sanguinem introiret in sancta illa cœlestia, Hebræ. 9. Cur autem, quæret quispiam, Moses ex Dei iussu non argenteum, vel aureum erexit serpentem, sed æneum? Vtique ne precioſæ materiæ, sanitatis medela tribueretur, ideò ex vili illum conflauit materia serpentem. Præsignans etiam ex materiæ vilitate dominum egenum quoque futurum, & despectum apud homines. Vitulus sanè ex auro ab Aarone conflatus adegit illos eremicolas in mortem, at serpens ex vili fabrefactus à Mose materia à morte reuocabat ad vitam. Quia mundi opes, & illustres pompæ nos ducunt in perditionem, at Christi imitata paupertas nos Deo lucratur ad vitam æternam. Qui ergo percussi à serpente, serpentem intuebantur sanabantur, qui verò non intuebantur mortis dispendia sentiebant: id quod typus erat salutis donandæ per Christum. Qui enim non intuentur oculis fidei Christum crucifixum, isti non sanabuntur à percussione serpentina, inuisibili quidem, sed longe peiori, quam fuerat illa eremicolarum percussio. Nam hæc carnis erat, illa verò spiritus. Solent serpentes in silentio mordere, & ex theriacalibus remedijs earum morsibus auxilia sæpè petuntur. At verò serpens ille antiquus in silentio mordet etiam. Etenim quis diceret infantes nondum natos esse à serpentino morsu huiusmodi demorsos, nisi fides hoc doceret, & asseuerantissimè prædicaret? vtique nemo. Occultissimus igitur est iste peccati morsus, & occulta etiam est huius morsus sanatio, quam sola fides credit & docet. Per baptismum enim ritè susceptum morsus hic occultè satis sanatur: quia iustificatio à peccato nemini nota est: non solum alijs à iustificato, sed neque ipsi iustificato. Poterit clarè, vel per fidem innotescere, nisi diuina imbuerit reuelatio. Cæterum aduersus occultum hunc morsum, inuisibilemque peccati punctura, theriacalia nulla ex natura speres remedia: quia nihil tibi auxilio erit, neque humana ratio, aut humana virtus nisi leues oculos mentis tuæ in signum illud mirabile, quod leuauit Deus in omnes nationes, nempe in Christum crucifixum. Hic tibi salutem solus à morsu huiusmodi vere pollicetur, si syncerã in eum geras fidem: nam hac sublata nulla tibi à morsu salutis relinquitur spes. Serpens enim æneus aspicientibus eum solum salutem præstabat. At verò dicet aliquis. Iam ergo sat est fides, vt à morsibus occultis serpentinis sanemur. Enimuerò, aspicientes in serpentem ex aspectu solo sanabantur, id quod cathedra pestilentię Lutherana obnixè contendit.

Exodi. 21.

Diabol⁹ mordet mentes insolentis.

Peccati morsus occultus, sanationẽ habet etiam occultam.

¶ Verum aspicere Christum non est solum Christi mortem, & alia credenda credere: namq; inutile est ore confiteri & factis negare. Et inimicos crucis Christi, non sanat crux Christi: nam horum finis est interitus, ad Philippens. 3.

¶ Is ergo intuetur verè Christum, qui fide digna opera præstat: de re hac nos in. 3. Sententiarum, multa disseruimus fidei iustificationem contra Lutherum versantes, indidem hauries. Sunt qui ex hoc textu hoc idem colligant, nam ait Dominus, vt omnis, qui credit in ipso non pereat. Græcè, in eum, at credere in Christum non est solum fidem habere Christi, sed per dilectionem etiam in eum tendere. Verum non esse inuiolatam hanc differentiam in scriptura inter credere Deo, & Deum, & in Deum supra ostendimus. Neque opus facto est huc confugere, quando sunt innumera alia quæ docent fidem solam mortuam esse sine charitatis sodalitio. Cæterum hoc multis probare interim in aliũ differamus locum. Diabolus igitur versutus serpens, erat enim serpens callidior cunctis animantibus terræ infecit sua versutia humanum genus. Christus verò sua sapientia, vnde ille infecit, nos ipse refecit. Ordo namque salutis nostræ hoc depoposcerat, vt ars Christi, artem diaboli falleret, & inde genus humanum à Christo ferret medelam vnde diabolus læserat. Namq; diabolica suggestione deiecti sumus in mortẽ: accepit Christus mortem, & passiones carnis, & nos liberauit à morte spiritus & carnis, vt supra commemorabam.

Inimicos crucis Christi nõ sanat crux Christi.

¶ Sicut etiam quondam accidisse legimus fratribus Ioseph studẽtibus euadere

Genes. 37. dominium fratris Ioseph, qui sedulo curantes euadere fraternum dominium diuendunt fratrem Ægyptijs, & ex eadem venditione succesit eis fratris dominium quod refugiebant.

Matth. 10. ¶ At verò si serpens ob prudentiam ab Euangelica lectione commendatur, vt ex veneno reprobatur, Genes. 3. Christus serpenti rectè ob summam prudentiã confertur. Cæterum hic serpens, innocens est, venenatus non est, imò antiqui serpentis infusa per orbem venena suo sanguine sanat. Ideo ait, *Vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam*. Duo namque singularia nobis contulit munera Christus ex morte sua, & liberauit nos ab æterna damnatione, quæ est summum malum, & liberatos iam à perpetuæ mortis dispendio æterna vita donat, id quod summi beneficij est. Submouit igitur summum damnationis malum, & contulit summum vitæ æternæ bonum. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mũdus per ipsum*. Multa, & illa eximia quidem demonstrauit Deus homini suæ dilectionis signa, quæ valde testarẽtur Deũ insigni quadam dilectione hominem diligere. Creauit namque hominem ex limo terræ ad imaginem, & similitudinem suam, & eundem locauit in paradiso omni amœnitate & vbertate voluptifico sum mæque pacis, & quietis loco. Adhæc clarissimo dominationis vniuersalis titulo nobilitauit eundem. Præfecit namq; eum vniuersis animantibus.

Christus antiqui serpentis infusa per orbem venena sanat.

¶ At verò, quod summæ fuit dilectionis irrefragabile argumentum est, quod modo commemoratur, videlicet, quod homini medendo collapso Deus filium suum vnigenitum mitteret, insanabilis, & conclamati morbi cœlestem medicum diuinumque antidotum. Insanabilis equidem morbus erat, quem neque sacerdos, neque leuita curare potuerunt, ni si filius Dei, tanto curando & sanando morbo de cęlis discendisset. Summæ sanè dilectionis, hoc est signum. Quippe parare tibi amicum ex beneficijs in eum collatis multis, dilectionis est argumentum, at verò inimicum tibi nouis prosequi muneribus, vt illius amicitiam tibi concilies, maiorem testatur dilectionem, at quando alia beneficia non proficiunt, si sanguine vnici filij tui inimicitiam profligasses, & amicitiam veterem instaurasses, an non summæ dilectionis esset inconcussum testimonium? Sic Deus vt inconcussæ veritatis testimonio testatissimam faceret hominibus suam dilectionem erga humanum genus, misit filium suum, &c. Per mundum, vt in capit. 1. tradidimus intellige homines, qui sunt in mundo, continens, pro contento. *Non enim misit Deus filium, &c.*

Passio Christi irrefragabile diuinæ dilectionis erga homines argumẽtum.

Iudicare in scripturis varias sortitur acceptiones, iam pro discretionis iudicio, ex qua boni discernuntur à malis, vt filij Israel discreti erant ab Ægyptijs. Vnde illud Psalm. Iudica me Deus, & discerne causam meam. Secundo pro iudicio probationis, Iudica me Domine, dixit psaltes, quoniam ego in innocentia ingressus sum, proba me, &c. Tertio, pro iudicio liberationis, quo boni à malis liberantur, Ioann. 12. Ecclesiast. 35. Dominus iudicabit iustos, hoc est liberabit illos à tyrannide impiorum. Quarto, pro iudicio discussionis Daniel 7. Iudicium sedit, & libri aperti sunt, idest, iudex sedit in sede iudiciali, ad discutiendum singulorum opera. Quinto, pro iudicio comparationis, Regina austri surget in iudicio, & condemnabit generationem istam. Quia collatione facta inter Israelitas impios, & reginam austri, hæc, quia minus impia condemnabit impietatem Hebræorum. Sexto, pro iudicio approbationis, Sapient. 3. Iudicabunt enim sancti nationes, approbando Christi summi iudicis iudicium. Septimo, pro iudicio damnationis, Psal. 34. Iudica Domine nocentes. Et hac ratione intelliges locum præsentem. Non enim in primo aduentu venit Christus, ad condemnandos homines, sed ad saluandum eos à damnatione. Porrò in postremo aduentu veniet Dñs cum potestate magna, ad damnandum impios, & sibi rebelles. In primo igitur aduentu non venit tãquam iudex hominũ, sed tanquã seruator, vnde venit pauper, & humilis & mori sustinuit, vt morte sua mortem

Iudiciũ multifariam vsurpatur in scriptura.

nostram

Vna persona est filius hominis & filius vnigenitus Dei.

noſtram deleret. Verum ſecundus aduentus erit ſummæ maieſtatis, quia veniet tanquam ſupremus iudex ſumpturus vindictam de peccatis hominum. Verba igitur hæc ad primum aduentum referas. Et expende hæc Domini verba: etſi cum prioribus conferas inuenies planè, communicationē idiomatum in Chriſto. Enimuerò prius dixerat filium hominis exaltandum in cruce, modo verò filium Dei dandum pro ſalute humani generis. Idem ergo filius hominis exaltatus in cruce eſt filius Dei traditus in manus peccatorum. Igitur filius Dei vnigenitus, qui tradebatur erat filius hominis, qui exaltabatur. At verò fuit mortuus in cruce Dei filius, non qua Dei filius, ſed qua hominis filius.

¶ At verò obijcies forſan aduerſum prædicta ex Ioan. 12. In iudicium veni in mũdum, &c. Quomodo ergo modo ait, Non miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum. Adhæc Ioann. 16. iam princeps huius mundi iudicatus eſt. Si ergo iudicatus eſt à Domino, conſequens eſt veniſſe in primo aduentu ad iudicandum.

¶ Porrò hæc & alia hoc genus ſoluestestimonia, ſi memineris iudicium Chriſti duplex eſſe, alterum inuiſibile, aliud viſibile. Hoc exercebit veniens in conſummatione ſeculi iudicaturus viuos, & mortuos viſibiliter: illud verò quotidie exercet impias animas adigens æternis ſupplicijs, pias verò leuans ad æternæ beatitudinis faſtigium. Quod ergo traditur Chriſtum non eſſe miſſum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, eſt ſanè verum, quantum ad viſibile iudicium, quia hoc hactenus non exercuit in homines Chriſtus.

Iudicium viſibile & inuiſibile.

Quod verò ex Ioann. 12. indicatur, eſt item verum de iudicio occulto, & inuiſibili. Quippe hoc iudicium exercuit Dominus contra peruicaces Iudæos, illos relinquens in cæcitate cordis, quam amauerunt. Et iuſtè dimiſsi ſunt in tenebris infidelitatis ſuæ, quia neque ſermonibus, neque miraculis Chriſti acquieuerunt. Verum iſtæ pœnæ peccati Iudaici, ſunt inſenſibiles pœnæ, & ideò ſpectant iudicium inuiſibile.

¶ Locus verò. 2. ex Ioann. 16. ſoluitur, ex eo dixiſſe Chriſtum Satanam eſſe tum ab ipſo iudicatum, quia prope erat tunc iudicium, ſeu damnatio Satanæ, quia quod prope expectatur fiẽdum, reputatur iam factum. Quia ergo ex Domini morte Diaboli vires erant confringendæ, & principatus eius in homines euertendus, ideò Dominus ait, Princeps huius mundi iam iudicatus eſt.

Diabolus ſecũdum ſe ab exordio mũdi eſt iudicatus.

¶ Secundum ſe ſanè ab exordio ſeculorum Diabolus damnatus eſt, & deturbatus à cælo, in tartareas ſedes, ipſe & angeli eius cum eo: cæterum à Chriſto fuit iudicatus Diabolus, reſpectu imperij iniuſti, quod gerebat in homines. Nam abſtulit Chriſtus per crucem ſuam Diaboli imperium, vt Lucæ. cap. 11. inſinuatur in verbis illis, Cum fortis armatus, &c. Hoc autem iudicium item exercitum fuit inuiſibiliter, quia ſenſibus non patet, ſed fide tantummodo tenetur. *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Hoc itidem ſupra tradebatur, vt omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

¶ Obſeruandum eſt autem ex Theologico Dionyſiacove axiomate bonum poſcere cauſam integram, vt ſit bonum, malum verò ex ſingulis defectibus tale fit. Credere igitur, vt ſit bonum credenti, neceſſe eſt, vt abſoluatur omnibus ſuis numeris: etenim ſi quicquam illi deſit iam non erit perfectus actus credendi. Namque non ſat eſt bonum feciſſe, niſi benè feceris: ita non ſat eſt credere niſi benè credideris. Benè creditur verò quando credimus quæ credenda ſunt, & vt oportet illa credimus. Tunc autem credimus, vt oportet, quando credendo rectè, iuxta rectam operamur fidem. Namque qui credit, non, vt operetur, ſed ſolum vt credat, non credit, vt oportet credere. Quippe credere eſt gratia operis: fides namque cò adeſt, vt per dilectionem Dei operetur. Quæ namque eſt ſolum ad credendum, iners fides eſt ſuo orbata fine: vnde & ocioſa eſt, & illi dicet Dominus, quid agis tota die ocioſa? Idcirco qui illam ocioſè tenet non credit vt oportet credere. Non credere verò, cò ipſo malum eſt, quia eſt contra fidem. Eſt enim præceptum negatiuum vetans infidelitatem: ideò omnis

Quis credit vt oportet credere.

infidelis ex sola infidelitate, est in statu damnationis. Sumitur autem modo non credere, vt sit idem quod discredere.

Non credere vsurpatur aliquando pro discredere.

Quemadmodũ igitur odio habere Deũ, aut desperare diuinam misericordiam, nunquam bene fieri poterit: at verò non amare Deum, aut non sperare, si in negatione sistas, non necesse est esse mala, quia non semper amare Deum, aut sperare tenemur, sed pro loco, & tempore: ita etiam non constringimur semper & ad semper ad credendum, sed pro loco, & tempore. Vnde, si quando non iubemur credere, tunc non credamus, non sumus in culpa. Cæterum discredere nunquam bene fieri potest: ideò Dominus ait, quod qui credit in eum non iudicatur, quia est sermo de credente, vt oportet credere. Namque Dominus, non de credere loquitur, vt non oportet credere, sed de credere quemadmodum oportet credere. Hic namque actus est, quem Christus valde commendat, & quem ipse intendit, quando actum credendi magnificat. Vt enim Christus intendit, vt amemus Deum, vt oportet & speremus, vt oportet, ità vt credamus, vt oportet, scilicet, vt credendo diligamus Deum, & proximum, & mandata Dei, & Ecclesiæ seruemus. Non ergo glorientur Lutherani, se non esse damnandos, quia credunt in Christum: vtique credunt sed non vt oportet credere. Non enim credunt, quæ Ecclesia proponit credenda, sed quæ ipsi ex suo inani cerebro fingunt credenda. Imò potius doleant se esse iam iudicatos & damnatos ex Domini verbo, qui non credit iam iudicatus est. Quippe credere non vt oportet, est non credere: ipsi ergo non credunt, ideò à Christo sunt iudicati modo iudicio, & damnatione inuisibili, & damnandi visibiliter in die iudicij. Etiamsi quos Ecclesia tradit ignibus deurendos iudicio Ecclesiæ iam visibiliter sunt damnati, & eiusdem iudicio sunt sub anathemate laborantes.

Credere vt oportet est actus fidei quẽ Christus cõmendat & magnificat.

¶ At verò catholicus, qui contra Dei mandata agit, non credit vt oportet omnino, quia confitetur Deum fidei confessione, quem tamen factis negat. Verum huiusmodi non pronunciatur à Domino, Iam iudicatus est, siquidem de illo non desperandum est: quippe ex fide recta, quam habet, aliquando diuina ope, deducetur ad pœnitentiam. At infidelitas morbus est conclamatus: nihil habet spei, sed vbicunque adest, damnatione premit habentem. Quamobrem Dominus ait, Iam iudicatus est, idest, nullam habet infidelis salutis spem: quia certissimæ damnationi est obnoxius, nisi ab eo infidelitas deponatur. Qui verò credit, vt oportet, quo ad fidei veritatem, etiamsi non vt oportet, quo ad operum integritatem, huiusmodi, quia ex fide docente poterit sibi per pœnitentiam subuenire, si à gremio Ecclesiæ non est alienus, idcir co non traditur iam iudicatus: quippe huiusmodi certa non est, imò ambigua est damnatio. *Hoc est, autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, erant enim eorum mala opera.* Iudicium hoc loco damnationem significat, vt iudicare supra significabat damnare, & iudicatus damnatus. Dixerat ergo paulo ante infidelem esse iam ex sua infidelitate damnatum certissima & irreuocabili damnatione, nunc exhibet causam damnationis, aut exponit, quæ sit infidelium iusta damnatio. Nempe, quia venit Christus vera lux in mundum, & vocauit omnes ad regnum cœleste, docendo fidem Dei & charitatem, & infideles aure surda fidem Domini pertransierunt, imò illam neglexerunt, amantes magis infidelitatis tenebras, quam veritatis diuinæ lucem. At forsan te solicitat quæstio, de quo iudicio sit Domini hæc audienda verba. Est enim iudicium ad pœnam gehennæ quod vocant pœnam sensus: & est iudicium ad pœnam solum non videndi regnum Dei, quod appellant damni pœnam. Quid ergo, dicet aliquis, num de pœna sensus, an damni hæc verba intelligenda sunt? Quoniam si ad sensus ea retuleris pœnam, quæ solum actualia torquet peccata, obstabit tibi, quod hæc verba eundem subeunt intellectum, quem priora, quæ iam dudum dixerat Dominus subeunt, videlicet, qui non credit iam iudicatus est. Igitur cum pueri non baptizati, non credant, illi subibunt iudicium, seu damnationem ex pœna sensus. Quod si dixeris, non credere hoc loco significat idem, quod discre-

Ad Titum. 3.

Obseruandũ literale dubium.

discredere, vt nos dudum interpretabamur, ideoque paruulos non prolutos ex sacro fonte non esse recensendos in numerum non credentium, contenderis, occinet tibi Augustinus lib. de baptismo paruulorum in hæc verba, Vbi ergo ponimus paruulos baptizatos nisi inter eos, qui crediderunt? Hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti, & offerentium responsionem, ac per hoc, eos qui baptizati non sunt, inter eos, qui non crediderunt statuimus. Et sibi consonus ipse videtur libr. de fide ad Petrum capitul. 27. infantes non baptizatos igne torrendos sempiterno constituens.

Infantes decedentes sine baptismi præsidio non sustinebunt gehennalia incendia.

¶ Cæterum obuiat istis ipse textus, vt videtur, quem in manibus habemus dissendum. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines, &c. At verò in infantes huiusmodi lux Christi non venit, neque infantes huiuscemodi dilexerunt magis tenebras, quam lucem: quippe defuncti sunt, antequam possint, vel cognoscere lucem, vel illam à tenebris discernere: quippe ante discretionis annos intempesta illos sustulit mors. Vnde videtur Dominum non de originali peccato, sed de damnatione actualis solummodo rationem impræsentia habere. Quod si etiamnum dixeris infantes dilexisse tenebras potius quam lucem in suo fonte, scilicet, Adamo, ex cuius voluntate redditur voluntarium infantile originale peccatum, vtique remota satis est locutio. Namq; quis nisi abusiuè dicet, infantibus aduenisse lucem, eandemque infantes neglexisse, illi præferendo tenebras? Quandoquidem isthæc omnia actuale delictum præseferunt, non habituale. Est sanè voluntarium quadamtenus ratione peccatum puerorum originale ex voluntate primi, vnde defluxit parentis: at verò non propterea apte dices quod venit lux in pueros hosce, & ideò damnantur, quia protoplastus, lucem neglexit, illi præferendo suæ concupiscentiæ tenebras. Quapropter dixerim locum hunc de damnatione gehennali esse exponendum, & non de damnatione alia, quæ infantulos prohibebit ab ingressu diuini regni. Nisi tamen velis esse tortorem paruulorum, vt multis hæc infantilis collibuit tortura, vt Greg. libr. 9. explanat. in Iob, capitul. 16. & Gregor. Arimi. in. 2. Sentent. censet hoc fuisse Aug. decretum.

Damnatio infantium sine baptismo defunctorũ nõ est gehẽnalis

¶ Verum mihi magis arridet dogma vulgatum, illos illæsos ab hac tortura seruans, vt ad finem. 4. Sententiarum. nos fusius edisserimus. Neque locus ille ex Augustin. de fide ad Petrum. capitul. 27. est vsquequaque probatus, si est Augustini, nothus enim à multis, & non legitimus censetur ille Augustin. liber. Quòd verò in libr. de baptism. paruulorum docet exponẽs, infantes non baptizatos esse in numero non credentium, non quo ad speciem, sed quò ad genus pœnæ. Quippe non introire in regnum Dei, & ab eo perpetuo extorrem esse, damnatio est, cui omnes damnati sunt subiecti. Quia igitur pueri damnabuntur, qui destituti præsidio baptismi decesserunt, sicut & omnes alij, qui actu fuerunt infideles, ideò Augustin. eos computat inter infideles, non quia discrediderunt, vt infideles, sed quia fidei sacramentum non suscipierunt. Quocirca Domini sermo, qui non credit iam iudicatus est, si de gehennali iudicio, interpretur, de paruulis non fit mentio, sed de discredentibus: si verò de iudicio damnationis in communi paruulos item comprehendit. Et per non credere subaudire oportebit, non suscipere sacramentum fidei, quod est baptismus: quia qui non suscipit baptisma, vel re, vel voto, iam damnatus est. Porrò quia postmodum sermo sequitur de iudicio damnationis gehennalis videtur itidem paulo supra de eodem iudicio texi sermonem. Porrò autem hoc diluto dubio, non prorsus cessant alia dubia. Continuo namque emergit nouum dubium, si hæc est tota damnatio hominum, quod venit lux in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras, quam lucem, quomodo ergo ante aduentum huius lucis multi periere? Quomodo multi non potentes hanc scire lucem sunt damnati? Enimuerò plerosq; fuisse æternis deputatos incendijs sub lege naturæ, quis inficiabitur? Nemo sanè quando perspicuum est ex chronicis, tum viguisse idololatriam. Et quid Iudæorum non pauci sunt damnati, qui non rectè vixerunt, secundum diuinæ

August. exponitur.

Cur infantes non baptizati computantur inter infideles.

legis formam, ante huius lucis præsentiam, siquidem per lucem hanc Christum subaudimus: at isti omnes tempora huius lucis nouæ, quæ venit in mundum præcesserunt.

¶ Ad hæc quid dicemus, de illis, ad quos neque exiguus rumor peruenit Euãgelij, vt forsan sunt modo Indorũ non pauci, si ad illos non peruenit lux hæc, cur torquebuntur, æternò non credendo, quod credere non poterant, quia fides est ex auditu, si ad eos nulli sunt missi prædicatores? Quomodo enim audient sine prædicante, Rom. 10.

¶ At verò obseruandum est degentes sub naturæ legibus ante huius lucis aduentum non fuisse damnatos, quia dilexerunt magis infidelitatis tenebras in discredendo Christo, quam fidei lucem credendi in Christum. Etenim, non erat tunc hoc illis in præcepto credere in Christum, nisi forsan didicerunt Christum venturum ex speciali reuelatione, quam quidem Abrahæ factam esse certo credimus. Abraham enim expresse reuelatus est huius beatæ lucis futurus tunc aduentus. Iudæi verò sub lege quia ex lege eadem & prophetis clare habebant hanc lucem venturam in mundum, illam explicitè tenebantur credere venturam. Qui verò tempora Dominici attigerũt aduentus, iam esse præsentem credere obligabantur. Quocirca, qui tunc huic luci rebelles extiterunt multo peius errauerunt à fide huius lucis, quam qui illam expectare venturam compellebantur ex lege, & nihilominus venturam non credebant. Quod ergo Dominus ex verbis istis intendit, notare est Iudæos de grauissima infidelitate, quia lucem diuinam respuerunt, quam ipsi nõ studio suo quæsierant, sed ipsa vltro se se illis concessit. Vnde Christus aiebat, Si non venissem, & locutus eis non fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo Ioan. 15. Quod si sunt apud remotissimas insulas gentes, ad quas neque rumusculus peruenit Euangelicæ gratiæ, vtique illæ non damnabuntur ob infidelitatem: siquidem illæ non credendo quæ non sunt illis enunciata per autenticos prædicatores non peccabunt: modo tamen paratum gerant cor credendi sibi opportuna ad salutem, quando illis ex prædicatione constiterit.

Iudæi non credẽtes christum venisse peius errant quã si nõ credidissẽt olim venturum.

Gentes ad quas non volauit Euãgelium nõ damnabuntur ob infidelitatem

¶ Damnabuntur autem ob alia peccata, quæ illæ perpetrabunt. Quamuis difficile est hoc creditu gentes hoc genus extare in orbe Paulo reclamante ad Rom. 10. & quidem audierunt, quia in omnem terram exiuit sonus eorum: etsi locus hic non conuincit nullũ extare, ad quem non peruenerit Euangelij prædicatio, sed solum conuincit maiori parti orbis Euangelium innotuisse. *Erant enim eorum mala opera.* Causam profert cur homines dilexerint tenebras contempta luce, nempe quia erant eorum mala opera. Iudæi namque Dominum infensum habuerunt, quia carpebat vehementer illorum hypochrisim, & auaritiam, vt Lucæ. 16. deridetur Dominus carpens Pharisaicam auaritiam. Pharisæi, ait, deridebant eum, quia auari erant. Et Sapient. 2. Circunueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis: & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Quia igitur Christus vehementissimè obiurgabat iniquitates Pharisaicas: ideò illum odiosum habuerunt, vt Herodes infestum habuit præcursorem huius lucis, Marc. 6. quia lucis diuinæ scintillas micabat dicens, Non licèt tibi habere vxorem fratris tui, &c. At dicet aliquis Gentes receperunt Euangelicam Christi lucem per Apostolos illis: oblatam at verò peiora erant opera gentium, quam Iudæorum: siquidem gentes colebant falsos deos, Iudæi verum solũ colebant Deum. At verò obseruandum est in re hac ad suscipiendam hanc lucem, plus obesse affectionis peruicaciam, quam peccati grauitatem. Gentes igitur pessimis erant imbutæ moribus: at non pessimam gesserunt affectionem erga Euangelium, quia illi tandem cesserunt. Verum Iudæi huc vsque in obduratione suæ persistunt perfidiæ. Quod ergo Dominus ait, *Erant eorum mala opera*, tu intellige, erat enim pessima affectio eorũ ad mala opera. Hinc tu disce purgandas esse animi impuras actiones, si velimus non odiosam habere hanc Dei lucem: quandoquidem dominus hanc subiecit causam, cur homines reiecerũt Dei lucem, quia erant

Iudæi cur infestum habuerunt Christũ

Expurgandi sunt animi nostri impuri affectus si velimus perfundi diuinæ lucis claritate.

eorum

eorum mala opera. Vnde Boetius metro. 7. lib. 1. hāc rem pulcherrimè recinit.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera lumen.
Si mare volvens
Turbidus auster
Miscеat æstum
Vitrea dudum
Parque serenis
Vnda diebus,
Mox resoluto
Sordida cæno
Fœtibus obstat.
Quippe vagatur
Montibus altis
Defluus amnis
Sæpe resistit
Rupe soluti
Obice saxi.
Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit:
Nubila mens est,
Vinctaque frænis
Hæc vbi regnant.

Amor cuiusque rei odiū sui parit contrarij.

¶ *Erant enim eorum mala opera.* Natura rerum cōparatum est, vt vniuscuiusque rei amor sui pariat contrarij odium. Amans vitam enim necessario odit mortem, vt amans opes, fastidit paupertatem, & amās scientiam odio habet ignorātiam. Et contra amator mortis, non potest non odire vitam: & reliqua persequeris ad eandem rationem. Quo fit, vt qui amator est cælestium bonorum, fastidiat terrena bona. Et qui lucem inuisibilem diligit, tenebras inuisibiles odio habebit. At qui has tenebras quæ sunt peccata diligit, inuisibilem Dei lucem necessario contemnet. Propterea igitur mundani homines caduca amantes peccata, diuinā lucem horrent, & tanquam stulti tenebras horridas suas, diuinæ lucis claritati præferunt. Dilexerunt igitur homines potius tenebras suorū errorum & peccatorum, quam lucem diuinæ gratiæ & veritatis: quia erant eorum mala opera, ideſt, quia amantes mala, necessario fastidire debebant bona. Et ex radice reguli tūc oritur Basiliscus, peior parente proles, vt memoratur Esaias: quia ex amore suorum peccatorum, exoritur diuinæ lucis odium, quod longe est omnium viciorum pessimū. Si ergo hæc est hominū impiorum damnatio, hocque iudicium, quod dilexerunt magis tenebras, quam lucem, hæc quoque erit hominum salus, atque libertas piorum hominum, quod dilexerunt potius lucem Dei, quæ Christi est doctrina, quam tenebras, hoc est, prætulerunt Christi veritatem omnibus peccatis, mundanisque doctrinis. Sed iam occinent nobis hæretici, qui Lutheranismum prædicant, se esse immunes à damnatione, quia lucem, ideſt, Christi doctrinam dilexerunt potius, quam humanas doctrinas. Porrò autē ecclesiæ doctrina, & sanctorum documēta ex Christi doctrina, & apostolorum sunt amplectēda. Ecclesia namque Christi & apostolorum doctrinam, in oculis habet: & iuxta eam suadet suadenda, & dissuadet dissuadēda. Si quæ vero docet, quæ in Christi, & apostolica doctrina non continentur, si illa tamen continet certè non sunt contraria contentis, sed illis concinna, & germana, ideo non respuenda. Et quid si euangelia & sacræ epistolæ, non meminerunt cultus exhibendi cruci Christi, ecclesia docens Christi crucem colēdam cōtraria est euangelio? Absit, vt etiam de sexcentis alijs exempla proferre poteris. Sufficit autem euāgelio, & apostolicis epistolis crucis trophęum fidelibus exponere, vt inde tanti trophæi signum, venerarentur, scilicet, domini crucem. Verbo igitur Lutherani diligunt istam diuinam lucem, non opere & veritate. At si Ioannes monet fratres diligendos, non verbo, vel lingua, sed opere, & veritate, satisne erit lucē Dei diligere verbo, & lingua, non tamen opere & veritate? Imo re vera Lutherani dilexerunt magis hæresum suarum pluſquam Cimmerias tenebras, quam christianæ ecclesiæ lucē: erant enim eorum studia mala, prauæque consuetudines. Vt enim laxius debaccharentur in libidine, vota monastica fregerunt, vt fœcundis quotidie laxarent fræna calicibus, & aqualiculos di-

Odiū Dei est viciorum omniū pessimū.

Quę ecclesia docet si non sunt cōtenta in sacris musis, saltem cōtētis sunt germana.

Lutheri assecłæ dilexerũt magis suas tenebras quam Christi lucẽ.

stenderent cibis ieiunia damnarunt. Et demum, vt illis liceret suo genio viuere, ecclesiæ iuga violarunt & iura. *Omnis enim, qui male agit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* O cultum adulteri obseruare caliginem memoriæ proditum est apud Iob. 24. Fures quoque intempestas obseruare noctes videmus, quo illiberale furandi facinus liberius exequãtur. Et hac causa dominus ex luce hac visibili, ad inuisibilem non transferre hoc loco cupit. Quare exemplo sensibili adulterorũ, & furum, qui infestissimam habent lucem, itemque & aliorum facinorosorum hominum tenebras expetentium vt sua facinora sine arbitris operẽtur, monemur nos eodem modo censendum esse, de impijs omnibus alijs quibus

Cur infideles fidem horret.

fides Christi est odiosissima. Quippe fides manifestat vitam illorum turpem, & illam damnat, & reponendam docet, si salutis æternæ afficit assequendæ amor. Ne ergo cogantur ex fide vitam suam reprobare, quam amant, ideò lucem fugiunt, si dei & illam odio habẽt, vt nobis sunt exẽplo Iudæi, qui dominum docentem veritatem crucis patibulo affixerunt, & tyranni in sanctos martyres incanduerũt adeò, vt varia excogitarent aduersus eos tormẽtorum genera, vt fidem detraherẽt, quam semel professi fuerant: & hæc omnia patrantur instigante principe tenebrarũ diabolo. Enim vero, nihil infensius odit, quã lucem christianam. Hæc namque detegit eiusdem astutias, & fraudes, quas molitur aduersus miseros homines, ne illis beatitudinis maiestas cõtingat, quam ipse asse qui desperat.

Diabolus maxime odit lucem fidei.

¶ At verò si forsan obijcis, quid ergo Iudæi suum publicè prædicant iudaismum vt hæretici Lutherani Lutheranismum, vt Mahometani Mahometismum? Ad hæc piratæ, sicarij, publicè latrocinia exercent &c. Cur ergo dominus ait, Omnis qui male agit odit lucem?

¶ Porrò scito lucem sensibilem bifariam considerandã, aut secundum quod est medium per quod fit visio, & illuminat, & hac ratione amatur ab omnibus, Eccle. 11. Dulce lumen, & delectabile oculis: aut quatenus prodit cum autore facinus, & hac ratione odibilis est à facinorosis. Cæterum multa sunt facinora, quæ vel ex superstitione, vel ex errore creduntur bona

Qui creditbona esse quę operatur non formidat sub luce illa prodere, etiam si mala sint.

esse opera, & tum publicitus euulgantur, vtà Iudæis Iudaismus, & alia quæ retulimus: nam isti apud suos non malè, sed bene agunt. Piratæ autem, & sicarij, si possent latrocinia clam agere, agerent, vt fures faciunt, at vero quia nõ possunt deprædari viatores sub noctis silentio, sed sub solis claritate, ideò interdiu faciunt, quam uis nollent, si liceret, luce, manifestantẽ seu manifestationem sui sceleris habere. Et sæpe se laruant homines, qui facinus intentare satagũt interdiu: ideoque semper verum quod dominus ait, Omnis, qui malè agit odit lucem. Quippe vt malè agit lucis manifestationem odit, ne opus videlicet quod ipse facit malum reprehensioni pateat, ideoq; fugit lucẽ manifestantẽ, ne reprehẽdantur opera eius. Quam obrem, qui scelera admittunt, conspectum, & notitiam bonorum virorum magis defugiũt, quam aliorum, qui simili, aut maiore scelere sunt innodati: siquidẽ apud hos manifestari pili faciunt, scientes hos non esse reprehensuros, quod illi faciunt: quandoquidem ijsdem vel maioribus criminibus laborant. At verò si pij & boni nouerint illorum flagitia patere reprehensioni iustæ ipsorum certum habent, ideoque fatagunt vehementer ne in illorum deducantur notitiam, quæ male agentes operãtur.

Cur male agẽs odit lucẽ

¶ Et hęc vniuersa pocedũt, quia homo est amans sui: ideoq; studiosè curat ne honoris proprij iactura fiat, si sua scelera in lucem veniant. Aut refugiẽdo delicti pœnam, manifestationẽ formidant, quando honoris iactura nihili fit, vt apud homines infimæ notæ. Infideles igitur omnes lucem fidei odio habẽt. Fideles vero lucem fidei amant, quia si non amassent fideles non essent: nihilominus sæpe male agũt. Malè tamen agentes lucem etiam odio habent, si non fidei, certe remordentem conscientiam ęgrè ferunt, & obiurgantes amicos, & oblatrantes prędicatores sæpe odio habent, qui omnes quia manifestant eos esse peccatores, ideo ab illis nõ sustinẽtur, vt semper verum sit, Omnis qui male agit odit lucem, siue visibilem, siue inuisibilẽ. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Contrariorũ eandẽ esse disciplinam Physici docent. Sicut ergo qui male agit, odit lucem, ita qui bene agit amat lucem. Qui enim male agit eo odit lucem, ne opera

Fideles malo agẽtes, etiam lucẽ odio habent.

mala

mala eius, quæ ipse reprehensibilia esse censet, reprehendātur: & contra qui benè agit, amat lucem, vt opera quæ existimat laude digna, suam laudem manifestent. Facere autem veritatem, in præsentia, idē est, quod facere quod rectum, & gratum Deo est. Lex enim Dei veritas est: qui ergo Dei legem implet, ille facit veritatē. Sed quid est quod dominus Matt. 5. sedulo monet inanis gloriæ auram fugere. At modo ait, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius. Quod si arridet respondere, dominum nō dixisse, vt se manifestet, sed vt manifestentur opera eius, vtique responsio est inconcinna, quandoquidem si manifestantur opera, & autorem manifestari est necesse, quippe ex operibus dignoscitur autor. Et ob hoc male agēs odit lucem ne manifesta reddantur opera, vnde & autor manifestus fiat.

Opportunum est nonnunquam vt opera bona veniant ad lucē.

¶ Porrò est nonnunquam opportunum, vt opera bona veniant ad lucem, vel quia exigit Dei gloria, vt manifestentur, aut, quia proximorum vtilitas poscit. Et tunc sanè necesse est vt autor veniat ad lucem, nō suæ gloriæ ambitione, sed vel ex Dei, vel proximi amore. Nonnunquam verò manifestatio non exigitur, & tum sanè non oportet autorem venire ad lucem.

¶ Vnde qui sibi timet inanis auræ mundanæ flatum, melius facit abscondens opera sua ieiunans, scilicet, orans castigansq; corpus suum semotis arbitris, quam si in vulgus manifesta daret. Et hoc est, quod dominus docet Matth. 5. & priore obseruata venit ad lucem Paulus, declarans epistolis suis, raptum suum in cælum, quantaque pro Dei gloria pertulerit mala, quia hoc credebat Corinthijs perutile futurū. Venire igitur oportet ad lucem, non semper, sed quando id exegerit vel Dei gloria, vel proximorum vtilitas.

2. Cor. 12.

¶ Verum est tamen prædicatoribus diuini verbi fideique magistris, hoc semper incumbere ad lucem venire: palam docendo populum Dei, vt intelligant Christi fideles, sanam eos velle docere doctrinam, & sermonem exponere irreprehensibilē. Quippe occulti magistri odio habentes lucem, & clādestinas euomentes doctrinas, suspicionem malæ doctrinæ sibi parant, quod male docent, quippequi occultè docent: nam qui male agit odit lucem. Contra vero veritatis prædicator, venit ad lucem, vt palam sit omnibus sanam se pronuntiare doctrinam.

Clanculariꝰ doctrina suspecta.

¶ Fieri tamen potest si tyranni violentia timeretur, vt olim in ecclesia primitiua timebatur, quod clanculum prædicare verbum Dei, non esset malè docere. Si quidem, qui in occulto docet, quæ palam fuisset docturus, nisi tyrannis obsisteret, non odit, sed amat lucem. Esse autem opera in Deo facta, est opera per Deum fieri, videlicet, ipso docente, probante, & adiuuante fieri. Hactenus dialogus Christi & Nicodemi, quamuis Erasmo phaceat à verbis illis, sic Deus, &c. vsque ad verba hæc non esse domini verba, sed euangelistæ: mihi verosimilius est esse domini verba.

Quæ opera in Deo hunt.

MORALIA.

¶ *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

GEMINAM esse hominū natiuitatē, alteram spiritualem ex spiritu, alteram carnalem, ex carne, verba hæc domini indicant quam apertissime. Vnde vt ex carnali nascimur filij hominum, ita ex spirituali nascimur filij Dei. Idem sane sunt filij hominū, qui filij Dei: at longe diuersa est diuina, atque humana filiatio. Cuius latam differentiā euangelista. cap. 1. denarrat dicens, quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Filiatio ergo humana ex sanguinū cōmixtione, ex coitu viri & fœminæ originem traxit: at vero diuina filiatio, hanc terrenā transcendit originem. Non enim ex coitu maris & fœminæ sibi parat originem: sed ex Deo genus ducit summum. Acto. 17. Paulo comprobante. Genus, inquit, cum simus Dei. Etenim si filij hominum, humanum genus ex parentibus deducunt, filij Dei ex summo parente quidni genus sibi conciliabunt? Hanc porrò diuinam filiationem, quam euangelista obscuris prædixerat verbis, Christus paulò apertius hoc expresit capite, dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto nō potest introire in regnū Dei.

Duplex filiorum hominū natiuitas.

¶ Duo ergo conueniunt ad parandam hominibus

Duo sunt necessaria ad renascentiã spiritualem hominis.

minibus diuinam filiationem, & spiritus diuinus, & elementalis aqua. Neque ergo solus spiritus illam efficit sine aqua, neque sola aqua citra diuini spiritus concursum eandem operatur. Et quidem diuinum spiritũ autorem esse huius natiuitatis, spiritualisve renascentiæ, nihil habet, quod mentem nostram morari possit. At vero aquam etiam necessariam esse ad procreãdos Deo filios, istud est, quod hæreticos huius æui remoratur. Quid enim, inquiunt, aquæ cum spiritu? quid aquæ cum spirituali renascentia? quid aquæ cum menti? Nũquid aqua abluere potest mentem à sordibus suis? At vero Paulũ isthæc non morantur clamantem fideles mũdos esse per lauacrum renouationis, & regenerationis spiritus sancti, &c. Cui ecclesia concinit dicens, Sit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans. Quamuis enim non in eam sententiã eo, quæ contentiose asserit aquam sacramentalẽ, viin hanc regeneratiuam continere, ex diuina operatione, vt in. 4. Senten. disputaui. At verò non est diffitendum aquam regenerare, viuificare, purificareque mentes hominũ, quando assumitur ad vsum baptismalem. Non sanè ex vi indita, at ex cooperatione diuina assistente, & per illam mentem regenerare. Et subit mirari, si hæreticorum non turbat mentem, audientium, & credentium diuinum verbum per carnem hominem redemisse, qui alioqui poterat sine carnis contubernio hominem redimere, cur obsecro mirantur, Spiritum sanctũ per aquam hominem regenerare, & reddere filium Dei, qui alioqui poterat sine aquæ, vel alterius rei ministerio hominẽ regenerare.

ad Titum. 2.

Baptismi aqua cur dicitur habere vim regenerandi.

Deus vsus est creaturis sensibilibus in reparando hominem.

¶Porrò autem voluit ex celsitudine sui consilij creaturis sensibilibus vti in regenerando, & saluando hominem, vt ostenderet vtriusque autorem, & mentis, quam sanctificat, inuisibilis, & creaturæ visibilis, per quam sanctificat, & inde oppilare manichæa ora, blasphemantia duos esse rerum autores, bonum Deum inuisibiliũ, & malum visibilium. Enim verò, si per visibiles creaturas, inuisibilẽ mentem Deus sanctificat, visibiles creaturæ bonæ sunt: quippe per eas mens inuisibilis à peccato liberatur. Et idem Deus est autor vtriusque, qui visibilibus vtitur ad expurgationem peccatorum ab inuisibili mente.

Aqua igitur necessaria est ad hãc spiritualem natiuitatem, non vt præcipuus regenerationis autor, sed tanquam instrumentum summi autoris, natiuitatis huius, qui est Deus.

Collatio duarum natiuitatum.

¶Sunt autem istæ duæ natiuitates summa varietate diuersæ. Et enim carnis natiuitas, est quidem ab origine infirma, vt pote quæ à carne procedit, est autem caro infirma. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. At verò spiritualis natiuitas potens est, tanquam quæ à principio forti exoritur, scilicet, ab spiritu, spiritus enim promptus & fortis est. Rursus carnalis natiuitas corruptibilis est, quippe quæ à semine est corruptibili, at spiritualis natiuitas incorruptibilis est, quippe quæ à semine incorruptibili exordiũ capit. Vnde Petrus. 1. cap. 1. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Neque diuersus à Petro est Ioan. 1. cath. 3. Omnis, dicens, qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen illius in eo manet: & peccare non potest. Quale verò sit semen corruptibile philosophi docent, quæ illius virtus atque qualitas: at vero quod sit hoc in corruptibile, diuinumque semen, philosophos latet, quia per naturam non est prõptum.

Esaiæ. 40.

Semẽ duplex corruptibile, & incorruptibile.

¶Est autem semen hoc verbum Dei, euãgelica lectione nobis contestãte, Semen, inquit, est verbum Dei. Hoc autem semen non manet in omnibus, sed in paucis, siquidem manere, aliud est quam excipere. Omnes namque quotquot sunt fideles, exceperunt intra se hoc semen, si quidem obediendo euangelio, semen recipiunt hoc diuinum, instar terræ, quæ semina sibi mandata cõcipiendo recipit, & recipiendo concipit.

Matthæ. 13. Lucæ. 8. Mar. 4.

¶Porrò post conceptum semen, quidam illud proijciunt, vt stomachus æger conceptum bonum vomit cibum: aut sicut terra sterilis, quæ cõcepta arefacit semina, quia humorem non habet, quo concepta semina augeat, vt aucta fructificent. In quem modũ hæretici hoc semen cæleste vomuerunt recedentes à semel professa fidei traditione. Et semen fœcundũ Dei, sterile fecerunt, ex malo suo proposito, abeuntes retro post Sathanam. In istis ergo non mãsit semen hoc, ideò non sunt filij Dei, sed diaboli vilissima mãcipia. Alij verò sunt,

Hæretici semẽ diuinum arefaciant, & corrumpunt.

qui

Matth. 10. & 24.

qui quamuis in ipsis semen hoc maneat, quantum ad retentionem fidei, at vero ad perseuerantiam in sanctis operibus non manet, & ideo neque isti sunt filij Dei, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sunt denique alij, in quibus perseuerat hoc semen quia non solũ receperunt Dei verbum, sed semel receptum semper retinent, quia corde bono & optimo, fructum spiritualem referunt in patientia, nam iuxta Dei verbũ, vitam suam semper regunt, & moderantur. Et isti fruuntur hac renascẽtia spirituali, quibus solis prodest, alijs vero obest. 2. Pet. 2 Melius fuisset illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionẽ retrorsum abire. Quia ergo semen hoc incorruptibile est, quia verbum Dei permanet in æternum, ideò hæc spiritualis natiuitas, etiam incorruptibilis est. Ad hæc natiuitas corporalis hominis, misera est, & infelix, at verò spiritualis, miseriã prioris natiuitatis tollit, ideoque fœliciſsima est. Prioris autem natiuitatis si miserias dicere cupis, audi beatũ Iob, dicentem. 13. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miserijs, qui tanquam flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. At verò spiritualis renascentia, non istis premitur malis, sed multis referta est bonis. Homo namque natus spiritualiter, non ex muliere infirma nascitur, sed ex Deo omnipotente, non multis repletur miserijs, sed incredibilibus abũdat felicitatibus. Egreditur sanè, vt flos, at non conteritur vt flos: quia flos iste spiritualis, habet fructũ in respectione animarũ sanctarum. Idcirco non arescit hic flos, non marcescit, vt visibiles natiuitates: sed fructus eius sunt honoris æterni, & honestatis. Non fugit hæc natiuitas velut vmbra, vt nostræ carnis natiuitas: quia omnes morimur & sicut aqua dilabimur super terram. Et rectè nostræ carnis natiuitas vmbræ confertur, vmbra namque est defectus lucis, nostra autem carnalis natiuitas defectum habuit lucis diuinæ: quia natura sumus filij iræ. Ephe. 2. Lux igitur diuinæ gratiæ sub carnali conceptione defuit nobis, quia in peccatis nati sumus, & in iniquitatibus nos concepit mater nostra. Et antequam possemus hanc visiblem spectare lucem, iam orbati eramus spirituali luce, & tenebris peccati primitiui oppressi.

Quibus prodest renascentia spiritualis

Spiritualis natiuitas multis abũdat bonis carnalis autẽ multis præmitur malis.

At verò spiritualis natiuitas non est vmbrosa, sed lucida, ideo non fugax est tanquam vmbra. Deus namque lux est in accessa. 1. Timo. 6. & in Deo non sunt tenebræ vllæ. Ioan. 1. Nati igitur ex Deo, ex luce immensa nascuntur. Ideo fieri nõ potest, vt vmbra sint, qui lux sunt in domino, Paulo contestante. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate. Et rursus, Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ad Roma. 13. Sic, vt in die honestè ambulemus. Quamobrem cum hæc natiuitas sit lucida, nõ est fugax, sicut vmbra: quippeque vmbratilis non est: ideo perpetua est, quantum ex sua natura est. Quod dixerim, quia homo renatus ex verbo Dei, potest natiuitate contempta spiritus, retrorsum abire, & secundum carnis natiuitatem & desideria vitam agere. Cæterum lapsus renati renascentiæ iura non detrahit: & renatorum maculæ natiuitatis spiritualis splendorem nõ tollunt. Cuius splendorem sapientia Dei nobis exponit dicẽs, ò quam pulchra est casta generatio, cum claritate, immortalis enim est memoria illius. An non apertè vides hanc generationem spiritualem castam esse, claram esse, denique immortalẽ esse? Vtique casta, quia non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo est. Clara item est, quia vmbram abigit peccati, & diuinæ gratiæ lumen conciliat. Demum immortalis est, quia spiritualis est: spiritualia autem non pereunt ex se. Dominus porrò spiritualẽ eam esse docuit verbis illis supra propositis. Quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Quod si hæsitas, Quid ergo, si quod natũ est ex spiritu, spiritus est, igitur homo renatus fit spiritus: contra tamen videmus renatos non fieri spiritus, quia post renascentiã persistunt homines, vt prius erant. ¶ At qui obseruabis, renascẽtiam non mutare hominis naturam, sed mores: ideo nõ vertitur in spiritualem substantiam renatus, sed potius in spirituales sese transfert mores. Depositis enim veteris hominis desiderijs, & conculcatis petulantis carnis studijs, ad spiritualia amanda, & exercenda se traducit, ideò fit spiritualis conditionis: & hoc sibi vult sermo domini, Quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Ephe. 5. 1. Tessa. 5.

Renascentia hominis clara est, casta est immortalis est.

Renascentia non mutat naturam sed mores.

¶ Aliter

¶ Aliter igitur accidit in natiuitate carnis, quam spiritus. Quippe quod nascitur ex carne, fit caro secundum veram substantiam carnis, & non solum secundum mores: at quod nascitur ex spiritu non fit spiritus, secundum spiritualem substantiam, sed fit spiritus secūdum mores, & affectū. Et rectè quidem dominus dixit esse spiritum, si quidē quod amamus, hoc dicimur esse: vt dixit Augusti. Amor meus est pōdus meum, &c. Si cælum amas, cælum es: si terram amas, terra es: si Deum amas. Dicet ipsa veritas, ego dixi Dij estis vos, & filij excelsi omnes. Quia igitur renati ex aqua & Spiritu sancto, affectum iam collocant totū in Deo patre omnium spirituū ideo aptissime, vt nouus spiritualis renatorū amor significetur, dicti sunt spiritus.

Obiectio philosophorum.

¶ Obstrepet autē rursus quispiam domino obijciens philosophorū dogmata, quæ nihil nasci docent, quod secundum substantiam non nascitur. Distingūt enim generationem simpliciter, à secundum quid & natiuitatem, quæ est viuentium generatio, generationem fatentur esse simpliciter. Quo modo ergo dicent philosophi, natiuitatem spiritualem nos vocamus, id quod nō est ad substantiā mutatio, sed ad accidentia. Enimvero, qui deposito vitio, ad virtutem se transfert, hic alteratur ex malo in bonum: at alteratio hæc non natiuitas est, quia natiuitas est viuentis generatio. Per hanc autem mutationem qui fit studiosus virtutis ex vicioso, nō fit simpliciter, sed solum secundum quid.

Generatio duplex simpliciter, & secundum quid.

¶ Cæterum, vt philosophos obstrepentes absoluere possis, meminisse iuuabit, Philosophis generationem esse duplicem. 1. de gene. tex. 18. Et simpliciter, quæ est ad substātiam, & secundum quid, quæ est ad qualitatem: vt si frigidum mutetur in calidum, generatio est calidi secundū quid.

¶ Secundo obseruabis ex Aristotelico placito, viuere viuentibus est esse. 2. de ani. text. 37. Ideoque natiuitas ex non esse viuentis mutatio est ad esse viuentis. Mutatio namque, per quam viuens sibi comparat esse viuens, natiuitas est: sola namque viuentia propriè nascuntur.

Creatura rationalis gemina fruitur vita.

¶ Tertio obseruabis spiritualē vitam esse geminam, aut naturalem, aut super naturalem, creatura namque rationalis, hac duplici potiri potest vita. Enim vero, quando à summo Deo condita est, habuit vitā naturalem, quæ est animæ rationalis. Verbi causa, naturale esse, quo quidem esse omnes animæ siue fidelium, siue infidelium potiuntur: & sæpe infideles naturalibus animę dotibus, excellunt plerosque fidelium, siue spectes ingeniū, siue memoriā, &c. At verò est & alia vita super naturalis huius animę, qua vita fideles frui possunt, ab infidelibus vero procul abest. Est autem hæc vita, credendo Deum, vt oportet, & amando, & sperando Deum, vt oportet. Tunc autē credimus, vt oportet, quando ea credimus, quæ fides catholica docet credenda, & cætera respuimus, quæ ipsa respuit. Tunc amamus, vt oportet, quando diuina mādata omnia, ad eam rationem seruamus, secundum quam & vitam, & opes omnes, & honores, pili facimus, vt illa absoluamus. Tūc denique speramus, vt oportet, quādo bona merita præstantes, quo ad licet, diuinæ misericordię fidimus, tandem præmia cælestia reportaturos. Hæc sanè qui adeptus est, super naturalem, spiritualēque vitam est adeptus.

Vita duplex & naturalis & supernaturalis.

Vita supernaturalis, seu renascentia nemini ex solis arbitrij sui viribus contingere potest.

Nemo enim hæc sibi proprijs fretus naturæ suæ viribus adipisci potest, nisi superna turali ope Dei iuuetur & leuetur, vt hæc sibi paret. Homo namque ex natura sua in sensibilia bona est propensus, & ad ea, quæ ratio inuenit ex sensibilibus solū est pronus. Quæ verò sensibilē rationem excedunt, non est humani iuris, vel humanæ consequi non est facultatis, si non desuper iuuetur, talia sunt quæ iam dudum enarrauimus. Vnde facilè habebis, quam delirus fuerit Pelagius dogmatizās hominem ex solis viribus sibi vernaculis, posse credere, amare, sperareq; Deum, vt oportet. At hic non obseruabat dominū dicentem, Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, & rursum, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Si ergo noua natiuitas est necessaria, vtique hanc nouā sibi parare nemo ptest natiuitatem ex naturæ solius viribus. Nihil enim se generare potest, igitur neque regenerare. Quippe si quispiam se regenerat, iam non Spiritus sanctus est, qui regenerat: liberi sanè est arbitrij hanc regenerationem velle, & ad illam conari, at non est illam efficere: vnde Christus, hanc regenerationem spiritui, & aquæ tribuit, Qua fronte igitur Pelagius eandem audet sibi

Pelagius confutatur, noua & egregia ratione.

sibi tribuere? De qua re alibi nos fusius disseruimus.

¶Iam ergo si explorata sunt tibi quæ hactenus docuimus, videbis aptissimè scripturam diuinam vocasse, trãslationem ex vita vitiosa veteri, ad vitam nouam liberã à culpa, & à pœna debita culpæ renascentiam, aut natiuitatem spiritualem. Quandoquidem, est mutatio ad nouam vitam spiritualem. Namque si mutatio ex non viuente, in viuens, est philosophis natiuitas, cur Theologis mutatio ex non viuente secundum Deum, ad vitam nouam secundum Deum, qualem descripsimus, nõ erit dicenda natiuitas? Imo si philosophi generationem secundum quid, mutationem ad accidens nouum appellitant, cur vitio dabunt theologis, si mutationem ad vitam nouam supernaturalem regenerationem appellent. Et sanè multò aptius scriptura loquitur, quam ipsi: siquidem ipsi mutationem ex vitioso, in studiosum, & contra dicunt esse generationem secundum quid. At verò scriptura, mutationẽ ex veteri vitiosa vita, ad nouam vitam regenerationem nuncupat. Porrò ex noua vita, ad veterem vitam non regenerationem, sed lapsum aptissimè nuncupant. Siquidem lapsus ad veterem vitam, ad depositaque peccata regressus, nihil noui boni affert: sed grande malum: ideò non renascentia, non natiuitas noua, sed corruptio, & euersio natiuitatis spiritualis est.

Nouavitagratiæ recte dicitur noua natiuitas.

¶Iam verò opportunum est, vt ad institutum sermonem, vnde defluxit, refluat oratio. Dicebamus autem natiuitatem carnis oppido infœlicem esse, contra verò natiuitatem spiritus impendio beatam. Vnde nemo iustè mirari potest cur sancti, secundum carnem natalitium diem non formidẽt maledicere, illique multa mala precari non abhorreant. Legimus enim apud S. Iob. cap. 3. Post hæc aperuit Iob os suũ, & male dixit diei suo: & locutus est, Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat illum Deus desuper, & non illustretur lumine. Et pleraque alia multa imprecatur, in consequentibus verbis. Et quid causæ obsecro arbitraris fuisse, quæ sanctum & alioqui patientissimum virum ad has diras imprecationes impulerit promendas in natalitium diem? Enim vero si natalitium diẽ expendis, nihil commeruit mali, cur illi imprecandum fuisset? Etenim dies natalis est dies, vt quiuis alter nõ natalis: & nox conceptionis est, sicut altera nox non conceptionis. Hæc autẽ inculpata sunt, quia ordinatione Dei perseuerat dies: & ipse posuit tenebras noctem, lucemque appellari diem iussit, Gene. 1. Cur ergo quæ inculpata sunt, & innocua, adeò culpat vir sanctus, vt illis maledicat? Cur rursus non veretur maledicere, creaturis à Deo bene dictis? Sunt qui hunc nodum soluere tentant, dicentes diem natalitium esse nihil, ideoque inculpata est eiusdẽ maledictio, quia illum maledicens, nihil maledicit.

Cur Iob maledixerit diei natalitio suo.

Iob, an peccauit dicẽs. Pereat dies, &c.

Est enim præteritus dies ille, & iam præterita, nihil sunt, nomine enim tantum habent esse non re. Porrò mihi ista nodi huius solutio placet nihil. Quandoquidem propter affectum formatur culpa, nõ propter rem ipsam. Ex rei enim existentia, vel nõ existentia, nõ est pendenda culpa, sed ex affectu, qui sæpe perinde se gerit ad rem etiam impossibilem, ac si esset possibilis. An non de furto est arguẽdus is, qui furari desiderat, quod subripere alioqui est sibi impossibile, vt etiam qui coitum fœminæ cõcupiscit sibi impossibilem, vt qui amicam mortuam amat coire rediuiuam? Quamobrem etiam si dies natalis nihil est, at verò qui male afficeretur ad ipsum, vt videtur male affici, qui illi maledicit, vtique ex malo affectu culpabilis euadit, qui eiusmodi fuisset. At argumentũ in lib. Iob. Iob peccasse in verbis cõmemoratis facile asseuerat. Sed S. Gre. lib. Mora. 4. c. 16. Iob. à peccato eũ asserit, fatetur enim, Iob nõ diei naturã respexisse, cũ ait, pereat dies, &c. natura nãque diei, atq; noctis, bonæ sunt, sed solum culpæ originalis infectionẽ. Quod si obieceris, nox non bona videtur, quia nox est priuatio lucis solaris, priuatio vero boni mala est, respõdetur, noctem no esse purã priuationẽ lucis. Est namque in nocte lucis nonnihil, ideoque etiam si debili visione, noctu tamen videmus oblata. Et consensus perspectiuorũ probat, nullum esse corpus prorsus vmbrosum, hoc est, penitus destitutũ luce. Idcirco, vt nox nonnihil continet lucis, nox etiam bona est. Non ergo naturas bonas, bonus execratur Iob. At vero, natiuitatis dies, aut conceptionis nox habet non nihil annexum, quod sancti omnes fasti-

Rei existẽtia aut nõ existẽtia nihil facit ad culpã, sed affectus.

Locus Iob exponitur.

fastidium. Sumus namque vniuersi homines in peccatis concepti, ad Rom. 5. excepto Christo domino, qui est Deus & homo: & pietas ecclesię Mariam matrē Christi, etiam excepit. Peccatum igitur originale, quod inquinat cōceptionem nostrā, & deturpat natalia nostra, sanctus Iob cōtemplatus, vnde ipse tot aduersis quatiebatur rebus, tantisque subdebatur calamitatibus erupit in maledictiones sæuas conceptionis suę, atque in duras natalium suorum execrationes, cōsiderans apud semet ipsum, si inquinatam non habuisset conceptionem, non tantis premeretur ærumnis, vt se premi videbat.

¶ Natalia igitur carnalia iustè ob causam cōmemoratam maledicenda sunt: at vero natalia spiritualia summis laudibus sunt ex tollēda. Dies nāque natalitius iste qui est baptismalis, quando mens nostra Deo viuere incipit, lucidus est, & ideo submotus est à tenebris. Conferuntur namque tūc sub baptismo nobis lux fidei, luxque diuinæ regenerātis gratiæ. Ideò illum diē non poterunt obscurare peccati tenebræ, neque inficere mortis vmbra. Non poterit eum occupare caligo, neque amaritudine inuolui poterit. Baptismi nāque dies, eruit hominem à tenebris errorum, & ab vmbra mortis, quæ est culpa, & pœna illi connexa. Tollit amaritudinē diuinæ iræ, pacē cum Deo & sanctis angelis eius init. Quod si multi postquam proluti sunt ex aqua illa baptismi, rediere ad vomitum, iste reditus vim baptismi, & gloriam non tollit. Non enim ideo baptismus malus, quia baptizatus redditur malus. Dies igitur baptismi dies sacer est, dies natalitius tam senibus, quam pueris, tam viris quam fœminis, quando homo renascitur Deo, quando interior homo renouatur renouatione secreta. Quādo imago Dei, per protoplastum deturpata, per Christum reformatur, & nouè illustratur, & suis quasi amissa diuinis exornatur dotibus: quādo id, quod infecit primus homo de terra terrenus, reficit nouissimus homo de cælo cæleste. 1. Cor. 15.

¶ Si autem placet, vt sanctorū natalia omnia referam, promptè tibi illa subijciam. Priora namque natalia sunt secundum originem vitæ temporalis: quando primo in lucem hāc ex materno prodiere vtero, & hæc cōmunia sunt omnibus animalibus. Sunt alia natalia, vnde originem capit spiritualis vita: & hæc natalia baptismi præstat gratia. Ex baptismo enim vel re, vel voto suscepto, originē capit vita spiritualis: & hæc natalia sunt cōmunia omnibus fidelibus. Quia tamen baptismus neminē cogit ad seruandam spiritualem, quā ipse donauit, vitā, ideo ab istis natalibus multi exciderunt & quotidie excidunt. Sunt vero alia natalia secūdum statum nouum spiritualem animæ, qualia sunt animarū sanctarum post corporis depositionem. Etenim tunc animæ potiuntur nouo immortalitatis statu, quādo absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum suorum, quia priora transierunt. Apoc. 21 Vnde ecclesia huiusmodi animarū ad cæleste patriam cōmigrationem vocat natalitia vel martyrū, vel confessorum. Verum quia animarum beatitudo, non omnibus suis est absoluta numeris, tātisper dum corporum suorum cōsortio destituuntur, sub diem iudicij, erunt perfecta hæc sanctorum natalia: ideò dominus diem illum nouissimū sanctorum vocat regenerationem. In regeneratione, inquit, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis vos, &c. Tunc namque erit renascentia perfectissima & cōsummatissima, & secundum animam, & secundū corpus sanctorum omnium.

¶ In baptismo autem, etiam si renascatur homo secundum spiritum, quia reuiuiscit ad vitam spiritualem nouam, at verò corpus non renouatur, sed relinquitur miserijs multis obnoxium. Verum tunc liberabitur creatura, homo, scilicet, ab omni seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorū Dei, ad Rom. 8. Et rursus neque animus noster modo ex baptismo, plenè gaudet hac libertate gloriæ filiorum Dei: siquidem baptismi regeneratio non reddit hominem impeccabilē, tametsi à culpa exonerat, illam soluens, & mundans. Porrò illa postrema renascentia, plenissimam donabit libertatem, & impeccabilitatem, & immortalitatē. Fruentur autem hac renascētia absolutissima, qui quandiu ducebant temporalem hanc vitam, renati fuerūt ex aqua & Spiritu sancto. Est namque hæc renascentia initium illius postremæ renascentiæ.

¶ Quod si dixeris ante Christi aduentum nullus renascebatur ex aqua & Spiritu sancto.

Dies baptismi est natalitius dies secūdum spiritum

Baptismi prę rogatiuæ.

Quatuor natalia sanctorū

Renascentia vltima donauit hominib' sanctis plenissimam libertatem.

sancto. Quid ergo, illi qui tunc rectã egerunt vitam, non gaudebunt, illa postrema renascentia? Vtique gaudebunt: quia renascẽtia ex aqua & Spiritu sancto ab illis nõdum exigebatur, quia nondum fulserat Christi gratia. Verum satis illis fuit, si vel circuncisione originale detergebant peccatũ, & pœnitẽtia actualia. Aut si sub lege naturæ degebãt, sacrificijs infantium lustrare originalẽ culpam sat tunc erat. Quę sane omnia non erant renascentia in spiritu, qualis ea est, quã baptismus confert, si quidem baptismus culpam, & pœnam donat, & iannuas paradisi baptizatis reserat: non item circũcisio, vel quæuis sacrificia, at ea erat, renascentia, quæ temporibus illis sufficiebat, ad salutem.

Ante lege & sub lege Moy si nullus est renatus perfecte.

¶Si ergo tanta est baptismi gratia, quę hominem regeneret ad vitam æternam, dies baptismi nostri est maxime colendus, & celebrandus dies, quo eruimur à potestate Satanæ, & Deo reconciliamur. Porrò si dies natalitius carnis nostræ, tantis nos obruit miserijs, vt maledictioni Iob patuerit, siue maledictio illa fuerit culpata, vt argumentum in librum Iob autumat, siue fuerit inculpata, vt Origeni, Chrysostomo, Gregorio, & alijs plerisque doctoribus placet, aut si solã venialẽ admisit culpam, nihil nostra, quia hoc non accepimus modo differendum. Sed solum miseriam nostrorum natalium ostendere cupimus eam esse, quam vir sanctus Iob execratus fuerit. Itemque Hieremias. cap. 20. eiusdem diei maledictioni non pepercit. Quare non est, cur diem hunc natalitium candido numeremus lapillo, non est cur eum canticis, saltationibus, & potationibus, atque exquisitis celebremus epulis. Imo est cur illum defleamus, quia initiũ est hominibus tantorum malorum, quæ cernimus quotidie nos pati, vt ipsa natalia suam miseriam profitentur, quia flendo nascimur. Vnde carnalium est hominum huiusmodi celebrare natalitia, vt celebrauit Pharao. Genes. 40. & celebrauit Herodes Mar. 6. An non inania sunt gaudia ista, quæ ex initio nostrarum miseriarum decerpuntur? Imo consultius dixit sapiens ille. Et laudaui potius mortuos, quam viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt. Eccles. 4. Dies autem baptismi, qui est dies natalitius noster, secundum spiritum, priorum secundum carnem nataliũ mala corrigit. Quippe culpam illorum detergit, & pœnam, & robur præstat, vt mala alia, quæ priora natalia supperunt, æquo ferantur animo, expectando beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, ad Titum. 2.

Carnaliũ est hominũ carnis celebrare natalia.

Baptismus vicia natalium nostrorũ corrigit.

ENARRATIO TERTIA
In caput tertium.

Sectio tertia.

¶*Post hæc venit Iesus & discipuli eius, in Iudæam terram: & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim, quia multæ aquæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.*

ABSOLVTO dialogo Christi & Nicodemi euãgelista ad denarranda alia de baptismo Christi, euãgelicum modo dirigit calamũ, videlicet, vt aperiat excelsiorem esse Christi baptismũ, quam Ioã. Baptisma & vt nouũ referat Ioãnis testimoniũ de Christo. Quæ denarraturus inquit, *Post hæc venit Iesus*. Hoc est celebrato Hierosolymis paschate, ad hoc enim Hierosolymã venerat, vt ibi celebraret dominus pascha supra. 2. Postquã autem celebrationem absoluerat venit in Iudæam terram: non continuo tamẽ, quia primũ concessit Galilæã, & inde transiuit in Iudeã annotante Beda. Etenim dicet aliquis Hierusalem fuisse metropolim Iudææ, quo modo ergo si dominus erat Hierosolymis, euangelista ait, Post hæc venit Iesus in Iudæã, siquidẽ ibi in Iudæa erat, quando cum Nicodemo contexerat disputationem? Ideo Beda dixit, non esse intelligẽda verba hęc quod statim venit Iesus in Iudæam, si quidem in Iudæa tunc erat, sed quod à Hierosolymis discedens venit Galilæã, & inde rursus cõcessit Iudæã. Quo autem fine dominus tunc Iudæã concesserit euãgelista, nõ suppresit dieẽs. Et morabatur ibi cum discipulis suis, & baptizabat. Venit igitur dominus Iudæã baptizaturus ibi. Quamuis ex cap. 4. admonemur dominum non baptizasse, sed discipulos suos. Verum nõ desunt quibus arridet dominũ baptizasse apostolos suos, non tamẽ alios, quos tamẽ tradidit apostolis baptizandos. Cæterum Græcis autoribꝰ vt Cyrillo, Chrysostomo Theophila. primum probatur Christum

An Christus apostolos suos baptizaret problema.

neminem baptizasse, sed istud baptizādi munus apostolis suis cōmisisse. Et hoc illis probatur, quia sequens caput idem docere videtur: quanquam, inquit, Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Quod autē modo traditur, & baptizabat, interpretantur, eius nāque autoritate, discipuli baptizabāt. Veruntamen quod Nicolao arrisit ex Augusti. sentētia nō est improbabile, Christū baptizasse apostolos suos, & isti alios baptizabāt, quia cēpit facere & docere, si docuit baptisma ipse baptizauit. Nā quod ex. c. 4. indicatur, nō habet cōueniētem persuasionē, si dixerimus Christū populū illum, vel turbā, non baptizasse: sed discipulos eius. Voluit autē Christus tūc exerceri suū baptisma quod cōcurreret cū Ioā. baptismo. Enim vero Ioānis baptisma fuit à Deo dispositū, vt Iudæi assueti ad Ioā. baptisma nō horrerēt Christi baptisma tāquā rem nouā. Assueta enim magis amātur, quā formidātur. Vt ergo ex Ioā. baptismate facile se committerent Iudæi Christi baptismo, ideo Ioan. venit baptizās antequā Christi esset in vsu baptismꝰ. Porro autē postquā obseruauit dominus, satis iam illud Ioā. abisse in consuetudinē baptisma, venit Iudeā, vt suus etiā exceretur baptismus, vt qui à Ioāne erāt proluti ab ipso itē sine difficultate ex prioris baptismi consuetudine proluerentur. Vnde prope finē baptismi Ioan. Christus suum exorditur baptisma. Nāq; Ioan. baptisma erat tāquā prēuia dispositio ad Christi baptismū, ideo sub cōplemēto baptismi Ioā. dñs suum baptisma exercendū instituit. Quippe paulo post Ioā. fuit carceri traditus, & gladio Herodis occubuit, & cessauit suus baptismus. Cæterū Ioānes hoc tēpore nō baptizabat in deserto Iudeæ trās Iordanē, vt cēperat, sed dño cedens baptisteriū mutauit docēte euangelista Ioā. id tēporis baptizasse in Aenō, iuxta Salim. Putat Brocardus descriptor terræ sanctæ Aenō oppidū esse fertile, & valde munitum, distans à Sichē ciuitate, quæ Ioan. 4. dicitur Sichar, quatuor milliaribus, procedendo versus orientē ad Iordanē. Itaq; iuxta hāc descriptionē erat ciuitas Aenō iuxta ciuitatē Samariæ quæ dicitur Sichen. At verò Salim secundū Hieron. in epistola ad Euagrium credit eam esse ciuitatem, quam memoratur, Gene. lib. 33. vbi traditur Iacob trāsiuisse in Salē ciuitatē Sichimorū, quæ est in terra chanaā, & esse eam vrbē, quam Melchisedech regio est moderatus dominio. Gene. 14. Quippe hæc Salem, cuius fuit rex Melchisedech nō fuit Hierusalem, autore Hiero. Quippe Hierusalem non erat in itinere, quando Abraham venit Salem, de hostibus triūphans, & decimas pensurus Melchisedech. Neque refert, inquit, quod Salem, vel Salim nominetur, cum vocalibus literis in medio dictionis perraro vtantur Hebræi. Et diuersitas regionum, literarum sæpe facit demutationem. Porrò Hieronymi placitum alijs non probatur, vt est videre apud Nicolaū, & Honorium, & alios, qui iunctis, quod aiunt, vmbonibus cōtendūt, Salim esse idē, quod Salē, at Salē, esse Ierusalē, cui prefuit rex Melchisedech. Vnde Honorius credit sub Melchisedech, prius appellatā Salē, dein sub Dauide Hierusalē, tandē sub Salomone Hierosolymā, quā olim incolebant Iebusæus Iosue. 15. vbi vocatur Hierusalē. Vnde Honorius deceptus est credēs, sub Dauide vocatam Hierusalē, quia sub Iosue illa potiebatur, nomenclatione. Arbitror autem, si Ioannes voluisset exponere Aenon, esse iuxta Hierusalem, nō quæsiturum vocabulum iam exoletum, sed consueto dicturum vocabulo iuxta Hierusalem, & non dixisset iuxta Salim. Etenim decursus euangelicus Hierusalem, non Salem, sed Hierusalem appellat: ideo subscribendum iudico Hieronymo, Salim, vel Salem hoc loco nō significare Hierusalem. Legere autem oportet, Aenon, & non Ennon. Ennon enim quidam erat, vnde vallis dicta filij Ennon: cuius mentio fit apud Hieremiā. 7. & 19. quæ Geennam appellatur Hebraicè, idest, vallis Ennon: quæ est euangelicis literis, Gehēna, quæ cruciatum, atque æterna denotat supplicia, quę impios manēt. Et tu hæc obserua, quia Græcè est αἰνὼν, & non ἔννων, per duplex. n. & sine diphthōgo. Ideo corruptè legitur apud aliquos hoc loco pro Aenon, Ennon.

Ad finē huius capitis Aug. epist. 108 ad Seleucianam

Baptismus Christi & Ioā. cōcurrerunt aliquando.

Ænon Salim Salem Sichem

Melchisedech non fuit rex Ierusalē, sed Salem.

Salem Ierusalem. Ierosolima.

Geennon Gehenna.

¶Quod si te solicitat quæstio, cur disposuerit Deus, vt simul tunc concurrerint vterque baptismus, & præcursoris, & Christi, dixerim tibi hoc non temere, sed ex diuina arte factum esse, vt Iudæi tunc, & fideles postea persuasum haberent, Ioannis baptismum esse insufficientem ad salutem parandam æternam.

Enim-

Cur simul cõ currerunt baptismus Ioannes & Christi

Enim vero, si ij, qui baptismo Ioānis erāt initiati, ipsimet baptizabantur Christi baptismo, facile indicabatur. Ioā. non fuisse sufficiẽtem baptismũ: nã si ille sat fuisset sanctificãdis mẽtibus, frustra alium baptismũ exquisiuissent. ¶ Porrò autẽ Theophilatus cẽset baptismũ, tum quẽ ministrabãt Christi discipuli, & Ioan. baptismũ nihil differre, & per vtrũque nihil gratiæ cõferri, nihil spiritus præstari: sed vtrumq; esse præparatorium ad verũ Christi baptisma, quod post domini ascensionẽ, & spiritus paracleti discensionem apostoli contulerunt. Et ante Theophi. Chrysosto. homi. in Ioan. 27. docuerat idem. ¶ Persuasit Chrysost. hãc sententiam, quia Christus baptizat in Spiritu sancto, Matt. 3. igitur ante aduentum Spiritus sancti nõ poterat per baptismum conferri Spiritus sanctus. Cæterũ hoc dogma est cõtra cõmunẽ consensum theologorũ, neque causa indicata est perẽptoria. Tunc igitur apostoli baptizando verũ Christi baptismatis sacramentũ cõferebãt & gratiã Dei, & sanctificationem per illũ prẽstabãt, id quod Ioã. baptismus, nunquã contulit. Veruntamen Christi tũ baptismus ante eius ascẽsionẽ ministratus, nõ reserabat cẽlestis regni fores, nihilominus sanctificabat baptizatorũ mentes. Et quidẽ nulla esset cõtrouersia inter discipulos dñi, & Ioan. si idẽ esset baptismus. Et eodẽ accedat discipulos dñi fuisse à domino consecratos in sacerdotes in die cænæ nouissimæ. Quid ergo, nõ initiatos vero Christi baptismate, Christus cõsecrabat, nõ videtur rationi consentaneũ: quia baptismus ianua est sacramẽtorũ. Neque solũ gratos Deo faciebat, baptismus Christi tũc baptizatos, quin etiã antequã Christus scanderet tribunal paternæ dexteræ, post mortẽ tamen suã, donabat beatitudine baptizatum defunctũ. Verbi causa, si infans id temporis accepto Christi baptismate vita excederet, beatus sanè, videndo diuinã essentiam, quãuis nõ ascẽderet anima illa infantis in cælũ, quia nondum ascenderat dux cælestis itineris Christus, qui ascendẽs in cælũ expãdit iter cæleste, ingressuris in habitacula cælestia. Et quidem quod indicatur. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni, non colligit contra præscriptã veritatẽ. Quippe hic locus aut referendus est ad diem Pentecostium, aut baptizabat Christus, etiam ante hunc diẽ Spiritu sancto, sanctificãdo mẽtes fideliũ & igni illas inflãmando in amorẽ suum. Sed neque alter locus Ioã. 7. Nõ erat spiritus datus, quia Iesus non erat glorificatus, quenquã turbat, siquidẽ hoc referas ad spiritus paracleti missionẽ sub forma linguarum ignearũ. Neque intelligas, de missione inuisibili, quæ est in donãdis peccatis; sed de missione visibili, quæ nulli cõtigit antequã cælos scanderet Christus, de seculo, & Satana triumphans.

In baptismo semper mitti tur sanctus spiritus inuisibili missione.

¶ Baptismus igitur Christi nunquam fuit inefficax, quãuis efficaciã auxit mortuo Christo, & multo vberiorẽ illo ascẽdente in cælum: quia tunc licuit animabus sanctis cælestia penetrare regna, quæ prius non licuerat. ¶ Quãobrẽ tres status sunt baptismi Christi, si velis distingue. Primus ante Christi mortem: & sub hoc statu peccata donabat, & gratiã conferebat gratum facientẽ. Secundus post Christi mortem, & tum beatificare poterat: quia diuinam baptizato defuncto faciẽ demonstraret. Tertius postquã dominus triũphator ascẽdit in cælum: & tunc regna aperiebat cælestia. Et equidẽ si Christi baptismus in primo statu nõ conferebat gratiã, neq; in secundo supefluè exercebatur Christi baptismus, siquidem nihil discriminis habebat à baptismate Ioānis. Imo vtilior erat baptismus Ioan. qui baptismus dicebatur pœnitẽtiæ, qua nomenclatione nõ legimus nominatum Christi baptismum. Sed quis hoc nõ verebitur cõcedere. Ideo dicere oportet Christi baptismũ semper fuisse efficacẽ, quippe Christi baptismus erat. Quidquod Christi baptismus in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, tum exerceretur, vt postea. At verò quis audebit dicere baptismũ sub hac forma præstitũ nihil differre à baptismo Ioānis? Quod si quæsieris, cur Pharisæi qui erãt pessimè animati in Christũ, non obiecerunt Christo baptismum hunc sub hac forma, quæ videbatur Deos multiplicare? Respondetur ex solo baptismo Pharisæos nõ fuisse offensos, siquidem Iudæi varijs baptismatibus vtebãtur. Idcirco non leginus offensos Pharisæos, vel ex Ioanne, vel ex Christi baptismo. Ex forma vero forsan non offendebantur, quia nõ intelligebant vim & significationem formæ: neque sanctæ Triadis mysterium ex illa significari aduertebant. Namque si intellexissent, cum

3. status baptismi.

Pharisęi non legũtur ex baptismo domini offensi.

essent cauillosi, & inuidi continuo occinerent Christo, quod doceret multos esse deos, non intelligendo esse Deum vnum essentia, & trinũ in personis. *Quia aquæ multæ erant illic.* Venit Ioã. in oppidũ Aenon, quia erat locus aquis abũdans: & Aenon Hebræis aquã significat. Dñs autem alibi baptizabat, scilicet, vt creditur, prope Iordanẽ, vbi Ioã. prius baptizarat? Et Ioã. qui dẽ baptizabat nõ sibi sed Christo, discipulos præparãs: Christus vero baptizabat discipulos sibi formans, quos in suũ mysticũ corpus, quod est ecclesia traduceret. Et cõ sectariũ est ad ea quæ diximus, quod ante mortẽ dñi baptismus ipsius non regenerabat prorsus, quia nõ poterat tũc beatificare baptizatos nõ defectu suo, sed quia mors Christi desiderabatur, at vero tum regenerauit baptizatos, quãdo illos post Christi mortẽ beare poterat. Sẽper tamẽ abundãtiorẽ contulit gratiã, quã circuncisio Mosayçe legis. Quippe iã Christus aderat baptismi autor, idẽò ex Christi præsentia vberior illi accesit sanctificãdi virtus, quã circũcisioni. *Et veniebant & baptizabãtur.* Baptizabãtur à Ioãne in Aenõ, & à Christi discipulis prope Iordanẽ. *Nondũ enim Ioannes missus fuerat in carcerẽ.* Postquã fuit traditus vinculis Ioan. cessauit baptisma ipsius & prædicatio, & Christi prædicatio, & baptismus maxime claruerũt. Vnde ex speciali Dei cõsilio Ioã. tunc occubuit, ne cõtẽtio esset inter scholã Christi & Ioãnis: & discipuli vtriusq; scholæ litis agerẽt super magistrorũ autoritate, & excellentia. Multũ enim autoritatis discipuli Ioan. tribuebãt magistro. Ideo si mors Ioã. nõ intercederet vix sedaretur cõtẽtio, litigiosaque cõcertatio inter vtrãq; scholã Christi & Ioã. Maximè, quia Ioã. discipuli dñm viderãt se subiecisse Ioãnis baptismo: vnde videbatur illis baptismũ Ioã. esse eminentiorẽ quã Christi baptisma. *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioãnis cũ Iudæis, de purificatione. Et venerũt ad Ioannẽ, & dixerũt ei, Rabbi qui erat tecũ trans Iordanẽ, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat: & omnes veniunt ad eum.* Inter discipulos Christi, & alios Iudæos in Christũ credẽtes, ex parte vna, & Ioãnis discipulos ex parte altera, suborta est cõtentio, super baptismo, quẽ vocat hoc loco euangelista purificationẽ. Et c. 2. dixerat euãgelista esse sex hydrias positas secũdum purificationẽ Iudæorũ.

Baptismus Christi aliquando non prorsus regenerauit.

Et enim quia illæ hydriæ erãt plenæ aquę ex Iudaico more, ad ablutiones & lotiones, quæ erãt Iudæis familiares, hac ratione inquit illas esse cõstitutas secundũ purificationem Iudæorũ. Et modo etiã ipsam ablutionẽ seu lotionẽ ex aqua, quæ Græce dicitur baptismus, vocat purificationem. Erat igitur quæstio, nũ Christi baptismus esset præstãtior, quã Ioã. baptismus, an cõtra? Christi discipuli colligebant illius excellentiã, ex autoris eminentia supra Ioã. Ioanne testãte Christũ esse verũ Messiã, tollentẽ mundi peccata, & se esse indignũ qui calceamẽta domini portaret. Itemq; ex miraculis à Christo exhibitis, quæ Ioã. nõ fecerat. Discipuli verò Ioãnis illud putabant esse palmariũ argumentũ, ad commendandum Ioannis baptisma, quod dominus sese illi subiecerit.

Cõtẽtio discipulorũ Christi & Ioãnis.

¶ At verò isti nõ aduertebãt Ioannẽ suos, quos baptizabat discipulos, ad Christum mittere, vt ab eodẽ baptizarẽtur, id quod testimonio erat Ioãnis baptismũ fuisse inefficacẽ. Siquidẽ Christus neminẽ ex suis mittebat ad Ioannẽ, vt a Ioãne baptizaretur. Neque mireris cõtentionẽ hanc, quia tales sunt mores hominũ ad litigia & quæstiones propẽsos. Et quo sanctiorẽ dicunt vitã, eò quæstiones & contentiones ex religione subortas, putant sibi magis cõgruẽtes, nã huiusmodi contẽtiones non contẽtioni, sed religioni tribuũt, & ideo sæpissime acerbissimæ sunt. Honestior autẽ hęc apparet cõtẽtio, quã illa, quã apostoli dñi inuicẽ habuerũt. Facta enim est cõtentio inter eos, quis eorũ videretur esse maior. Hæc nãq; contẽtio ambitiosa erat, illa vero religiosa videtur. Fuit etiã apud Corinthios de baptismo contẽtio, siquidẽ ex ministri sanctitate pẽdebãt Corinthij baptismi efficaciã: tantũ erat, quod ministris tribuebãt: vt ex ministris baptismum cognominarẽt. Discipuli quoq; Ioã. peiore errore detẽti, Christũ non autorem, sed ministrũ baptismi esse ducebãt: ideo magis tribuebãt baptismo Ioan. quã Christi, Cũ tamẽ ipse Ioãnes clarè docuerat, non ministrũ esse Christũ baptismi, sed institutorẽ dicẽs, Ipse est, qui baptizat in spiritu, &c. At verò postquã inualuerat affectio magistri in suos discipulos, credebãt Ioãnis discipuli, hæc ad gratiã Christi conciliãdam à Ioãne prolata esse, nõ propter veritatẽ. Euangelista autẽ quęstionem appellauit,

Lucæ. 22. 1. Corin. 1.

non

nō contētionē, quod re vera erat cōtentio. Enim verò cum esset leniſsimus, asperita tē rei quæ ex voce hac contentio, significa tur leni sermone tēperauit, dicens. Facta est quæstio. Quæstionē autem hanc discipuli Ioānis, ad magistrū referunt, dicētes, *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanē.* Videtur hos Ioannis discipulos carnaliter sensisse de Christo: siquidē præferunt ex hoc sermone, Christū male repēdisse testimonia quæ Ioānes ad Christi fauorē protulerat. Siquidem baptismū alium celebraret, vn de Ioānis baptismo detraheretur: & Chri stus inde gloriosiorē se ostētaret plures ba ptizans, quā Ioannes baptizabat: & ideo aiunt. *Qui erat tecum trans Iordanē, cui tu testi moniū perhibuisti, hic baptizat, &c.* At vero isti suo ore se condēnant, quandoquidem ipsi mentionē faciunt Ioānis testimoniorum de Christo, illa autē testimonia apertè profitentur Ioānem esse longe Christo minorē, vnde consequebatur baptismum Christi esse pluris pendendū, quā Ioānis. Cæterū homines amantes cōtentionem, non obseruāt, quæ soluunt cōtentionem, sed quæ augēt. *Hic baptizat.* vel quia bapti zauit apostolos suos, aut quia Christi auto ritate baptizabant apostoli alios. Id quod nō legimus Ioānis discipulos baptizasse: quia Ioan. minister erat non autor, etiam num materialis illius quem exercebat, ba ptismi. *Respondit Ioannes, & dixit, Non potest homo accipere quicquā, nisi ei fuerit datū de cælo. Ipsi vos mihi testimoniū perhibetis, quod dixe rim. Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.* Discipuli Ioānis studebāt magi strum prouocare ad odiū Christi, quasi nō bene respondētis Ioānis officiū erga Chri stum impēsum: at Ioānes nititur hoc ser mone, & sequētibus nouū de Christo pro ferre testimoniū, & antiquia repetere, vt se abhorrere ab odio Christi facile demōstra ret. Et quia discipuli meminerāt testimonij prolati à Ioāne, testāte dignitatē Chri sti, idem testimoniū replicat, vt refricādo illius memoriā discipulos suos retrahat ab errore, quo tenebātur de Christi baptisma te. Et sensus verborum hic est, Ego sum minister Christi, ex cælesti ordinatione, ideo nō possum excedere metas meas mi hi à Deo præscriptas, ingerēdo hoc ministe rio. Quia ego minister sum, hoc ministe riū bifariā exerceo, primo verbo prædicā do, Christū esse verū Messiā: secūdo ope re, baptizādo aquā dūtaxat: & quos bapti zo moneo, vt ad verum Christi baptisma properēt. Missus enim sum ante Christū, vt præparēilli hominū corda, & prædicatio nis verbo, & pœnitētiæ baptismo. Inanis est ergo quæstio vestra, cū ego nō sim dns, sed domini minister: meusq; baptismus, non est baptismus regenerans, & faciens Dei adoptionis filios, sed disponēs tantū ad regenerationem baptismum.

¶ Nō tamen Ioānes vehemēter obiurgat discipulorū errorem, sed mansueto sermo ne errorē dissuadet. Aduertens discipulos suos potius ex imperitia, quā ex prauitate animi, quæstionē excitasse. *Qui habet spon sam sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum gaudio gaudet propter vocē sponsi. Hoc ergo gaudiū meū impletum est.* Insinuat istis verbis domini præcursor baptismū suum nō esse regeneratoriū, siquidem spōsi est generare filios, ex sponsa sua. Ioānes autē non erat spōsus, ideo per baptismū suum, non poterat Deo generare adoptionis fi lios. At vero Christus est vere sponsus: quia ipse habet ecclesiā sibi desponsatā in fide, & charitate. Quapropter solius Chri sti est generare sibi filios adoptionis: id quod efficit per lauacrum Spiritus sancti, quod est Christi baptisma. Vocat autē se Ioānes Christi amicū, qui. 1. capite se ap pellarat seruū indignū. Quippe qui erat seruus ex creationis beneficio, erat ami cus, ex munere charitatis. Charitas nāque est quædā amicitia inita inter Deū & ho minē, ex magna Dei munificēcia, qui vo luit homines ex intercedēte mutua chari tate facere sibi amicos. Quod si rete ctio se cretorū amicitiæ est symbolū Ioā. 15. nō exiguū Ioānes egregius erat Christi ami cus, cui secreta de Christo patuerunt cæle stia & ante Christi baptisma, & sub Christi baptismate. *Amicus autē sponsi qui stat.* Nō est perspicuꝰ locus hic: nā quę sit vox spōsi quā præcursor dni stans audiuit, & eū gau dio excepit, nō est prōptū, nū est illa vox Matt. 3. Sine modo, sic enim decet imple re nos omnē iustitiā, aliā enim vocem nō legimus Christi ad Ioannē loquētis. Verū Ioānes nō ait, Audiuit vocē sponsi, sed au dit, vel ergo referēdus est locus ad internā inspirationē, quæ vox etiā vocatur, iuxta illud, Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, aut ad vocē præce ptorū & consiliorū diuinorum, secūdum illud

Error discipu lorum Ioānis

Amantes con tentionē cu rāt ea, quæ au gent contentionem.

Baptismus Christi rege nerat, Ioānis non regene rabat.

Charitas effi cit nos Dei amicos.

Ioānes mini sterium sibi cōcreditū à Deo bifariā exer cuit.

Vox in scri ptura varie vsurpatur.

illud euangeliũ Ioan. 10. Oues meæ vocẽ meã audiũt, Ioãnes igitur reuelatione ſuſcepta de Chriſti maieſtate, & quod ipſe erat eccleſiæ ſpõſus qui ſanguine ſuo erat abluturus humani generis piacula, gaudebat vehementer ex reuelatione hac excepta, quippe ipſe etiã per Chriſtũ erat redimendus, & introducendus ad vitã eternã. Amicus igitur ſpõſi, qui ſtat, & audit eum per internã inſpirationem, gaudio gaudet propter vocẽ illam internã docentẽ Chriſtum eſſe redemptorẽ humani generis. Et non ſolum Ioãnes erat iſte amicus ſponſi, qui ex hac ſpõſi voce gaudio perfundebatur, ſed etiã omnes prophetæ domini, quibus hæc in auribus mentis intonuit diuina vox, qui omnes ex hac voce magnũ gaudium conceperunt, quamuis maius Ioannes gaudium, quam prophetæ concepit, quippe præſens iam aderat Chriſtus, quẽ illi deſiderabant.

¶ Aut locus eſt intelligẽdus, quia Ioãnes præcepta domini & conſilia cognoſcẽs ex afflatu interno illa impleuit, & ideò gaudebat. Aut demũ hoc dixit, quia Ioãnes in vtero materno conditus exultauit ad vocẽ ſalutationis Mariæ, quæ quodãmodo erat Chriſti vox. Quoniã mater Maria inſpirãte infante Chriſto loquebatur. Aut denique per vocẽ ſponſi Ioan. intellexit Chriſti prædicationẽ: ſiquidem etiã antequam Ioã. intruderetur in carcerẽ, dominus prædicabat, quãuis non tã clare eius prædicatio reſonabat, ſicut poſt Ioan. occubitum. Sciebat igitur Ioãnes domini vocem, vel prædicationẽ, & ideo maximè gaudebat, quod iam verbum Dei carne aſſumpta homines doceret vocaliter ore proprio. Et præter hęc dominus Ioã. mandauit ſermonem illum Matt. 11. Luc. 7. Euntes renũtiate Ioanni quę vidiſtis, &c. *Amicus ſponſi qui aſtat*. Metaphora inſigni Ioãnes vſus eſt, vt diſcipulos ſuos, & omnes alios, certos faceret, ſe nõ inuidere gloriæ Chriſti, ſed illã in ſummis habuiſſe votis. Id quod eleganter expreſsit, inducta ſimilitudine ſpõſi & amici ſponſi. Amicus enim ſpõſi, maxime qui pronubus eſt, quia hoc ſibi incũbit ex officio, lætatur ex bonis ſpõſi, & ſponſę: fidẽq; ſeruat ſponſo ne lædat iura ſpõſalia, illęſam illi ſeruãs ſpõſam, illãq; monẽs vt incõtaminatã ſe ſeruet ſuo ſponſo. Et gaudio afficitur, quãdo ſponſum audit alloquentẽ ſponſæ, cuius ſponſationẽ ipſe celebrãdã procurauit. ¶ Ioannes erat igitur huiuſmodi, qui Chriſtum ſpiritualiter iunxit ſynagogæ, docens eum eſſe verum Meſsiam expectatum in lege, & per ſynagogam illum iunxit eccleſiæ vniuerſali. Fuit igitur paranimphus, & pronubus, procuratorque cæleſtiũ iſtarum nuptiarũ: ſeruauit autẽ fidem inuiolatã ſpõſo dicens, ſe nõ eſſe Chriſtũ, ſed miſſum ante illũ. Vnde non contaminauit ſpõſam, ſed Chriſto parauit iungendã. Cupiuit enim vehemẽter, vt ſynagoga in Chriſtũ crederet, & ideo audiẽs, quod omnes ex ſuo ſuaſu properabãt ad Chriſtũ gaudebat admodum, ex copulatione ſponſæ cum ſponſo Chriſto. ¶ Omnes ſane fideles ſunt Chriſti amici, ſi iuſti ſunt. Et omnes prophetæ fuerunt & Iudæi iuſti ante Chriſti ſecundũ carnem aduentũ. At vero Ioãnes ſingulari ratione eſt amicus ſponſi, quia pronubus, qui curauit nuptias agni celebrandas. Nãque cæteri alij non fuerunt hac ratione pronubi. Sũt equidem ſane prædicatores omnes pronubi Chriſti, vt Beda docet. Apoſtoli enim Chriſtũ iunxerunt cũ eccleſia gentiũ, & cæteri prędicatores idem præſtant. At vero Ioãnes hoc munus ante omnes præſtitit, dicẽs Nõ ſum ego Chriſtus &c. Ipſe eſt qui poſt me vẽturus eſt. *Hoc gaudiũ meum impletũ eſt*. Qui gaudet in alterius bonis, nõ inuidet illi: oſtendit igitur Ioãnes, ſe nullatenus inuidere Chriſti gloriæ ſed potiùs illam deſiderare: & ideo gaudiũ ſuum ait eſſe impletũ: quia quod exoptabat Iudæos in Chriſtũ credere, & baptiſmũ eius ſuſcipere iam videbat. *Illũ oportet creſcere, me autem minui*. Duplex eſt imminutio, vt geminũ eſt incrementũ, & abintrinſeco, & ab extrinſeco. Et hic locus nõ de intrinſecis bonis eſt audiẽdus, ſed de extrinſecis. Ioãnes enim nõ optabat, minui in fide, gratia, & amore Dei, ſed ſolũ in æſtimatione hominũ. Cogitabãt enim tunc turbę ne forte ipſe eſſet Chriſtus. Luc. 7. Hanc autẽ opinionẽ, quæ ipſum coram hominibus magnificabat admodũ, ſtuduit ſummopere auertere à cordibus hominum, & conſtanter perſuadere illis, ſe non eſſe Chriſtum, ſed Ieſum Nazarenũ eſſe verum Chriſtum: ideo ait, me oportet minui. Chriſtus vero creſcebat, quo ad extrinſeca bona, quando credebatur, quod verè erat. Creſcebat autem non in intrinſecis bonis, ſed ſolum in hominum fide,

Poſt præcurſoris obitum clarius reſonauit Chriſti prædicatio.

Ioãnes Paranimphus, ſeu pronubꝰ Chriſti & eccleſiæ.

Omnes prędicatores ſunt pronubi Chriſti & eccleſię.

Minutio & crementũ bifariam conſiderantur.

fide, & amore de ipso Theologi autē concedunt dominum creuisse etiam in experimentali scientia, quæ etiam est bonū intrinsecū, quia Lucæ cōmemoratur. 2. profeciſſe eum ætate & sapientia, quā rem in 3. Senten. nos fusius disseruimus.

MORALIA.

¶Illum oportet crescere, me autem minui.

Mos sanctorum & peccatorū diuersus

MOS est sanctorum se ipsos coram Deo deijcere, vt est ingenium peccatorū seipsos extollere, & supra suas vires plusquam satis est erigere. Obseruant nāque viri sancti hoc esse sum opere Deo gratū, vt nemo ex diuinis donis se extollat, sed potiꝰ in illis Dei magnificentiam intelligat, & se suasque vires illis impares esse persuasum habeant. Didicerunt enim ex veracissimo humilitatis exemplo Christo, Qui se humiliat, exaltabitur, qui se exaltat humiliabitur. Quāobrem constāter credunt viam regiam ad parandā sibi Dei munera, quæ nō habēt, & ad conseruanda quæ habent, esse sese minuere, atque deijcere in conspectu diuinæ celsitudinis. Pauperes nāque qui stipē hostiatim petunt humili, & deiecta, & fæpe lachrymabili & miserabili voce stipē petūt, vt vel sic animos diuitū ad se concilient, & præsidia eleemosynæ promereāt. Si nāque superba voce, & impudenti hoc agerent negotiū, eleemosyna fraudarētur quam desiderabāt. Neque solum hoc, sed pro eroganda probris afficerentur, infrænantibus illorum petulantiam.

Lucæ. 14. 18.

¶Cum ergo omnes homines coram Deo pauperes simus, nihil enim habemꝰ quod non acceperimus, & quod non habemus à Deo optimo & maximo, si non concedi tur, à nulla creatura subministrari potest. Creaturæ enim nihil donare possunt, nisi quod dono diuinitus acceperunt.

1. Cor. 4.

¶Idcirco necesse est, vt nostram miserabilem conditionem aduertentes, nos deijciamus in conspectu altissimi, si volumus parta seruare, & nondum parta parare. Si verò extollimus supercilia, & in bonis diuinis superbimus, vt impudētes pauperes, ab illo explodemur. Et non solum concedenda amittemus bona, sed concessis orbabimur, vt vel sic nostræ petulātiæ, & infelicis extollentiæ admoneamur.

Humilitas donata conseruat, & donanda parat.

¶In humilitate nostra, dixit ille egregius Dei vates memor fuit nostri. Si in humilitate nostra memoratur nostri Deus, in superbia nostra obliuiscetur nostri. Psal. 135.

¶Humilitas igitur deiecta extollit, & imminuta auget, & miserrima quæque beatificat. At vero elatio animi intumensque mentis superciliū, contra facit: exaltata deijcit, & aucta imminuit, & felicissima quę que in miseriam conuertit.

¶Quid sublimiū obsecro Lucifero? quid illo angustius? quid illo felicius? At verò erexit se contra suū conditorem & testāte Iuda iudicium magni Dei, vinculis æternis subcaligine reseruauit. Vnde Lucifero nihil depressius, nihil imminutius, nihil deniq; illo miserius, quia diabolus est: & alij angeli, qui luciferinam sectati sunt elationē, vt fuerunt elationis consortes, eiusdem miserię facti sunt participes. Neq; pestis hęc angelicā contēta est inficere nobilitatē, sed adhuc vehemētius grassata, inhominē iniecit manus tyrānidis suæ. Quippe hominē, quem Deus beatissimū condiderat, & in pacatissima locarat sede, luēs hæc internę elationis, infelicissimū illum effecit: & qui erat creatus ad imaginē Dei factus est similis iumentis insipientibus. Cur ita? quia nō se deiecit, sed supra se erexit se, vana diaboli persuasione erectus illa, Eritis sicut Dij, sciētes bonum & malū. Et quam isti suæ erectionis tulerūt mercedē, eandem qui se vanè extollunt contra Deū, reportabunt suæ extollētiæ retributionē. Et morbus idē, qui primos duxit ad mortē parentes, progeniē etiam duxit ad perditionē, & nunquā non ducit. Postquā enim cælestes illæ cataractæ, quæ apertę fuerant ad diluuiū, diuina largitate fuerūt occlusæ, cogitarūt mortales, ex nimia animi superbia se posse subterfugere machinis suis Dei irā, ne illos læderet rursus ex aquarū inundatione. Quaptopter machinati sunt altissimā ædificare turrim, quasi cū Deo ex turri pugnaturi. At vero Deo operante re infecta, cessarunt ab stulta machinatione: & confusis linguis ab opere incepto destiterunt, vt palam esset quam euanuissent incogitatibus suis. Pharao quoque ille Aegyptiorum superbissimus Rex, & ideo stultissimus cogitauit etiam cum Deo inire certamē, & iunxit currus, & instruxit acies, aduersus filios Israel, iam

Psalm. 48.

Gene. 3.

Gene. 7.

Gene. 11

iam diuino miraculo mare calcantes rubrum: & fruſtratus ſpe ſua, nam ipſe cum ſuis comitibus inuolutus eſt in marinis illis vorticibus. Exodi. 14.

1. Regum. 15.

¶ Saul quoque ſe deijciens apud ſe, & paruulus exiſtens in oculis ſuis ſe minuens, & humilians corã domino regni celſitudinem promeruit à Deo obtinere. Deinde ro erigens ſe & faſtu regiæ dignitatis tumens, contra Deum, infelicem ſortitus eſt exitum: nam ſuicida factus, ſuæ arrogantiæ dignas dedit pœnas.

1. Reg. 31.

¶ Ad hæc quem latet ſuperbia Nabuchodonoſoris, qui deambulans in palatio regio ſuo, faſtuoſa illa ſecũ expromebat verba, Nõne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? En tibi, vt hic ſe exaltabat, & apud ſe creſcebat: ſed audi, vt à Deo humiliatur, & minuitur, ſubdit enim Daniel. Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex, regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs, & feris erit habitatio tua.

Danie. 4.

Humilitas exaltat ſuperbia deprimit.

¶ Si hic ſe minuiſſet, & parui feciſſet, per ſeueraret, in regni ſui cremento, & gauderet, in regali throno ſuo. At quia ſe extulit, & in ſua excellentia nimis ſibi gratulatur, deijcitur à regno diuino decreto, & ab hominum conſuetudine exploſus, beſtiarum & ferarũ ſocietati aggregatur: vt protoplaſtum, quem referebat animi ſuperbia, referret & ſupplicij mutatione. Ille enim cum in honore eſſet non intellexit, & à paradiſo deliciarum, ad hoc exilium cum beſtijs peragendum repellitur. Et iuſta ſanè animaduerſio hæc in ſuperbos eſt, qui ex diuinis muneribus inſoleſcunt. Siquidem, qui à Deo exaltatur ſupra humanam conditionem, & illi ingratus eſt, æquum eſt, vt deprimatur à Deo, infra humanam conditionem, qualis eſt beſtiarum conditio. Ideoque protoplaſtus, fit ſimilis iumentis inſipientibus, & Nabuchodonoſor eiſdem fit ſimilis cum beſtijsque & feris ſortitur diuino iudicio habitationem.

Qui ingratus eſt Deo exaltanti dolebit ſuam depreſſionem.

¶ Quod ſi forſan hæc propoſita exempla non ſat tibi ſint, vt te deijcias, & paruulus efficiaris in oculis tuis, ſunt & alia plura, quæ ſuperbiam Deo eſſe odioſiſſimam facile demonſtrant. Scimus enim ex 3. Reg. 12. diſciſſum fuiſſe regnum Iſrael in partes duas, ob ſuperbiam Roboã. Hic enim alienus valde, à ſapientia patris Salomonis, & à fortitudine aui Dauidis, erat enim rudis, & pauidus corde. 2. Paralipo. cap. 13. regnum Iſrael quod ingentibus ſibi pararat periculis, atque ſudoribus auus eius Dauid, & quod ſumma ſapientia ſeruarat pater eius Salomon, ipſe ex nimia ſuperbia inflatus, amplius ſe putans augere, minoratus eſt. Quippe decem tribubus amiſsis regni dilatum ſplendorem, in. 12. tribus, abactis decem, minorauit, & obſcurauit.

Superbia Roboã regnũ Iſrael minorauit.

¶ Vide obſecro inanem hominis faſtum, & ſtultam ſuperbiam, Minimus, inquit, digitus meus, groſsior eſt lumbis patris mei. Pater meus impoſuit vobis graue iugum, ego maius põdus apponam. Et ſtultus homo, non acquieuit ſapientum conſilio decernenti laxandum eſſe iugum impoſitum à patre Salomonis, ſed ſtultorum conſenſit autoritati monenti maiora eſſe imponenda onera, tantum aberat à laxamentis. Vnde vere dictum eſt omnem ſuperbum eſſe ſtultum. Et quidem Ouidius. 6. Meta. graphicè deſcripſit ſuperborum ſtultitiam, in hæc carmina.

Omnis ſuperbia eſt ſtultitia.

Sum felix, quis enim neget hoc, felixq; manebo,
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Maior ſum, quam cui poſſit fortuna nocere.

Hæc ſunt verba, quæ ſuberbiæ per proſopopœam tribuuntur, vt hinc diſcas ſuperbiam eſſe ſtultitiam, & ſubinde ſuperbum ſtultum. Sibi namque arrogant felicitatem, potentiam, atque in omnibus ſecuritatẽ. Quod ſi forſan humanis caſibus tribuas hoc regni Iſraelitici excidium, & nõ ſuberbiæ Roboam, proferam tibi alios ſuperbos, & ſupra omnem ſtultitiam ſtultos, qui non ex humano caſu, ſed ex diuina fuerunt puniti pœna. Legis enim, 3. Regum. 18. Rapſacem illum ſuperbum, in Deum promentem verba plena blaſphemiæ. Nolite, ait, audire Ezechiã, qui vos decipit dicens, dominus liberabit vos. Nunquid liberauerunt Dij gentium terram ſuam de manu regis Aſsyriorum? Et rurſus cap. 19. Hæc dicite Ezechiæ regi Iuda, non ſeducat te Deus tuus, in quo habes fiduciam, &c? Deus autem non ferens huius hominis incredibilem inſolẽtiam, miſit angelum ſuum & nocte vna percuſſit hoſtilia caſtra, ad centum octoginta quinque

quinque millia Assyriorum. Huic item similis est Antiochus, cuius meminit posterior Macha. liber. cap. 9. Qui supra humanum modum superbia repletus, sibi vi debatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere, suæ tamen elationis mercedem tulit condignam: à Deo enim est miserabili plaga percussus, ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent. Odore quoque eius & fœtore exercitus grauaretur, vt iam veraciter dictum putes Psalm. 17. Deum oculos superborum humiliare. Et apud Esaiam legimus capit. 2. Quia dies Domini exercituum, super omnem superbum, & excelsum & super omnem arrogantē, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Bassain, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnē turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & capitul. 3. Et dicit Dominus Deus, pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorū ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebāt: decaluabit Dñs verticem filiarum Sion.

Signa exteriora superbi animi.

¶ Arrogantes igitur & superbi à Domino deijcientur, & verticem superborum decaluabit. Quid est decaluare verticem? Vtique supremā capitis partem capillis ornatam nudare in caluitiem. An non denudat Deus superborum capita, quando eos in ruinam præcipitat? Vidi impium, dixit Dauid, superexaltatum, & eleuatū sicut cedrum Libani: transiui & ecce non erat. Ne extollaris, admonuit sapiens Ecclesiast. 6. in cogitatione tua sicut taurus: ne forte elidatur virtus tua per stultitiā. Et filia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris, velut lignum aridum. Est namque superbia, vt ventus vehementer quatiens arborem, cuius excutit & folia, & fructus. Namque superbia hominem quamlibet iustū si inuaserit, omnia illius bona quassat, & infrugifera reddit. Contra verò humilitas non ficta, sed vera, quę est ad Deum animi nostri deiectio, bona cuncta spiritualia firmat, & stabilit. Ideò hanc respicit probando Deus, illam verò despicit reprobando, canente psalmo. Humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Superba enim quæ sibi sunt alta, à lōge Deus cognoscit, quia illa despectui habet. Et rursum humillima virgo, Dispersit, ait, superbos mente cordis sui, & exaltauit humiles. Et Eccle. 10. idem traditur. Sedes ducum superborū destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Et cap. 11. sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illū faciet. Superbia igitur minatur ruinam, & humilitas exaltationē pollicetur. Vnde dixit Horatius Ode. 34. lib. 1.

Humilitas cū ĉta bona format & stabilit.

Superbia semper minatur ruinam, humilitas pollicetur exaltationem.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuare Deus,
Obscura promens.

Et Claudianus,

Magna repente ruunt, summa cadunt subito:
Humili vero laus vera sæpe contigit.

¶ Sunt namq; superbi instar locustarum, quæ calore solis calefactæ sublime petūt, at verò sublimes stare diu nequeunt: ideò continuo ad ima se deuoluunt. In quem modum superbi rebus intumescunt secūdis, & flante fortuna secunda inflantur, at verò nō possunt sublimē diutenere statū aduersis enim reflatibus sæpè corruunt, vt Dionysius ille Siculus rex, ex regia dignitate, ad docenda elementa pueros est adactus. Quare in Abdia legimus, Superbia cordis tui extulit te, habitantē in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo, quis detrahet te in terram? Si exaltatus fueris, vt aquila, etsi inter sidera posueris nidum tuum, inde detrahā te, dicit Dominus. Quapropter, etsi superbi firmissimas se credant habere opes, & sedes, ab illis sæpè deponuntur cū magno suo probro, quia Deo, & hominibus odibilis est superbia. Eccles. 20. Chaldæorum monarchia firmissima credebatur Chaldæis: at verò cōuulsa est, & trāslata ad Persas. Et isti firmissimum credebant se tenere monarchicum imperium, & deletum, & translatum est ad Græcos, & horum ad Romanos, & horum deniq; ad Germanos. Neque aliam causam esse duxerim mutationis harum monarchiarum, quæ post diuturnā durationem breuiter sunt extirpata, nisi superbiam. Nam prosperis rebus fruentes, in Deum largitorem omnium bonorum instar bestiarū, non attollunt oculos, sed suam suæ fortu-

Superborum imperia infida sunt.

Superbi non attollūt oculos ad Deum largitorē omniū bonorū.

næ, vel ſuis meritis, aut prudentiæ, aut viribus fœlicitatem tribuunt. Quocirca in ſpector omnium Deus, horum faſtidiuit dominationẽ, diſsipauit imperia. Inſtar enim fuerunt magnarum arborum, quæ diu creſcunt, & vna hora extirpantur.

Deteſtãda ſuperbia & ſectanda eſt humilitas.

¶ Neceſſum igitur eſt, ſi nos Deo gratos præſtare ſtudemus, vt ſuperbiam deteſtemur impenſe, & humilitatem cordis ſectemur diligentius. Et quidem quando extera alia, humilitatem non perſuaderent, in nobis ipſis gerimus, vnde ſuperbiam profligemus. Si enim ſedulò obſeruamus, natalia noſtra, vitæ progreſſum humanæ, atq; exitum, niſi ſtolidi ſimus, & admodum ſtupidi, nos ipſos deſpiciemus. Quis enim obſecro conſiderabit attentè, ſe in peccato conceptum fuiſſe, ex immundoque formatum ſemine, naturq́ue fuiſſe in iniquitate, qui ſemetipſum non horreat? tantum abeſt, vt ſibi gratuletur & ſe multi faciat.

¶ Ad hæc quis aduertet oculatius natalia noſtra fuiſſe infirmiſsima, qui ſibi applaudat? Nam ſimulatque nati ſumus ploramus, veluti iam dolentes experiendas miſerias pannis inuoluimur, faſcijs ligamur, multis laboribus nutrimur & fouemur. Teſtante Sapient. 7. Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorãs: in inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus habuit aliud natiuitatis initium.

Initium vitæ humanæ progreſſus & finis laborioſa

¶ Et quidem ſi rectè conferas, brutorum animalium, volucrum, piſcium, quadrupedumque natalia, cum noſtris videbis, non eſſe tam infirma illa, qualia ſunt noſtra. Irrationalia namq; omnia cum ſunt recens nata, minimo apparatu fouentur, atque nutriuntur. Si infirma igitur & inualida habuimus natiuitatis noſtræ initia, cur obſecro in vitæ progreſſu, tam extollimur, vt pares dijs nos eſſe putemus? Quaſi verò progreſſus vitæ humanæ firmus ipſe, & validus ſit, vt nihil ſibi mali timere poſsit? Imò quod certo pronunciauerim, dixerim pluribus malis laborat: nam pugnat contra eum vniuerſus orbis, cælum, elementa, beſtiæ terræ, piſces maris, & aues cæli, & adhuc inſecta viliſsima ipſa. Multi namq; ex fulminis ictu perierunt, alij ex aere infecto occubuerunt, alij aqua ſuffocãtur, alij aduncis vnguibus auiũ ſunt dilacerati, alij à piſcibus deuorati, vt Ionã vatẽ piſcis deuorauit magn⁹. Alij à viperis, ab aſpidib⁹, à crabronibus pũcti, vel à leonibus, à lupis, ab vrſis diſcerpti perierũt. Et ipſa adhuc minutiſsima animalia nobiſcum infeſtiſsimũ bellum gerunt, vt culices, pulices, muſcæ, cimices, apes, veſpæ, nam quantam nobis moleſtiam hæc, & alia hoc genus inferãt quis ignorat? Et quando hæc ceſſauerint mala vniuerſa, & ſecuritatem horum malorum nobis polliceamur, ipſa terra nobis proferet ſpinas, & tribulos, & quaſi armatur aduerſus nos, vt in ſudore vultus noſtri veſcamur pane noſtro. Vides ne vt omnia nobis aduerſantur, quaſi vindictã ſumptura de peccatis noſtris.

Variæ hominũ calamitates.

¶ Adhæc ſi neque fulmen te percuſsit, neque leo diſcerpſit, neque vipera pupugit, &c. vexat te paupertas, vnde fame cruciaris, vexant nos bella, & factiones, quæ ſæpè nocẽtiora omnibus commemoratis ſunt, vnde patrios lares noſtra cum vita relinquere cogimur ſæpè. Vexant rurſus ſi hæc non vexant, diuturni vel acuti morbi. Præter hæc torquent nos inimici, perturbant onerоſi amici, turbãt iniqui filij, ſalaceſque tædioſunt filiæ, infida vxor odio habetur, litigiaque nocẽt, oblocutiones, teſtimonia falſa. Neque minimum locum inter hæc occupant errata anteactę vitæ, præſentiaque delicta, quorum cruciatus quamuis inſenſibiles, at verò ſæpe maximas cruciandi tenent partes. Nam quis queat in pectore horrendum conſciẽtiæ corrodentem ſemper gerere vermem? Et ne vagemur in omnia, quæ nos angũt mala ſufficiat hoc cõmemoraſſe, ſub quiete ſomni, quæ nobis à Deo cõceſſa eſt ad refocillãdas laſſas ex vigilia vires, ibi ſub quiete labor inſidiatur, & anguſtia, nam tunc inſomnia horribilia nos vexant vehementer, quæ ipſam quietem abigunt, & perturbant. Neque ſolum hoc, ſed ipſa rerum ſolicitudo quæ tum immiſcetur, & anxietas curandarum rerum, quietem fugat, & in ſtrato quieti dicato verſamur ſæpè in anguſtijs & doloribus.

In humana quiete labor parat inſidias

¶ Si ergo hæc tibi, homo, placent mala, extende collum tuum, & lætare, & ſuperbire quantum velis, quia vanus eris, vt vanus eſt omnis ſuperbus.

¶ Quid quod ſi finem humanæ vitæ contemp'eris, qui videtur malorum omnium finis, ille miſerior eſt cũctis relatis malis.

Quippe

Quippe finiens temporalia mala, initium sæpè fit æternorum malorum.

Mors si certum haberet suum diem tẽperatius esset malum.

¶ Ad hæc si mors certum haberet diem, temperaret vtcunque suam malitiam: at verò nihil habet temperamenti, quia nescit homo finem suum, sed, vt auis capitur imprudẽs laqueo, quem ignorat, & piscis hamo, quem nescit: ita est mortalium vita, Eccles. 9. At verò quamuis mors præscriptum haberet diem, odibilis valde nobis esset: cæterum multò odibilior fit, cũ diem decretum non habet & incerta laborat hora.

¶ Porrò autem cum omni sua odibilitate, pronunciat Salomon, Eccles. 4. Et laudaui magis mortuos quam viuẽtes, & fœliciorem vtroq; iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt. Si ergo optabilius est mori, quam viuere decernente sapientissimo Salomone, & eligibilius est, non nasci, quam nasci, cur ex vita tantum gloriamur, cur ex mundanis opibus, cur ex dominatione superbimus? Siquidem mors mundana hæc finit omnia. Si optabilior est finis mundanarũ rerum, quam ipsæ res, vana, & stulta est hominis ex mundanis rebus superbia.

Deus hominẽs subiecit multis ærũnis, vt eorum superbiã retũderet.

¶ Et si te solicitat quæstio, cur Deus, qui optimus est, tot ac tantis obnoxiam fecit naturam humanam, Deus enim non lætatur in hominum miserijs, & perditione, si non lætatur Deus in malis nostris, cur illis nos subiecit? Dixerim eò factum, quò superbiam humani ingenij retunderet. Nouit enim Deus, quam superba sit humana mens, quam in frænis, quam indomitum homo sit animal, ideò vt nos infrenaret, & domaret, tot & tantis nos subiecit aduersis. Quid quod vt experimur hęc omnia aduersa quæ patimur mala, non sat sunt, vt nostri ingenij dometur plusquam leonina ferocitas. Et quidem rectè pronũciauit sapiens ille Ecclesiasticus capit. 10. Nõ est creata hominibus superbia. Quippe, ipsa quæ naturaliter patimur mala, dissuadent nobis superbiam. Si ergo natura superbiam dissuadet, vtique humilitatem suadebit. Quamobrem Deus detestatur admodum humanã superbiã, quippe superbi aduersus clamores totius naturæ, monentis humilitatem se exaltant, & sæpe (quæ est vanitas superborum) secundum affectum suum super sidera appetũt collocare cũ superbo Lucifero soliũ suũ.

Superbia contra naturæ clamores.

Quibus occinit Euangelica admonitio. Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltaberis, & vsque ad infernum detraheris. Æquum namque est, vt qui suprema iniustè ascendere contendit, iuste ad infima detrahatur. Quod si Deꝰ odit peccatores, an non superbos maximo odio habebit? Vtique quia initium omnis peccati superbia, ab hac enim, vt ex impurissimo fonte, cuncta deriuantur peccata. Peccatum namque legis est transgressio: at hæc ex superbia ortum habet. Quippe superbia renuit subdi superiori conditori legis, indeque transgressio fit. Eccles. 10.

¶ Adde superbum sibi arrogare excellentiam in omni materia. Hoc namque cupit in omnibus supereſſe, omneſque excellere: quare in omnẽ materiã superbia sua potest diffunderevenena in materiam etiam virtutis nedum peccati. Superbus enim ex virtute plurimum effertur, & ex antidoto parat sibi venenum. Vnde Salomon Prouerb. 11. egregiè docuit vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia: vbi autẽ fuerit humilitas, ibi & sapientia. Superbi enim sunt contemptores omnium, & proinde contumelioſi: humiles verò suã mortalem conditionem considerantes sapientes sunt, vnde se temperant à cõtumelijs.

Superbia est cõtumeliarũ parens.

¶ Hinc discès, quam superbi sint hæretici, qui omnium maximè sunt contumelioſi. Sunt nobis exemplo huius æui hæretici, qui cõuitijs turpibus Papam & Ecclesiam totam onerant. Neq; in hos solũ, sed in preces, quas porrigimus diuis, & in imagines ipsorum contumelias verbis & scriptis execrandas euomunt. Et profectò quando alterius mali non esset progenitrix superbia, nisi hæreseon, satis mali haberet, vnde infestissima nobis esset, & à nostris mentibus procul esset eliminãda. Quam verò sint superbi paucis habeto. Enimuerò hęretici omnes obedientiæ Ecclesiasticæ iugũ in primis frangunt. Ideò sunt filij Belial, ideſt, filij inobedientes, at verò non obedire cui oportet obedientiam præstare superbia est: simulentque quantum volent humilitatem, vere sunt tamen superbi.

Hæretici omnes sunt superbi.

¶ Iam verò si sanctorum cupis discere mores humiles eos esse comperies. Nam ita gestis, vt verbis humilitatem sunt professi: & superbiã sunt detestati. Vt, vel hinc gradum tibi facias ad fastidiendam superbiam,

biam, quippe quam sancti viri summope refastidierunt. Nam si obseruasti Abraham, virum iustum, & Deo charum, patremque fidei appellatum, huius tanti viri exemplo discès humilitatem amare, & superbiam negligere. Hic enim preces fundens Deo sic ait, Genes. 18. Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis. Vides ne quanti se fecerit pater hic fidei, paterque multarum gentium, cui Dominus pollicitus est, in semine tuo, Benedicentur omnes gentes, at verò minimi se fecit puluerem, & cinerem se vocans, quibus nihil abiectius.

Abraham humilitatē amauit.

¶ Moses quoque, & Aaron frater eius, Exodi. 16. quos prouexerat Dominus ad summos honores, nam principes & duces fecerat Israeliticæ gentis, parum sibi tribuerunt. Nos, inquit, quid sumus, quia musitastis contra nos? Quasi apertius dixissent, Nostra autoritate facimus nihil: quia homines sumus mortales, quales vos estis: sed diuina quod facimus autoritate facimus. Ideò si imbecilles sumus, vt cæteri & infirmi, quid nobis obloquimini?

Exod. 4.

Ad hæc Mosi Dominus iniunxit præclarissimum munus, videlicet, populi illius ducatū. At verò ipse se imparem sentiēs tanto muneri obeundo, obsecrat Deum, vt tanti muneris pondus in alium transferat. Vt, & Hieremias eodem humilitatis spiritu ductus, legationem à Deo illi creditam, vt maiorem, quàm pro viribus suis, subterfugere conatur, & loquēdi ignorantiam, sermonisve imperitiam excusat, dicens, A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et, vt interim hos veteres mittam patres, quia immensi esset operis, illos percurrere omnes, ad patres noui testamenti deuoluamus sermonem. Et adest in primis beatus Domini præcursor, dicens, Illum oportet crescere, me autem minui. Quæ verba humilitatis seruandæ sunt syncerrima regula. Istud est enim veræ humilitatis officium, se se deijcere, vt Deus glorificetur: nostra minuere, vt diuina crescant. Non quod Deus in se ipso crescere possit, sicut neque decrescere: Deus enim immutabilis est: at verò, cum Dei fides, & spes, charitasque in nobis crescunt, diuina crescere in nobis, aptè dices.

Verba Baptistæ quædā humilitatis seruādę syncerrima regula.

¶ Hoc autem erat humillimi Ioānis, desideriū se deijcere se minorare, vt Deus cre sceret in hominū notitia, & amore. Neq; solum ex verbis istis explorata mihi est præcursoris eximia humilitas, sed ex multis alijs mihi redditur probatissima. Veniūt enim ad Ioānē principes Iudæorū, & inquirunt, an ipse esset Christus? Et confessus est, & non negauit, se non esse Christum. Vides ne vt se se deijcit, oblatos prę clarissimos honores despiciens. Instant ijdem quærendo quis nam esset, si Christus non erat? Testatur palam se esse vocē clamantem indeserto. Non dixit se esse angelum Dei, quod verè dicere potuisset ex Malachiæ vaticinio: non dixit se esse prophetam, & plusquam prophetā, quod verè erat ex Domini verbo: sed vocem se apppellat, rei exiguæ entitatis se conferens. Vox enim, quia successiuum est ens, minimam sortitur entitatem. Vt amplius scilicet, se deijceret & minueret, quam minuerat, atque deierat, & demū vt summæ humilitatis exemplum exhiberet, se indignum esse protestatur, vt Domini sit seruus, à ferendis calciamētis, quod est vilissimæ seruitutis genus. Et quid si interim Pauli humilitatem commemorem nihil abesse à prædicta præcursoris humilitate, dubio procul censebis. Raptus fuerat in tertium vsque cælū, arcana Dei audierat, quæ hominibus exponere nefas erat. At verò quam se minuerit, quam se deiecerit ipsum audi se vocantem minimum Apostolorum, & indignum qui hac nomenclatione donetur, & rursus se abortiuum, & sanctorum minimum non formidat appellare, cum esset doctor gentium à Deo constitutus in fide & veritate.

Multa quæ commēdant Ioan. humilitatem.

2. Corint. 15. Ad Ephes. 3. 1. ad Tim. 1. Ad Philip. 2. Ioann. 13.

¶ Porrò autem fileant ad Christum vniuersa sanctorum humilitatis exempla. Quippe cum Deus esset exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & humi genibus fixus pedes Apostolorum lauit: & demū humiliauit semetipsum vsq; ad mortem, mortem autem crucis, qua nulla cogitari poterit humilitas, vel maior, vel æqualis. Nihil igitur miremur si Ioannes se minuat, & sancti se minuant vt Christus crescat, cum Christus se se minuerit, vt Ioannes, & omnes homines ad Deum crescerent, sanguine suo illis

referans æternas cælorum sedes.

ENAR-

ENARRATIO IIII.
in caput tertium.

¶ *Qui de ſurſum venit ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur, qui de cælo venit ſuper omnes eſt. Et quod vidit, & audiuit hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit.*

Primaria autoritas baptizandi, & prædicādi eſt penes Chriſtū.

HActenus docuerat Ioannes Baptiſta, autoritatem primariam penes Chriſtū eſſe baptizandi: quia Chriſtus eſt verus Eccleſiæ ſponſus, cuius eſt ex ſponſa generare adoptionis filios hæredes vitæ æternæ. Nunc verò docet primariā quoq; autoritatē pronunciādi cœleſtia ſacramenta eſſe penes Chriſtū, vt ex iſtis duobus, diſcipulos ſuos expoſtulantes cum Chriſti baptiſmo, quaſi iniurio Ioānis baptiſmo, compeſceret ab expoſtulatione: & non ſolum compeſceret, ſed traheret ad Chriſti fidē, & baptiſmum. Oſtenſurus igitur prædicandi autoritatem primariam eſſe penes Chriſtum, id quod ſupra inſinuarat etiā dicens, Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit nobis, modo inquit, qui de ſurſum venit, ſubaudi, magiſter, ſuper omnes eſt. Hoc eſt, qui de cælo deſcēdit magiſter hic habet magiſterium cœleſte, ſuper omne magiſterium, id quod Dominus etiam docet dicens, Matth. 23. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter. Hoc eſt, vnus eſt primarius cœleſtiū ſecretorum magiſter Chriſtus. Sicut etiā Ioannes explanat modo dicens. *Qui de terra eſt, &c.* ideſt: qui terrenam habet originem, terrenus eſt, & quia terrenus eſt, nō poteſt docere arcana cœleſtia. Significat hoc ſermone omnes homines eſſe ex terrena origine, & ideò non poſſe ſcire, quæ Deꝰ habet in ſuis arcanis repoſita. Et hoc eſt quod ait, *De terra loquitur*: hoc eſt naturalia loquitur ſolum, non tamen ſupernaturalia. Quippe quamuis philoſophi magna ſunt locuti de cæli natura, & aſtrorū nobilitate, & magnitudine, verum etiam tunc de terra loquebantur: ſiquidem per ſenſibiles effectus, rimati ſunt cœleſtium corporum naturas. Quare de terra loquebantur, etiamſi de cælo diſſerebant. Quā doquidem per ea, quæ in terris videbant, cœleſtia contemplabātur. Porrò alia ſunt de quibus loquitur Euangelium modo, ſeu cælum, ſeu cœleſtia, quæ tranſcendūt cælos iſtos omnes, & effectus ſenſibiles vniuerſos, quæ ſanè pater ille cœleſtis poſuit in ſua poteſtate: & hęc fugiūt omnes homines. Namq; cum hęc ſint ſupra naturam, non eſt in naturæ ambitu, aut eius facultate, vnde hæc aſſequi poſſint ab hominibus.

Terra dicuntur omnia quæ nō ſunt ſupernaturalia.

Cœleſtia quędam viſibilia alia inuiſibilia.

¶ Chriſtus verò, quia quatenus Deus eſt, de ſurſum eſt, quia de cælo eſt (habet namque originem æternam ex patre æterno) ideò ipſe qui à patre procedit, & apud patrem ſemper eſt, nouit ſupernaturalia omnia, quę ſunt in theſauro mentis paternæ: quia verbum huius mentis eſt, ideò ſubdit Ioannes, *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt.* Dixerat Domino Nicodemus, à Deo veniſti magiſter, ſed plus eſt, quod præcurſor ait, de ſurſum venit, vel qui de cælo venit. Prophetæ namque à Deo venerunt magiſtri, at non de cælo venerunt magiſtri. Quoniā etiam ſi Deus ſuos inſtruxit vates, non tamen, vel Moſes, vel Eſaias, vel Hieremias, &c. de cælo venerunt ad noſtra, ſed ſolus Chriſtus de cælo deſcendit ad nos. Et quidem ſecundum quod Deus, eò deſcendit de cælo quò verbum cum eſſet Dei, factum eſt caro noſtra. Secundum autem quod homo, de cælo venit, non quia cœleſte detulit corpus, vt commentabatur ſtultus Valentinus, ſed quia non ex ſemine viri, ſed cœleſti Spiritus ſancti operatione fabricata eſt Chriſti caro. Quapropter etiamſi fatendū eſt, Dominum ſecundum naturam, quam gerebat humanam, originem habuiſſe terrenam, quia ex Maria virgine cōceptus eſt: & veram ſubſtātiam carnis noſtræ habet, cæterum quatenus non eſt ſortitus conceptionem per commixtionem ſeminum, ſed diuino artificio fabrefactū eſt corpus eius: hac ratione etiam ſecundum humanam naturam, quodammodo originem habuit non terrenam ſed cœleſtem. Quia ergo de cęlo venit, ideò ipſe eſt primarius cœleſtium arcanorum magiſter, ideò nō de terra eſt locutus, quia neque Phyſicen, aut Metaphyſicen, Aſtrologiā, vel Geometriam, vel alias Phyſicas docuit ſcientias. Hæc namque terrenæ ſunt ſcientiæ, & terrigenis ſunt concredita magiſtris. Verum cœleſtis magiſter ea docuit, quæ terrena excedunt omnia, qualia ſunt myſteria

Prophetæ à Deo venerūt magiſtri, nō tamen de cælo venerunt.

Qua ratione Chriſti caro & eſt terrena & cœleſtis.

steria fidei, & sacramentorum symbola. Et quod vidit æterna scientia, & euidentissima notitia, & quod audiuit à Patre, nõ sensu auditus, sed æterna generatione hæc testatur. Nam à patre accipiens essentiam, ab eodem accepit omnium arcanorum sapientiam. Hæc igitur visa, & audita, testatur, Christus quare certissima sunt quæ ipse testatur. Vnde alibi ait, Quæ audiui à patre meo nota feci vobis. Prophetæ verò docuerunt arcana Dei, etsi terreni, verum cælitus instructi docuerunt.

Ioan.3.&.15. ¶ At verò quamuis testis hic est testis certissimus, quia oculatus est testis, non per visum oculorum, qui fallax sæpe est, sed per visum æternæ scientiæ, quę neque fallit, neque fallere potest: nihilominus testimonium hoc irrefragabile non est susceptum, ab omnibus hominibus: sed illi est vehementissimè repugnatũ à carnalibus, quorum est orbis maxima pars.

¶ Quod verò ait, & testimonium eius nemo accipit, videtur obuiare sermoni præhabito, *Omnes veniunt ad eum*. Sed quia multi sunt vocati pauci vero electi, ideò quia collati accipientes testimonium, hoc ad non accipientes, sunt valde pauci, & quod modicum est pro nihilo censetur, ideo ait, *Nemo accipit*. Interlinealis exposuit, *Nemo accipit*, de populo siniſtrè, vel infidelium nemo probat hoc testimoniũ. Verum paucos tunc fuisse discipulos Domini promptum est ex hoc loco. *Qui autẽ acceperit eius testimoniũ hic signabit, quia Deus verax est*. Omnes fideles obsignant, vel sigillant Dei veritatem, illi credendo, & hærendo: ideò omnes fideles sunt quodãmodo testes diuinæ veritatis. Infideles verò repugnantes Euangelio, quantum est ex sua repugnantia euertunt Dei veritatem: & Deo imponunt falsa dixisse, negãdo vera, quæ dixit. Vnde Paulus.1.Corinth.15. Inuenimur autẽ falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauerit Christum, quẽ non suscitauit, si mortui non resurgunt. Vt ergo qui diceret Deum suscitasse Christum, si non suscitasset, erat falsus testis contra Deum, ita qui negat suscitatum, quem suscitauit Deus falsus est testis contra Deum. Obseruabis autem, quod suscipere Christi testimonium, est suscipere Christi fidem, synceramque obseruare. Et qui fidem ornant, sanctis operibus testimonium Christi perfectè suscipiũt, qui verò mortua sunt contenti fide, testimonium quidem Christi suscipiunt: at verò in illis mortuum est hoc testimonium, quandoquidem nihil in eis operatur.

Infideles euertunt Dei veritatem.

¶ Sicut autem huius diuini testimonij Doctor primarius Christus est, quia natura fidem docere nequit, ita quoque solæ vires naturæ huic supernaturali suscipiendo testimonio, impares sunt, nisi diuino fauore supernaturali iuuentur, quia fides donum Dei est: supernaturalis enim est. Si supernaturalis est naturales vires illi impares sunt. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Omnis is, quem Deus misserit ad docendũ, verba Dei loquetur. Christus igitur missus à patre verba Dei locutus est: vt ipse nõ semel testatus est, Ioan. 7. Mea doctrina, non est mea, sed eius, qui misit me, patris. Ideò valde est audiẽdus, & credendus sermo Christi, cui Deus pater, *Non ad mensuram dat spiritum*. Erasmus ad maiorem explanationem de suo adiecit, ei, vt palam fiat sermonem haberi de Christo. Verba tamen hæc multifariam intelliguntur, aut quia Christi gratia collata gratijs aliorum sanctorũ, est sine mensura, aut quia Christus dat Spiritum sanctũ, vt placuit Cyrillo. At verò si ad esse personale diuinum, quod habet Christi humanitas referantur, manifesta sunt. Quia esse personæ diuinæ, est immẽsum, ideò Christo sine mensura datur. Si verò ad gratiam Christi, quãuis habitualis gratia sit mensurata, quæ est in Christo, quia est creata qualitas, & omnia Deus Sap.11. fecit in pondere, numero, & mẽsura, at verò gratia capitis, quæ est in Christo, est sine mensura, quia illa est sufficiens ex se gratos facere omnes homines Deo, ideò etiamsi secundum efficaciam, est mensurata, secundum efficientiam, mensura caret, *Omnia dedit, &c.* Per manum subaudi potestatem, quia Christo sunt omnia subiecta, Lucæ.10. Omnia mihi à patre meo tradita sunt. Et rursum Marc. vltim. data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Quoniam ad Philipp. 2. in nomine Iesu omne genu flectendum est, siue cœlestium, siue terrestrium, siue infernorum. Hoc autem dicit Ioannes vt admoneãtur infideles, qui non suscipiunt Christi testimonium,

Fides quia est supernaturalis vt credatur eget supernaturali ope.

Ioan.3.&.15

Christi gratia secũdum sufficientiam est immensa secũdum efficaciam, est mensurata.

monium, non impune se non susceptũros, quia Christo est potestas iudiciaria in omnes homines, vt vindictam sumat de non suscipientibus fidem suam. *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Qui fidem catholicã habet, vt oportet eã habere, & mente credendo, & opere mentis fidem profitendo, hic habet ex certa spe vitam æternam. Qui verò non ita credit, ira Dei manet super eũ. Quia qui non credit, iam iudicatus est: & in se gerit suam dãnationem, vt supra exposuimus. Quidam mutant hanc lectionem, legunt enim, & ira Dei manebit, super eum. Sed nihil est necessaria isthæc mutatio. Vt enim credens habet vitam, ita non credens habet super se manentem damnationem, quia certa est eius damnatio. *Qui credit in filium.* Phrasis scripturis consueta per filium per se, filiũ Dei secundum naturam genitum subaudire. Si filius, inquit, vos liberauerit, verè liberi eritis. Et rursus, nouissimè locutus est nobis in filio, & hoc genus pleraque multa sunt testimonia. Quamuis enim filius habeat appellationem communem, verum antonomatice supponit, pro filio illo singulari, quem pater non secundum dona gratiæ, sed secundum vim suæ naturæ sibi consubstantialem genuit. Ideò ait, Qui credit in filium, scilicet, vnicum Dei filium Iesum Christum, habet vitã æternam. Neq; tamen huic sibi gratuletur Lutherus, iam ouãs, ex hoc loco fidem sufficere in filium, ad vitam æternam. Quandoquidem is credit in filiũ, qui credit doctrinam filij, at doctrina filij est, vt abundemus bonis operibus, vt tandem consequamur æternam vitam.

Ioan. 8. Ad Hebrę. 1.

Lutherus repudiatur.

Theophilactus de processione Spiritus sancti non est audiẽdus.

¶ Tu obserua Theophilactum tractantẽ verba illa, Non enim spiritum dat Deus, &c. qui ductus ex veteri errore Græcorũ, credit Spiritum sanctum non procedere à filio, & fatetur esse Spiritum sanctum, spiritum filij, non tamen à filio: & hoc cẽ suit esse catholicum dogma: Latinosque insanire diuersum sectantes colligit dogma, fragili argumento. Quia si Spiritus sanctus procederet à patre & filio, iam ex duobus principijs procederet, quod falsum est. At verò hoc argumentum solues si dixeris cum Latina Ecclesia Spiritum sanctum procedere à patre, & filio, non tanquam à duobus, sed tanquam ab vno principio de summa Trinit. & fid. Cath. in. 6. ex Concilio Lugdunensi. Nos gradem in. 1. Sentent. disputationem de re hac instituimus: legat qui volet. Vnde neque Damascenus, neque Euthimius in hoc dogmate, sunt probandi: quia Ecclesia Catholica credit Spiritum sanctum ab vtroque procedere.

ENARRATIO PRIMA.
in caput quartum.

¶ *Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, quanquam Iesus nõ baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæã, & abijt iterum in Galilæam. Oportebat autẽ eum transire per mediam Samariam.*

Matthæ. 4. Sectio prima

DOminus à Nazareth venit ad Ioannem, vt ab eo baptizaretur. Susceptο autem Ioann. baptismo, expulit illum spiritus in desertum Iudææ prouinciæ, & tentatur à Satana post quadragenariam inediam. Demoraturque annum, in Iudæa, vbi creatis quibusdam discipulis, venit Galileã, & in Cana Galilææ edidit miraculum celebre, & ostendit gloriam suæ potentiæ coram Galilæis, & discipuli sui crediderunt in eum. Post modum celebraturus pascha deserit Galilæam, & concessit Hierosolymam, Iudææ metropolim. Dein verò, hanc deserens, venit Galilæam secundo. Tametsi hic aduentus non clarè exprimatur ab Euangelistis: at verò satis insinuatur à Ioanne capit. 3. dicente, Post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam. At verò cum essent Hierosolymis, quę est in Iudęa quomodo poterant venire vbi erãt? nisi dicamus ab Hierosolymis primũ decessisse, in Galileam, & inde regressos ad Iudæam. Porrò consistens Dominus in Iudæa traditus est Ioannes Baptista carceri ab Herode, quia Ioannes eum reprehẽdebat ob incestum cum Herodiade, & ob alia Herodis facinora Lucæ. 3. Et quantũ colligi datur ex Matth. cap. 17. Pharisæi, fuerunt primi autores huius traditionis Ioann. in carcerem. Nam ait Dominus, Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum: sed fecerunt in eum

Matthæ. 4. Lucæ. 3. Marc. 1.

Pharisæi & scribæ prouocarunt hæredem contra Ioannem.

eum quæcunque voluerunt. Et hæc verba dixit Dominus respondens ad interrogationem discipulorum. Quid ergo scribæ dicunt, quod Heliam oportet venire primum? Scribæ igitur fecerunt in Ioannem, quæcunque voluerunt, & quod de scribis, inquit, idem de Pharisæis intelligere possumus. Namque isti, Ioānis baptisma spreuerunt, Lucæ. 7. Cum ergo Dominus dicat, Fecerunt in eum quæcunq; voluerūt, hoc videtur innuere Pharisæos, & scribas incitasse Herodem ad traditionem & necem Ioannis. Et quidem est istud admodum credibile. Namque scribæ & Pharisæi, erant id tēporis, qui summa autoritate potiebantur apud Iudæos, cum ob legis doctrinam, tum ob religionem. Ideoque elati erant valde, elationis autem proles inuidia est. Cum ergo Ioannes nouam scholam instruxisset discipulorum & frequentiorem, quam erat schola scribarum, & Pharisæorū, odiosus erat illis Ioannes. Quia videbant Ioannem obscurare illorum sectam, & gloriam quā ipsi in primis ex sectis suis captabant. Videbant rursus quod ad Ioannem exibat, omnis Iudææ regio, & Hierosolymitæ vniuersi, Marc. 1. Et ab illo baptizabantur, quo honore sentientes se defraudatos, & quod iam minoris fiebant, quam solebant, non ferentes Ioannis tantam excellentiam, insidias pararunt, illi calumnias texentes coram Herode forsanque allegātes nouitatem baptismi Ioannis, vel alia quæ inuidi facile excogitant in suffragium suæ inuidiæ.

Inuidia Pharisaica in prę curlorē Dñi & Dñm ipsū.

¶ Dominus autem obseruans hanc inuidiam in Ioannem, ex noua schola, esse itē concipiendam à Pharisæis, & scribis contra se ipsum, & multò maiorem, & acerbiorem, quippe frequentiam maiorem discipulorum Dominus habebat, quam Ioānes. Ideò Dominus volens Pharisaicam declinare rabiem, ne intempestiuè idem tentarent facinus contra se, quod contra Ioannem sciebat intentatum, quousq; tēpus à Deo decretum suę mortis accederet, deserens Iudæam, vbi erant venenati illi Pharisæi Galilæam se contulit.

Inuidus facile excogitat quæ suffragā tur suæ inuidiæ.

¶ Et hic aduentus in Galilæam est, quem commemorant, Matthæ. 4. & Lucas. c. 4. Et regressus est Iesus, inquit, in virtute spiritus in Galilæam. Recte ait, regressus in Galilæam, quia Dominus fuit tentatus in deserto Iudææ, & peracto anno vno in Iudæa, venit in Galilæam, & dein in Iudæam, & inde in Galilæam, &c. vt dictū est. Itaque hæc regressio quam cōmemorat Lucas fuit anno. 2. prædicationis Domini ascitis iam quibusdam discipulis in Iudæa. Et postquam ediderat illud miraculū illustre in Cana Galilææ, modo rursum regreditur in Galilæam, iam clarus discipulis, baptismo, & miraculis.

Triplex Domini aduentus in Galilæam.

¶ Sunt qui putent hunc regressum fuisse secundum in Galilæam, verum bene subducta ratione, potius fuit tertius, vt prædicta obseruanti non est obscurum, quanuis secūdus prædictus regressus in Galilæam non fuerit, ab alijs memoratus, neque clare ab Euangelista Ioann. expositus.

¶ Obijcies forsan contra præfata, quî fiet quod Herodes cum esset Tetrarcha Galilææ, tradiderit Ioannem in vincula, tanquam suæ iurisdictionis reum, cum Ioannes potius pertinebat ad iurisdictionem Pontij Pilati, qui procurabat Iudæam. Namque Ioannes in Iudæa prędicabat, & baptizabat.

¶ Respondebis Ioannem mutasse baptismi locum, & prædicationis Ioan. 3. Quia baptizabat, in Ænō iuxta Salim: vnde videtur hanc partem attinuisse, ad Tetrarchiam Galilææ.

¶ Sed adhuc obijcies, Cur Dominus se cō fert Galilæam, quandoquidem ibi erat Herodes, de quo suspicari poterat idem contra Dominum facturum, quod contra Ioannem? Cæterum quia Pharisæi erant, qui moliebantur necem Ioannis, vt diximus, & isti erant in Iudæa hos voluit declinare Christus, tanquam malorum incētores, & non Herodem, qui ex suasu Pharisaico facinus cōmisit in Ioannem. *Cognouit Iesus.* Græcè Dominus scribitur, & nō Iesus. Iesus ergo cognouit Pharisaicas technas, ab æterno, quatenus Dei verbū, at ex tempore illas cognouit, scientia infusa, simulatque Christus cœpit esse homo in aula virginea. Scientia verò acquisita idem nouit, ex relatu aliorum fama accepta, videlicet, quod Pharisæi nouerunt, Iesum plures discipulos facere, & baptizare, quam Ioannes.

¶ Recurrit hoc loco, quæstio illa, quam iā disseruimus proximo capitulo si Christus baptizabat per se ipsum. Quia videtur ex hoc loco Christum neminē baptizasse,

zasse. Ex præcedenti verò cap. diuersum videtur tradi. Et est vetus quæstio, vt me minit Augustinus epistola ad Seleucianã nobilem fœminam, quæ est in numero epistol. 108. Quo loco vtramque sententiam indicat, & quod Christus præsentia maiestatis baptizabat, & non officij ministerio, & quod etiam ipse per seipsum baptizauit discipulos suos. Quod putat ipse esse admodum credibile. Et quidem, vt aiebam, materia hæc est opinabilis ad vtrumlibet. Priori sententiæ fauet locus hic Ioannis: suffragatur etiam quod scribitur. 1. Corinth. 1. Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare. At verò hic locus conuincit nihil, siquidem Paulus baptizauit quosdam, vt ibidem traditur Crispum, scilicet, & Caium, & Stephanæ domum. Ita dicerem Christum non esse missum à Deo patre principaliter ad baptizandum per se, sed ad euangelizãdum, verum nihil obstat huic rei quod baptizasset suos discipulos, per quos alij essent baptizandi.

An Christus ministrarit baptismũ pro biemata est.

¶ Secundæ sententiæ fauet Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet: igitur iam erant loti discipuli baptismo Christi. Quod si Christus non dedignatus est vile ministerium lauandi pedes discipulorum, cur dedignaretur eos baptizare? Et quidẽ mihi certum esse putò, discipulos fuisse baptizatos, ante ascẽsionis Dñicæ diem: siquidẽ sunt ordinati sacerdotes in die cœnæ. Sed quid si tum non erant baptizati, sed post diẽ ascẽsionis, igitur baptizati sunt Christi baptismo, post quam erãt sacerdotes, quod est absurdum fateri. Si autem à Christo sunt baptizati, vel se inuicem baptizarunt, res dubia est. At forsan obijcies, quid est quod Euangelista quasi se ipsum corrigit, dicens, Quanquã Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Chrysost. Ioãnem ait, correxisse, quod relatores dixerunt Pharisæos audiuisse, quod Iesus plures baptizabat, quã Ioãnes. Calũniatores enim, vt cõcitarent Pharisæos cõtra Christũ sparserant hanc famã quod Christus baptizabat, quæ erat falsa. Vel respondebis cũ Augusti. Dñm sub illo tẽpore notato à Ioan. c. 3. Post hęc venit Iesus, &c. nõ baptizasse, sed ante illud, vel respondebis, nõ correxisse se, sed exposuisse. *Oportebat autẽ transire.* Samaria nomẽ est prouinciæ Palæstinæ regionis. Palæstina enim habebat in prouincias Iudæam, Galilæam, Samariã, &c. Erat autẽ olim Samaria regia ciuitas, metropolis totius prouinciæ, quæ tota à metropoli sortiebatur nomen Samariæ. Samaritæ autẽ erant gentiles, qui suffecti sunt, decem tribubus abactis. 4. Reg. 17. à regibus Assyriorum in Persas, & Medos. Isti autem Samaritæ cõueniebant cum Iudæis, quia recipiebant libros legis Mosayse, & vnũ Deum colebãt, quem & Iudæi, nisi quod cætera respuebant oracula prophetarum 4. Reg. 17. extat rei huius historia.

Qui fuerunt Samaritæ.

¶ Græcè non legitur per mediã Samariã, sed per Samariam. At interpres ad maiorem declarationem adiecit, per mediã Samariam: quia iturus Dñs in Galilæã, erat illi faciẽdum iter per prouinciã Samariæ. Quod si obieceris Dñi fuisse præceptum, In ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis, Matth. 10. quomodo ergo Christus nunc intrat Samariam? Verum responsio prompta est ex verbis Euãgelistæ, Dñm non ex instituto, sed ex accidenti intrasse Samariam, quia per eam erat transeũdum in Galilæam. Quia Samaria media erat inter Iudæam, & Galilæam, vt Iosephus est autor libr. de Bello Iudaico. 3. capit. 2. vbi describit tres has prouincias, & Iudęã, & Samariam, & Galilæam. Quod autem Dñs deserens Iudæam, venit primum Samariam, quæ à gẽtibus colebatur, & inde transiuit ad Galilæos, hoc præsignabat deferturũ Iudæos, & electurum gentes ad fidem suam ipso, Matth. 8. docente, Multi ab oriente, & occidente venient, & recũbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, & filij regni eijcientur foras. *Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædiũ quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* Sichar, est quæ dicitur Gen. 33. Sichen, vt Hiero. est autor lib. de Locis Hebraicis. Hæc autem Sichen item dicebatur Sichima. Et secundum Iosephum lib. 11. antiq. Iudaicarum cap. vlt. hæc Sichima erat olim metropolis totius prouinciæ Samariæ. Positaque erat iuxta Garizim montem Iudi. 9. nam ciues Sichen, voces loquentium in mõte audiebant. Samaritasq; docet non esse Iudæos, quãuis Samaritæ si ère sua erat se fatebãtur esse Iudęos originẽ suã à nepotib⁹ Ioseph, Ephraim & Manasse recẽsentes. Iuxta Sichẽ igitur erat prędium, q Iacob pretio sibicõparauit à filijs Hemor. Et hoc

Samaria media est inter Galilæam, & Iudæam.

prædium Gen. 48. traditur donatum fuisse â Iacob filio suo Ioseph. Et quanuis pretio fuerit emptum nihilominus dicitur à Iacob gladio suo: & arcu sublatũ de manu Amorrhæi, quia totum prædium, & ipsa ciuitas Sichen iure belli redacta est in dominium Iacob. Cuius filij in vltionem stupri commissi à Sichẽ filio Hemor pugnauerunt contra Sichimitas, & desolauerunt vrbem, & cessit in dominium Iacob. Quãquam Iacob nõ legitur pugnasse, sed gladium, & arcum filiorũ sua vocat, ideò ait, in arcu & gladio meo tuli de manu Amorrhæi. Sũt qui intelligãt per gladiũ, & arcum pecuniam, intelligentia autem mihi sinistra videtur. Aiunt enim pecuniam esse fortitudinem hominis, ideoque legitimè significatam per arcum, & gladium. Verum abusiua, & impropria est hæc expositio, ideò nos aliter exposuimus. *Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Isaac multos fodisse puteos historr. Genes. 26. commemorat. At Ioann. hunc Iacob testatur fontem esse, quia erat olim possessio eius. Quem Samaritæ multi faciebãt, quia fossus fuerat à Iacob Patriarcha ad cuius genus se pertinere iactabant: vt supra dicebamus ex Iosepho, quamuis re vera à Iacob non ducebant originem. Meminit porrò Ioannes diligenter de fonte isto & prædio Iacob, vt reuocet in memoriam regionem illam fuisse possessionem Iudæorum, nam ibi erat regnum decem tribuum, & habitatores illius regni Israelitæ appellabantur. At peccatum idololatriæ quod admiserunt contra Dominum, reijcientes enim subiectionem piorum regum Iuda, elegerunt in regẽ decẽ tribus impium Ieroboam, quam ob rem excussit Israelitas Dominus à regno quod indigne propter idololatriam vsurpabant. Et regnum ipsorum, atque regio, quæ erat Samaria gentibus fuit concessa possidenda. Hac igitur causa diligenter memorat ibi esse fontem Iacob, & prædiũ quod Iosepho cessit in hæreditatem, extra legitimam portionem sibi debitam cum fratribus suis diuidendam.

3. Reg 12. 2. Paral. 10.

¶ Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic fatigatus supra fontem. Iesus sedit supra fontem Iacob, vnde ipse secundum carnẽ deduceret genealogiã sedit, vt quiescat à labore itineris. Quippe, vt verè esuriuit in diserto, ita verè modo sitit ex itineris fatigatione. Et expectat mulierem Samaritanam, quæ illi ex fonte illo aquã hauriat, quam illi propinet bibendam. Theophilact. cum Chrysostomo credit eo dictum sedebat sic, quia in pauimento Dominus iuxta fontem sedebat, & non in sede aliqua, sed humi sedens iuxta fontem: quia cum pedes venisset, expeditatione, & ex æstu, quia tunc sub meridiẽ erat sol æstuans, refocillandi gratia, sedit humi iuxta fontem illum: vt vndecumq; doceret fastum deponere seculi, & humilia appetere, quia Dominus, non equitans, sed pedestris venit ad fontem, & non sedit in throno, sed humi. Cæterum syncerior videtur expositio, sedebat sic fatigatus supra fontem. Et aduerte quod in loco, vbi Dina fuit stuprata, sanctificare ibidem voluit Dominus peccatricem mulierem: ex eo namque ad fontem illum accessit Dominus, & gratia leuandæ sitis, & quia sciebat ibi venturam mulierem, quam esset sanctificaturus: cuius sanctificationem vehemẽtius sitiebat, quam potum ex fonte. *Erat autem quasi hora sexta.* Horam memoratur quasi meridianam, vt inde solis ardorem tunc vehemẽtem fuisse discamus. Vnde Domino accessit ex itinere vrgentior vexatio. Augustinus libr. 83. quæstio. mysterium latere, in hora docet. Quia Dominus mundi ætate sexta venit in orbem, cum mundum premebat senium, venit eiusdem lapsus reparare, atque defectus. Rursus hora sexta iam incipit sol declinare ad occiduum: & Dominus venit sub hac hora ad nos sanctificandos: quando enim homo vetus declinare incipit, tunc homo interior renouatur. *Venit autem mulier de Samaria, haurire aquam. Dixit ei Iesus, Da mihi bibere.* Fœlix mulier, quæ veniens ad fontem materialem exhauritura aquam corruptibilem, sedantem solum carnis sitim, & lauantem corporis maculas, reperit fontem spiritualem: vnde omnes riuuli diuinorum charismatum dimanant: vnde ipsa extinxit mentis suæ sitim: quia desiderio aduentus Messiæ flagrabat, quem habuit præsentem, vt à desiderijs cessaret, & desideria in gaudia commutaret, & maculas animæ suæ ex limpidissimo fonte ablueret. Et alio etiam nomine, quães fœlissima, quia te

Quando mũdi erat senio Dñs ex redẽptione opem illi tulit.

Misericordia quã fuerit magna in Samaritana expenditur.

expe-

expectat Christus sedens fatigatus supra fontẽ: expectat, vt te abluet: expectat te, vt diuinis donis implearis: expectat te, vt tandem glorificet te. Non te dedignatur peccatricem, non horret tanquam immũdam, non auersatur tanquam scortum: sed tecum alloquitur, & verbis suauissimis te allicit ad fidem: te mouet ad purificationẽ tuam. Namq; si te terreret, & grauiter corriperet pro exigentia tui delicti, non te lucraretur. A tvero, nõ te perdere cupit Christus, sed te acquirere ad vitam æternam. Nunquam tantum donũ cogitasti tibi donandum. Extra spem tanti doni ad fontẽ accedebas, contenta si aqua ex fonte hausta domum redijsses: at verò creator tuus, te ab æterno diligens, curauit modo accepta carne, sedens ad fontem, te ad regna vocare cœlestia, vbi torrente voluptatis suæ te cum sanctis potabit.

¶ Petit ergo Dñs haustũ aquæ dicens, Da mihi bibere. Petit aquæ potũ, vt occasione accepta ex potu ineũdi colloquij cum fœmina, illã ad fidem suam trahat, & per illam Samaritas ad se vocet. Deus namq; occasiones quærit lucrandi nos, vt Diabolus perdendi. *Discipuli enim eius abierãt in ciuitatem, vt cibos emerent, Dicit ergo ei mulier illa Samaritana, quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutũtur Iudæi Samaritanis.* Reliquerãt Dñm solitarium discipuli sui, iuxta fontẽ expectantem eos ad prandium, neq; tunc omnes discipulos ad suam sequelã, vt ex Matth. 4. patet, creauerat Dñs: ne putes quod omnes duodecim venerũt Sichẽ ad emendos cibos. Expectãs ergo Dñs illos paucos, quos sequaces habebat, illos misit in Sichẽ ciuitatem Samariæ, quæ propeerat, vt cibos emerẽt. Hinc collige habuisse Dñm pecunias, quas amici suppetebãt, quas habebat in communi cum discipulis suis. Et quãnis Iudæi fastidio haberent Samaritas, quia isti diuersam amabant sectã, cæterum Dñs non exhorruit Samaritanã mulierẽ. At hæc miratur, quomodo Dñs illam nõ reijcit, sed potius admittit ad colloquium. Cognouit autem mulier Samaritana Dominum esse ex genere Iudæorum ex duobus, ex vestium cultu, quia Num. 15. fimbriatas deferebant Iudæi vestes, ex vittis hyacinthinis. Item ex loquela, quippe cũ proxima esset Samariæ prouincia Iudæa, loquelam Hebræorum Samaritæ callebant, vt contra Samaritanorum Iudæi, vt Lusitanorum loquelam Castellani intelligunt, & contra, quod si quæsieris, si prohibita erant cõmercia inter Iudæos & Samaritanos, cur Dñs illam prohibitionem non obseruauit? Respõde bis illam prohibitionem non fuisse ex diuina lege, sed ex humana Iudæorũ cõsuetudine, & ex eorũ forsan supercilio procedens. Prohibitio autem huiusmodi, quãdo necessitas vrget, non est seruanda. Vnde discipuli vadunt in Sichem ciuitatem Samariæ empturi escas, & Dñs petit potum à Samaritana: quia ad leuãdam famẽ, vel sitim extinguendam, non erat seruanda illa Iudæorum prohibitio. Quid quod Christus huiusmodi non tenebatur prohibitione, vt neque in culpa est, qui non habens aliunde, ab excommunicatis, vel cibum, vel potum petit. Ius namque naturæ potentius est, & vehemẽtius ideò obligat, quam ius humanum. Si quando igitur vtrumque obseruare non datur, cedat oportet humanum naturali: at seruare vitam est natiui iuris, non colloqui vero cũ Samaritis, aut excommunicatis præcepti est humani. *Respondet Iesus & dixit ei, Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Non respondet Iesus ad interrogationem Samaritanæ, quomodo tu Iudæus cum sis, &c. Sed ad sublimiora eam promouens, inquit, Si scires donum Dei, hoc est, si haberes illustrationem fidei, quæ donum Dei est, & per illam cognosceres me esse filium Dei omnipotentem vestitum tamen carne fragili, tu forsitan quia liberum arbitrium est tibi, petisses à me aquam aliam, quæ verè est aqua viua: cui collata hæc huius putei aqua est mortua aqua. Petite, ait Dominus, & accipietis: quærite & inuenietis. Ideò, inquit, Petisses à me aquam viuam: quippe petenda sunt Dei charismata, vt nobis concedantur. Est autem viua dicta fontalis aqua, quia. 8. Physicor. viuentia hoc nomine distant, à non viuentibus, quod hæc non habent sui motus principium, sed ab extrinseco mouentur: at illa à seipsis mouentur. Quia ergo aquæ fontales sunt in perpetua ebullitione, ideò referunt viuentia, quæ se mouent. Aquæ verò lacustres, palustres, & etiã quæ fontales sunt in vasis con-

Quando Dominus iuit Samariam paucos discipulos habebat sequaces, sed postquam ex Samaria venit Galilæã. Matthæ. 4.

Dominus in communi pecunias habebat, non tamen immobilia bona.

Vestes Iudæorum fimbriatæ ex vittis hyacinthinis erant.

Cum excommunicatis colloqui aliquãdo licet.

Ius naturæ potentior est quam humanum.

Viua vt differant à non viuis.

tentæ, quia non bulliunt, neque se se mo titant mortuæ appellantur.

Duo elemẽta viua dicũtur ignis & aqua.

¶ Sunt autem duo elementa, quæ viua dicuntur, & ignis, & aqua fontalis. Ignis sanè, quia flammam igneam conspicimus sursum agi, & perpetuo motu ad superna gestire: & rursus quia viuentia se pascunt, & ignis ex oleo, vel alijs pinguibus pascitur. Itemque aqua viua nominatur, ob rationem præhabitam.

Duo elemẽta habent vim purificandi aqua & ignis.

¶ Gratia igitur Spiritus sancti, istis duobus elementis maximè confertur igni, & aquæ, quia viuificat nos Spiritus sancti gratia. Et rursus instar ignis nos purificat scoriam peccati expellendo, & instar aquæ nos abluit, sordes peccatorum detergendo.

¶ Namque inter omnia elementa hæc sola duo, & viuere, & purificare dicuntur: quanuis ignis potentius purificat, quam aqua: quippe ferrum purificat ab scoria ignis, & argentum, & aurum, quæ aqua non potest purificare: ideoque acerbior est ex igne purificatio, quam ex aqua, quæ blandior est.

¶ Spiritus igitur sancti gratia tum potens est, vt vel ferrea emolliat, & purificet pectora: ideò rectè igni comparatur. Quare Matthæ. 3. dixerat Domini præcursor, Baptizabit vos Spiritu sancto, & igni. Nunc verò, de aqua sola Dominus facit mentionem: ex aqua, scilicet, visibili ducens Samaritanam ad intelligentiam inuisibilis aquæ, & denique, vt ex puteali aqua, ad cœlestem deduceret intelligendam aquam. *Dixit ei mulier, Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est, Vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* Mulier adhuc rudis non penetrans verba Domini, in aqua materiali fixum habet sensum suum. Audiens igitur Dominum dicentem habere se aquam viuã, quam poscenti mulieri exhiberet, credidit, quod de aqua putei intelligeret, quam bibendam poterat præstare mulieri, & hoc reputãs secum esse impossibile, Christum exhibiturum ei aquam illam putealem, ait, Puteus est altus, scilicet, profundus, & ideò eges hauritorio, vel haustro, vt haurias, mihi aquam: at hoc hauritorium non habes, (quod tamen secum deferebat mulier,) quomodo ergo poteris præstare mihi aquam viuam? Sed quid, nunquid est tibi alius puteus, vnde hoc efficere possis? aut poteris mihi exhibere aquam aliunde? At si hoc posses, maior esses patre nostro Iacob. Quippe Iacob alium puteum non habuit, nisi hunc, vnde ipse bibebat, & filij eius, & pecora eius. *Respondit Iesus, & dixit ei, omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Clarius erudit modo mulierem quam erudierat. Nam sensim procedit Christus, illam instruendo quæ sit illa aqua viua, quam dudum dixerat, Petisses forsitan ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Explicat igitur huius aquæ viuæ qualitates, & primum ipsam mitigare sitim perpetuò. Vnde discrimen habet ab aqua materiali, quæ etsi ad tempus extinguat sitim, non tamen perpetuò: secundo, quod hæc aqua viua, generat fontem in bibente illam salientem in vitam æternam. Et hæc causa est, quod extinguat sitim perpetuo. Etenim qui intra stomachũ haberet aquæ perennem fontem, non sitiret vnquam.

Paulatim erudit ruditas Samaritanæ.

Ex sensibilibus procedit etiam Dñs ad intelligibilia docenda.

Hauritorium, vel haustrum Græcis ἀντλημα.

¶ Dominus sermone isto metaphorico, nos instruere voluit, quantum intersit inter bona corporalia, & spiritualia, quorum origo est collocata in gratia Dei, quæ afficit Dei amicos: siquidem latissimum est discrimen inter hæc, & illa: quippe bona temporalia, extinguunt sitim nostram, hoc est, desideria nostra, ad tempus, non tamen perpetuò. Honores namque diuitiæ, & seculi voluptates, nunquam implent desideria nostra, nisi ad breuem temporis moram. Vnde illud, Tantum crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit: & Ecclesiast. 14. insatiabilis est oculus cupidi, & Oseæ. 4. comedent, & non saturabuntur. Et Michææ. 2. Tu comedes & non satiaberis. Et rursus venter impiorum insatiabilis. Quæ omnia illo spectãt, quò aduertamus vniuersa tẽporalia, & visibilia bona nõ posse sedare sitim mẽtis humanæ. Ideò, qui amãt honores illos ambiunt vehementer, & postquam, quos auebant assecuti fuerint alios maiores student habere: idem de diuitijs est, atque voluptatibus. At verò beatitudo cœlestis

Bona temporalia & spiritualia magna distantia discrepant.

Bona visibilia nõ sedant desideria humanæ mẽtis.

cœlestis est, quæ nostram prorsus sedat sitim: quandoquidem est visio summi, & infiniti boni fruitio. Quia ergo visibilia omnia sunt finita, imò & inuisibilia etiã vt sunt literæ, & morales virtutes, ideò illis negata est satiandi voluntatem humanam facultas: nam istis adeptis, aliã habere, nunquam non gestit. Deus autem cum sit infinitũ bonum voluntatẽ satiat adipiscentis ex visione hoc summũ bonũ, & cũ sit infinitũ verum, mentis totã implet intelligentiã. Quocirca mens beata, quietũ, & non vagantem habebit boni appetitũ.

Beatitudo sola sedat humanam sitim

¶ Porrò cum gratiam Dei gratum faciens facultatem prębeat habenti, post mortem adipiscendi hoc infinitum bonum, & certam donet ad hãc adeptionem spem, ideò etiamsi nunc, actu nõ extinguat sitim nostram, imò magis excitat sitim spiritualiũ cœlestiumq́, bonorũ: quoniam ex gratia Dei afficiente, spes cõcipitur æternorum bonorum: quam spem vocat Dñs hoc loco, fontem salientem in vitam æternam: salit enim spes hæc in vitã æternam. Est enim spes, expectatio vitæ æternæ ex gratia Dei, & meritis nostris procedens.

Spes est fons saliens in vitam æternã.

¶ Cæterum etiamsi actu gratia Dei non sedat hanc sitim, virtute tamen sedat: quia post mortem sedabit. Amici namq́; Dei post mortem beabũtur: & ideò tunc satiabuntur iuxta verbum Dauidicũ. Satiabor cum apparuerit gloria tua Domine. Tunc enim absterget Deus omnẽ lachrymam sanctorum suorum. Quia tunc omnia desiderio cõquiescent, vt lapidis desiderio adepto centro conquiescit. Quamobrem, nõ sunt diuersi ab hoc loco Pauli sermo ille, Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, vel ille Dauid, Sicut cervus desiderat ad fontes aquarũ, ita anima mea ad te Deus, Psal. 41. ¶ Obseruãdum est autẽ desiderium trifariã considerandũ. Aut est desiderio habendi, quod non habetur, aut est desiderium eius quod habetur, vt amplius habeatur, aut quod ample habetur, quod perpetuo habeatur. Iusti igitur quãuis desiderent vitã æternã, & abundãtiorẽ gratiã, at nõ desiderant gratiã, quia illã habent. Ideò Eccl. 24. traditur, qui bibũt me adhuc esurient, scilicet, habere vberiorem gratiã, & hic dicitur, Non sitiet in ęternũ. Ad hanc rationem exposuit Albertus, & Nicolaus Liranus, & vulgati interpretes. Porrò, vt pace illorum dictũ velim, nõ video, quã germana sit textui expositio. Siquidẽ quomodo mentis sitis extinguitur de habenda gratia in præsenti vita, vbi latet omnes iustos, semota reuelatione se habere gratiã Dei, iuxta Cõcil. Trid. decretum. Num fieri potest, quod mentis desideria absoluantur, & ipsam lateat se esse absolutam? Aut nũ potest spiritualis hæc sitis extingui & lateat mẽtẽ esse extinctã, si latet extinctio? igitur nõ est extincta.

Iustos latet de cõmuni lege se esse deo gratos.

¶ Quãobrem mihi magis arridet hanc extinctionẽ sitis modo promitti, nõ impleri, gratiãq́; Dei extinguere modò sitim non actu, sed virtute. Vnde scienter dixit interlinealis tractãs eadẽ verba, *Qui biberit, &c.* Promittit satietatẽ spiritus, quæ fiet in resurrectione: quia apud eum est fons vitæ, quo inebriabũtur. Quod verò hæc glossa ait, satietatem spiritus futuram in resurrectione ne intelligas, ante resurrectionem animas sanctas non esse beãdas, quia hoc hæreticũ esse Lateranẽse cõcilium demõstrat: verum quia cessabunt desideria beãdorum corporũ, & absoluta erit tũc vnde cunq; animarũ beatitudo, ideo ait, satietatem spiritus tum futurã. *Dicit ad eũ mulier, Dñe da mihi hanc aquã, vt nõ sitiam, neq́, veniã haurire.* Rudis adhuc perseuerat Samaritis, putans aquã materialẽ esse aliquam, quæ posset sitim extinguere perpetuò. Verũ vtcunq; sit iam accenditur eius desiderio ad habẽdã aquã, quam Dñs docebat, ignorans in specie, quæ nã illa aqua esset. Credit nihilominus verbis Dñi docẽtibus esse aquã quandã, quæ sitim extinguat perpetim.

Beatitudo extinguet naturæ humanæ sitim.

Glossa interlinealis exponitur.

Samaritis in ruditate perseuerantia.

¶ Et notabis Iudæos acceptis testimonijs Ioãnis, de Christo plerisq; multis, & visis miraculis eiusdem, vix credidisse paucos adeò, vt præcursor dicat, & testimonium nostrum nemo accipit, & Nicodemus. c. 3. semper in verbis Dñi videtur hærens, & eius ignorãtia carpitur à Dño: quia cum esset Magister Israelis, nõ poterat intelligere natiuitatẽ spiritualem humanæ mentis. Porrò mulier hęc citra testimonia Ioãnis, quæ audiuit nunquã, citra miracula, quæ nunquã viderat, hominem etiam extraneum sibi, & alienigenã reputans Christum, dixit enim, *Quomodo tu Iudæus cum sis, &c.* Cæterũ his nõ obstãtibus Christo credit, & ait, Dñe da mihi hãc aquã. Et adde, q̃ iã honorifico illũ donat titulo dicẽs, *Dñe da mihi hãc aquã. Dixit ei Iesus Vade & voca virũ tuũ, & veni huc. Respõdit mulier, & dixit,*

Duri Iudæi ad credendũ.

& dixit, Non habeo virum. Dicit ei Iesus, Bene dixisti: Quia non habeo virũ, quinque viros enim habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir, hoc verè dixisti. Mulier hæc putabatur cõiugata, & nõ erat cõiugata, vt multis fœminis accidit & viris, qui sua adulteria honesto matrimonij, sed falso titulo tegunt. Et ideò Dñs dixit, Voca virum tuum, quem, scilicet, tui ciues putant esse virum tuum. *Quia nõ habeo. &c.* ideſt, te nõ habere virũ, vt euitetur amphibologia. At cur iusserit vocandũ virum, non est prõptũ. Quia si dixeris mulierẽ autore Paulo esse erudiẽdam in spiritualibus per virum. 1. Timot. 2. & 1. Corint. 14. verum sanè est, quando Christus nõ adest doctor, vt modo. Quippe Christo præsente cessant virorum doctrinæ: nam in præsentia maioris cessat officiũ minoris. Alijs collibuit vocandũ fuisse virum, vt præsente viro Christus impartiretur spiritualis aquæ donum Samaritanæ. Sed neque hoc rem absoluit, non enim necesse est, vt suscipiat mulier spiritualia charismata viri consensus: quãdo & ipso repugnante mulier baptizari poterit, credere, amare, & sperare in Deũ. Aptius videtur, si dixerim⁹ iussisse Dominum vocandum virum, vt ex hac occasione mulier à Domino carperetur, quod cõcubina erat, & non vxor, & patefaceret Christus secretum, quod ipsa quinque viros habuerat, quo patefacto, mulier expauescens Christum crederet esse prophetã.

¶ *Dicit ei mulier, Domine video, quia propheta es tu.* Quem iam dudum verebatur, vt alienigenam, modo reueretur, vt prophetam: vt intelligas iam mulierem ex Christi sermone profeciſſe ad fidem Christi, & eius venerationem. Et quia hæc mulier præferebat Ecclesiam ex gentibus adunandam, in muliere hac, vt in typo insinuatur Ecclesiam ex gentibus Domino futuram morigeram, & non agrestem atque difficilem ad credendum, vt synagoga Iudæorum, vt dudum expẽdebamus. Et quia iam credebat Christum esse prophetam, ideò quæstionem Domino proponit ab eo soluendam, scilicet, hanc. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Quæstio vetus erat inter Iudæos & Samaritas de loco adorandi Dei, hoc est vbi Deo essent offerenda sacrificia, & solennes laudes pro legis Mosaycæ sanctione. Nam non erat quæstio de orando Deo solum, quia Deum orare priuatim vbilibet fas esse forsan non hæsitabant: saltem Iudæi hoc non ignorabant instructi oraculis propheticis. Et Dani. 9. sub captiuitate Babylonica positus Deũ precabatur, etsi versus templum Hierosolymorum. & Ionas. 2. in ventre conditus cœti Dominum orauit. Samaritana igitur mouet quæstionem veterem à Domino soluendam, & allegat in suum fauorem maiorum suorum consuetudinem adorandi in monte Garizim, qui, vt videtur, proximus erat fonti illi, vbi ipsa colloquebatur Domino. Nam ait, Patres nostri adorauerunt in monte hoc: demonstrat enim montem vt proximum, vel saltem à loco, vbi ipsa erat, mons videbatur: & hic mons fuit benedictionum. Quos autem vocet patres suos, non cõstat, num Iacob, & filios eius, quorum se ducere genus Samaritæ iactabant, quando illis ex vsu erat, si verò non erat ex vsu, hoc ipsos ducere genus negabant.

Mons Garizim vnde benedictio.

¶ Porrò videtur ex Genes. 33. Iacob, iuxta ciuitatem Sichẽ erexisse altare, vbi erat mons ille: vt colligitur Iudicum. 9. Et propterea dixit hæc mulier, Patres nostri adorauerunt in monte hoc.

Deut. 27.

¶ Verum, quia quæstio vertebatur, non solum, vbi licuit adorare veteribus patribus, sed vbi modo esset adorandum, ideò congruit magis aliter exponere: quod fiet, si obseruemus Iosephum libr. antiqui. 11. cap. 7. cõmemorasse Iadum principem sacerdotum habuisse fratrem Manassem eiusdem sacerdotij participem, & huic Sanabalath Cuthæus princeps à Dario constitutus Samariæ dedit filiam Isacham in vxorem. Reclamat tamen frater Iadus, reclamant & alij principes sacerdotij iudaici, istis nuptijs, obijcientes, esse nefarias nuptias cum alienigenis vxoribus. Quare Manasses socero, inquit, se amare Isacham: at magis amare sacerdotij Iudaici dignitatem, & ideò se velle eam dimittere: cui socer promittit ex autoritate Darij principatum sacerdotum, & tandem ædificat tẽplum in Samaria in monte Garizim, qui est altissimus omnium montium, qui sunt in Samaria, concedente facultatem ædificandi Alexandro, vt capitul. 8. traditur, Et conuocauit multos ex Iudęorum sacerdotibus

Fuit templũ Dño ædificatum in mõte Garizim altissimo Samariæ à Sanaballath, Alexandri magni autoritate.

dotibus Sanabalath, ad sacrificandũ in tẽplo illo. Et huius cõcertationis Iosephus meminit libr. 12. antiq. c. 1. in hæc verba. Nam Hierosolymitæ suũ templũ defendebant dicentes suum templum sanctum existere, & immolationes illic transmitti oportere: Samaritæ verò ad Garizim mõtem destinari iubebant. Vnde iuniores & veteres Samaritani in hoc templo sacrificabant Deo, & patrũ hunc ritum Samaritana allegat modo: erant autem Samaritę Cuthæo genere, non Iudaico: quia erant ex Persida, & Media. *Vos dicitis, &c.* Nesciebat mulier, quid Iudæi proferrent pro suo ritu colendi Dei Hierosolymis, quia Iudæis non erat Gentilis, neq; apud eos nutrita, ideò nude ait, Vos dicitis, quod Hierosolymis oporteat adorare. Aduerte mulierem etsi adulteram auidã tamen, vt cumq; suæ salutis. Nam aduertẽs Christũ esse prophetã, quia tum altiora non sentiebat de Christo, proposuit illi quæstionẽ de loco diuinæ adorationis. Et sunt peccatores huiusmodi, qui etsi alioqui sint sub peccato, at verò desiderant ea habere, quæ sunt suæ salutis. Et isti sperare possunt, se tãdem exituros à culpis, quia aliquantulũ soliciti sunt de paranda sibi spiritus, etsi alias vrgeantur culpis, salute. Vnde & frequentãt Ecclesias, & sacerdotes cõsulunt de sibi agendis, &c. At verò sunt alij, qui alto correpti somno peccatorum, salutem suam, neq; modicum curãt: qui videntur deploratum habere statum peccãdi. *Dicit ei Iesus, mulier crede mihi, Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis, adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est.* Propositam quæstionem nõ soluit Dñs clarè, sed mulierem Samaritanam, ad adorationem spiritualẽ purioremq; cultũ Dei intelligendum promouet mulierem. At tacitè soluit quæstionem, quia docet horã esse, vel in proximo esse tempus, quando neq; in templo Hierosolymorũ, neq; in templo Samaritanorum Deus exiget celebrandum cultum suum, seu sacrificia celebrari. Significãt autem illa templa esse diruẽda, & legem Mosaicam abolendam cum suo sacerdotio & cęremonijs, & Deũ vbilibet terrarum syncerius fide, scilicet, spe, & charitate, esse colendum. Quod si illa sacrificia erant abolenda, & templa veteris cultus euertenda, responsio iam est negatiua ad mulieris propositam quæstionem, videlicet, Neq; Hierosolymis veteri ritu est adorandus Deus, neq; in monte Garizim, sed in omni orbe est adorandus iam Deus syncerrimo spiritus cultu.

Ioseph. anti. lib. 11. c. 2. 7. 4. Reg. 17.

Peccatorum differentia.

¶ Id quod factum est postquam Euangelij lux emicuit in orbem per Apostolos. Cæterum Samaritę hoc tenebãtur errore Deum esse localẽ, & circunscribi parietibus templorum, & ideò Dñs ait, Vos adoratis quod nescitis, ideſt, adoratis, non verum Deum: quia verus Deus est incorporeus: vos verò creditis Deum esse corporalem, & localem: ideò adoratis quod nescitis. Iudæi verò credebant Deum non coarctari templorum angustijs. Hocq; in dedicatione tẽpli, à Salomone insinuatur, dum orans, inquit. 3. Reg. 8. Si enim cælum, & cælorum cæli te capere non possunt, quãto magis domus hæc, quam tibi ædificaui? Quocirca Dominus exponẽs Iudæorum rectã de Deo esse fidẽ ait, Nos adoramus quod scimus, ideſt, verè adoramus Deum. Recensẽt se cum Iudæis Dñs, quia est ex semine Dauid secundũ carnẽ, ad Rom. 1. & Matt. 1. Et sermo est de Iudæis pijs cultoribus Dei: quia multi Iudæorũ fuerunt impij, quorũ modo non habetur ratio. Et verè ait, *Salus ex Iudæis est*, quia Christus, qui est salus orbis terrarũ ex Iudæis secundum carnem duxit originẽ: & Apostoli genere Iudæi salutiferũ Euangelium orbi nunciarunt. At ante Christi aduentum saluberrimus cultus Dei erat apud Iudæos, quippe qui à Deo instructi erãt de cultus diuini veritate. Gẽtes enim ad falsos deos properãtes, verum Deum nõ colebãt, aut si colebãt, nõ syncerè, sed promiscuè cum reliquis dijs, vt Athenienſium aram demonstrat, quæ erat ignoto dicata Deo, Act 17. *Sed Venit hora, & nũc est quãdo veri adoratores, adorabunt patrẽ, in spiritu & veritate.* Proximum est tẽpus, quãdo non bobus, aut ouibus, gregibus deniq;, vel armentis, Deus coletur, sed coletur syncera fide, & ardẽti amore. Nam qui feruẽter amat Deũ colit Deũ in spiritu: qui rectã fidẽ tenet colit & adorat in veritate. Neq; enim sat est adorare Deũ ex fidei syncritate & veritate, nisi addas spiritũ diuinę charitatis. Hæc nãq; viuificat fidẽ, & omnia opera ab ea procedẽtia grata Deo facit. Docet igitur Dñs mulierẽ, abolẽdum cultũ diuinũ antiquũ ex sacrificijs animalium, qui cultus à Deo

Error Samaritarum de diuinitate.

Gentium cultus diuinus superstitiosus.

Veritas est fidei amor & spiritus.

fuerat ad tempus solummodo institutus, vt detineret Iudæos propensos ad idololatriam, ne fluerent ad idola.

Cultus & cæremoniæ Iudaicæ detinebant eos ne fluerẽt ad idololatriam.

¶ Porrò coruscante Euangelio iam illa sacrificia non sunt necessaria, neque cæremoniæ aliæ legales iam Deo probantur: imò redditæ sunt mortiferæ, & superstitiosæ: qualis est circuncisio, & huic agnatæ aliæ legis cæremoniæ.

¶ At cultus, qui Deo modo probatur, est Deũ colere in spiritu & veritate, hoc est, puro amore, & pura fide. Neq; tamẽ hinc triumphet Lutherus cõtra nos solã fidem, esse sufficientem blaterans ad salutem, so lumque spiritum cum fidei veritate Deo esse probatum, opera verò corporalia non esse necessaria: quia hæc non sunt, neque fides, neque spiritus. Porrò Christus non reprobat opera corporalia, quippe ipse docuit nos esse baptizandos, & baptismus opus est corporale. Cæterum, quia baptismus, & alia sacramenta suscepta sine spiritu, qualiter illa suscipiunt, qui obicem illis obijciunt sunt inutilia: & opera misericordiæ sine spiritu charitatis non sunt meritoria. At verò si sola sufficit fides ad salutem consequendam æternam, cur Dominus ait, Deum adorandum in spiritu & veritate? non ergo sat in veritate fidei Deum adorare, nisi in spiritu adoremus. Porrò hic spiritus, in quo adorandus est Deus, non est spiritus fallax, non est spiritus superbus, non est spiritus contumeliosus, & demum non est spiritus nequam, qualis est hæreticorum spiritus: sed est spiritus verax, spiritus mansuetus spiritus benignus, spiritus æquus, atque rectus. Hæretici enim sunt magistri mendaciorum: sunt elati & tumentes filij Belial, reijcientes Ecclesiæ Romanæ jugum: sunt contumelioſi, maximè Lutherus cum sua cohorte, qui prælatos Ecclesiæ omnes nefandis maculant probris, sunt deniq; iniqui sua dogmata falsa præferentes dogmatibus veris. Hæretici ergo non sunt veri adoratores, & pater tales non quærit adoratores, sed eos solum quærit, quos subdit Euangelium. *Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Hæsitas forsan, quid est hoc quod ait, Pater tales quærit? num Deus potest quidquam quærere? Siquidem qui quærit, necessario aliquid ignorat, vt mulier illa quærens perditam drachmam, Lucæ. 15. ignorabat locum vbi reposita erat. Deus autem vniuersa nouit, nihil fugit eius obtutum. Cur ergo quærere dicitur, qui nihil quærit, cùm omnia sint nuda & aperta oculis eius? At verò scriptura metaphoris vtitur, vt ex metaphora nos erudiat de arcanis. Quærere igitur dicitur Deus pater, quod vehementer amat. Nam nullus quærit, nisi quod habere in votis habet. Igitur Pater vehementer amat tales adoratores, qui adorant eum in spiritu & veritate: quoniam vnum quodq; amat sibi simile iuxta verbum sapientis, Ecclesiast. 13. Deus autem est spiritualis substantia, & verissima substantia: siquidem ens, & verum, conuertuntur. Quod ergo est maximè ens, est quoque maximè verum: quocirca adoratores diuinitatis in spiritu & veritate Deus valde amat: quia similes sibi sunt. *Dicit ei mulier, Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cum ergo venerit ille nobis annunciabit omnia.* Quanuis Samaritæ, vt dicebamus, erant Cuthæi genere, quia erant Persæ, & Medi, nam ex istis locis transtulit nationes quasdam Salmanasar in Samariam, expulsis. 10. tribubus: verum, etiamsi non erant Iudæi genere natalitio, erant tamen professione: quia cum Dominum colerent dijs quoque suis seruiebant. 4. Regum. 17. Et ideò non seruabant Iudaicam professionem perfectè, sed erant semiiudæi. Cæterum fidem habebant de venturo Messia, quem aduertebant venturum in Pentateuco Mosaico, quem recipiebant. Vnde hæc mulier ait, *Scio quod Messias venit*. Erasmus putat legendum, veniet, vt concordet cum sequentibus, & ille nunciabit nobis quamquam Græcè sit præsentis temporis. Cæterum sensus est, venit, in proximo est eius aduentus, qua phrasi sæpè vtimur in vulgato sermone. Vnde eo seculo vulgatum erat apud Iudæos, & Samaritas Messiam, vel venisse, vel cito venturum, vt satis liquet ex hoc sermone Samaritanę, & ex legatione quam fecerũt Hierosolymitæ ad Ioannẽ. Et obserua Messiam creditũ tum fuisse, summũ futurũ esse magistrũ, quia inquit Samaritana, & ille nobis nũciabit omnia. *Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecũ.*

Quomodo Deus dicatur quærere.

Samaritæ, Cuthæi.

Lutherus repudiatur.

Hæreticorũ mores & spiritus.

Venisti

Veniſti mulier, vt haurires materialem aquam, & en tibi hauris aquam cęleſtem. Nam tibi panditur arcanum ſummi theſauri cæleſtis, videlicet, hunc, cum quo loqueris, eſſe verum Meſsiã. Et puteus iſte terrenus factus eſt tibi puteus aquarum viuentium: citra ænigmata, citra parabolas, tibi referatur Chriſtus. Nõ horruit Chriſtus tuam paupertatẽ: nõ te ſordidam abominatus eſt: non dedignatur te, vt alienigenam: non vt Samaritanam te explodit, vt tibi rependeret vicem: imo potius te recipit, & de ſummo ſacramento te erudit. Ego, inquit, ſum qui loquor tecum. Petebas aquam viuam, ne ſitires, en tibi quod petis. Deſiderabas Meſsiæ aduẽtum, qui te doceret omnia, non eſt quod deſideres ipſe eſt qui loquitur tecum. Quia oblatrãt Phariſæi, quia obloquuntur ſcribæ, quia pompatici Iudæi non credunt, ideo Chriſtus ſub parabolis illis loquebatur, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. At hæc paupercula mulier, hæc Samaritana mulier auida ſuæ ſalutis de loco adorationis inſtrui deſiderat, Meſsiæ aduentum cupit, vt vehementius inſtruatur. Ideo illi, quia deſideriũ pauperum exaudit dominus nudè, & apertè ſe manifeſtat Chriſtus dicens, Ego ſum qui loquor tecum. Maximo ò mulier te hodie decorauit munere dominus: quia quod multi reges & prophetę deſiderarunt videre, & nõ viderunt, & deſiderarunt audire, & non audierunt, tu modo nullo tuo labore, nullo tuo ſudore, vides, & audis. An nõ ſunt tui beati oculi, videntis Meſsiam, & audiẽtis ex ore proprio ipſum eſſe Meſsiam? Vere citer ſanè dixit Paulus Romanis ſcribens, Non eſt volentis, neque currẽtis, ſed Dei miſerentis, & rurſum, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori. Vbi nam erant merita huius mulieris, quæ concubinatu vrgebatur? Si merita expectaſſet dominus nuſquam hanc ſanctificaret. Vtique voluit, vtique conſenſit Chriſto vocanti, & inſpiranti, conſenſit Chriſto intus trahẽti, & illuminãti: at hæc voluntas adhuc peccatricis erat, & nondum iuſtificatæ: ideo Paulus ait, Nõ eſt volentis: quia non eſt tribuendum meritum de condigno huiuſmodi conſenſui, culpatæ adhuc mulieris: ſed eſt ſanè Dei miſerentis, qui vocat ad primam inſtificationem, ſine meritis, & vocatum volentẽ iuſtificat gratis. Prima namque gratia nõ cadit ſub condigni merito. Neque Samaritana prouide accedebat ad fontem, ſciẽs Chriſtum ibi affuturum, ſed ignara venturi, fontem ſalũberrimũ obiter reperit. Si beatum ſe reputat, qũi fortè reperit magnum theſaurum, an non hæc multò beatior cenſenda, quæ diuinum theſaurum ſibi reperit? At prudens mulier, & non auara reperti theſauri, cõtinuo credit Chriſtõ dicenti, ſe eſſe Meſsiam, & propere vadit ad ſuos dicens, Reperi theſaurum vitæ, venite, & fruimini mecum illo: reperi fontẽ aquæ viuæ, multo præſtantiorem, quam ſit hic, quẽ vos in pretio habetis maximo, fons Iacob: venite, properate & haurietis aquas de fonte ſaluatoris. Et hoc eſt quod paulo poſt ſubdit. *Reliquit ergo hydriam ſuã mulier.* Vt enim cap. 7. Andreas, Petrum, & Philippus vocauit Nathanaelẽ, ita hæc ſuos vocat conciues. *Et continuo venerunt diſcipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur, Nemo tamen dixit, quid quæris, aut, quid loqueris cum ea.* Non mirabantur diſcipuli, quod cum muliere loquebatur, ſed quod cum muliere Samaritana: quia Iudæi abominabantur Samaritas: cæterum autoritatem domini reueriti, nihil exegerunt, cur cum ea loquetur. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit hominibus, Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci, nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Apoſtoli relictis retibus ſecuti ſunt Chriſtum, hæc vero Samaritana relicta hydria ſiue aquario, prædicat Samaritis Chriſtum. Non tamen clarè ait. Venite, & videte Chriſtum, ne rei nouitas, Samaritas ad ſtuporẽ adducens, fidei præberet obſtaculum: ſed gradatim procedit, & ſub dubio rem proponit, quo magis accenderet Samaritarum deſideria videndi Chriſtum.

Matth. 15.

Iuſtificans à peccato gratia, quę eſt prima gratia nõ eſt volẽtis de condigno, neque currentis ſed Dei miſerentis.

¶ Obſeruasne quam de repente mulier vna paupercula Chriſtum euangelizat, & cum ſummo fructu Chriſtum ſuis prædicat? quia multi Samaritanorum crediderunt in Chriſtum propter mulierculæ teſtimonium.

¶ At obijcies, Quid eſt ergo quod Paulus ait. 1. Timo. 2. Mulieri autem docere non permitto? Vt que in eccleſia, non debet docere mulier, hoc enim non ſibi incumbit, ſed viris approbatis, quorũ eſt fideles publicè docere in eccleſia Dei. At ve

Mulier in eccleſia prohibetur docere.

rò hæc Samaritana, non docebat fideles, sed infideles, hoc autē mulieribus nō prohibetur, Quid quod casus particularis nō trahendus in consequentiā generalis decreti. *Exierūt de ciuitate, & veniebāt ad eum.* Non ergo Samaritana vocauit quosdam sibi familiares, & vicinos, aut cognatos, sed omnes Samaritas vocat ad Christum, & omnium suorum ciuium fit magistra. Aspice nūc dominum paucissimis verbis induxisse Samaritanam, ad grande credēdum mysterium fidei, scilicet, Christum esse Messiā: & quod magis mirari subit, quia Matth. 20. Iudæi, (& de Samaritis idem puta) expectabant Messiam regem maximum futurum temporali pompa, super omnes mortales nitentem. At Samaritana, nihil pompæ mundanæ aspexit in Christo, imo multā abiectionem in eo cōtemplabatur: quia solitarium videbat, & sedentem supra fontem, & fatigatū ab itinere, & nihilominus tanta est efficacia diuini sermonis à Christo prolati, quod in modico Christū credidit esse verum Messiam. Neque sua fide fuit contenta, sed vt illam palā protestaretur, suos ciues ad eandem tenendam fidem inuitat festinanter, vt vocat apostolos & cōtinuo relictis omnibus illi parent. Et quidem Samaritæ nō certum habuissent proximum aduentum esse Messiæ, & nisi eundem maximè habuissent in votis, mulieri prædicanti non assensissent.

Confunditur vana opinio Iudæorū expectantium Messiam mū di pōpa fulgē tem.

Mira efficacia Christi sermonis.

¶ *Interea rogabant eum discipuli dicentes, Rabbi manduca.* A scitos ex Sichem cibos discipuli domino offerunt, comedendos, postquam Samaritana à domino recessit, suos vocatura ciues. Et antequam Samaritæ accederent ad Christum discipuli Magistrū inuitant ad prandium, quia iam hora erat prandendi. Verum, neque euāgelista me moratur dominum bibisse modo, aut comedisse, sed occasione oblata ex prandio ad cibum alium, vel prandium spirituale prouocat discipulos, dicēs, Ego cibum habeo māducare, quem vos nescitis. Quemadmodum ex potu materiali, materiā accepit Dominus loquendi, de aqua viua: quippe ex sensibilibus ducere conabatur cælestis magister ad spiritualia desideranda: quandoquidem magis sitiebat hominum salutem, quam aquæ potu sitientes rigare fauces, & magis esuriebat hominū spiritualem profectum, quam cibo corporali reficere ventrem. Hocque ecclesiæ cō sideret episcopi: & si ita fecerint saluberrimum erit illis. Ideo inquit, euangelista. *Ille autem dixit eis, Cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Rudes id temporis erant domini discipuli, & non assequebantur verba domini: vnde neque mireris Samaritanæ mulieris ruditatem, Ideo sequitur. *Dicebant ergo discipuli ad inuicem, Nunquid ali quis attulit ei manducare?* Hæc fuit ruditas ipsorum putantium, secreto domino allatos fuisse cibos, vnde manducaret. Sciebāt enim dominum ex oblatis sæpe manducasse, & putant idem modo contigisse. At dominus discutit illorum ruditatem, docens quem cibum ipse intellexisset. *Dicit eis Iesus, meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Cibus reficit, & delectat: ideò spiritualia, quia reficiunt, mentem, & illam summopere delectant non ab re dicuntur mentis alimoniæ. Christus ergo summè desiderans humanā salutem, quidquid hanc spectabat, summe illum reficiebat, & delectabat interius. Et quia venerat redimere genus humanum, hoc summū & ineffabile perficere opus, cibum quoque vocat suū. Et quia prædicando diuinam legem, præparabat animos humanos, vt capaces essent redemptionis ab eo celebrandæ, ideo suam prædicationē vocat alimentum suū. Legimus autem Ioan. 17. de huiusmodi redemptionis opere, dixisse dominum, Opus cō summaui, quod dedisti mihi: ideo iam iam moriturus ait, Consummatum est, quia morte sua consummauit humani generis redemptionem, & Ioann. 6. legimus. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et paucis interiectis, exponit, quis hic sit cibus, dicens. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Cibus igitur noster est fides viuax in Deum, quæ viuacitate sua se promit in sanctas actiones, vnde promeremur vitam eternam. Et hic cibus mentalis est cibus, & opus est Dei: quia fides donum Dei est: & nisi ope diuina inuemur credendi rectè opus nō continget nobis. Qui ergo rectè, & viuaciter credit opere diuino fruitur, & opere suo nō fraudatur: quia credere actio mētis etiam est. Et hoc opus est cibus mentis aptissimus: siquidem Esaias clamat. Dicite iusto quoniam benè: adinuentiones enim manū suarum

Quod delectat & reficit mētem cibus mentalis est.

Cibus noster fides viuax ei bus Christi o bedientia ad Deum patē.

Cibus Christi atq; potus est animarum sa lus.

suarum comedet. Igitur iusti ex suis operibus comedent, quas tamen habet Deo opitulãte. Christi autem cibus erat implere Dei patris voluntatem, & opus redemptionis sibi à patre concreditum absoluere, seu perficere. Nõ oscitanter tamen trãseundus est hic sermo domini. *Vt opus eius perficiam.* Enim vero redemptionis opus fuit pronuntiatum, & adumbratum per legem, & fuit promissum à Deo per suos vates: at Christus impleuit, quæ illi promittendo prædixerant. Vnde ait. Matth. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Et istud adimplere, vocat dominus modo perficere. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit. Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videre regiones, quia albæ sunt ad messem.* Primo mense. 14. die mensis phase celebrabãt Iudæi, tertio mẽse festum Pentecostes, vt septimo festum tabernaculorum. Exodi. 34. & Deute. 16. Incidebat igitur Pentecostes in mensem Maium, Amissione namque falcis in messem, quæ erat prima missio falcis in quibusdam locis terræ sanctæ præcoces emittentes spicas numerabant Iudæi septem hebdomadas, & dies sequens proximus erat festum Pentecostes. Et iam hoc mense erant segetes in Palęstina flauescentes ad messem, & desiderabant falcem illas deijcientem. Quia ergo dominus inquit, *Vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* A tempore huius sermonis vsque ad mẽsem Maium restabant quatuor menses, vsurpando partem mensis pro toto. Ideo hæc verba dominus dixit sub mẽse Ianuario, si Maium non annumeramus in numerum quatuor horum mensium. Quod si hic annumeratur, dixit Christus hæc verba, sub Februario: vnde cõpleuerat fere iã annũ in Iudæa prædicando, propagando discipulos, & baptizando, ad sensum supra expositum. Non tamen fuit annus hic integer. Namque sexta mensis Ianuarij celebrauit miraculum illud nuptiale in Cana Galilææ, & celebraturus Pascha, sub Martio venit Hierosolymã, vbi conuersatus est vsque in alterum anni sequentis Ianuarium vel Februarium, quãdo venit in Samariam, iturus in Galilæã, id quod modo refert euangelista. Itaque subducta ratione videtur decem menses egisse in Iudæa, ante quam transiret nunc per Samariam. *Ecce dico vobis leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Vt dicebam paulo ante, Christus sapientia Dei patris, sciens hanc esse naturam hominum per visibilia capere inuisibilia, ideo, vt fecerat supra ex aqua corporali manu ducẽs Samaritanam ad aquam percipiendam spiritualem, & ex cibo corporali abstrahens apostolos ad intelligentiam spiritualis cibi, ita in præsentia ex messibus sensibilibus subducit discipulos suos ad messes intelligibiles considerandas. Proposuerat igitur iã dominus, quod experientia cõmuni apostoli futuras sciebãt, videlicet, messes à verbo domini prædicto, ad quatuor mẽses. Ex hac experientia sustulit discipulos suos, vt alias messes perciperent spirituales, videlicet, messes hominũ. Ideo ait, Leuate oculos vestros, & videte regiones, quod iam albæ sunt ad messem. Hoc est percipite discipuli hos veniẽtes ad me, Samaritas esse segetes spirituales: & iam paratos ad messem: quia tẽpus adest, quando illi credent in me, & me diligẽt, Et nõ ait regionem, sed regiones, vt non solũ doceat Samaritas esse iam paratos ad suscipiendum euangelium, sed vniuersas sub cælo nationes. Hæc autem præparatio erat ex diuina ordinatione, quæ gentium conuersione differri permisit ad tempora vsque Christi. Et quia tũc erat tempus, sub quo erant gentes conuertendæ, occasione Samaritarum dominus, de omnibus gentibus habet sermonem. Notandum autem duplicem esse messionem, alteram, quam exercuerunt apostoli, aliam, quam exercebunt angeli. Illa messio fuit ad fidem, & gratiam baptismalem suscipiendam, & messione hac sunt demessæ gentes: quia congregatæ sunt in horreum Christi, quæ est ecclesia. Hæc vero messio, est illa cuius domini præcursor meminit. Matth. 3. Cuius ventilabrum in manu sua, & permũdabit aream suã, & congregabit triticum in horreũ suum: paleas autem comburet igne inextinguibili. Et Matthæ. 13. Messores autem angeli sunt. Sunt autem messores, quia in extremo iudicio exibunt angeli, & separabunt bonos in vasa sua, malos autem foras mittent, aut separabunt malos de medio iustorum vt paleam, à grano. Tunc enim cõgregabũtur iusti omnes in cæleste horreũ. Nũc igitur horreum Dei est ecclesia, tũc vero cęleste erit habitaculum. *Et qui metit, mer-*

Dñs perfecit promissa prophetarũ, illa implendo.

Christus ex visibilibus promouit discipulos ad inuisibilia.

Duplex messio & duplices messores, duplexque horreum.

mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, & qui seminat simul gaudet, & qui metit. Ænigma est istud, quod modo proponit dominus. Diximus autem messores fuisse apostolos, verum qui seminatores sint, de quibus modo textus hic loquitur, non fuit expressum, neque hoc loco manifestatur. Verum seminator præcipuus ille est, cuius euangelica meminit parabola illa. Matt. 13. Exijt qui seminat, seminare semen suum: verum non de hoc seminatore modo intelligendus venit locus hic. Deus enim seminando non laborat, nunc vero, de seminatoribus, qui multo labore seminarũt fit mẽtio. Quid quod seminator Deus non seminat semen suũ quod est verbum suum nisi per ministros prædicatores suos. Quia ergo de seminatoribus fit mentio, qui seminarunt verbũ Dei ante Christi aduentum cogimur intelligere locũ de prophetis: isti enim fuerunt qui hoc semen seminarunt multo labore, quia multis oppressi fuerunt calamitatibus propter diuini verbi prędicationẽ, vt acto. 7. docetur, & Matth. 23, Prophetę igitur pronuntiantes Christi aduentum: fœcundabant diuino semine audientium corda ad fidem Christi venturi: & ideo veluti seminabant in cordibus Iudęorum, semen, idest, verbum Dei: quod semen sub apostolis prædicantibus iam adesse Christum fructificauit in vitam æternam.

Deus est seminator præcipuus prædicatores vero sũt huius seminatores ministri

¶ Ante aduentum namque domini, semẽ hoc non gaudebat suo fructu: quippe nemini patebat aditus ad vitam ęternam, donec Christus deuicta morte, vitæ æternæ aditum reserauit.

¶ Et hoc est quod ait. *Qui metit mercedem accipit.* Apostoli enim comparati ad prophetas sunt sicut messores, ad seminatores: quoniam apostoli lucrando gentes Christo, id quod vocatur modo metere, mercedẽ acceperunt æternæ vitæ vel mercedem acceperunt. Quia quod summopere intẽdebant, gentes cõgregare, ad Christi ecclesiam, hoc acceperunt. Hæc autem congregatio fuit fructifera vitæ æternæ, quia gentes per baptismum donãtur vita æterna. Et ideo ait, & congregat fructum in vitam æternam. Et quod subdit. *Et qui seminat, simul gaudet, & qui metit,* hoc significat prophetas, non inuidisse apostolis, quod ipsi meterent, quæ ipsi seminarunt: sed seminatoribus, & messoribus istis, vnũ fuit cõmune gaudium, quia vna cõmunis charitas inflammabat omnes, vt sub mota inuidia quique sua officia præstarent. *In hoc enim est verbum verum, quia alius est, qui seminat alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores illorum introistis.* Laborem, quẽ ferunt agricolæ inseminando, ex spe colligendi ex messe fructum leuant. Vnde si accidat seminantẽ non colligere messem, infelicitati non mediocri tribuitur. Et in leuitico inter maledictiones quas Deus minatur trãsgressoribus suæ legis hæc vna est, quod seminabũt, & non colligent fructum: sed hostes colligent illum. Leui. 26.

Diuinũ semẽ non fructificauit vitam ęternam ante aduentũ Christi.

¶ Porrò si fortè accidat, parẽtes seminare, & non ipsos, sed filios suos colligere fructus, quos patres seminarunt, non ob hoc dolent patres, sed gaudent: quia laboribus eorum filij gaudent. Quamobrẽ, cum prophetæ fuerint seminatores fidei christianæ, etiam si non viderunt tunc fructum illius seminationis, quia Christus oberat, at vero quia apostoli fuerunt messores huius fructus, qui erant filij prophetarum, quippe ab illis fidem acceperant venturi Christi, ideo qui seminarunt prophetæ non dolebant, quod ipsi non meterent: quia cernebant quod filij eorum erant messuri.

¶ *In hoc*, inquit, *verum est*, subaudi quod vulgo dicitur, *alius est qui seminat, & alius qui metit.* Nam prophetæ, & doctores Iudæorum seminarunt, & apostoli messuerunt. Et rursum iam tum Christus miserat discipulos suos metere, quia dum erat in Iudæa, vt ex hoc loco videtur collectũ iri discipuli Christi qui cum Christum sequebantur, eum prædicabant, & Iudæos baptizabant. vt in exordio huius cap. traditur. Ideo ait, *Misi vos metere.* Quanquam vt supra cõmemorabam, non omnes duodecim tum sequebantur Christum, quippe, Matth. 4. postquam dominus venit in Galilæam ex Samaria subaudi, vt hoc cap. docetur, vocauit ad suã sequelam Petrum & Andream, & Iacobum, & Ioannem. Tametsi Petrus, & Andreas, iam erant recẽsiti inter discipulos Christi, quibus nondum erant sectatores, & comites Christi, vt fuerũt posteaquam illis dixit, Venite post me, &c. *Quod vos non laborastis.* Per vaticinia prophetarũ, & clarissima de Christo prędicta, Iudæi fuerũt dispositi, ad susciendam fidem de Christo, & baptismum

Cum erat dominus in Iudæa nondum habebat omnes duodecim apostolos comites.

ptiſmum eius. Et ideo inquit, apoſtolos meſſuiſſe, quod ipſi non laborauerunt. Rurſus Ioannes Baptiſta etiam laborem non minimũ habuit in hac ſeminatione, quia etiam ille præparauit corda Iudæorum Chriſto. Iſti ergo laborauerunt, vaticinando, & prædicando, & apoſtoli introierunt in labores illorum. Hoc eſt prædicando apoſtoli Iudæis Chriſtum, rem inuenerunt ſemifactam: quia quod oracula prophetica prædixerant, ipſi prædicabãt eſſe impletum. Quia igitur prophetæ hoc cæperant negotium, & qui incipit mediũ iam facti habet, ideo dominus ait, Et vos in labores eorum, hoc eſt in vaticinia eorum introiſtis, docendo illa eſſe impleta. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimoniũ perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcunque feci.* Mulier igitur hæc etiam meſſuit Samaritanos cõciues, in quos ſeminarat Moſes, quia quanquam alios prophetas, non curabant, Moyſen probatum habebant. Ideoq; alius ſeminauit, & aliusmetit: quia Moſes ſeminauit, & Samaritana metit.

¶ Res ſane mirabilis hæc eſt, mulierem vnam de repente promotã ad tantum officium quale eſt metere ad Deum gentes, vt apoſtolico munere fungeretur, & honore donaretur, quatenus Samaritanos Chriſto acquiſiuit.

¶ Et ideo ait, multi Samaritanorum crediderunt in eum propter verbum mulieris, teſtimonium, &c. Et videtur ex hoc loco non ſolum dominum retexiſſe ſecretum Samaritanæ de ſuo cõcubinatu, ſed etiam alia expoſuiſſe: quando quidem ait, Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci. Non ergo ſolum vnũ, ſed multa propalauit Samaritanæ ſecreta.

¶ Et conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corrigere, quem ipſe deſpexerit. Iudæi enim auditis teſtimonijs Ioannis, & viſis Chriſti miraculis, obdurauerunt cor ſuum, & ſtricte occluſerunt, ne fidei locũ facerent. At Samaritani ad teſtimonium vnius pauperculæ mulieris, Chriſto crediderunt: quia iam parati erant ex diuina ordinatione ad credendum, cui ordinationi ipſi morem geſſerũt. *Cum ergo veniſſent Samaritani rogauerunt eum, vt ibi maneret, & manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderũt in eum propter ſermonem eius.* Rogant Samaritani dominũ, vt in Sychem Samariæ ciuitate maneat: & dominus acquieuit illis. Rogant etiam diſcipuli illi duo dicentes, Lucæ. 24. Mane nobiſcum domine, quia aduerſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et dominus annuit eorũdem votis: Quia hoc deſiderat Chriſtus manere apud nos, iuxta illud, deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, vt nos maneamus, apud eum, vt Apoca. inquit. 3. Sto ad oſtium & pulſo, ſi quis audiuit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Samaritani igitur primum crediderunt Chriſtum, non contenti nuda fide, ad opera ſe accingunt & veniunt ad dominum, & rogant illum, vt maneat apud illos: vt illi poſſent obſequia præſtare, & amplius inſtrui circa fidẽ quam de ipſo conceperant. Dominus autem, vt fidem conceptam confirmaret, & ſtabiliret, ne forſan labaſcerent, quia ex muliere erat propagata, ideo manſit apud illos biduũ. *Et mulieri dicebant, Quia non propter tuã loquelã credimus, ipſi enim audiuimus & ſcimus quia hic verè eſt ſaluator mundi.* Ne dubites dominũ multa diuina docuiſſe arcana Samaritanos, etiam ſi non ſunt à Ioãne memoriæ prodita, aut à quoquam aliorum euangeliſtarum. Nam locus hic ſatis indicat, multa diuina eos docuiſſe dominum ſacramenta. Aiunt enim, quia non propter tuam loquelam: etſi nõ quia, ſed iam legitur apud Theophila. & Eraſmica editio ita legit. Verũ Græcè ὅτι, ſcribitur quod vulgatus ſemper per quia transfert interpres, & vſurpat pro, quod. Quod vero Samaritę dicunt, Non propter tuam loquelam credimus, tu intellige, non ſolũ. Quippe ex prædictis patet, Samaritas credidiſſe propter teſtimoniũ, quod tulerat Samaritana de Chriſto.

Veruntamen, credibile etiam eſt pleroſque fuiſſe Samaritas, qui non propter Samaritanæ verbum, cui forſan primum nõ crediderunt, ſed propter Chriſti ſermonẽ, Chriſtum crediderũt. At alij fuerunt, qui Chriſto credẽtes, ex mulieris teſtimonio confirmati ſunt in Chriſti prædicatione: adeò, quod etiam ſubmoto Samaritanæ teſtimonio Chriſto credidiſſent.

¶ Verum Samaritana fuit, quæ corda Samaritarum diſpoſuit ſuo teſtimonio ad Chriſti fidem. Sed quid eſt quod aiunt. *Et ſcimus, quod hic eſt vere ſaluator mundi.* Enim vero quæ fidei ſunt credibilia ſunt, &

Prouerbi. 8.

Fides nuda nõ ſufficit, niſi ſe accingat ad opera.

Quid docuerit Chriſtus Samaritas nõ eſt memoriæ proditum.

& non scibilia. Scibilia enim ex demonstratione sunt scibilia: porro credibilia fugiunt demonstrationem: sunt enim superiora, omni demonstratione.

Fides non est scientia, at aliquando scriptura eam vocat scientiam

¶ Respondebis Samaritas, non hoc intellexisse, per scientiam, quod philosophi intellexerunt, sed ipsam credulitatem, vocant scientiam, & est familiare scripturæ vnde illud dedit illis scientiam sanctorum Sapi. 10. Quippe fidei credulitas, propter eximiã suam certitudinem affinis est scientiæ, etiam si propter nimiam obscuritatẽ, longe sit à scientiæ claritate. Vocant autẽ dominum verè saluatorem mundi. Ex fide hac profitentes, esse verum Messiam: non solum saluatorem Iudæorũ, vt Iudæi expectabant, sed omnium hominum. Et miranda est sanè fides horum, atque inea profectus: siquidẽ biduo solum dominus cum eis est conuersatus: & mirum in modum profecerunt in fidei veritate hoc exiguo tempore, vt crederent Christum esse omnium hominum saluatorem. Et vt exponerẽt salutem à Christo concedendam esse animorum potius, quam corporum, nam illa est vera salus, quæ animum sanctum peccatis sanat, ideo addidit, Verè scimus, scilicet, quod hic est saluator mundi. Legimus autem in Gehe. 41. Ioseph lingua Aegyptiaca vocatum saluatorem mũdi. At quanto aptius à Samaritis vocatur Christus saluator mundi? Ille enim quia frumenta impartiuit sub tempore famis Aegyptijs, & confinibus, dictus est saluator mundi: at vero Christus, quia sanguinem fudit suum in salutem omniũ hominum, & præsentium, & præteritorum, & futurorum rectissime est mundi saluator. Ad hanc demum rationem saluator est, ad quam nemo nisi per illum seruari in æternum potest. Quia non est datum aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu Christi, acto. 4. Rectè demũ nos diximus supra hos Samaritas adumbrasse gentes fideles: siquidem gentes prompto animo in Christum crediderunt, vt isti Samaritæ crediderunt.

Gentiũ conuersio ad christũ adumbrata fuit in conuersione Samaritarum.

¶ Circa hæc, quæ hactenus disseruimus libet annotare quosdam ex loco illo supra exposito. Discipuli abierant ciuitatem vt cibos emerent, dixisse Christum non fuisse mendicum, neque mendicasse. Etenim apostoli ex pecunijs proprijs emerunt cibos. Et rursus, Lucæ. 8. mulieres ministrabant illi de facultatibus suis: & tertio, quia dominus pauperibus eleemosynas erogabat Ioan. 14. putatum est quod Iesus præcepisset Iudæ, vt pauperibus eleemosynam porrigeret: quia loculos habebat. Quod verò hoc euãgelio tradatur petijsse à Samaritana potum aquæ, istud fieri potest, & quotidiè sit sine nota mendicitatis. Reges enim & magni faciẽtes iter, hoc petere possunt, & non reputantur mendici, si petãt. Vnde Caietanus cõmen. ad Matthæ. 5. Christum asserit non fuisse mendicum, licet fuerit in paupertate mendicorum: quia nihil omnino habuit proprium nisi vestes. ex quo cæpit prædicare. Videbat autem nõ ex mendicatis rebus, sed ex oblatis à deuotis personis, iuxta illud Ioãnis. 13. Iudas loculos habebat, & ea, quæ mittebantur portabat. Et Lucæ. 8. Mulieres ministrabant Christo. Et reuocat, quã probarat sentẽtiam contrariam, in. 2. 2. q. 187. art. 5. vbi tradidit Christum fuisse mẽdicum, Dominus, inquit, Iesus, non est dedignatus etiam in propria persona mendicare. Nã Lucæ. 22. mendicauit locum, vbi Phase cũ discipulis celebraret. Et Matthæ. 21. & Lucæ. 19. mendicauit aselum, cui insedit ingressurus Hierosolymam, & à Zachæo mendicauit hospicium, Luc. 19. Et quanquam dixerat prius clarè cõstare dominum mendicasse ex euangelio, deinde ait, domini mendicitatem non constare ex euangelio, sed esse rationabile, vt credatur, quia dominus nullum prætermisit humilitatis exemplum. Et multa fecit dominus quæ nõ sunt scripta. Et quidem dogma hoc videtur esse Hieronymi, idẽ asserẽtis, dominum fuisse mendicum, cui suffragatur Thomas loco proximè indicato. ar. 5. respon. sed contra. Cæterum Caietanus recantauit, & retractauit quod. 2. 2 scripserat, docens contrarium Christum non vnquam fuisse mendicũ. Et Ambrosius Cathatinus in annotationibus contra Caietanum acriter inuehitur, vt solet, in Caietanum. Putans impium esse dogma hoc Caietani, & contra sententiã sanctorum, & detrahẽs religiones mendicantiũ. Et accedit illi quod fauere videtur Luthero, qui vehementer obsistit religionibus mendicantium, illas credens esse vanas religiones, & saccos mendicitatis decernit à papa, & principibus secularibus esse tollendos, vt est videre apud Rophensem, ad finem

An Christus fuerit mendicus.

finem libri articulorum contrà Lutherũ.

¶Ambrosius verò cõmemoratus, colligit cõtra Caieta. primo ex psalmo, Ego autẽ mẽdicus sum & pauper, quæ verba intelligũtur de persona Christi, secũdò, ex Paulo. 2. Cor. 8. cum esset dives, pro nobis egenus factus est: tertiò, quia voluit in omnibus præbere humilitatis exemplum.

Argumenta probatia Christũ fuisse mẽdicum.

¶Et ad locum ex Ioan. citatum. Discipuli, inquit, ibant in Samariæ ciuitatem, vt cibos emerẽt: at verò has pecunias ex mẽdicato habuerunt.

¶Et ad locum alium, Iudas loculos habebat, idem respondet ex mendicatis loculos habebat habentes pecunias.

¶Item ad tertium dominus habebat pecunias vnde erogabat pauperibus.

¶Ad quartum ex Luca idem testatur mulieres illas subministrasse Christo pecunias, quia dominus illas primo exegerat.

¶Porrò autem sunt non parca in euangelicis literis, quæ prædicatoribus, ius tribuunt viuendi ex euangelica prædicatione, Paulo monstrante, Si nos spiritualia seminamus, mirum est si carnalia vestra metamus? Et iterum, scriptum est, nõ colligabis os boui triturãti. Nũquid de bobus cura est Deo, an propter nos vtique hoc dicit scriptura? & alia multa ad hanc rationẽ Paulus docet. 1. Cor. 9. Et eandem confirmat. 1. ad Timo. 5. Et inducit verba domini Matth. 10. Dignus est operarius mercede sua: etiam si Matth. 10. non mercede, sed cibo suo scribitur. Paulus verò vt insinuaret, sustentationem prædicatorum ex omnibus necessarijs esse debitam illis, ex iure naturali, & diuino, ideò dixit, mercede sua: operarijs enim merces pro impensis operis debetur. Et. 2. ad Timo. 2. Laborantem, ait, agricolam, oportet primum, percipere de fructibus: igitur si fructuum participatio prima est ipsius laborantis agricolæ, hæc sibi participatio de iure debetur. Et Galatis scribens. cap. 6. idem repetit debitum, docens, vt qui catechizatur verbo, communicet cathechizanti in omnibus bonis.

Stipendium quod datur prædicatoribus est illis debitum.

¶Porro autem Matth. 10. Dominus mittens discipulos suos euãgelizare, ante mortem suam, dixit illis, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgã, dignus est enim operarius cibo suo. Et quod hic vocat cibum, in parabola vineæ. Matth. 20. mercedem appellat, vbi operarios docet esse donandos mercede. Voca, inquit, operarios, & redde illis mercedẽ. Cibus igitur & sustentatio eque cõceditur operarijs merces est: debita enim est.

¶Cæterũ si obseruamus eos, qui propriè ex consuetudine omnium gentium, vocãtur mendici, inuenietis huiusmodi vulgares mendicos, accipere eleemosynam, non quia sibi debeatur ex iure, sed solum gratis ex munere charitatis, & non ex debito iustitiæ. Apostoli vero ex debito iustitiæ eleemosynis gaudebant: vnde vere non erant eleemosynę, quia eleemosyna, non iustitiam, sed charitatis commiserationem spectat, vt ex significantia vocis patet. Eleemosyna igitur, merces nõ est: mercesenim retributio est, at eleemosyna gratiosa est donatio. Cum ergo apostolis, quæ ipsis offerebantur debita essent illis propter euangelizandi officium, consequens est eos, etiam si mendicorum referebant similitudinem, quia mendicus est, qui abalio petit sibi necessarium, quod nõ habet, & ipsi ab alijs petebant sibi necessaria victui & vestitui. Tamen si proprietatem obseruas loquendi non erant mendici, vt vulgares isti mendici, qui ostiatim petunt, vel cogẽte necessitate, vel ex ocij indulgentia. Quippe, vt aiebam, istis mẽdicis non est ius petendi, vt apostolis erat. Item de Christo dices, & ampliori multo ratione. Suscepit igitur dominus sibi necessaria ab alijs, vt & apostoli. Dominus autem se egenum & pauperẽ fecit, vt nobis amabilẽ exhiberet paupertatem, quæ summe odibilis est. Et hoc factu existimauit esse necessarium, quia auaritia est radix omnium malorum, & charitatis venenum: ideo vt stabilis sit charitas, depellenda est procul cupiditas omnis. Quare curauit in primis exemplo suo hanc exterminare ab humanis cordibus. Ideoque se summe pauperem fecit, & apostolos idẽ docuit summę paupertatis exemplum exhibere: quia prædicatio euangelica offendiculum haberet, si suspicaretur ob cupiditatem pecuniarum apostolos euangelizare. Propterea ait, Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. Et paupertatẽ arctissimã illis prædicaturis imponit, qualem neque mẽdici nostri habent. Etenim mendici etiam extreme pauperes virgam habent

Apostoli non erant vt vulgares mendici apud nos.

Cur dominus se pauperẽ cõstituit, & apostolos suos voluit esse pauperes.

habent, peram habent, & zonas, quæ apostolis negantur. Veruntamen neque dominus propriè est dicēdus mendicus, etiā si actum exercuit mendicandi, videlicet, petendi ab alijs necessaria sibi vt asinam, & pullum, hospitium, cœnaculum, &c. At verò quia hæc omnia erant sibi debita iure spiritualis magisterij, vt & apostolis, siquidem erant operarij diuini sermonis, vnde & digni sua mercede, ideo non proprie erant mendici. Vnde Chrysostomus homi. 23. ad Matthæum. Ac ne eos pudeat inquit, qui quasi mendicantes ipsos viuere volebat, operarios vocauit: & quod eis dabatur, mercedem appellauit, vt rem debitam dari sibi ostenderet. Nam & si verbis solis operari videbātur, res tamen erat non parui laboris, & beneficia collata nō parua. Quare quod apostolis dabatur non gratis offerebatur: sed ad retributionem beneficiorū, reddebatur: dignus est enim operarius cibo suo. Non quia tanti solum modo apostolici illi labores fuerunt: nequaquam enim hoc cogitandum est: sed ne apostoli plus aliquid quærant: & qui sibi necessaria ministrabant, nulla iactatione liberalitatis tumerent, si debitum persoluebant. Hæc Chrysost. Vbi vides apostolos fuisse non proprie mēdicos, sed quasi mendicos, & quod illis cōcessa vel oblata fuissent debita: & ob hoc non fuisse proprie mendicos: idemque de Christo dominō dicēdum est. Et eodem accedat glossa ordinaria, ad Pau. 2. Timo. 2. dicentem laborantem agricolam, &c. Christum euangelistam non ad hoc euangelizantem, vt euangelium vendat securum facit: & vult vt intelligat, quod necessaria licet sibi sumere ab eis, in quibus Deo militat, & quos tanquam cultor vineam exercet, vel tanquam gregem pascit: Non est enim mēdicitas, sed potestas. Quod verò ex psal. 39. indicatur. Ego mendicus sum & pauper, non dissoluit hęc, quæ diximus. Quandoquidem Christus exercuit actum mendicandi, nā vt ait Cassiodo. mēdicus est qui petit pauper, est qui sibi non sufficit. Ideo Christus & fuit pauper voluntarius tamē & mendicus, non tamen proprie fuit mendicus. Neque aliud voluit Hieron. Quid quod Augusti. in enarratione ad eundem psalmum, non de Christo intellectum voluit hunc locum, sed de quouis iusto, qui recognoscit, quod Paulus, dicens, Viuo ego iam nō ego, sed viuit in me Christus. Namque diuites sunt superbi omnes, qui cum Pharisæo illo iactant coram Deo merita sua: at vero humiles, sese despiciētes cum publicano, sunt egeni & pauperes. Non est ergo cur Catharinus schomata iaciat in Caietanū, vt vides. Et ordines mēdicantium prædicando, & sacramenta impartiendo, & sacrificando pro populo debita sibi faciūt quæ illis offeruntur, & quā quam mendicent, at non vili mendicitate, sed dignissima, vt Christus & apostoli: quippe quæ petunt iure optimo sibi debētur, tametsi humilitatis gratia illa petunt, quæ alioqui sua sunt. Ideo apte dixit glossa, Nō est mēdicitas, intellige vulgaris, sed potestas iustissima, Propriè igitur Christus est dicendus pauper: quia vulpes foueas habent, & aues cæli nidos, filius autē hominis nō habet, vbi reclinet caput suū. Luc. 9. Nulla igitur habuerūt, vel Christus vel apostoli immobilia bona, mobilia vero, habuerūt, oblata, scilicet, ab alijs necessaria victui, vt erant pecunię Et sibi offerri postulabant, id quod mendicitatis erat actus, at quia sibi debebātur, quę dabantur nō erat propria mēdicitas, vt satis est ostēsum.

Christus & apostoli nō fuerunt proprie mendici.

Christus petē do ab alijs sibi necessaria exercuit actū mendicandi.

MORALIA.

Veri adoratores adorabunt Patrem, in spiritu & veritate.

HOMINVM omnium est comparata natura, quæ ad diuina colenda est ad modum propensa. Hæc namque est nobis indita à summo Deo, inclinatio, vt diuinorum simus obseruatores. Nulla enim natio tam barbara vnquam extitit, quæ diuina non adoret. Quod si vera est diuinitas, quæ adoratur vera est adoratio, sin falsa, falsa qualis est idololatrarū. Ab initio verò nascentis mūdi verum Dei numē adorari cœpit ab hominibus, vt fratres illi duo nobis sunt testimonio: qui id temporis veram deitatem oblationibus & sacrificijs adorauerunt. Nam Gene. 4. Caim obtulit domino munera de fructibus terræ. Abel vero frater eius de primogenitis gregis sui. Caim enim, vt agricola ex fructibus Deū adorauit, at Abel vt gregis pastor, de primogenitis sui gregis. Vtraque sanè fuit adoratio veri numinis: at verò nō vtraque numini

numini vero grata fuit: siquidem gratam solam habuit Deus Abel oblationē, quia hæc potissima ex suo grege Deo obtulit: non tamen fratris oblatio de optimis quibusque frugibus Deo offerebatur. Vnde vera adoratio bifariam cōtingit: aut quod sit vera ex parte obiecti quod adoratur: aut quod sit vera ex modo adorandi. Vtraque igitur horum fratrum adoratio vera ex parte obiecti, quia vterque vero Deo offerebat, at vero oblatio Cain non fuit vera ex modo offerendi, quia Deo potissimo, potentissima erant, vt ex oblatione dignitas eius, cui offerebatur demonstraretur, id quod non præstitit Cain, sed solus Abel. Vnde adoratio falsa item gemina ratione dicenda est: aut quia est falsi numinis, quæ est adoratio idololatrarum falsa colētium numina. Verum namque numen negligentes in falsa numina sunt delapsi: ideo finxerunt sibi Deos sensibiles, & imaginabiles, quos adorassent. Quare voluptuosi, & libidinosi venerem Deā fecerunt, vt vel sic suæ effrænæ sensualitati suffragarentur: vt belligeri, martem constituerunt Deum, ob eandem rationem. Et demum delusus errore paganismus, tot excogitauit Deos, quot vel propria voluptas, vel reuerentia erga maiores, vel necessitas fingēdos vane docebat: indeque multiplicati sunt Dij in orbe falsi, & post habita est adoratio Dei veri.

Dupliciter adoratio dicitur vera.

Adoratio falsa.

Antiquior est vera religio, quam falsa.

¶Quamuis Dei veri adoratio, multo antiquior est, quam adoratio Deorum falsorum: namque in prima mundi ætate antequam diluuium aquarum orbem pessundaret solum veri numinis adoratio vigebat. At verò in secunda mundi ætate ortū accepit falsa Deorum religio. Namque Sapiē. 14. acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginē: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat nunc tanquam Deum colere cæpit.

¶Sub Bel, enim qui & Belus Assyriorūrege falsa hæc religio orta est: aut sub Nino. Fuit autem iste Belus filius Assur vnde appellati sunt Assyrij, & Assur filius Nemrot gigantis, qui fuit sub exordio ætatis mundi secūdæ. Lactantius vero, lib. diuina. institu. cap. penulti. & vltimo. à Ioue natam falsam religionem putat.

Vnde exorta est falsa Deorū adoratio.

¶Vulgo putant historiographi Ninum Assyriorum regē exordium dedisse falsæ adorationi Deorum, quoniā Belus Nini pater vita functus dolorem filio excitauit acerbū, cui dolori medēdo, imaginē patris fecit: & illā constituit honoribus, & prerogatiuis illustrare lege sancita, vt facinorosi ad imaginem illam conuenientes, pœnas facinorum euaderent. Vnde ex confluxu ad imaginem facinorosorum, coli cæpit Beli simulacrum, & cultus ad non facinorosos etiam est productus. Putabant enim Assyrij numen latere in imagine diuinum. Atque hinc in alias nationes propagata est falsorum Deorum vana religio siue adoratio.

¶At vero locus cōmemoratus sapientiæ, magis Belum fecisse simulacrum defuncti intempestiue filij, quam contra quod Ninus ob dolorem defuncti patris, ad suū solatium fecisset patris simulacrum. Quale quale hoc fuerit non disserimus modo: quia hoc solum intendimus, veram religionem antiquiorem fuisse multo, quam falsam testante scriptura. Initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ est. Non enim erāt ab initio, neque erunt in perpetuū.

¶Vocat fornicationem falsam adorationem idolorum. Homo namque idola adorans, discedit à vero Deo, & iungit se falso Deo: ideo fornicatur spiritualiter, vt mulier, quæ legitimo spreto viro, viro nō suo copulatur.

Fornicatio spiritualis est idololatria.

¶Hæc igitur fornicatio, non fuit ab initio, quia prima mundi ætas hanc ignorauit: neque erit in perpetuum: quia religio hæc falsa cum sit necessario peribit. Quamuis modo apud Indos viget, & vigebat amplius priusquam redigerentur in Hispanorum ditionem, sed tandem delenda est ipsorū falsa adoratio. Nam Hieremi. 10. Dij, qui non fecerunt cælum & terram, pereunt de terra.

¶Est rursus adoratio alia falsa, non ex parte obiecti quod adoratur, sed ex parte modi adorādi. Est autē verus adorādi modus, in spiritu, & veritate, quare falsus adorandi modus, est sine spiritu, & sine veritate. Hæc igitur differere opportet, quid sit adorare in spiritu, & quid adorare in veritate, vt exploratum nobis sit si veram impendimus Deo, vel falsam adorationem. Glossa autem hæc eadem exponens verba, non inquit, in templo, non in hoc monte, sed interius in intimo cordis templo, & in veritate cognitionis, vbi videtur

Adoratio falsa ex modo adorandi.

distinxisse inter hæc duo, & adorare in spiritu & adorare in veritate. Nam spiritum retulit ad cordis affectum, & veritatem, ad fidei veritatem. Is igitur verum modum seruat in adorando Deo, qui affectum sui cordis, & rectitudinē fidei Deo in cunctis offert.

Quid sit adorare in spiritu & veritate.

¶Porrò quia vox hæc veritas, in scripturis frequentissimè ad studiosam actionē, magis quam ad rectitudinem contemplationis refertur, is enim, qui vivit, vt oportet, iste dicitur quod in veritate ambulat, vnde Paulus, Veritatem autem facientes in charitate, ad Ephe. 4. facere veritatem dixit, pro eo quod est operari, vt oportet operari: Et Ioannis. 8. de Sathana dicitur quod in veritate non stetit, quia in amicitia Dei non perseuerauit. Ideo forsan diceret aliquis, & non inepte hæc duo, scilicet, in spiritu adorare, & in veritate, se habere sicut superius, & inferius. Omnis namque, qui in veritate adorat, hic in spiritu adorat, & non contra, qui in spiritu adorat, is protinus in veritate adorat. Enim vero, qui adorat in veritate, hic omnia cōplectitur, quæ ad veram adorationem exiguntur. Namque si in veritate adorat, adorat, vt oportet, & quando & vbi, & quomodo oportet, at qui istiusmodi est, necesse est, quod in spiritu adoret: quippe si in spiritu non adorat, non adorat, vt oportet. Nam Deus est spiritus, & tales adoratores quærit, qui adorent eum in spiritu. Cæterum non subinde, qui adorat Deum in spiritu, iste adorat eundem in veritate. Etenim hæretici fidem, quam habere se credunt Deo impendentes, & quā putant Dei dilectionem Deo offerunt, & spem suam in Deum collocant, quia existimant se obsequium præstare Deo. Ideo, in spiritu adorant, non tamen in veritate: quandoquidem in spiritu adorare, est actibus spiritualibus fidei, amoris, & spei Deum adorare. Quāuis fides hęretici non sit syncera fides, neque charitas sit vera, neque spes sit solida: cæterum spiritualibus actibus istis non creaturam, sed creatorem colere satagit hæreticus. Porrò, quia vt dicebamus fides hæretici, non est vera fides, quia non est infusa, sed acquisita fides & charitas ex fide ficta, non est vera charitas, vt neque spes, namque fundamentum horum omnium, est fidei veritas, quo collapso, cætera subsistere nequeūt, ideo & si spiritualibus actibus Deū hæreticus adorat, non est vera adoratio: quia nō in veritate fidei, neque charitatis, neque spei adorat. Quia ergo non in vero spiritu adorat, ideo in veritate non adorat. Quia igitur adoratio in spiritu, est adoratio spiritualis, & hæc adoratio spiritualis, hoc est exmentis actibus, iam est vera, iam vero falla, ideoquod dominus adiecit in veritate, docet nō sat esse adorare in spiritu, nisi in veritate spiritus adoremus, hoc est, rectam concipientes fidem Dei, & sufficienti dilectione eiusdem imbuti, per veram spem tendamus in ipsum solum.

Qui in veritate adorat, in spiritu adorat.

Hæretici nō colunt Deum in vero, sed falso spiritu.

¶Vnde dixit ille, Si Deus est animus nobis vt carmina dicunt, Hic tibi sit pura mē te colēdus. Non enim sat est mente colere quod est spiritu colere, nisi pura mēte colas, quod est in veritate colere. Est autem tum ad Deum mēs pura, quando fide syncera diuina credit: tunc autē est syncera fides, quando nihil ex suo credens, id solū credit, quod catholica ecclesia decernit credendum. Enim vero, si pura fides non sit, puritatem animi nullam exspectes: est enim purificationis fundamentum fidei puritas. Actor. 15. Fide purificans corda eorum. Nemo namque diligit, nisi quod cognoscit: si ergo impura est cognitio quo modo erit pura dilectio? neutiquam.

¶Fidei vero puritas non sat est purificandæ animæ, nam dilectio Dei necessaria est non quæuis, sed quæ ex charitate Dei procedit, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hæc autem dilectionis puritas est quæ absolut animi nostri puritatem.

Purificando animo nō sufficit puritas fidei.

¶Sunt enim fideles non pauci puritatem habentes fidei, at dilectionis puritatem non habent, ideo impuri sunt, & Deum non adorant in spiritu, & veritate. Sanè adorant in spiritu Deum credentes, & sperantes verum non adorāt in veritate: quia non vt oportet adorant. Quippe confitentur se nosse Deum, at sibi notū Deum factis negant. Est porrò dilectionis puritas non simplex, sed multiplex: habet namque gradus suos. Est namque incipiens, proficiēs, atque perfecta: ideo incipientium adoratio vera est: cæterum incipiens est vt proficiēs vera est adoratio, at proficiens, & nondum consummata. Qui vero perfecti sunt viatores, isti sunt perfectam qui Deo adorationem tribuunt.

Peccatores fideles adorāt in spiritu, sed non in veritate vitæ.

Adoratio diuina eosdem gradus habet quos charitas.

¶Sunt

¶Sunt sanè omnes isti, quos imbuit Dei charitas veri adoratores: sunt adorantes namque in spiritu & veritate. In spiritu quidem fide charitate, & spe, quæ sunt spiritualia, Deum adorant, in veritate vero, quia veraciter Deũ credunt iuxta id, quod ecclesia vniuersalis, seu catholica proponit credendum. Ad hæc, quia veraciter Deum amant super omnia, & præceptũ illud, Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, &c. pro huius vitæ facultate absoluunt, & denique veraciter sperant, quia fulti Dei gratia, merita sua & industria apponunt, vt Deo fruantur æterno.

¶Porro autem, dum labitur huius nostræ mortalitas carnis, & dum peregrinamur à domino, & tanti sperdum sancti ingemiscunt redemptionem illam venturam expectãtes non possumus ad exactum Deũ vt par erat amare: quia infirmitas carnis nostræ tanto operi præstando est impedimento. Quippe nos solicitat quotidianus cibus, atque potus, vestis, atque habitaculum, morbus vexat, & familiaris rei curæ: ideoque in multis offendimus omnes: hac que de causa dum hîc in exilio agitur, nõ possumus verum, hoc est, consummatissimam adorationem Deo offerre.

¶Hanc namque beatorum est offerre, qui soli possunt Deum adorare, ea adoratione, quæ tanto numini est consentanea: cuius adorationis meminit Apocalypsis 5. Omnes namque angeli, qui circunstabant diuinitatis thronum, & agni, has Deo adorationis laudes persoluunt: Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorũ. Et subdit, Et quatuor animalia dicebant, amen: Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum. Viatores igitur, quãlibet sint perfecti, cæterum ad tantum fastigium adorationis, quantum beati non promouentur. Enim vero videmus per speculum in ænigmate, ideoq; viatrix charitas nõ tam in sublime adorationis se sustulit gradũ, vt beata charitas. Porro autem est notandum adorationẽ esse duplicem, aliam quidem spiritualem, de qua hactenus prælocuti sumus, aliã vero corporalem: illa quidem est mentis adoratio, hæc verò corporis. Illa tunc vera est, quando mens nostra diuinam veritatem credit super omnia credenda, & diuinam bonitatem amat super omnia amanda, & illam sperat, super omnia speranda. Tunc demum quando hæc ita gerũtur, veri adoratores sumus, in spiritu & veritate. Hęc sanè adoratio soli Deo tribuenda, nulli creaturæ cõmunicanda: si quidẽ hæc soli Deo creatori omnium debetur. Quia enim ipse solus Deus est, & nullus alius præter ipsum, & ipse solus creator, & nullus alius propter ipsum: nulli nõque creaturæ, vel diuinitas, vel creandi facultas communicari potest. Quod si contendas potestatem creandi communicabilem ex potentia Dei absoluta certè diuinitatis natura nulli creaturæ communicabilis est Sapienti. 14. Hæc, inquit, fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen, lapidibus & lignis imposuerunt, propterea adoratio prędicta spiritualis nulli creaturæ est communicanda, sed diuinitati, solum exhibenda. Quod si quispiam creaturæ illam cõmunicet, nefandissimum scelus admittit, quia Deo summam iniuriam irrogat. Cõtra quod scelus Paulus ad Romanos. 1. scripsit dicens. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ, & serpentum. Propter quod tradidit illos Deus, in desideria cordis eorum, &c.

¶Vnde Diuus Augustin. 10. de ciuitate Dei. cap. 3. & 4. Iustissimo nomine reprehendit Platonicos, qui Deum adorantes, etiam angelos bonos, & malos adorãdos diuinã adoratione censuerũt. Error autem iste Platonicorum hinc processit, quia docentes Deum esse maximũ rerum creatorem, angelos crediderũt esse cooperarios mundanæ creationis: ideo propter cooperationem in diuina operatione, eos diuinis adorãdos honoribus docuerũt. At vero fides catholica docet angelos nõ esse creatores, neque cooperarios fuisse in creãdis rebus: quippe solus Deus fecit cælũ & terrã, & vniuersa, quæ in istis continentur. Genes. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Neque vlla in sacra hac historia creationis mundanæ fit mentio angelorum, ob hoc solum ne crederemus, cõcreatores fuisse, propter naturæ suæ excellentiã. Quapropter, Apoc. 19. Ioannes volens adorare angelum sibi apparẽtem, abigi-

Beati in patria sunt maximi omniũ Dei adoratores.

Adoratio alia spiritualis alia corporalis

Adoratio spiritualis soli Deo tribuẽda

Cur gene. nõ meminit creationis angelorum.

abigitur ab adoratione. Vide, inquit, ne feceris: cõseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Angelorum autẽ malorum est, hanc appetere adorationẽm ex superba mẽte contra Deũ tumentes, vt ex Mat. 4. discimus. Dixit enim diabolus, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

¶At vero sancti angeli sciunt se esse in ea pace tanti cultus, quanti soli Deo debetur. Honor igitur iste adorationis diuinæ, est singularissimus honor Deo exhibendus duntaxat. Enim vero testante Aristo. honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Quando igitur mens interius Deo exhibet reuerentiam credendo, amando, sperando, vt oportet in testimonium suæ infinitæ deitatis, tunc adorat in spiritu & veritate. Quæ quidem adoratio latria Græco nomine appellatur: latria vero à verbo λατρευω descẽdit, quod idẽ est quod seruio, vnde latria idẽ est quod seruitus. Vnde teste vala, λατρευω, & δουλευω, idem significant: δουλευω enim significat etiam seruio, inde Dulia seruitus.

Latria & dulia ex proprietate significationis idẽ significant.

¶Porrò Theologi vt nos diximus in. 3 Sententiarũ, dist. 9. vsurpant latriam pro seruitute Deo soli tribuenda, siue sit interior, siue exterior: vnde nullam creaturã adorandam docent latria secus de dulia, aut hyperdulia. Quãquam quasdam creaturas per accidens adorandas latria autumant, vt est crux Christi & imago Christi quatenus ipsum repræsentant Christũ. Et Christi humanitas, quatenus est vnita diuino verbo personaliter.

¶Imagines vero sanctorũ dulia aut hyperdulia. Sunt qui inficiãtur imagines esse venerandas aliquatenus, sed solũ esse venerandũ in imagine, quod ipsa repræsentat. Itaque imago virginis non solũ, neque vt aurea, neq; vt argentea, neque, vt pulchra neque vt ornata est venerãda, sed neq; vt repræsentans virginẽ, sed ipsa virgo repræsentata, est solũ veneranda. Cuius placiti fuit Holkoth in suo sapientiali. Sed reuera hoc placitũ non placet. Enim vero hoc nomẽ Iesus, est adorandum latria: quia repræsentat ipsum Iesum, at vero hoc nomen est pura creatura, vt imago est pura creatura. Quod vero sit adorandum. Paulus ad Phili. docet, vt in nomine Iesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorũ. Quamobrem, sicut qui adorat hoc nomen non adorat creaturam, vt creatura est, sed vt supponit pro ipso creatore Christo: quia nomina supponũt pro rebus, ad eundem modum imago virginis est imposita ab ecclesia ad significandam virginem: quare vt ipsam significat, est colenda hyperdulia, hoc est maiori reuerentia quam aliorũ sanctorum imagines, de quibus idem dicito, non tamen latriæ cultu, vt prædictum est, secũdum sententiam Theologorum: quia hic soli Deo dicandus, ex dñi præcepto, Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Deuter. 6. Matth. 4.

Imagines sũt adorãdæ sanctorũ vt sunt imagines nõ alias.

¶Sed dicet aliquis, Quid ergo si soli Deo seruiendũ est, serui igitur nõ debent seruire dominis suis: vtique seruire debẽt Paulo monstrãte seruos esse subdendos dominis suis. Cæterũ seruitus cõmemorata fidei, & charitatis, & spei, soli Deo præstanda est, quæ est seruitus interna mentis: & serui sic seruire debẽt dominis suis, vt non lædant diuinã hanc seruitutẽ, atque adorationem. Et quidem dominium creatum est participatio dominij increati, & ideo debetur ex seruitute Deo præstanda, ex hac enim enascitur seruitus ad alios homines, qui dominio pollent in cæteros: hoc namque est à Deo sanctum, vt sit inter homines, & dominium & seruitus. Memineris dum hæc legis, nos in præsentia solum sermonem habere de adoratione propria: nãque in scripturis fusiorem aliquãdo habet significantiam, vt significet magnam quandam reuerẽtiam, & eximium honorem. Vnde in Genesi legimus Abraham adorasse populũ terræ, & Iacob adorauit fratrem Esau. Et Ioseph insomniũ, manipulum suum esse adoratum à manipulo fratrum suorum, &c. Est porro adoratio hæc corporalis, quia gestibus corporis, vel genuflexione, aut prostratione: & adorationes huiusmodi hominibus deferuntur. Vnde dixit Augustinus lib. 10. de ciui. Dei. cap. 4. Multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera. Ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autẽ multum eis additur & adorandi.

¶Et quod dicit Augusti. tale est inferiores subs, reges & imperatores, ducesve & alios magnates, maxima reuerẽtia, quæ vi debatur soli Deo exhibẽda, prosequũtur.

Item

Itē fere diuinis titulis eos honoramus,& titulo illustrentur maiestatis, & Romani suos imperatores Diuos vocabant. Item & summum pontificem in sua coronatione cardinales adorant, & alij fideles, &c. Cæterum hæc adoratio exterior est, neque eo animo à fidelibus fit, vt in regem, vel imperatorem credamus super omnia, &c. Sed hoc cultu nimio intendimus supremam excellentiam, quam habent in terris demonstrare: ideoque non sunt idololatræ hanc adorationem præstantes, vt non fuit Abraham idololatra adorans ex humilitate populum terræ, & Iacob ex timore & humilitate adorās fratrem suum Esau, Et fratres Ioseph adorantes eundē.

Adorationes exteriores creaturis impēdi possunt sine idololatriæ vicio.

¶ Alij vero has præstant adorationes ex ambitione, aut ex adulatione pestifera: nō enim omnis adulatio ore fit, sed etiam corporis gestu, vt hic Augu. docere videtur.

¶ Porro etiam si huiusmodi adorationes exteriores ex causis commemoratis communes faciamus, & creaturis, & Deo, at vero quædam sunt exteriores, quæ creaturæ non possunt impendi, nisi ex labe idololatriæ, vt sacrificandi actio: sacrificiū enim nulli est offerendum creaturæ, nisi soli Deo. Exodi. 20. Sacrificans Dijs eradicabitur, nisi domino soli. Sacrificium enim, quod celebratur, est protestatio vniuersalis dominij quod cum solus Deus habeat, soli Deo est offerendum: ideoque mactātes oues, vel boues in honorem idolorū, erant idololatræ. Cessauerūt autē sacrificia illa cruenta, quibus Deus in veteri lege adorabatur, quia lex noua illa non admittit: cęterum sacrificia non cruenta, admittit: namque offertur in ecclesia Dei ad mortuorum sepulchra panis, & vinum, candelæ, arietes, & fructus terræ, ad offertorium, vel pecuniæ, quæ soli Deo offerenda sunt in sacrificium. Nam sacerdotibus si offeruntur, est quatenus ministri Dei sunt, cuius nomine à fidelibus Deo oblata, ipsi ad suum vsum recipiunt. Præter hæc in cultum creaturæ non possunt erigi templa. Nam templorum vel altarium erectio, est latrię cultus exterior, qui soli Deo debetur. Et quamquam erigantur templa sub titulis diuorum, aut diuarum: cæterum non sunt principaliter propter cultū illorū erecta, sed Dei: appellātur tamē templa vel Petri, vel Pauli, &c. quia sacrificia, quæ Deo offeruntur in templis illis, & orationes ibi fusæ Paulū, vel Petrum, vel aliorum sanctorum quem quam, vel omnes sibi exigunt ibi in patronum, vel patronos, vt Deo gratiora sint per interuētum sancti, vel sanctorū sub cuius appellatione templū Deo dicatur.

Creaturæ nō est sacrificandum.

Sacrificia incruenta in ecclesia Dei.

Templa non possunt erigi nisi ad cultū Dei.

¶ Est tamen omnium adorationū, quas ecclesia Dei Deo exhibet in latriæ exercitiū eucharistica oblatio, maxima. Quippe si per sacrificia illa cruenta olim Deus colebatur, quidquod maximè Deus colatur modo per sacrificium eucharisticū incruentū, vbi renouatur memoria illi⁹ cruēti sacrificij, quod ipse Christus Deo Patri obtulit? offerens semetipsum Deo per Spiritum sanctū, ad Hebr. 9. quæ oblatio fuit adoratio infinita, quia fuit latria infiniti meriti coram Deo patre.

ad Hebræ. 9. ad Ephe. 5.

¶ Nulla enim adoratio fuit, aut est, aut erit quæ huic cōferri valeat, per quā Christus se hominē, obtulit sibi Deo in remissionē peccatorum: ideo per hāc Deus est adoratus, infinita quadā adoratione, hoc est, valoris infiniti. Hæc adoratio fuit in primis, in spiritu & veritate: quamuis enim fuit oblatio carnis suæ & sanguinis sui, at maximè omniū fuit in spiritu: quippe ex summa Dei charitate se obtulit Deo Christus pro salute vniuersi orbis: & ex maxima processit veritate, quia vt impleret Dei veritatē, quæ talem ac tantā pollicitus fuerat per suos vātes futuram humani generis redemptionem. ¶ Christus igitur fuit vera cissimus Dei adorator in spiritu & veritate, & optimus, & maximus cultorū omnium Dei cultor quatenus homo erat.

Christus adorauit Patrem latriæ cultu infiniti meriti.

¶ Post hanc autem adorationē, nulla maior latria vel adoratio, diuinitatis, quam ecclesia perpetim facit offerens Deo patri vnigenitum filium suum in missarum solennijs, sub speciebus panis & vini: vbi sacrificio panis exteriori, & vini sacrificio exteriori aliud longe Deo gratius latet sacrificium interius, corporis & sanguinis Iesu Christi. At vero forsan occinet nobis aliquis dicens, Si ergo vera adoratio diuinitatis est in spiritu celebranda & veritate, adorationes externæ nullius momenti aut necessitatis erunt. Et quidem istud est quod huius æui hæretici petulanter contendunt, exteriores cæremonias fore abradendas à diuino cultu: solumque admittendas, quas expressum Dei verbum docet, cætera vero abolenda. Quo circa

Obiectio hæreticorum.

omnem cultum Dei exteriorem eliminant, in spiritu tantum & veritate Deum colendũ esse contẽdentes. Et ideò rident, quod in vsu est fideliũ frontem signaculo signare crucis, & ad oriẽtem conuersos sacerdotes sacra missarũ celebrare, aquã benedicere baptismi, consecrationem altarium, tẽplorum, vestiũque sacrarũ, infantes ter mergere in baptismũ, verbaque illa, Abrenuncias Sathanæ & pompis eius. Vnde scripsit Lutherus librũ impium de abrogãda missa priuata, vbi satis superque vituperat ecclesiæ cæremonias, quas in sacris celebrandis seruat. De quibus omnibus nos in 2. tomo. 4. libri Sententiarum fusius egimus, ideo modo obiter dicemus in adoratione diuina quædã esse principalia, alia verò accessoria, siue accidentaria. Sunt sanè principalia adorare in spiritu & veritate, quę dominus hoc expressit loco. Enim vero adoratio Dei, istis sublatis inutilis est adoranti: & sine fructu vitæ æternę. At verò quod fiat in templo, aut extra templũ, ad orientẽ, vel ad occiduũ, quod procidentes, aut stantes, & hoc genus reliqua accidẽtaria sunt. Id quod dominus docebat Samaritanam, dicens, Neque Hierosolymis, neq; in mõte hoc adorabitis, &c. insinuans locum esse accidentariũ adorationi, itemque tempus, & alia hoc genus, eandem subeunt rationem.

In cultu diuino quædam sunt principalia, alia vero accessoria.

¶Est porro obseruandum Aristotele autore, accidentia ex duplici causa esse vtilia substantijs, & quod multum conferũt ad cognoscendas substantias, & quod eas dem conseruant. Tolle enim calorem vitificum, & perit viuens. Nuda tu substantiam ab omnibus accidentibus, & ab homine non erit cognoscibilis, mitto modo quod accidentia valde ornant substantias. Quamobrem cæremoniæ istæ, & cultus Dei externus, & si nõ sit præcipuum, quo Deus colitur, at vero est necessarius fidelibus, primò quidem, vt nostra fides ex professione exteriori sit alijs nota. Quæ professio fit per has cæremonias visibiles: secundo ad conseruandum cultum internum, quia cultus internus exercetur per externum, & exercitio augetur. Habet etiam exterior Dei cultus vtilitatẽ, aliam, & illam non mediocrem, quia cum homo ex sensibilibus deducatur ad intelligibilia. Hymni, qui cantantur in ecclesia Dei, & psalmi, & cæteraque ad solennitatem, & decorem in diuino officio adduntur, vt modulatio instrumentorum musicorum ornatus vestium sacrarum, & paramentorum incitant nos ad venerandum magis & amandum feruentius diuina, pulchritudinem cælestis cultus ex pulchritudine sensibilis cultus considerantes. Et hæretici inficiari nequeunt psalmodiam & hymnorum modulationem in diuinis officijs esse admittendam, quia consona sunt hæc euangelicis, & propheticis literis. Et Augustinus ad inquisitiones Ianuarij epistola. 109. eas cæremonias in cultum Dei esse admittendas docet, in hæc verba. Vna, inquit, in his saluberrima regula retinenda est, vt quæ non sunt cõtra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationẽ vitæ melioris, vbicunque instituí videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitãdo sectemur, si aliorum infirmitas non impedit, vt amplius detrimentum sit. Hæc ille. Vnde cæremoniæ, quæ scandalum inferunt non sunt probandæ ex August. Et ad Casulanum, In ijs rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legũ, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. Et libro. 10. confessionum hæsitat, an clara voce cantuque suaui resonanda sint diuina officia, vt in ecclesia modo fit, an potius submissa voce, quod Hispanè dicitur, *En tono*, quæ potius est pronuntiatio, quam sonorus cantus. Et indicat Athanasium instituisse, submissa voce, esse celebranda diuina officia: at ipse probabiliorem esse morem canendi iudicat, tu intellige de moderato, quia excitat cantus suauis, & modestus audientes ad deuotionem maiorem diuinorum. In concilio etiam Tridentin. Sessio. 22. Canon. 9. fit de re hac mentio. Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica, vtitur irritabula impietatis esse, magis quã officia pietatis, anathema sit. Memineris interim Platonicæ sentẽtiæ, Ne quid nimis, quia cæremonias oportet esse pias, & moderatas, quia excessiuæ fastidiosę sunt, & stomachũ mouent.

Accidentia sunt ex duplici causa vtilia substantijs.

August. de cæremonijs ecclesiasticis.

Cæremonias oportet esse pias & moderatas.

¶Pronũtiemus igitur adorationẽ diuinã, siue cultũ interiorem quod Deũ intra penetra-

netralia noſtri pectoris fide, charitate, & ſpe vt oportet colimus, præferẽdum eſſe cultui exteriori. Etenim nõ ſolũ hoc doceteuãgelica, ſed etiãpropheticadoctrina. Dixit nãq; hymnidicus ille vates. Quoniã ſi voluiſſes ſacrificiũ dediſſem, vtique holocauſtis nõ delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus, cor contritũ & humiliatũ nõ deſpicies. Et Eſa. c. 1. adhũc internũ Dei cultũ nos reuocat dicẽs, lauamini mũdi eſtote: auferte malũ cogitationum veſtrarũ. Et Hiere. 31. Dñs hunc cultum ſe pluris facere, quã exteriorẽ facile oſtendit, dicens, Dabo legẽ meam in viſceribus eorum: & in corde eorum ſcribã eam. Et iſtud eſt quod dominus modo dixit, alia tamẽ verborũ forma, Venit hora, quãdo neq; Hieroſolymis, neque in monte hoc adorabitis patrẽ, &c. ſed, Venit hora & nunc eſt quãdo veri adoratores adorabunt patrẽ in ſpiritu & veritate. Quibus omnibus concinit Michæas. 6. Indicabo tibi ò homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiã, & ſolicitũ ambulare cũ domino Deo tuo. Sunt & alia hoc genus teſtimonia, quę palã indicant Deũ non ſolũ modo, ſed ab initio prætuliſſe adorationẽ ſpiritualẽ, adorationi exteriori.

Præponendũ eſſe cultũ Dei interiorẽ exteriori vtraq; paginadocet.

¶ Veruntamen, quanquã illa huic ſit anteponenda, non tamen quia poſtponẽda eſt illi ideo ſpernenda eſt, ſed potius multi facienda, propter cauſas tres dudum cõmemoratas. ¶ Quod ſi obieceris, Quid ergo, ſi cæremoniarum pompã, in eccleſia Dei cenſemus eſſe amplectendam, quia nõ eſt inanis, ſed pia põpa, quî ergo diſtabit Iudaiſmus à Chriſtianiſmo, ille enim hac pompa plurimum gaudebat? Multũ quidem per omnem modum. Namque Iudaiſmus ex diuina ſanctione illis omnib⁹ cæremonijs vtebatur: ideoque illas mutare, aut commutare, ſiue tollere nequibat. At vero eccleſia poterit ſuas mutare cæremonias pro varietate temporum, aut pro vtilitate fidelium, & aliquando fecit, vt cõſecrare in azymo, quia cæremoniæ iſtę ſolum robur habẽt ex humano iure, non diuino. ¶ Secundo, quia cæremoniæ veteres vel legales, erant graues acto. 15. & portatu difficiles, eccleſiaſticæ vero non ſunt huiuſmodi, quia ſunt numero pauciores & operatu multò faciliores.

Iudaiſmus & chriſtianiſmus.

¶ Tertio quia illas violare, ſemper erat crimen, non tamen eccleſiaſticus, qui violat crimen admittit ſemper. Quia cæremoniæ, quædam non ſunt magni ponderis, vt cantus, quem vocant organi, qui & ſi ſupprimeretur aliquando, non propterea eſſet crimen. Quod ergo dominus ait, Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate, non eò dixit, quo ſubuerteret exteriorem Dei cultum, aliàs cultus Dei ex ſacramentis, qui exterior eſt damnandus eſſet, quem alioqui dominus ipſe conſtituit, & ideo eccleſia non poterit illum ſubuertere: quamuis verba domini cultum illum legalem ſubuertendum eſſe ex verbis ſuis haud dubium inſinuauit, id quod rei euentus comprobauit. Nam euerſo templo, etiam inuitis Iudæis ritus ſacrificiorum legalium ceſſauit. Verum quod dominus ex verbis commemoratis nos docere voluit, eſt non eſſe nobis ſiſtendum in exteriori Dei cultu. Nam ſi vacua eſt mẽs charitate exterior cultus in frugiferus eſt: ideoque nos excitat ad internum Dei cultum, cui ſoli fidẽdum eſt, non tamen reprobat exteriorem. Nam apud Lucã legimus, cap. 11. Væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis iudiciũ & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Itaque cultui interno oportet intento animo incũbere, ſed non omittere externum, vt ſaluator ait.

Non eſt ſiſtẽdum in cultu exteriori.

ENARRATIO SECVNDA
In caput quartum.

¶ *Poſt duos autem dies exijt inde: & abijt in Galilęã. Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia propheta in ſua patria honorẽ non habet.*

Sectio ſecunda.

PLVRIS faciẽda eſt dies vna dominicæ prædicationis, ſuper millia milliũ noſtræ. Biduum enim egit dominus apud Samaritas, & illos fide illuſtrat, & charitate inflammat, nullo edito miraculo, ſed ſolum proprij efficacia verbi: at nos inſudamus totam vitam prædicãdo Dei verbũ, & totam noctẽ laborantes nihil prendimus. ¶ Aſſecuto igitur fidei Samaritarũ fructu illis vale faciens petit Galileam, quò dñs à Iudæa deſcendẽs peruenire inſtituerat. At verò quæſtio cõtinuo ſe inſinuat, quid eſt quod ait, reliquiſſe Samariã, & veniſſe

Galilæam, quia testatus est prophetam in patria sua honorem non habere. Quando quidem in Galilea fuit exceptus admodũ honorificè, vt euãgelista subiungit. Et Galilæa patria erat Christi quatenus ibi fuerat nutritus. Chrysosto. arbitratur per patriã modo subaudiẽdam Capharnaũ, quæ dominum contempsit, testãte ipso domino. Et tu Capharnaũ, vsque in cælũ exaltaberis, & vsq; ad inferos deprimeris. Vocatur autem patria, in qua plus fuerat conuersatus. Verum Cyrilli expositio est congruentior, per patriam esse intelligendam Nazareth, vnde dominus Nazaræus fuit cognominatus. In Nazareth etiã fuit conceptus. Luc. 2. & educatus. Matth. 13. Lucæ. 4. Marci. 6. Discedens igitur à Samaria, & ingrediens Galilæam, noluit venire Nazaret: sed venit in Capharnaum, & Canam Galilææ. Cur autem noluerit venire in Nazareth, sed in alias ciuitates Galilææ Lucas cap. 4. exposuit. Preuiderat enim dominus quid facturi essent Nazareni: quia Nazareni voluerunt illũ præcipitare ex mõtis cilio. Vnde hoc testimoniõ præuenit gestũ illorum, quod narrat Matt. 13. &. Luc. 4. Videtur autẽ si conferimus alios euãgelistas cũ Ioan. hoc idem testimoniũ, quod dominus perhibuit prophetã esse ignobilẽ apud suos cõterraneos bis fuisse prolatũ à dño. Primo quidem, in ipso Galilææ ingressu, quẽ modo Ioãnes denarrat, tunc enim forsan cum dñm discipuli credidissent diuersurum Nazareth in suã patriam, quod verisimile erat, & nõ vidissent in eã diuertere, sed in Capharnaũ, à dño, cur ita faceret, & ipse respondit se illo nõ diuertere, quia Nazareni non erant honoraturi eum. At verò postquã peragratis alijs ciuitatibus Galilææ Capharnaũ, & Cana Galilææ cõcessisset Nazareth, & ibi prædicasset in synagogis eorũ, exque prædicatione sua offensi Nazareni, voluissent dñm in præcipitiũ dare, tũc visa eorũ infidelitate, rursum dixit, nõ esse prophetam sine honore nisi in patria sua, quod cõmemorat Matth. & Lucas, & Mar. 6.

Collatio euãgelistarum.

¶ Sunt qui putẽt idem fuisse testimoniũ, sed Ioannẽ illud scripsisse modo per anticipationem: quod enim testatus est Christus, post ingressum in Capharnaũ & Canã Galilææ refertur in exordio ingressus. At verò quia Lucæ. 4. scribitur, Quãta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, videtur Christũ prius fuisse in Capharnaũ, quã in Nazareth, & testimoniũ prædictũ bis fuisse à dño prolatũ. Locus autẽ hic, Propheta in patria sua honorẽ non habet, de prophetis est audiẽdus vt ipse sonat: siquidem prophetæ alij ante Christũ, fuerunt ex Iudæa. Ioan. enim. 7. traditur. Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilea propheta nõ surrexit. Nihilominus Iudæi suos cõterraneos prophetas vehemẽter sunt insectati, vt Matt. 23. Dñs lamentatur dicẽs, Hierusalẽ, Hierusalẽ, quę occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, & acto. 7. Stephanus. At verò apud exteros prophetæ Iudæorũ fuerunt honorati, vt testimonio est Ionas, quẽ plurimi fecerũt Niniuitæ, & Daniel, & Socij in precio fuerũt apud Babylonios. Causa autẽ est, cur prophetas cõterranei odio habuerũt, quia cum prophetæ obiurgassent suos cõterraneos, & cõtribules, isti suorũ conciuiũ prophetarũ iniquo ferebant animo obiurgationẽ, credentes obiurgationẽ esse ex odio, magis quã ex charitate Dei. Adde, quia cum familiares sunt prędicatores, nõ latẽt illorũ imperfectiones, & ideo istę reddũt eos contẽptibiles. Rursus quãdo à cõciuibus, clarius reprendũtur, & corripiũtur ciues de facinoribus suis, quia prędicatores huiusmodi norũt clarius suorũ ciuiũ defectus, nẽpe quia apud illos sunt nati, & nutriti, vnde criminantur prædicationem illorũ non correptionẽ esse, sed dehonestationẽ conciuiũ & ignominiã. Quare sępe grauissimè excãdescũt in hos prędicatores, multo magis quã in extraneos. Hoc tamẽ loco obseruabis per prophetæ honorẽ dominũ intellexisse, prædicationi diuinæ, vel euãgelicę obtẽperare. Vnde cõtra cõtumelia prædicatoris est doctrinã Dei ab eo prædicatã non recipere, & hũc honorẽ dominus prætendẽs ait, prophetã non habere honorem apud suos conterraneos: quia apud hos doctrina sit cõtẽptibilis sui ciuis, maxime quando eos ciuis suus prædicator obiurgat, vehemẽter qui corripit.

¶ Et prætera hoc ideo accidit, quia videtur hominibus natura cõparatũ, quæ sibi sunt cõsueta, & familiaria, minoris facere, quã extranea, quæ quia difficiliora sunt, vt habeãtur, illa pluris facimus. Vnde siue in pharmacis, siue in vestibus, siue in terrę fructib', siue in omnibus alijs, extranea & peregrina, miramur attoniti nostra æquè bona

Nostra, quæ ad manum habemus contẽnimus, peregrina miramur.

bona, aut meliora fastidiēdo contēnimus. Verbi causa, Guaiacum lignum ex India ad nostra aduectum, quis non miratur ad curādum Gallicum morbum, adeò vt sanctum lignum nominetur, cum sint apud nos alia ligna, quæ idem efficere possunt, vt ferunt Aristolochiam, & radicem Tamaris eodem potiri effectu. At hęc nemo est qui miretur: idē dicito de multis alijs medicamentis. Quid dicam de vestibus, maximè apud Hispanos, quibus moris est, ad quamlibet fere horam proprias exuere, peregrinasq; imitari vestes? cum alioqui ratio hispanici habitus longe multo honestior, & vtilior sit, quam aliarum nationū. Hocidem experimur in victus ratione. Sed cur ita obsecro? nempe quia nouorum desiderio ex natura tenemur, quia maximus est ad sciēdum appetitus. Hoc autem quod Dominus dixit, de prophetis, quos ob rationes commemoratas patria propria fastidit, extēdi potest, etiā ad alios qui publicis funguntur muneribus, quanuis istos videmus honorari maximè à suis conterraneis. Quæret aliquis cum Dominus honorum seculi fuerit cōtemptor, quid est quod modo Nazareth, non ingreditur, quia ibi non erat honorandus. At hæc obiectio diluta est iam. Honor namque, quem Dominus amabat in primis, erat fides Nazarenorum, & quia illos præuidebat futuros infideles, ideò dixit ab eis non fore honorandum. At honorem hunc desiderare, non est ambitio, sed maxima pietas. Quid quod Nazareni non contenti sua infidelitate, contumelioſi fuerunt in Dominum, etiam alia contumelia: contenderunt enim ipsum dare præcipitio. *Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis, in die feſto: ipſi enim venerant ad diem feſtum.* Mira sanè res est diuina erga humanam gubernationem dispensatio. Hierosolymitæ, & Iudæam habitantes non credunt, qui primum videbantur crediturī, ob eximiam legis, & prophetarum, qua pollebant, scientiā, & quia templum Dei apud eos erat, cultus, & sacrificia. At verò isti perfidi fuerunt, & cōtumaces, at qui abiectiores, & despicabiliō res erant apud Iudæos, quales erant Samaritæ, & Galilæi, isti Christo morem gerunt. Et despicatissimi omnium erant Samaritæ, vt præmonebam, at isti exceſſerunt Galilæos. Isti enim miraculis commoti, quæ viderant in festo paschali Hierosolymis Dominum modo honore eximio prosequuntur, & in eum credunt: at Samaritæ, nullis adornati miraculis credi derunt. Vt verum sit Pauli verbum, ignobilia mundi, & conteptibilia elegit Deus, & ea, quæ nō sunt, vt ea quæ sunt destrueret. 1. Corinth. 1. *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audiſſet quia Ieſus adueniret à Iudæa, in Galilæam, abyit ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Ieſus ad eum, Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis. Dixit ad eum Regulus, Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Dixit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni, quē dixit ei Ieſus, & ibat. Iam autem eo deſcendente ſerui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam, ab eis, qua melius habuerit, & dixerūt ei quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.* Regulus hic dicitur regulus, vel quia ex genere regio descendebat, vel magistratū, vel munus aliquod regium exercebat in Capharnaum. Vnde Græcè legitur basiliscos, hoc est regius, vel regalis, quia forte insignis erat minister Cæsaris, putantque quidam, vel fuisse Cæsaris consanguineum, vel Cæsaris gesisse in Capharnaum vices.

¶ Sunt qui existimant hunc Regulum esse centurionem illum, cuius Matthæ. 8. meminit, sed falsò: siquidem filius Centurionis laborabat paralysi, Reguli verò filius febri torquebatur.

¶ Rursus Centurio se indignum profitetur, quod Dominus in domum ipsius ingrederetur, sibique testatur sufficere verbum Christi sanitati consequendæ à filio: hic autem rogat Christum, vt descendat in Capharnaum.

¶ Rursus, quia filius Reguli curatur à Domino existente in Cana Galilææ: sed filius Centurionis curatur à Domino existente in Capharnao.

¶ Et præter hæc omnia fides Centurionis valde commendatur à Domino, non tamen Reguli fides, quæ sanè non admodū digna est laude: siquidem infirmam habuisse fidem multa demonstrant, & quod non credebat Dominum absentem tam

Quia appetit homo scientiam ideo noua videre, & audire satagit.

Honoramus Christū, credendo.

Abiectieligū tur à Deo, & sublimes reprobantur.

Reguli fides non fuit tam excellens, vt Centurionis fides.

potentem esse, quantum præsens potuisset, ideò rogat, vt descẽdat in Capharnaũ. Præter hæc, quia instat ad Domini descẽsum in Capharnaum, priusquam moriatur filius eius: non enim credebat Dominum mortuos rediuiuos facere posse. Et demum à famulis suis exquirit horam sanitatis redditæ filio, vt experiretur, si à Christo, vel à natura salus obtigerat filio.

Fides habet gradus. Sensim autem creuit fides huius Reguli. Hic enim audito miraculo celebrato in Cana Galilææ, concepit aliquantulam fidem Dominum posse sanare filium suũ, vnde rogat descensum, vt impetret salutem. Dein verò auget fidẽ exilem priorẽ, credens Domini verbo, *Vade, filius tuus viuit*. Tandem accipiens à seruis suis filium pristinæ restitutum sanitati, consummauit fidem suam. Dominus autem forte noluit descendere ad rogationem Reguli, vt Regulum admoueret, ad maiorem fidem, quando vidisset verbo tenus, in absentia Dominum sanasse filium suum. *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit, & credit ipse & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.* Est nonnihil amphibologiæ in sermone finali: quia duplicem præfert sensum, aut quod Dominus cum venisset modo in Galilæam ex Iudæa duo fecisset signa, quorum secũdum fuit sanitas huius Reguli filij. Secundus sensus est, quod cum Dominus venisset modo ex Iudæa in Galilæam hoc fecit signum, quod erat secundum ad illud quod iam fecerat in Cana Galilææ, & hic est verus sensus.

Allegoricus sensus. ¶ Allegorizat historiam hanc Origenes per Regulum intelligens, Abraham, & per filium eius populum Israeliticum ab eo propagatum. Infirmatur ad mortem filius ex ardentibus febribus: quia Iudæorum populus, nunc miserè cruciatur odio, & inuidia in Christum. Curat Abrahã salutem filij, vt & alij veteris testamenti patres, qui intercedunt ad Deum, vt sanetur gens Iudaica à sua infidelitate, vt liber Machab. 2. testatur cap. vltim. Onam, & Hieremiam perpetim fudisse preces post obitum suum pro salute illius populi: & tandem Christus acquiescet horum precibus, quia Iudæi in finem ad Dominum cõuertentur.

Tropologicus sensus. ¶ Tropologiæ verò huius loci sunt variæ, at sufficiat commemorasse Regulum hũc adumbrare hominem, qui merito Regulus est appellandus, quia à Domino est cõstitutus super omnia opera manuum suarum, gerit namque principatum super omnia visibilia, Genes. 1. Huius filius est mens, seu ratio: hæc ardet & æstuat febre, quia errat ex voluptatibus, & delicijs huius seculi. Precatur homo Deum, vt rationem sanet febricitantem, febrimque eiusdem æstuantem sua mitiget gratia. Dominus precanti annuit, dicens, Vade, filius tuus viuit. Hæc est namque hominis sanitas, vt vadat, & tendat & proficiscatur in Deum: vt is qui quiescebat in terrenis, terrena cõtemnat, ab illis surgat, & vadat ad cœlestia. Tuncque si perrexerit ad æterna, filius suus viuet. Sanitas enim mentis humanæ, in cœlestibus est semper proficere, vt est morbus, ab illis deficere.

ENARRATIO PRIMA: in caput quintum.

¶ *Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascẽdit Iesus Hierosolymam.*

QVIS fuerit dies hic festus Iudæorum, Ioãnes non patefacit, ideò expositores variant enarrantes locum hũc. Chrysosto. enim, & Theophilact. & Nicolaus, putant esse festum Pentecostes. Rupertus verò non, & ante Rupertum Iræneus lib. 2. contra hær. cuius verba sunt, Post hæc iterum secunda vice ascendit in diem festũ paschæ in Hierusalem, quando paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat. 38. annos curauit.

¶ Rupertus verò libr. 5. comm. in Ioan. in principio idem censet non fuisse hunc diem festum pentecosium, sed paschalẽ, & fuisse hunc paschalem diem, secundum pascha, quod Dominus celebrauit Hierosolymis commemoratorum à Ioanne. Quia. 2. capit. iam meminerat primi paschatis, nunc hoc cap. meminit secũdi, & in. 6. cap. meminit. 3. paschatis à Domino celebrati. Et sub quarto Ioan. 19. Dominus moritur tertia die Aprilis. Tu intelli-

Quatuor festa paschalia Dñs celebrauit, etsi quartum nõ celebrauit integre, sed solũ quo ad agni esum, qa sub illo mortuus est.

ge quod celebrauit, Homil. 4. non complete, sed quo ad agnum paschalem.

¶ Ratio, quæ probat hoc dogma est, quæ

supra

supra cap. 4. est commemorata. Dicebamus enim verba illa Domini, Non ne vos dicitis, quod quatuor adhuc menses sunt, & messis venit? hęc dixisse Dominũ mense Ianuario, aut februario. Quocirca cum mense Martio celebrarent paschа Iudæi, videtur, quod hoc mense Dominus regressus fuerit Hierosolymam celebraturus paschа. 2. Enimuerò inter mẽsem Ianuarij quo mense Dominus agebat Samariæ & mensem messionis, nullum aliud intercurrit festum Iudæorum solenne nisi paschale. Namque, vt supra aiebam Palæstina, cuius prouincia est Iudæa præcocem habet messem, in fine, scilicet, Aprilis, imò in Iudæa etiam sub paschali festo mense Martio alicubi est præcocissima messis vt supra dictum est: etiamsi Dominus de messe generali verba faciebat, quãdo dicebat, Nonne quatuor menses sunt, &c. Quod si vera sunt, quæ ex supputationibus annorum Domini colliguntur, videlicet, Dominum baptizatum fuisse â Baptista annum agẽtem. 29. & tredecim dies & mortuum fuisse anno ætatis suæ trigesimosecundo, cum tribus mensibus, & diebus decem, constat Dominum tres annos prædicasse, cum tribus mẽsibus, & diebus decem paulo plus, vt sermo sit non de prædicatione publica, & ordinaria quam exercuit post Ioannis obitum, sed de prædicatione, ex qua priuatim, & non ordinariè docebat Iudæos. Quapropter necesse est fateri, quod hic festus Iudæorũ, cuius facit mentionẽ Ioannes, erat secũdum paschа, quod Dominus celebrauit, vt Irenæus docebat, & quod reliqua festa paschalia. 3. celebrauit, vt dixit Rupertus.

¶ Caietanus verò censuit esse aliud festũ hyemale, quod Dominus tum celebrauit Hierosolymis, & ad hanc rationem intelexit hunc locum. Verum quale hoc festũ fuerit non indicat, neque legitimè probat, ideoque non fuit hyemale sed vernum, quia paschale festum. *Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habẽs. In his iacebat multitudo magna languidorum expectãtium aquæ motum.* Græca lectio admonet legẽdum. Est autem Hierosolymis super probaticam, vel ad probaticam piscina. Est enim piscina in nominatiuo, & probatica in ablatiuo. Itaque piscina erat super probaticam. Eratque probatica idem quod ouile. Septum, scilicet, quoddã vbi claustræ continebantur oues, & alia armenta sacrificijs apta. Et super hãc probaticã, erat piscina, vt meminit Gellius libr. 2. c. 20. ex Varronis sententia, libr. 3. de re rustica lacus, vel stagnũ, quæ piscibus coercendis viuis clauduntur. Varro enim, inquit, Villaticæ pastionis genera sunt tria ornithones, leporaria, piscinæ. Ornithones vocat locum, vbi intra parietes villæ alites pascũtur. Leporaria verò septa, quę habent animalia inclusa, quæ pascuntur. Piscinæ denique iam sunt descriptæ, quæ & dicuntur viuaria. Cæterum nõ sub hoc sensu congruit Euangelicæ expositioni, sed vt significet natatoria: nam etiam natatorium significat piscina. Vnde Plinius Iunior Epistol. libr. 9. Si natare latius, aut tepidius velis in area piscina est. Aquæ igitur collectę ad huiusmodi natãdi vsum, siue calidæ sint, siue frigidæ, siue pisces habeant, siue non, piscinæ dicuntur ex consuetudine.

Piscina viuarium Piscina natatoriũ

¶ Legimus autem in scriptura tres piscinas fuisse Hierosolymis, alteram appellata piscina superior, & hæc erat extra muros, quæ colligebat aquas, ex montium defluxis imbribus: iuxta hanc morabantur fullones, qui abluendis pannis ea vtebantur, Esaiæ. 7. Alia piscina inferior, & hæc erat intra muros, quæ ex stillicidijs tectorum, aquas colligebat, & tempore bellorum dicebatur in ciuitatem, Esaiæ. 22. Alia denique, quæ collectio aquarũ erat ex aquis stillãtibus, ex templi tectis, ex alijs aquis, & hæc iuxta templum erat, & huius meminit Ioannes modo. Etenim. 3. Reg. 7. Salomon mare æneum construxit latissimum: itemque luteres æneos: & hæc omnia fecit, ad ablutionem animalium sacrificandorum. Quæ tamen vniuersa Nabuchodonosor transtulit in Babylonẽ. Quo circa in secundo templo Iudæi paupertate pressi in concauitate montis Sion fecerunt hanc collectionem aquarum. Quam obrem nihil mirum si huius piscinæ vetus scriptura non meminerit, quia antiquitus non erat necessaria, sed Iudæis post limino ex captiuitate reuersis Babylonica. Vnde poteris obtundere ora impiorum Anabaptistarũ, qui ex hac piscina texuerunt technas argumentorum iniquas contra autoritatem huius Euangelij. Garriũt enim inaniter hanc historiam esse fictam.

Tres piscinæ ex scriptura noua & veteri.

Argumenta Anabaptistarũ cõtra Euangelij Ioãnis.

¶ Primo

¶ Primo, quia Ioſephus diligentiſsimus Hebraicarum rerum ſcriptor huius piſcinæ mentionem non fecit, facturus ſi vera eſſet hiſtoria. Quippe inſignis hæc erat piſcina, & quę plurimum commendabat & illuſtrabat nationem Iudaicam.

¶ Secundo, quia ſi vera eſſet hiſtoria certus eſſet ſitus Piſcinæ, ſiue poſitio: at verò poſitio incerta eſt. Quibuſdam aſſerentibus, eam fuiſſe in atrio templi, quorum aſſertio nullibi habet fundamentum in ſacris literis, neque in libris ſacrorum Annalium, neque in libris Eſdræ. Alijs etiam temerè tradentibus locatam fuiſſe iuxta vrbis mænia.

¶ Tertio, quia de virtutis ſanatiuæ cauſa item maxima eſt contentio: quandoquidem Petrus Comeſtor Eccleſiaſticæ hiſtoriæ autor, aquam piſcinæ huius vim habere ſanatiuam tradit, quia lignum, vnde crux Domini erat fabricanda in fundo cõtinebat: angeluſque ex reuerentia ligni commotus deſcendebat de cælo, & turbabat aquam. Exq; Salomonico iuſſu multis retroactis temporibus illud lignum ibi dem erat demerſum, admonente demerſionem Sabbæa regina, quæ ex eo ligno vltimam Hieroſolymæ cladem futuram pronunciarat.

¶ Rurſus quarto, quia fabuloſum eſt, quod autor hiſtoriæ Dominicæ Crucis ſcribit Adam, & Seth, lignum hoc plantaſſe, monitos à Deo, quod eorum peccatum per lignum delendum eſſet.

¶ Præter hæc fabulæ videtur dandum, quod alij autumant, vim ſanatiuam huius piſcinæ non à ligno, ſed ab hoſtijs quæ ibi lauabantur, antequam in altari Deo afferrentur.

¶ Deniq; eandem impetunt hiſtoriam, quia non erat neceſſaria piſcina abluendis hoſtijs, quia in mari æneo lauabantur, & in æneis conchis. 2. Para. 4.

¶ Quibus addunt hanc hiſtoriam legi in Euangelio Hebræorum, & in Euangelio Tatianorum: vnde videtur nõ autentica. Demum neque Græci expoſitores illam expoſuerunt.

¶ Porrò autem ſufficiat catholicis totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu hanc hiſtoriam eſſe receptiſsimam. Vnde. 1. argumento dices Ioſephum, non eſſe canonẽ Euangelicæ hiſtoriæ, vt quę ille probarit, probatiſsima teneamus, & quæ ille non probarit, reijcienda cenſeamus. Sed canon eſt Eccleſiæ Catholicæ autoritas, cui ſoli fidimus probanti quæ autentica ſunt, & reprobanti quæ talia non ſunt.

Argumenta hęreticorum ſoluuntur.

¶ Quid quod iam ætate Ioſephi hæc piſcina nõ erat inſignis ex virtute ſanatiua, & ex angelico deſcenſu turbante aquam. Puto enim à morte Domini angelum iſtum iam non deſcendiſſe turbaturum aquam: & ideò quia iam illuſtris, non erat, hac de cauſa eiuſdem mentionem ſuppreſsit.

¶ Secundo reſpondebis piſcinas antiquas ſuperiorem, & inferiorem, in ſcripturis eſſe commemoratas: hæc autem quam Ioann. ſcribit, quia recentior erat, nõ fuit commemorata, neque in libris ſacrorum Annalium, neq; in libris Eſdræ. ſed fuit cõmemorata à Ioãne. Et ſitum eius Ioan. expreſsit eſſe ſuper probaticam, ſiue pecualem. Hæc autem probatica erat tunc omnibus nota Iudæis. Et Hieron. huius meminit dicens, Oſtenduntur gemini lacus, quorum alter pluuijs Hybernis adimpleri ſolet, alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtias in ea lauari, à ſacerdotibus ſolitas ferunt, vnde & nomen accepit: ex quibus verbis videtur piſcinam, eſſe idem quod probatica.

¶ Tertio dices, quod Euangeliſta omnem dirimit contentionem, ſi obſeruanter legatur. Siquidem ſi ex ligno eſſet virtus ſanandi, vtique cum lignum ibi perſeuerabat, ſemper potiretur aqua illa vi ſanandi, reclamante Ioanne: apud quem non ſemper hac efficacia potiebatur, ſed quando ab angelo agebatur. Vnde, neque ab hoſtijs ibi lotis ob eandem cauſam, quia ſi ab hoſtijs fuiſſet virtus, angelicus deſcenſus non fuiſſet neceſſarius: ideoq; hæc quæ iſti autores citati ab eis in ſuo argumento tradunt, videntur fabuloſa, aut non ſunt autentica.

¶ Chryſoſtomus verò putat ab angelo accepiſſe aquam virtutem ſanandi, at verò hoc tu intelliges ſano modo. Angelus enim non habet ex ſe virtutem ſanandi: ſed neque aqua illam vim habebat. Cæterum, quia ad deſcenſum angelicum agitãtem aquam, Deus ſanabat, ideò Chryſoſtomus dixit ab angelo aquã nanciſci vim ſanatiuam per quandam cõcomitantiam.

Angeli er ſe non habent vim ſanatiuã niſi mediantibus, vel naturali, vel ſupernaturali qualitate.

¶ Vltimo dices, non fuiſſe neceſſariam piſcinam hanc, ante captiuitatem Babylonicam,

Ionicam, sed post illam, vt supra commõstratum est. Et demum Chrysosto. hanc historiam exposuit & Theophilactus in suis commentarijs. Neque quia refertur historia in Euangelio Nazaræorum, ideò expungenda est à Ioanne, verum quia in Ioanne est, ideò autentica est, non quia in Euangelio est Nazaræorum, aut Tatianorum, sed quia est in Euangelio Ioānis. Num quid colliges rectè, si colligas in Alcorano Mahometi traditur Christum esse conceptum ex virgine, igitur natũ Christum ex virgine, non est autenticum? minimè: sed hoc solum, non est autenticum, quia est in Alcorano. *Quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida*, patria Petri Andreæ, & Philippi hoc nomine cognominabatur vt supra dicebam: ideò quidam legunt Bethesda, vt Theophilactus, Chrysostom. Bethsaida, atque Cyrillus. Erasmus Bethesda, hoc est, domum gregis, forsan quia omnes Deo hostiæ sacrificandæ erant ibi abluendæ prius. Aut dicebatur hoc nomine, quia erat supra probaticam, vel iuxta pecualem habitationem. Namque Probaton, & ouem, & pecus significat. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua.* Non habebat aqua illam vim sanatiuam, ex natura sua, sed diuino miraculo: id quod verba hæc docent. *Angelus enim Domini descendebat.* subaudi de cælo. Neque tamen ex descensu aqua vim illam obtinebat sanandi, nam sæpè descendunt angeli ad aquas, & alia elementa, & tamen non reddunt ob descensum illa salutifera. Porrò ad descensum angeli Dei, & ad motionem aquæ Deus illi conferebat vim illam sanãdi ab omni morbo. Quod obserua diligẽter, quia sunt aquæ, quæ vim sunt sortitæ ex natura sua ad sanandum lepram, vel ad tollendum lapides renales, & ad alia hoc genus, vt est fons apud Baticos, qui hoc mirabiliter præstat, quia interlabitur inter lupulos, at verò quod sanaret omnem morbum aqua piscinæ, hoc tribuendum est diuino miraculo.

Bethesda, Bethsaida.

Nulla aqua ex natura sua potest omnẽ morbum sanare.

¶ Turbabatur autem aqua, vt sentiret circunstantes angelicum descensum, ex visibili agitatione aquæ, & Deo tribuerent sanitatem.

¶ In alijs autem relatis piscinis, hæc virtus aberat, in hac autem nouissima piscina virtus hæc adfuit. Quippe quia iam adueniebat illis diebus baptismi doctrina, vt homines præpararet ad fidem baptismi Deus, voluit hanc adumbrare fidẽ in hac piscina. A qua autem baptismi non rubescit sanguine hostiarum, sed sanguine tingitur Christi. Mouetur sanè à sacerdote, vt abluat mentem abluendo corpus. Si nõ tollit corporis morbos, omnem depellit animæ morbum. Ideoque Ecclesia Christi alia nobiliori fulget piscina quam Synagoga, quæ est Christianorum baptisterium: in quam Christus secũdum suæ mirabilis operationis energiam descendit, & per manus suorũ ministrorum mouet, & lauat conscientias nostras ab operibus mortuis. *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Ad sanitatem consequendam ex aqua illa duo exigebantur, alterum cœleste, alterum humanum. Cœleste erat descensus angeli, & aquæ agitatio: humanum erat diligentia sanandi, siquidẽ qui prius, vel primus descendebat in aquam, hoc est, qui primus aquam illam tingebatur, vel infundebatur, aut abluebatur intra piscinam, quia ablutio extra piscinã non erat sanatiua, & hoc significat, necessarius descensus in aquam. Hinc admonemur duo conuenire ad iustificandum peccatorem, alterum diuinum, alterum humanum. Diuinum quidem est descensus diuinæ virtutis, & operationis, in corda nostra, & motiõ, seu tactus nostræ mẽtis, à Deo. Namque si ipse non nos vocauerit, si nos non pulsauerit, salutis spes nulla. Humanum verò est, consensus noster ad diuinam pulsationem, vt supra admonuimus.

Piscina Christianæ Ecclesiæ nobilior est quam piscina synagogæ.

Pro salute spirituali obtinẽda duo cõcurrunt & diuinum alterũ & alterũ humanum.

¶ Est autem discrimen in salute corporali, & spirituali obtinenda: quãdoquidem ad salutem corporis obtinendam, etiam si sit homo diligentissimus in quærendis pharmacis, & medicis, at sæpe fraudatur desiderata, & quæsita salute. Verum in adipiscenda salute spirituali, si nostram operam sedulò impendimus, diuina semper adest. *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habẽs in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus habebat, subaudi in infirmitate dicit ei, Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: Dum venio enim ego, alius ante me descendit.*

Diuina opera adest semper saluti spirituali consequendę si nostra non absit

In

In tãta languidorum turba, quæ expectabat ex aqua illa salutem, vnus erat alijs lõge miserabilior: quia orbus erat parentũ, aut consanguineorum, aut amicorum, aut pecuniarum præsidio. Hæc enim sunt hominibus præsidia, vt quod per se implere nequeunt, horũ solatio foti adimpleãt. Hic igitur languidus presidijs humanis destitutus, longa egerat sub suo morbo tempora. Quia neque ab alijs deferebatur ad aquam, neque ipse sibi poterat subuenire. Hunc igitur cæteris miserabiliorem, diuina Christi aspexit clementia. Vnde in Psalmo. 45. Adiutor est Deus in tribulationibus nostris, quæ inuenerunt nos nimis. Tunc enim tribulatio nos inuenit nimis, quando maximè, & diu nos premit. Talis erat huius languidi tribulatio, ex longo tempore miserum affligens hominem. Et morbo conclamato alia addebatur afflictio, quia spes prorsus salutis fugiebat, quia iuxta salutis remedium consistens, salutis remedio destituebatur semper enim, alius anticipabat prior descensum in aquam. Huius igitur afflictissimi hominis Christus vidit afflictionem, ad alios enim non tam desolatos non diuertit, sed solum adhũc accedit: vt verum sit quod cecinit psaltes Psalm. 7. & 106. Adiuuit pauperẽ de inopia, pauperem, cuinõ erat adiutor. Et sicut amicum tuum Lazarum à morbo non liberauit, sed eum morti succumbere permisit, & quatriduanam ferre sepulturam, vt sic suam potentiam demonstraret, & gloriã suæ virtutis ostẽderet, quam non ostendisset, si à morbo, quo vexabatur eruisset, ita in præsentia hunc languidum permisit longam trahere ægritudinem, & illum destitutum tandem humano esse adiutorio, vt veniens ipse medicus cœlestis, & illum curans, quem neque natura curare, neque aqua sanare poterat, se esse naturæ Dominum, & non egere creaturis suis ad sanandum homines haud dubium ostenderet.

¶ Non ergo Dominus baiulus eius fit, deferens illum ad piscinam, quia Christus non indigebat aqua piscinæ, ad sanãdum hominem, sed sua virtute illum sanat.

Visibiliachristi miracula ad intelligibilem quandã sciẽtiam nos deducunt.

¶ Et quia visibilia miracula, quæ Christus mirabiliter est operatus, ad intelligibilem quandam nos promouent internorum scientiam facilè hoc gestum nos docet, hominum genus, quod infectum est, peccatorum maculis, à natura tota, vel à lege tota, cum omni pompa cæremoniarum suarum, non posse sanari, nisi à solo Christo. Qui non per legem nos sanauit, sed per gratiam suam. Quemadmodum, & hunc languidum non ex industria, aut diligẽtia eius sanat: sed ex largifluo suæ misericordiæ munere. Quamobrem Dominus scisciatur ab eo, Vis sanus fieri? Gratia enim Dei nostram præuenit iustificationem, ideò, vt hoc insinuet Dominus, ipse præuenit languidum, non languidus Dominum. Non enim legimus languidum hunc vocasse, & attraxisse ad se Dominum, sed potius cõtra Christus illum præuenit dicens, Vis sanus fieri? Vtique exploratũ satis est medicis ægrotos amare sanitatem: & Christo multò exploratius erat, verum non quærit voluntatem languidi, quia illam ignorabat, sed vt palàm fieret ex ægrotantis confessione sanitatis desiderium, ne beneficia præstaret inuito, & denique, vt insinuaret, quam necessarium sit liberum arbitrium nostrum Deo cooperari, vt iustificemur. Qui enim sua gratia præuenit nos ad iustificationẽ, vult nos nostro labore illi cooperari ad iustificationem. Languidus porrò non respondit volo, sed hoc, vt confessum est relinquens, respondit se non habere hominem. Quasi respondisset, salutem me desiderare, me tacente, opus indicat, sum enim in hoc grabato iacens, à longo tempore in porticibus istis salutem ex piscina sperans, at verò frustror spe mea, quia cum sim destitutus humano adiutorio, alij potentiores anticipant meum descensum ad aquam.

¶ At ex litera hac solũ habetur quod prolixum morbum, & chronicum, hic habebat ægrotus, & quòd erat in porticibus illis iuxta piscinam, non tamen clarè docetur integros triginta octo annos versasse porticus illas. Quia etsi dicat, Erat homo ibi, &c. dicet aliquis, quod homo, qui ibi erat. 38. annos traxit ægritudinem, non tamen ibi, sed ibi & alibi. Verum etsi clarè non docetur, insinuatur tamen, languidum hunc inibi fuisse toto hoc tempore, ait enim erat homo ibi, tringinta & octo habens in infirmitate sua. *Dicit ei Iesus, Surge tolle grabatum tuum, & ambula, & statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Qui in exordio curru m

lorum dixit, & facta sunt. Dixit enim fiat lux, & facta est lux: ipse idem humana natura indutus, dixit languido iacenti in grabato suo, Surge, & statim surrexit, & dixit, Ambula, & cōtinuo ambulauit. Ne autem hæsitaremus, an ad perfectam sanitatem fuerit promotus, iussit vt tolleret grabatum suum, & ipse sustulit grabatum suum, id quod indicium est magnæ soliditatis in membris nouiter institutæ, & quod non solum depulsus erat infestās morbus, sed etiam impartita est robusta salus.

¶ Enimuerò quis potuisset ex tam diutino conualescens morbo, statim ambulare, & tollere lectuli sui pondus, nisi diuinitus conualesceret? Nobis enim ex morbo si contingat conualescere, priusquam stare benè, & ambulare possimus, transiguntur dies non pauci, quia natura paulatim operatur, at verò Deus in instanti operatur. De voce grabatus admonebo ex Latinis pauca. Grabatus Suidæ lectus est exiguus, vbi meridicari solent homines. Et Græcis κραββατος, per duplex, bb, à καρα, quod est caput, & βατον peruiū, quia ibi dormitur retecto capite. Alij vocant κραββατον, à verbo κρεμαν: quod est suspendere, & βασις, pedes, quia est lectulus vbi feruntur infirmi suspensis pedibus, sedentes. Verum iste paralyticus, nō erat in porticibus illis, sedens, suspensis pedibus, sed iacens in lectulo pauperculo, quem modo Euangelista vocat grabatū. Græci per duplex, bb, Latini per simplex: vnde Marcialis primam corripuit, sed neque focus est, nudi nec sponda grabati.

Quid grabatur.

¶ Christus igitur, vt ad priora redeamus vocis suę diuino imperio consolidauit mēbra ægrotantis, vt continuo robustus, ex debilitante paralysi, & resoluente corporis vires firmiter ambularet: & grabati pōdus facile sustineret. Morbum huius putant fuisse paralysim, Euangelista tacente morbi qualitatem, & exprimente morbi prolixitatem. Hinc collige saluberrimum esse sperare in Dominum, & expectare clementiæ diuinæ tēpus, iuxta Dauidis camen Psalm. 39. Expectans, expectaui Dominū, & intendit mihi. & Abac. 2. si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit. Etenim hic languidus triginta & octo annos iacens in lectulo ad piscinam, diuinæ misericordiæ sperabat aduentum. Nam si non sperasset, quorsum ibidem tanto sustinuisset tēpore? Et tandem quia expectauit Dominum, & viriliter egit, Psalm. 26. idcò, ad longam expectationem, ampla fuit correspondens munificentia Dei. O beatum morbum qui Christum promeruit medicum, quem non malagma, aut pharmaca, terrena profligauerunt, sed verbum Dei patris illud, Tolle grabatum tuum & ambula. Obserua interim diligenter, Heliseum misisse Naamam illum leprosum. 4. Reg. 5. ad Iordanis fluenta, vnde abstergeret lepram, qua erat infectus. Et Dominus Ioann. 9. Cæcum inunctum collirio illo diuinitus elaborato, ex terra, & verbi diuini incarnati saliua, misit ad natatoria Siloe: at hunc paralyticum, non ad fluenta Iordanica, nō ad natatoria Siloe, non ad natatoria ouilia, quæ erant piscina illa commemorata. (Namque secundum vulgatam editionem, idem erant probatica & piscina, quanuis iuxta Græcam lectionem videntur diuersa, quia vt aiebā legitur Græcè, erat supra probaticam piscina.) Verum ad hāc probaticam, seu ouilem piscinam, non mittit Christus paralyticum, sed verbo solo suæ virtutis illum plenè liberat à morbo.

Beatus morbus qui Christum medicū promeretur habere.

Saluberrimū est in calamitatibus sperare in Dñm.

¶ Quod si te angit hæsitatio cur ita factū, quod alij ad aquas destinantur sanādi, iste verò non? Dixerim tibi, quia in confesso erat, neq; aquas Iordanis purgare lepras, neque natatoria Siloe, illustrare oculorū cæcitatem, ideò mittūtur infirmi ad illas, quia missio non obstabat credendo sanationis miraculo. At verò si Christus ad piscinam misisset paralyticum illum cuius mentio fit, non Christo, sed piscinæ miraculum sanitatis tribueretur: id circò nō ad aquas illas illum defert, vel mittit, sed verbo sanat, vt Sapiētiæ commemorat liber cap. 16. Etenim ait, Neq; herba, neq; malagma sanabat eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. *Erat autem sabbatum die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatū tuum. Respondit eis, qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuū & ambula. Interrogauerunt ergo eum, Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.*

Dei verbū sine ope creaturarū sanare potest.

Heu

Heu quam horrenda est hominũ cæcitas, Iudæi enim qui debuissent expauescere ad grande hoc huius paralytici sanationis miraculum, non expauescunt, sed insultant infirmo sanato iam, quod grabatum ferat in die Sabbati. Et vnde autorem tã stupẽdæ salutis, debuissent ore pleno laudare, inde conuertunt se ad carpendum salutis huius participem. Quasi verò in Sabbato sanare infirmum, esset prohibitũ in lege, cum lex opera seruilia prohibeat solum exercere in die Sabbati: at sanare infirmum opus est maximè liberale, tantũ abest vt seruile sit.

Opera quę cedunt ad Dei gloriam non sunt seruilia.

¶Non ergo ferre grabatum erat opus seruile, sed signum operis diuini valde magnifici. Ferre namque grabatum cedebat in gloriam Dei, quippe significabat clarè munificentiam Dei miraculosam in sanãdo illo ægroto. Porrò opus quod cedit ad gloriam Dei, non est seruile, sed nobilissimum opus. Cur ergo nõ latuisset Iudæos infirmus hic, neq; latuit miraculi magnitudo, at ea erat illorum perfida obstinatio, vt opus, quod prædicabat diuinam potentiam, & clarissimè illam resonabat, ipsi tã quam si esset seruile opus detrahebant & obscurabant. Inuidi enim non incumbunt alienis honorandis, sed proprijs inseruiunt affectionibus. Et quæ augent suas prauas affectiones illa probant, quæ verò illas minuunt, reijciunt. Et quod mireris amplius, religionis diuinæ sanctitatem, ad suos prauos colorãdos affectus producunt, vt sub tegumento religionis inuidiam suam, honestare valeant. Id quod facile ostendunt Iudæi isti, baculum grabati accusant, vt violatorem Sabbati, vt se iactent Sabbati esse quam obseruantissimos: cum magis illi violabant Sabbatum, reprehendendo baiulum in Sabbato sui grabbati, (quia ex Christi inuidia reprehẽdebant,) quam paralyticus grabatum suũ deferens ex Christi præcepto. Neq; solummodo hæc texitur ex Sabbati violatione criminatio aduersus Christum hoc loco, sed sæpè aliàs, Iudæi hoc criminantur idem contra Christũ. Et Dominus nihilominus, vt prauam Iudæorum intelligentiam obtunderet, & doceret qualis esset syncera obseruantia Sabbati, multa ex industria est operatus in Sabbato, miracu losa opera. Vnde Ioann. 7. Si circuncisionem accipit homo in Sabbato mihi ait, indignamini, quia totum hominem feci in Sabbato, hinc docẽs nõ esse seruitutis opus sanare hominem in Sabbato, quandoquidem neque in Sabbato circuncidere hominem est seruile opus. Et Ioan. 9. Sabbato, temperauit lutũ ex puluere, & saliua sua, & ideò expostulant cum Christo, quod Sabbato cæcum illuminasset dicentes, Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Item Lucæ. 3. indignantur Christo, quod Sabbato languidum curasset. Quæ omnia ex inuidia potius, quã erant succensi in Christum, procedebant quam ex zelo legis. Quia si legem ipsi voluissent, & reuoluissent, nusquam inuenissent in lege Sabbato non esse curãdos, & sanandos homines. Vt Dominus Lucæ. 13. hos iactatores Sabbatinæ obseruationis hypochritas appellat, & cõfundit, dicens, Hypochritæ vnusquisque vestrũ non soluit Sabbato bouem suum, aut asinum suum à præsepio, & ducit adaquare, hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Sathanas, ecce decem & octo annis, nõ oportet solui à vinculo isto, die Sabbati? Rectè sanè hos vocat hypochritas, quia ex hypochrisi potius quam ex sancto legis zelo obiectabant Christo, violationem Sabbati, quod alioqui non violabat.

Inuidorum ingenium.

Iudæi ex hypochrisi non ex legis zelo Sabbati obseruantiã iactabant.

Iudaica legis intelligentia in Sabbati obseruantia corrigitur à christo.

Postea inuenit eum Iesus, in templo, & dixit illi, Ecce sanus factus es iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Paralyticus iste Iesum in principio non cognoscebat, quãdo donatus est mirabili sanitate, vt ergo autor tantæ salutis cum non lateret, Dominus se illi in tẽplo obuiũ facit, vt ipsum cognosceret, & pro recepto munere gratias Christo persolueret, & probabile est paralyticum templum iuisse, vt Deo gratias ageret pro recepta salute. Et Dominus admonet, vt abstineat deinceps à peccãdo, ne deterius peccata repetens aliquid illi accideret. Significatque hoc sermone, mala, quæ patimur interim ex peccatis, quæ patramus habere exortum. Quæ si non corrigimus, aliquid peius corporalibus morbis nos manere. Et nihil peius est illis, quam vel æterna damnatio, aut lapsus in grauiora peccata. *Abijt ille, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit illum sanum. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbato. Iesus autem respondit eis, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Arcana est hæc ratio, & abstrusum condens

condens intellectũ. Etenim Christus ex illa insinuat se esse naturalem filium Dei, & consubstantialem Deo patri: ideoque eiusdem autoritatis, & potẽtiæ cum Deo patre. Vnde perinde est ac si colligeret ad hanc rationem. Pater meus semper operatur in diebus omnibus, & Sabbatum non excipitur à sua vniuersali operatione conseruandi producta, & producendi vniuersa. At verò nullus est vestrũ, qui Deo patri hoc obuertat in crimen, quod etiam in die Sabbati operetur: at verò ego cũ sim eiusdem potentiæ, illo operante itidẽ operor: nãq; produco cũ illo, & conseruo vniuersa. Si ergo Deus non est accusandus, quia operatur in Sabbato, neque ego sum deferendus, quia cum Deus sim idem facio: etsi diuina operatio in Sabbato, non est violatio Sabbati, neque mea cum sit etiam diuina operatio.

¶ Quod si obieceris aduersus hanc rationẽ. Quid ergo est, quod Moses ait, Deũ requieuisse Sabbato? Vtique requiescere Deum non est à labore desistere, vt nos dicimur requiescere: Deus enim non laborat in operando, est enim virtus infinita, quæ lassari nequit. At verò requieuit, quia cessauit, à nouis condendis speciebus, quas condiderat in dierum examero, seu senario. Non tamen cessat hucusque à productione indiuiduorum, & conseruatione, quia aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, & testante vate Esaia. 26. vniuersa opera nostra operatur Dominus. Vnde ipse Moses exposuit diuinam quietem, fuisse ab omni opere quod patrarat, hoc est à condẽdis nouis speciebus. Cessauit enim à condendis nouis cęlis, & elementis, nouis speciebus brutorum, lapidum, plantarũ, &c. *Propterea ergo Iudæi magis quærebant eum interficere, quia non solum soluebat Sabbatum. Sed & patrem suum faciebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis. Amen, amen, dico vobis non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, & filius similiter facit.* Iudæi Domini rationem optimè intellexerunt: inuidi enim, & maleuoli ea, vnde calumnias suas augere possunt, intelligunt acutè. Quia ergo ex verbis Domini calumniandi campum latiorem (vt videbatur illis) obtinuerant, ideò acutè intellexerunt, quod verũ erat Christum se asseruisse in verbis præmissis esse Deum.

¶ Porrò modò idem confirmat, explicans apertius, quod dudum dixerat obscurius. Etenim Dominus dixerat, Pater meus vsque modò operatur, & nõ dixerat, & ego vsq; modo operor, id quod clara erat testificatio suæ diuinitatis: ideoq; adiecit modo alia, vnde cõfirmet rationem priorem, & suam diuinitatem clarius testetur. Et confirmatio est hæc, Filius habet diuinitatem à patre, & ideò ab eodem accepit potentiam, & sapientiam æqualem Deo patri. Quippe si accepit diuinitatem, necessum est accepisse quæ sunt propria diuinitatis, & illi essentialia. Vnde, conficitur accepisse sapientiam à patre, & omnipotentiam. Et quia Christus accepit diuinitatẽ à patre necessario colligitur, quod sit idẽ Deus essentialiter, qui est pater, non tamẽ personaliter, quia est inter patrem & filiũ distinctio originis. Quippe diuinitas patris, à nullo est accepta, diuinitas verò filij est à patre. Quapropter, si idem Deus est filius qui pater, secũdum diuinitatis essentiam, fieri nequit, diuisam esse operationẽ exteriorem, patris & filij, sed esse eãdem est necesse. Namq; si sola ratio originis distinguit patrem à filio, operationis ratio ad extra eos nõ potest distinguere: igitur quidquid operatur pater, operatur filius: imò nõ potest operari filius, nisi quod operatur pater. Nãq; quia à patre habet diuinitatis naturam, ab eo quoq; habet operãdi virtutẽ, & operationis efficaciã. Et ideò non potest filius operari, nisi quæ ex sua sapientia, videt clara notitia patrẽ operari. Operatur nãq; filius secundũ intellectũ, & voluntatẽ, vnde quæ intelligit patrem operari, & quæ vult pater operari, ipse vult operari, & nõ alia operatur. Est enim amborũ & patris & filij, vna scientia, potentia, atque voluntas, quare nulla esse potest patris & filij discordia, vel in intelligẽdo, vel in amando, vel in operãdo, vbi est, vtpote inter quos est infinita cõcordia: ergo cũ pater operatur etiã Sabbato, filius idẽ operatur. Quod vero ait, *Nõ potest facere filius, nisi quod viderit patrẽ facientẽ*, ne intelligas filiũ imitari patrem in sua actione. Etenim filius, vt Deus, nõ imitatur patrẽ in operãdo: ita q̃ quę operatur filius, operatur imitãdo patrẽ. Non enim filius imitatur patris opa, imitari enim minorũ est: adde qa

Christus vt Deus operatur omnia quæ pater ad extra operatur sed non quatenus homo.

opera patris sunt filij, vbi est autem vnitas operis, non est imitatio operis. At verò semper est vnitas operis, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, tametsi ad intra sunt distincta.

¶ Porrò Christus quatenus homò nõ omnia quæ faciebat videbat patrem facere: namque comedebat, bibebat, induebatur, &c. quæ pater non faciebat. Verùntamen nihil horum Christus, vel aliorum præstabat operum, quæ non videbat, patrem velle, vt fierent. Græcè non est nisi quod viderit, sed nisi quid viderit. Et ex poprietate sermonis Græci perinde valet acsi dixisset, nisi viderit. Non tamen colligas, igitur filius necessario operatur, nõ enim hoc consequitur, sed quod non operatur, nisi pater operetur. *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Et maiora his demonstrauit ei opera, vt vos miremini.* Rationem subiungit, cur filius facit omnia, quæ pater facit, nempe quia inter patrem, & filium est summa dilectio, atque concordiæ vnitas, ideo, quæ pater facit, facit filius. Ex hacq; dilectione pater demonstrat filio, quæ ipse facit.

¶ Et re vera omnia, quæ pater facit sunt clarè cognita filio. Quia accipiens à patre diuinitatem, accepit ab eodem omniũ faciendorum, vel factorũ, vel eorum quæ fiunt scientiã. Vnde recte ait, Demõstrat quia nunc demonstrat, & demõstrauit, & demonstrabit, quia demonstratio hæc est æterna, ideoque semper est, iuxta omnem temporis differentiam. Vt etiam ex dogmate Theologico verum est patrem generare filium, & genuisse, & geniturũ quia sic genuit, quod generatio nõ est preterita, & ad hãc rationem generat modo; quod æternò erit eadem filij generatio, vt nos opulentius diximus in. 1. Sentent. libro. Neq; tamen tibi imponat dictio demonstratio, vt credas esse demõstrationẽ, ex. 2. poste. quia demonstratio hic vsurpatur pro clara notitia nõ discursiua, sed intuitiua. Quod verò dixit demõstrabit opera, eò dixit, quod hactenus non fecerat opera quæ ex ratione sua superant totius naturæ facultatem, vt est resurrectio mortuorum. Siquidem etiam si sanare filium Reguli, & Paralyticum consolidare fuerint miraculosa opera ex modo infirmitatis, non tamen ex ratione infirmitatis. Quandoquidem febris est sanabilis, ab arte medicinæ, & à natura ipsa sanatur non rarò, nulla adiuta medicinali opera: itemque Paralysis, & hoc genus alia. Quanuis febris filij Reguli, in eo articulo constituta, quo à Domino est profligata, & paralysis illa ex diuturnitate, non erant sanabilia ex viribus naturæ, hoc verò per accidens erat, non tamen per se.

¶ Porrò resurrectio mortuorum, illuminatio cæci à natiuitate, & cætera hoc genus miracula, quale erit præter hæc iudicium vniuersale, mortuorum, & damnatio impiorum, & præmiatio piorum, hæc per se excellunt totius naturæ vires: ideò Dominus hæc insinuans, dicit esse prioribus maiora. Quòd verò propter hæc dixerit, sermo subdendus aperiet: ideoque adiecit, Demonstrabit, Demonstrabit sanè quæ ab æterno sunt demonstrata filio: sed experimentali notitia, non erant Christo nota antequam faceret illa. Quod si obieceris contra priora, Quid ergo conuersio aquæ in vinum, nonne ex se est opus excellens vires naturæ? Vtique conuersio aquæ in vinum illa fuit superans totam naturam. Verùntamen quia natura paulatim, & per medias quasdam alterationes, aquam solet conuertere in vinũ, ideò huius miraculi non habet Christus modo rationem, quod iam ediderat in Cana Galilææ: sed solum prædictorum. *Sicut enim pater suscitauit mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium.* His verbis, declaratur amplius, æqualem esse Christum Deo patri, & quia non est æqualis quatenus est homo, restat Christum se demonstrasse his verbis esse Deum verum, æqualem Deo vero. Trium igitur operum meminit nũc Christus, scilicet, suscitationis corporum mortuorum, & viuificationis animorum, & iudicij. Et prima duo communia ait, esse sibi & patri, at postremũ opus sibi docet esse proprium.

Miracula de monstrabantur Christo experimentali notitia, quãdo ipse illa faciebat, alioqui æterna notitia illi nota erant.

¶ Porrò obijciet aliquis dicens, supra docuisse Christum, se non posse facere quicquam, nisi quod viderit patrem faciẽtem: igitur si Christus iudicat, pater etiam iudicat, quia non iudicat Christus nisi viderit patrem iudicãtem: quomodo ergo modo inquit, pater non iudicat quemquam.

Collisio apparens soluitur

¶ Respõdebis esse sanè verũ patrem iudicare,

Miracula quędam sunt opera quæ ex ratione sua vincunt totã naturã, alia vero non ex ratione sua, sed ex circunstantijs.

care, & filium iudicare, & iudicium, quod pater exercet hoc idem & filius, & contra. Cæterum pater non venit in forma sensibili ad iudicium, sicut neque Spiritus sanctus: & ideò, quia solus Christus veniet sensibiliter videntibus cunctis ad iudicium vltimum, hac ratione ait, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.

¶ Christus igitur quatenus homo est, habet autoritatem excellentiæ iudiciariam à Deo sibi concreditam, at verò prima autoritas iudicandi, vnde illam habet Christus, vt homo, à Deo est.

¶ Habes multa de iudicio à nobis exposita in declamatione quadam ad Esaiam, & in.4. lib. Sentent. distinct. 49.

¶ Rursus exquires, quale est hoc quod ait, suscitat mortuos, & viuificat, cũ idem sit vtrumque? Respondebis suscitationem referendam ad corpora, & viuificationem ad animam. Namque sensibilis mors est corporis intelligibilis verò est animæ. Anima autẽ mortua dicitur, non quia est mortalis, sed, quia vita ex peccato, priuatur spirituali, quæ ex gratia Dei est. Et hæc viuificatio, siue secũdum corpus, siue secundum animam, est grande Dei opus excedens vires naturæ, vt diximus. Et Augustin. autore viuificatio animę excedit creationem vniuersorum. Quod verò inquit, Quos vult viuificat, ex eo dixit, quia remittere peccata, & conferre gratiam, est opus quod Christus facit non coactè, sed spontanee. Christus verò hoc opus facit meritoriè quatenus homo est, qui sanguinem fudit pro nobis, vt Deus verò, facit hoc opus efficienter, & vt causa prima iustificationis, ex Cõcil. Trident. Sess. 6. cap. 7. Hinc collige Deum gratis nos iustificare, ex sua largissima misericordia, quia iustificationis gratiam primam. Quanuis autem vera sit confessio Deum viuificare quem vult: vnde non viuificat, quem non vult, ad Rom. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: cæterum hoc non excludit, consensum liberi arbitrij ad iustificationem: neq; inde colligitur hominem se habere mere passiue ad iustificationẽ: Imò cooperatur Deo iustificanti, quando ætas non obstat cooperationi, vt in pueris, quibus rationis vsus nondum accessit: quibus etiam num administratur, cooperatio Ecclesiæ, illis præstantis aures, & linguam ad profitendam fidem, vt ex Augustin. in.4. Sentent. distertius egimus. Quamobrem in Concilio Trident. Sess. 6. can. 4. damnatur tanquam hæreticum dogma, tradens hominem se habere passiuè ad iustificationis gratiam.

¶ Hinc quoque disces, apertum locum, colligentẽ Christi diuinitatem. Enimuerò nulla creatura potest alium suscitare à morte, neque potest alterius mentem viuificare secundum gratiæ vitam.

¶ Christus igitur, qui omnia hæc potest, verus Deus est. Vnde neque Apostoli, neque sacerdotes omnes viuificant quos volunt, sed solum eos viuificant, quibus sacramenta gratiæ applicant, si obex non obstiterit. Viuificant quidem ministerialiter, quia sunt ministri sacramentorum viuificantium: qualia sunt Baptismus, & Pœnitentia instar medici, qui ex medicina sanans ægrotum, dicitur eum sanare. Non tamen hæc viuificatio subest arbitrio sacerdotum: solummodo enim dignos possunt assumere ad sacramẽtorum vitam participandam: at indignos si admiserint, non illos viuificant, sed potius mortificant.

¶ Imò neq; homo seipsum sine gratia Dei potest viuificare pro sola sua voluntate, vt Pelagius somniabat: siquidem non satis est velle se esse iustum, vt iustificetur. Est enim necesse, quod à Deo excitetur, & trahatur, & tractui morem gerat, consentiendo, & doleat ante acta vitæ errata, & nouam instituat vitam secũdum Deũ, vt ita tandem viuificetur. Et hæc omnia non potest homo ex naturę solius viribus absoluere, nisi à Deo iuuetur, & leuetur, vt traditur Cõcil. Trid. Sess. 6. can. 3.

¶ Pessimè igitur Arrius dogmatizabat, docens Christũ, non esse plenum Deum. Quia hic legebat, apud Ioan. Filius nõ potest à seipso facere quicquam, & nõ aduertebat, quod sequebatur filium viuificare quos vult, id quod præstare solius est diuinitatis. Porrò, quia filius omnẽ potẽtiam habet à patre, ideò ex patre habet, quod operatur. Propterea igitur dicit, Non potest filius à se facere quicquam: quia quod facit, à patre habet quod faciat: à quo faciendi vim accepit, vt faceret. Nihilominus non coactè facit, quia quod vult facit. Quos ergo vult viuificat filius: at verò quos viuificat in tempore, ab æterno

Christus vt homo est causa meritoria gratiæ vt Deus est efficiens.

Locus probans Christi diuinitatem.

Sine gratia Dei nullus potest iustificari.

Arrius taxatur.

voluit viuificare. Et hoc viuificat in tempore infundens gratiam iustificantem, & voluit viuificare extra tempus illos prædestinans ad vitam æternam, antequam secula fierent.

Prædestinatos Christus vt Deus ab æterno voluit viuificare.

¶ Rursus, quos vult viuificat, quia accepta carne continuo omnes à Deo prædestinatos scientia sibi infusa clarè nouit & eisdem moriens, voluit suam mortem efficaciter conferre: ideò etiam tunc, quos voluit viuificauit, non actu viuificans, sed secundum dispositionem sui consilij decernens viuificandos suo tempore: reprobos verò dimisit in sua reprobatione.

¶ Considerabis ad hæc secus esse in resurrectione mortuorum corporum, & animorum. Deus enim suscitat mortuos, non exigens ab eis consensum, quem non possunt exhibere: at verò sciscitans mortuos animos exigit consensum. Quippe mors animi est voluntaria mors, & non naturalis mors, quæ est mors corporum, ideoque sicut mors est voluntaria, resurrectio ab hac morte erit quoque voluntaria.

Mystica mors animæ est voluntaria, & resurrectio, etiam mystica debet esse voluntaria.

vt honorificent filium. Hoc est cultu & honore patriæ. Etenim quia Christus est Deus, honorandus est cultu latriæ, qui est cultus Deo soli debitus. Vnde vt supra tradebamus, humanitas Christi, vt habet esse personale diuinum, hac ratione etiam est adoranda cultu latriæ. Et hoc est quod declarat sequens litera: *Sicut honorificant patrem.* Hoc est eodem honore, quo Deus pater honoratur, est honorandus filius, videlicet, diuino honore. Igitur sileat Arrius contendés Christũ esse creaturam. *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.* Honor filij est credere eum esse Deum & hominem, & ipsum diligere, secundum Euangelicam rationem. Qui ergo non credit non honorat filium: imò offendit filium. Qui etiam non diligit, vt oportet diligere, dilectionem, scilicet, exhibendo opere, iste etiam non honorificat filium: quia qui male operatur offendit filium. Est isti omnes offendendo filium, offendunt patrem, quippe, vt patris & filij vnus est honor, ita vna est amborum offensio: igitur habent eandem diuinitatem. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in iudicium non venit, sed trãsiet à morte in vitã.* Declarat quod dixerat, de honore sibi exhibendo diuino: docet enim qualis sit iste honor, quo ipse vult honorari, scilicet, credere Euangelio, quod est Christi doctrina, doctrinam enim suam vocat verbum suum: & audire hoc verbum, vocat credere. Est enim audire exterius, & interius. Vtique audire vocis Euangelicæ sonũ non est audire verbum Christi, sed obtemperare Euangelio, istud est audire Euangelium, aure cordis, & non solum audire, aure corporis. Et quod hic auditus sit fides Euangelij, exponit statim & credit ei, qui misit me, hoc est, credit patri, tu intellige, vt oportet credere.

Audire Euãgelium aure cordis est euãgelio obtemperare.

¶ Et considera, quod credere Deo, non solum est credere dicenti Deo, sed eum diligere, vt hic vides. Subdit enim, Habet vitam æternam, qui credit ei, qui misit me. Non ergo est inuiolata obseruatio in scriptura, quod credere Deo, sit solum credere dicenti Deo, & credere in Deum, sit credere, & credendo diligere Deum. Qui ergo, vt oportet credit Euangelio, & patri, hic in iudicium, non venit, hoc est, in iudicium damnationis æternæ: sed transiet à morte peccati, ad gratiæ spiritualem vitam. Græcè non est futuri temporis, transiet, sed præteriti, transijt. Quod si de morte naturali corporum, sermo sit. Lectio vulgata transiet congrua est: nam resurrectio ab hac morte, futura speratur. Si verò de mystica morte sermo habeatur, locus est difficior intellectu, si lectio Græca retineatur: siquidem de præsenti dixerat, qui audit verbum meum, & credit ei, qui me misit, sed quomodo congruet, transijt? Quod si de præsenti dixisset, trãsit, facilior erat sensus. Nisi dixeris Hebraismum esse, tempus vsurpare pro tempore, ideoque præteritum vsurpatur pro præsenti.

¶ Quæres forsitã quid est, quod ait, Habet vitam æternam, quandoquidem vita æterna non modo, sed in futurũ speratur? Respondebis, idem est dictu habet, ideſt, certissimè habebit, si in cœpta fide & charitate perseuerat, vt hęres hominis diuitis, vocatur diues, non ex eo quod habet actu, sed ex eo, quod iure hæreditario habet. Quia ergò iusti iure hereditario habent vitã æternã: ideò aptè illã habere dicuntur. *Amẽ, amẽ, dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quãdo mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint*

Iusti habent vitam æternã hæreditario iure.

audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatē dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Glossa interlinealis & ordinaria de resurrectione mystica locum hunc intelligunt: verum aptior est interpretatio de resurrectione vera. Dominus enim insistit in declaranda æqualitate sua ad patrem, & ideò illam rursus probat dicens, aduenisse iam tempus, in quo mortui audiēt vocem filij Dei. Hoc est adesse tempus, in quo Dominus ex imperio suæ vocis, erat excitaturus mortuos ad vitam. Namque filiam Archisynagogi, suscitat dicens, Puella tibi dico surge: & filium viduæ etiam imperando suscitat, Adolescens, ait, tibi dico surge: & demum Lazarum ex imperio suscitat clamans, Lazare veni foras. Hoc autem est testimonium suæ diuinitatis, quia nullus sanctorum imperauit morti, sed precibus obtinuerunt excitare quos excitarunt à morte in vitam. Ideò ait, Venit hora, id est, proximum est tempus, quando ego suscitabo mortuos ex imperio, tanquam Dominus mortis.

Luc. 5. Matth. 9. Ioan. 11.

Christus vocis imperio fugat mortē quia est Dñs totius naturę

¶ Et Paulus Apostolus ad Roman. 1. ex resurrectione mortuorum docet Christum declaratum esse filium Dei, & ex sanctificationis spiritu: quam sanctificationem Dominus vocat viuificationem, dicens, Quos vult viuificat. Neque te turbet quod ait, mortuos audituros vocem Christi, quia per prosopopœiam verba sunt sumenda: nam habuerunt se instar audientium. Habet autem filius vitam in semetipso, quia Deus est, & pater habet vitam in semetipso obeādem causam. Habere autem vitam in semetipso, bifariam intelligere licet, aut esse viuens, & habere animam, & hac ratione vniuersa animata habent vitam in semetipsis. Alio verò modo, habere vitam sine dependentia ab altero, & hac ratione nihil habet vitam in semetipso, ideſt, ex seipso, nisi Deus solus. Vniuersa enim viuentia ab eo, vt à fonte vitalissimo hauriunt sibi vitam: filius autem Dei non dependet à patre: quāuis enim habet vitam à patre, quia tamen hæc vita est eadem essentialiter, cum patris vita, ideò non depēdet vita filij à vita patris, ne dicamus idem pendere à semetipso. Ideoq; etsi habeat vitam à patre, habet vitam in seipso, quia est idē Deus, qui est pater, essentialiter, non tamen personaliter. Non ergo filius Dei, dependet à patre, vt neque Spiritus sanctus dependet ab vtroque. Et ratio est, quia vbi est vnitas essentiæ dependentia non est. At verò tres personæ sunt vnus Deus numero, ideò fieri nequit, vt persona dependeat à persona. Et quod de filio hic traditur, idem dices de Spiritu sancto. Habet namque etiam vitam in semetipso. Quippe verus Deus est, igitur est ipsa vita essentialiter, & est vita increata, ergo est vita in seipso.

Nihil habet vitam ex seipso nisi Deꝰ

¶ Quod si obieceris, filius habet vitam à patre, & pater non est filius, ergo non in seipso habet vitam, sed à patre, idem colliget aliquis de Spiritu sancto. Respondebis, habere vitam filium à patre, vnde nascitur, verum vitam habet non ex creatione, vt creaturæ, sed ex æterna natiuitate: ideò, quia à patre habet Deitatem eandem, quam ipse pater habet, & illa Deitas est vita independens, & vitæ principium: ideò filius ex patre habet, quod habeat vitam in semetipso. Idem dicito de Spiritu sancto. Aliud est enim habere vitam in semetipso, aliud ex seipso. Filius habet vitam in seipso, & quod sic habeat, habet ex patre: at nō ex se ipso habet vitam, sed ex patre, accepit hanc vitam. Solus igitur pater habet in semetipso, & ex semetipso, quia ab alio non procedit. *Sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Dedit quidem non gratis donando, sed naturaliter generando. Sic dedit, tu intellige, quo ad omnia essentialia, non quo ad notionalia, vel personalia. Quia ergo filius est essentialis vita, & inde est principium vitæ creatæ, & propterea potens est suscitare mortuos largiendo illis vitam: nam huc spectant omnia hæc verba. A priori igitur probat se posse ex suo imperio suscitare mortuos, quia habet vitam in semetipso. Et à posteriori probat se esse Deum ex ipsa resurrectione mortuorum, quam erat exhibiturus.

Spiritus sanctus habet vitam etiam in semetipso.

Pater habet vitā in seipso & ex seipso, quia à nullo procedit.

¶ *Et potestatē, &c.* Non solum potest suscitare mortuos Christus sed etiam habet potestatem à patre iudicandi finaliter omnes homines, id quod etiam probat suam diuinitatem: siquidē soli Deo cōscientia hominis subditur, anima nāq; rationalis, à solo Deo depēdet, à quo est creata, quare

iudicium animorum solius Dei est. Quod verò ait, *Quia filius hominis est.* Phrasis est Hebraica, vt supra est commemoratum, id est, quia homo est. At continuo, dicet aliquis, si hæc causalis vera est, igitur omnis homo est iudex vniuersalis. Enimuerò si aliquid est appetibile, quia bonum, igitur omne bonum est appetibile.

¶ Chrysostomus ex hoc motus argumento, legit hæc verba non iungendo illa superioribus, sed referendo ad inferiora. Legit enim sic, Quia filius hominis est, nolite mirari hoc, hoc est, nõ miremini quod ego sum iudex hominum à Deo constitutus, quia hominem me videtis esse. Docet autem lectionem priorem fuisse Pauli Samosathæi, quia hic legebat, Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est: & ideò hanc lectionem reprehẽdit, & probat præhabitam. Illi assensit Theophilactus, itemque Cyrillus, eandem probat lectionem. Quia Christus non quatenus est filius hominis, sed quatenus est filius Dei, habet potestatem iudicandi omnes homines. Cæterum si dixerimus, datam Christo potestatem iudiciũ facere, quia est homo, non simpliciter, sed quia est homo vnitus personaliter Deo, cessat omnis ambiguitas. Non ergo causa præcisa est potestatis datæ iudiciariæ Christo, quia homo est, sed quia homo, & Deus est, hac fruitur potestate. Augustinus autem libr. de verbis Domini retinens lectionem vulgatam exposuit locum istum, Dedit ei potestatem iudiciũ facere, quia filius hominis est, hoc est, quia apparebit iudicandis omnibus in forma serui: quia in hac forma fuit damnatus quasi reus, in eadem etiam forma iudicabit reos. Est autem consentaneum iudicem videri à iudicandis, vt ergo visibilis omnibus demonstratur, ideò iudicabit orbem in forma visibili humana. Pater autem non habet hanc formam, neque Spiritus sanctus, ideò non dicuntur iudicaturi orbem. Quia quamuis Spiritus sanctus in forma visibili columbæ apparuerit, non tamen hæc iudici apta est forma qualis forma hominis, ex qua iudicaturus est Christus homines. *Accepit potestatem.* Ex tempore, quando verbum caro factum est collata est Christo, vt homini hæc iudiciaria potestas super vniuersum orbem: est enim tum constitutus à Deo patre iudex viuorum & mortuorum Act. 17. At verò quatenus Deo, coæterna illi est potestas hæc: etenim Deus habet primariã potestatẽ iudicandi homines, & angelos. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem iudicij.* Dixerat supra, Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & probaturus quod dixerat, adiecit, se habere vitam in semetipso sicut pater, idest, sicut pater habet vitam viuificantem, ita filius habet vitam viuificantem: & ideò mortui audientes vocem filij fient rediuiui: & loquebatur tunc de resurrectione particulari quorundam mortuorum, vt prædiximus. Nunc verò subdit, *Nolite mirari hoc*, hoc est, non teneamini admiratione ex eo, quod dixi mortuos quosdam audientes vocem meã euigilaturos, quia in nouissimis diebus omnes mortui, non quidam solum, vt nunc, me viuente, in carne mortali, sed omnes mortui qui sunt conditi in monumentis, quod adiecit, vt subindicet, se sermonem habere de resurrectione corporum, & non animarum: animæ enim non sunt in monumentis delitescentes, vt cadauera mortuorum. Omnes igitur mortui audient vocem filij Dei tunc, & prodibunt ex sepulchris suis, quidam ad coronas æternas, id quod vocat resurrectionem vitæ, alij verò ad damnationem excitabuntur æternam, id quod vocat resurrectionem iudicij. Et rectè hac ratione nominantur: quia electi suscitabuntur, vt viuant æterno, ideò eorum resurrectio est vitalis resurrectio, quippe quæ ad vitam æternam est. Reprobi verò suscitabuntur, vt damnentur, ideò ex fine hoc, vocatur resurrectio iudicij.

Cur Christus iudicabit in forma hominis.

Christus quatenus ex tempore accepit iudicandi potestatem.

Resurrectio vitæ, & resurrectio iudicij.

¶ Et obserua, supra dixisse Dominum venit hora, & nunc est, modo verò non adiecit nunc est. Quippe resurrectio quorundam facta est à Christo sub sua prædicatione verum resurrectio generalis, non modo, sed futura expectatur, ideò non adiecit nunc.

¶ Erasmus non vertit procedent, sed prodibunt: quia procedere est ad bonum, non tamen omnes resurgentes, resurgent ad bonum, quia quidam ad malum

lum resurgent suum. Verum Matth. 15. Quod procedit ex ore coinquinat hominem: vbi procedere, non significat exitū ad bonum, sed ad malum.

¶ Græcè non legitur filij Dei, sed eius, scilicet, qui audierint vocem eius, quia refertur ad filium Dei. Hæc autem vox, est Christi imperium mandans fieri illo die resurrectionem vniuersalem. Quod per vocem illam, cuius meminit Paul. 1. Corinth. 15. canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti executioni mandabitur: de resurrectione mortuorum, in declamationibus ad Esaiam. at in. 4. Sententiarum ad finem, nos multa disseruimus: ideóque illis supersedendum in præsentia est.

¶ *Non possum ego à me ipso facere quicquam sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Dudum dixerat, Nō potest filius à se facere quicquam, id quod modo repetit, vt doceat, iudicium vniuersale omnium hominum, ab ipso fore exercendum paterna autoritate, & summa rectitudine. Paternamq; Christo, vt homini excellentissimam hanc commisit iudicandi potestatem. Et Christus quatenus homo habet infusam scientiam, per, quam cognoscit clarè omnes humani pectoris latebras, omniaque quorumcunque hominum, & facta, & dicta: & per hanc infusam scientiam quæ euidens est, Christus iudicabit. Et hanc infusam scientiam quia habuit à patre, tanquam à primario doctore, ideò ait, Sicut audio iudico, hoc est, vt sum eruditus à patre meo sic modo iudico apud me iudicio occulto, quosdam enim iam prævideo damnandos, & alios seruandos. Et eodem doctore iudicabo rectissimè in die iudicij finalis: quia doctrina Dei, qua ego sum eruditus infallibilis est.

Christus quatenus homo est eruditus à patre.

¶ Verum Christus, quatenus Deus, non instruitur à patre, neque ab ipso eruditur, quippe qui patri æqualis est. Cæterum quia à patre habet diuinitatem, & sapientiam æternam, ideò hac ratione audit à patre, quod supra dixerat se non posse facere nisi quod vidisset patrem facientem.

Sensus metaphoricè trāsferuntur in mentem.

¶ In spiritualibus autem, metaphoricè dicuntur visus, & auditus, gustus, & tactus, & olfactus, ideò, ipsa mens, vt intelligit euidenter videre dicitur, vt autem hanc intelligentiam ab alio accipit dicitur audire, &c. Quia ergo Christus ex euidentia scientiæ omnium rerum, qua potitur, iudicat ideò eius iudicium iustum est. Quia verò contingit homines plerumque rectè scientes, quæ iudicanda sunt, torquere iudicium in sinistram partem, non defectu scientiæ, sed prauitate affectus subdit Christus, Non quæro voluntatem meam, &c. Hoc est, non potest esse meum iudicium falsum: procedit namque ex scientia infallibili, quam audiui à patre meo, & procedit à voluntate rectissima, quia quod volo, volo secundum voluntatem patris mei. Et obserua, quod is, qui vult quod Deus vult, is non facit voluntatem suam, sed Dei, siquidem non facit quod facit, quia ipse illud vult, sed quia Deus vult, & vbi vnum propter aliud iuxta regulam topicam ibi est tantum vnum.

Christi iudicium iustum ex duobus.

¶ Obserua secundo, audire modo non significat, quod Christus sensu carnis audierit à patre, qua nam ratione sit iudicaturus orbem: sed audire est mente percipere. Vnde apud Esaiam legimus. 50. Dominus mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Aurem erigebat non exteriorem, sed interiorem cordis, reuelans tacitè vati, sine strepitu vocis, arcana suæ diuinitatis.

Audire est mente percipere aliquando.

¶ Idem habes Iob. 4. Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius. Verbum eò vocat absconditum, quia non erat sensibile, sed intelligibile verbum. Verba igitur huiusmodi abscondita animæ Christi, simul atque fuit condita, fuerunt dicta, quia fuit imbutus omnigena scientia, siue cœlestium, siue terrestrium, siue infernorum.

Verbū intelligibile audit auris mentis vt sensibile auris corporis.

Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium eius, quod perhibet de me. Rursus inculcat, quod dixerat se esse iustissimum iudicem, & hoc probat, quia Ioannes Baptista tulerat non semel, sed frequentissimè præclarissima testimonia de Christo, nempe quod ipse erat verus Messias, à Deo humano geneti redimendo exhibitus: quare iustissimus est iudex. Vnde ait, Si ego

perhibeo testimoniũ de me ipso, testimonium meum non est verum. Hoc est non erit autenticum testimonium apud homines, quia nullus testatur efficaciter de se ipso apud alios. Ita si Christus de se testaretur, & alius non contestaretur, Christi testimonium à Iudæis non censeretur efficax, quod alioqui fuisset efficacissimũ. Sed Christus voluit hominibus consulere secundum humanum modum. Quia igitur humana ratio docet, testimonium proprium, non esse efficax, quia omnes plus satis se diligunt, ideò de se ipsis non sunt recti iudices, propterea Dominus, quanuis ipse erat veracissimus de se testis, nihilominus voluit vti alterius testimonio, declarante, quis nam ipse esset. Et quidem supra dicebamus, supernaturalia, quæ ex ratione natiua assequi nequeunt, egere testimonio supernaturali quo vsus est Christus.

Quatuor genera testimoniorum de Christo.

¶ Sunt autem de Christo multa testimonia, testantia Christum esse veracem, Ioann. 1. testimonium Ioannis, & testimonium paternæ vocis testantis Christum esse sibi dilectum filium, & ab hominibus esse audiendum, Matthæ. 3. Et testimonium operum. Opera, ait, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. Miracula enim, quæ Christus in mortali degens carne gessit illa testabantur eundem esse Deum: quia, vt diximus supra ipse solus imperabat morti, suscitando à morte mortuos. Rursus quarto testantur de Christo scripturæ. Scrutamini, inquit, scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me. Quod si fortè perfidi Iudæi Ioan. testimonium eleuant dicentes fuisse subornatum testimonium, adiectum est testimonium ex operibus, quod est præclarum testimonium, quia opera sunt, quæ fidem faciunt, potius quã verba. Quod si dixerint Iudæi, vt dixerunt, In Beelzebub principe eijcit dæmonia, & arti magicæ insanientes tribuant hæc mirabilia Christi opera, cur non credent patri Deo, testanti Christum esse filium suum dilectum? Quod si hanc reuelationem dixerint fictam, refragari nequeunt scripturis propheticis, quas ipsi infallibiles esse credunt. Namque ista scripturæ testimonia, non habent vnde contaminentur, quanquam omnia relata testimonia sunt incontaminata & probatissimæ veritatis testimonia. *Vos misistis ad Ioannem & testimonium perhibuit veritati. Ego autem ab homine testimonium non accipio, sed hæc dico, vt vos salui sitis.* Explicat quod dixerat dudum, Alius est, qui testimonium perhibet de me: quia Baptista erat, qui huiusmodi testimonium tulerat de Christo. Veruntamen Christus propter se hoc testimonium non desiderabat, sed propter alios: ideò ait, Ego testimonium hominum non accipio, hoc est, non vtor testimonio humano, propter bonum meum, sed propter bonum vestrum, vt, scilicet, vos ex testimonio mihi credentes, salui sitis. Hinc tu considera quomodo verum est fidem esse donum supernaturale: quia quanuis vox Ioannis, vox patris, opera Christi, scripturæ Christum clamant, cæterum etiamnum multi alto somno dormiunt, & in sua infidelitate conquiescunt.

Fides est donum supernaturale.

¶ *Ille erat lucerna ardens, & lucens: vos voluistis ad horam exultare in luce eius.* Exponit qualitatem prædicti testis, esse maximam: quia lumine doctrinæ emicuit, & ardore charitatis feruebat: ideoque nihil, vel ignorantia rerum, vel affectus iniquitas poterat eiusdem perturbare testimonium. Iudæi autem primo Ioannem commendantes, summopere à Deo, & crederent ipsum esse Messiam, tandem ab ipso defecerunt. Matthæ. 7. Lucæ. 11.

¶ *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne: opera enim, quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia pater misit me. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Opera esse irrefragabile testimonium ipse Dominus alibi docet, Matthæ. 7. dicens, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nihil enim tantam fidem facit de hominis virtute, aut vicio, quantam ipsa opera, ideò Dominus inquit, hoc esse testimonium maius, quam testimonium Ioannis: quia apud homines pluris fiunt opera, quam verba. Deus autem non eget, vel verbo, vel opere, vt intima cognoscat, cui cor patens est. Hinc disces miracula Christi esse digniora testimonia, quam verba Ioannis. Tametsi verba Ioannis, erant dignissima testimonia. Verum Christi mira-

miracula confirmarunt Ioānis verba, ideò ait, opera sua esse nobiliora, seu maiora testimonia, quā Ioannis testimonia: quia miracula per se sufficerēt ad testimonium Christi. At verba sola non sufficerent, coram hominibus, qui ægerrimè supernaturalibus credunt. Et addit aliud paternum, scilicet, testimonium, cuius supra mentio facta est. Et considera verba hæc domini, Erat lucerna ardens, & lucens, si forte, iam Ioannes, quando hæc docebat dominus, vel erat extinctus, aut carceri traditus: quia non ait, Est lucerna ardens, & lucēs, sed, erat de præterito. Quod si obstiteris obijciens locū priorem. Alius est, qui testimoniū perhibet de me, & nō ait, perhibuit, igitur ad huc super stes erat Ioannes forsitan, quia proximè præcesserat: ideo reputatur præsens, aut quia Ioannis testimonium recens erat, & in mentibus presentium viuebat, & clamabat, ideo dixit, Perhibet de me.

¶ Quod autem nunc de Baptista commoratur, esse lucernam lucentem, & ardē tem, idem de Elia memoriæ proditum est Eccl. 47. Et surrexit Elias prophēta, quasi ignis, & verba eius quasi facula ardebant. Vbi vides lucem & ardorē, copulata fuisse ad Eliæ cōmendationē. Sunt enim homines lucentes doctrinæ splendore, non tamen feruentes charitatis feruore: & sunt alij contra feruentes, & non lucentes, vt sunt idiotæ: quorum sancta est rusticitas: at verò sibi soli, nō ecclesiæ Dei proficua. Verū primi alijs proficientes, sibi obsunt, vt postremi sibi prosunt, & alijs non prosunt. Cæterum consummata prædicatoris est virtus, si cum alijs luceat splendore doctrinæ, illis quoq;, & sibi proficiat sanctorum operum exemplo.

Elias & Ioannes lucebant & ardebant.

Cōsummata prædicatoris virtus qualis.

¶ Apostolos quoque dominus, vocat lucem mundi. Vos, inquit, estis lux mundi &c. In luce enim ambo hæc coniūguntur, & splēdor, & ardor. Porrò fideles omnes, filij lucis à Paulo appellantur. 1. Thessa. 5 & mūdi luminaria, ad Philip. 2. Nō quod omnium fidelium sit docere alios quæ fidei sunt, & sanctorum morum: istud namque doctores ecclesiæ sibi vendicant munus: at verò quia fideles omnes Christū: credunt, & amare tenentur, qui vera lux est, ideo filij lucis cognominantur. Rursus quia si cōferas fideles ad infideles, vniuersi infideles sunt in tenebris ignorantiæ ignorantes lucem veram fideiq; at fideles habitant in luce hac, instar filiorum Israel, qui vbicunque erant habitabant in luce. Exod. 10. *Neque vocem eius audistis, neque speciem eius vidistis. Et verbum eius non habetis in vobis.* Quorsum hæc verba intulerit dominus, quam ve cohærentiam habeant ad proxima, hæsitabit aliquis: quia non videntur prioribus cohærere. Dudū enim dixerat Iudæos non recepisse testimoniū de Christo, à patre prolatum Christique operibus confirmatū: qui ergo congruit modo, quod dicit, neque vocem eius audistis, neque speciem vidistis. Imo potius videntur hæc verba suffragari Iudæis. Quippe possent obijcere Iudæi Christo se non audiuisse hoc patris testimonium, neque patris speciem vidisse.

Fideles cur filij lucis appellati.

Contextura literæ declaratur ex Cyrillo.

¶ Respondet Cyrillus Christum sæpe respondisse cogitatibus Iudæorum, & non verbis. Vnde quia cogitabant Iudæi intra se hæc audientes Christum dicere, se vocem patris audiuisse, & tamen nunquam audiuisse testimonium de Christo, itemque speciem Dei vidisse, & nihilominus hoc testimoniū eos latere: ideò dominus respondēs cogitationibus eorum inquit, Neque vocem, &c. Quasi apertius dixisset, Fallimini in vestra opinione, quia neque vocem audistis Dei, neque speciem eius vidistis.

¶ Putat autem Cyrillus Iudæorum fuisse placitum Deum esse corporeum, ideò & habere vocem tanquam animal, & habu ſ se visibilē formam. Vnde voces illæ, quæ narrantur Dei, & forma illa visibilis, sub qua apparebat patribus fuisse credebant veras & proprias Dei voces, idem de forma. Exodi. 20. Et quanquam Iudæi, cum quibus loquebatur Deus, non audierant voces huiusmodi, neque viderant formā illam, at vero, quia legebant, quales illæ fuerant voces, atque figuræ, & maiores eorum, illas viderant & audierant, ideo dominus omnibus Iudæis ait, Neque vocem eius audiuistis, neque speciem vidistis, & verbum eius non habetis in vobis.

¶ Cæterum verba hæc domini non erant intellectu difficilia, si ad voces sensibiles, Dei patris quas euāgelica denarrat lectio, referuntur. Quippe legimus Patris ad Iordanem exonuisse vocem sub Christi baptismo, & sub Christi transfiguratione in monte Tabor. Matth. 3. & 17. Has autem

sensibiles voces Iudæi non audierunt, sed priorem Ioanne Baptistā, & fortes discipulorum eius aliquis. Et vocem secundam tres illi apostoli, quos dominus in comites elegit suæ in montis ascensionis. Veruntamen quia dominus ait, Neque vocē eius vnquam audistis, &c. sermo est negatiuus vniuersalis, non de quibusdam Dei vocibus, sed de omni voce, vt significet vocem eius nūquam audistis vos neque maiores vestri, itemque de specie. Dixerim autem, si meam forsan desideras sententiā primo contexturam huius loci ad priora hinc esse captandam. Iudæi putabant Ioseph esse patrem Iesu Christi, Lucæ. 3. Putabatur filius Ioseph. & Marci. 6. Nonne hic est faber filius Ioseph. Domino igitur dicente, patrem perhibuisse, de ipso testimonium, Iudæis tunc subijt cogitatio, patrem testantem de Christo, fuisse Ioseph. Vnde testimonium eneruabatur, quia patris de filio testimonium enerue est. Ideò vt paterni testimonij robur, & summā autoritatem ostenderet, abducit Iudæos, à sua opinione dicens, Neque vocem patris mei vidistis, neque speciem seu vultum vidistis, neque verbum eius habetis in vobis. Quasi dixisset, non putetis patrē meū esse vocalem, & humanas habere voces instar cæterorum hominum vocum, aut habere humanū vultū. Pater meus enim nō habet vocem humanā, aut formam quippe qui Deus est, & Deus spiritus est. Idcircò, maius est testimonium hoc patris mei, quam humanum possit esse testimoniū: & verbum patris mei non habetis in vobis. Quia etiam si me qui sum verbum huius patris habeatis apud vos, quia sum apud vos edens & bibens in vestrisque vrbibus habito, at vero non habetis me fide, & amore in cordibus vestris, quia contra me inuidia pessima corrodimini, adeò, vt velitis me interficere. At dicet aliquis, quid ergo est, quod Deute. 4. habetur vocem verborū eius audistis, & formam penitus nō vidistis. Et quod Matth. 3. & 17. vox patris commemoratur illa, Hic est filius, &c. Respondebis, Deum non habere vocem, animalem, vt neque habet angelus: quia vox est sonus ab ore animalis prolatus cum imagine significandi: Deus autem, aut angelus, non habent os, neque vocalia instrumenta. Verum voces, quæ narrantur in scripturis diuinæ sunt similes vocibus humanis, ideo appellantur voces. Et in Deute. non dicitur vocē eius audistis, sed vocem verborum eius, audistis, hoc est, verba ab illo prolata audistis. Et Matthæus non vocat vocem patris, sed vocem cælestem. Vox inquit, de cælis audita est, vt neque apud Marcū, neque apud Lucam: sed vox appellatur de nube, aut vox de cælo. Quia huiusmodi vox formata est diuinitus, ad repræsentandum patris personam: vt etiā forma ex qua pātribus visus est Deus, non erat diuinitatis forma, quia hæc nō est visibilis, aut sensibilis, aliquo sensu verum quia diuina arte fabricata est ad repræsentandum Deum, vt Esa. 6 Vidi dominum sedentem, &c. Ideo dicitur diuina forma, cū alioqui diuinitas formam non habeat huiusmodi. Deut. 4. formā eius non vidistis. *Quia quē misit ille, huic vos non creditis.* Declarat quod dudum proposuerat, Non habetis verbum eius in vobis manens: nam habere verbum Dei, est illud credere, & amare. Vbi vides vt se insinuat patris æterni esse verbū. Ait enim, ex eo Iudæos non habere verbū Dei manens in ipsis, quia non credebāt Christo. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, vt vitā habeatis.* Denarrarat multa, quæ testabantur ipsum esse filium verum Dei, videlicet, Ioannis testimonium, & paternum, & operum testimoniū, tandem profert ex scripturis ex lege, scilicet, prophetis, & psalmis, Lucæ. 24. hoc eodē vtitur testimonio. Hoc autem vt inexpugnabile, & nulli patens calumniæ vltimo loco posuit testimonium. Quippe, vt dicebā calumnias parauerunt aduersus Ioan. testimonium Iudæi, dicentes Dæmonium habet, & operibus domini: itidem conuicia bātur aientes, in Beelzebub principe eijcit dæmonia. Et vocem patris ipsi non audierunt, sed quid etiam si audissent obijcerent illam fuisse fictam? Porrò scripturas sacras quas apud se habebant in summa autoritate, nō poterant aliqua aspergere macula, vel suspicione falsitatis: idcirco has tandem docet Christus perhibere etiam cum reliquis commemoratis, de ipso testimonium. Et ex hoc loco considera Iudæos etiam ante Christi aduentum credidisse esse vitam æternam, vt verba Christi demonstrant.

Contextura euangelij.

Deus non habet vocē animalem, neq; angelus.

Diuina forma est solū intelligibilis, non tamen sensibilis.

Quatuor testimoniorum genera tetigit Christus esse filiū Dei.

¶ Et

Lutherus refellitur.

¶Et rursum considera aduersus Lutherũ, & suos asseclas opinãtes scripturas esse claras, non indigẽtes doctore. Hoc namque delirium sermo domini præsens refutat, dicẽs, Scrutamini: quæ enim scrutinio indigẽt, non sunt in propatulo: sed quia egẽt indagatione, obscura, & non peruia sunt. Cur autem dominus decreuerit obscuras esse, in præfatione ad Esaiam docuimus. *Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Hoc est, non quæro humanam gloriam, neque illa indigeo: propterea non dimittam quo minus libere vobis loquar, quod Dei dilectionẽ non habetis. Si enim quęsissem humanam gloriã, hæc sane me detineret, ne vobis propalarẽ veritatem. Verum quia hanc non exquiro, ideò vobis clarè vestra delicta pronuncio, claritatem à Deo, & gloriam, quæro quia hæc vera est gloria, claritas autem quæ ab hominibus est, quia futilis, est, & cito marcescẽs, ideo illam paruipendo, quare nihil mihi curæ est quod mihi indignemini, si vestra crimina vobis obijciam.

Christus paruipensor humanæ gloriæ

¶Quod si obieceris, Imo claritatem ab hominibus Christus quæsiuit, Acto. 1. Eritis mihi testes in Hierusalem, &c. respondebis Christum quæsisse apostolica, & discipulorum suorum testimonia, non propter se, sed, vti nos salui simus. Cæterum ipse non eget propter se nostris testimonijs. Quod autem dicit, Ioan. 17. Clarifica me tu pater, apud temetipsum claritate, quã habui priusquam mundus fieret. Petit sane clarificari nõ ab hominibus, sed à Deo, non quatenus Deus, quia hac claritate ab æterno clarus erat, apud patrem: quia erat gloria eius, & splendor eius: sed quatenus homo erat. Hęc autẽ claritas, erat vt Deus manifestaret claritatem, seu diuinitatem Christi miraculis sufficientibus, id quod factum est. Hæc autem claritas non erat gloria humana, sed diuina testificatio, quę est veracissima testificatio. *Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Quasi dicat, Ego veni missus à patre, & ex patris autoritate vobis annuntio veritatem docẽtem me esse verum saluatorem mundi, & testimonijs, & miraculis, & scripturis verum hoc esse ostendo: at veniet Antichristus, nullo autẽtico testimonio vtens, nulla miracula vera illi suffragabuntur, sed mendacia: scriptura illi nõ astipulabitur, & hunc nihilominus vos recipietis, & me non recipitis. Nicolaus tradit hoc inchoatum esse in quodã Iudæo Menoceba, quẽ receperunt Iudæi, tanquam Messiam: & complebitur tandem in Antichristo.

Christus vt Deus semper clarus fuit apud patrem.

Menoceba vsurpauit Christi nomen.

¶Erat vaticiniũ de Antichristo. Gen. 49. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita: mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Antichristus enim ducet genus, ex tribu Dan. Cõfertur colubro, quia coluber vmbrosa amat, & super pectus suum humi repit. Antichristus in vmbra legis Mosaicæ delectabitur, quia Iudæis temporalia bona distribuet, id quod ipsi à suo Messia sperant. Et ad hæc temporalia bona torquebit legis & prophetarum sermones, vnde claritate spiritualis intelligẽtiæ neglecta vmbram carnalis sensus Antichristus amplexabitur. Porrò humi repens, cælestia non gustabit & non habebit pedes sanctorũ affectuum, quibus stare possit in via Dei: sed super pectus suũ gradietur, vt maledictionem callidi illius, & antiqui serpentis, cuius ipse filius ex imitatione erit, participet.

¶Erit igitur ceu coluber in via, quia impedimento erit fidelibus, ne gradiantur per viam euãgelicam ad cælestem patriã, vt coluber impedimento solet esse viatoribus, ne gradiantur per viam, in qua ipse existit, & sicut cerastes in semita. Alia lectio, Aspidem, legit, alia vero Regulũ, vt Hieronymus. Qui omnes sunt venenatissimi serpentes, qualis erit Antichristus, quo nullus pestilentior, vel erit, aut est, aut fuit homo, quia ipse erit pestilentissimus omnium: per viam tamen, & semitam idem intellige, quia hic versus, est repetitio prioris. Mordebit autem vngulas equorum, vt cadat eques retrò, quia id temporis, nisi dies breuiarentur tantæ calamitatis, non salua foret omnis caro. Matthæ. 24 Et plerosque etiam eminentissimos præcipitabit à fide, & charitate Dei, & demerget in barathrum. Tanta erit hominis illius potens nequitia. Ad literam tamen de Sansone intelligitur locus hic: secundum allegoriam verò de Antichristo. Alij autem ad Christum referunt de qua re alibi.

Antichristus coluber & cerastes.

Antichristus pestilentissimus futurus.

¶Hunc ergo pestilẽtissimum hominem, recipient Iudæi ad mundi finẽ, nulla Dei autoritate fultum, sed propria industria, & fal-

& fallaciſsima arte, Iudæis imponentem. Et cauſa erit, quia non miraculis, & ſancta prædicatione, ſed vel violentia, vel diuitijs, vel voluptatibus, homines pertrahet in ſuam ſententiam. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Mundana, cæleſtibus, magnum bellum ſepe faciunt: ideoque mũdana gloria, vt diuitiæ, vt voluptates, vt denique ſenſibilia omnia aduerſantur cæleſtibus. Vnde ne illa amittamus, plerũque hæc deſpicimus. Inglorium igitur eſſe exiſtimabant Iudæi Chriſto pauperi hærere: ideò Chriſto non miſerunt legatos ſciſcitaturos, num ipſe eſſet Chriſtus? Verum ad Ioannem, quia ponti ficis erat filius, legatos deſtinarunt. Vt apud nos multi violant legem euangelicã, vel ex ambitione honoris, vel ex pecuniarum auiditate, vel ex voluptatum concupiſcentia, vel ex alijs mundanis cauſis. Qui ergo hæc quærit, ideſt, ſic amat, vt illa pluris faciat, quã cæleſtia, credere non poteſt: aut ſi iam credit, fidem mortuam habebit. Ideo dominus inquit. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem capitis. Et rectè: nam qui quærit humanum, & non diuinum placitum obſtaculum ingens habet fidei accipiẽdæ. Animalis namque homo non ſapit quæ Dei ſunt. Vnde dixit ille, Diſsipauit dominus oſſa eorum, qui hominibus placent. Concinitque Paulus dicens, An quæro hominibus placere? ſi hominibus, placerẽ Chriſti ſeruus non eſſem, ad Gala. 1. Et dominus, lucæ. 14. obnixè hoc idem docet, relinquẽda eſſe hæc, ſcilicet, parẽtes, & amicos, & ſubſtantiam propriam deferendã, imo & animam propriam odio habendã, vt euãgeliũ ſuſcipiatur. Aduertebat enim horum amorem obſtaculum futurum fidei ſuſcipiẽdæ. Euangelium namque hęc docet calcanda: qui ergo illa plurimum amat, euangelium non ſuſcipiet, imò faſtidiet, vt proprijs affectibus, & vtilitatibus aduerſarium. Neque tamen dominus, propter hæc verba, honorem, vel ſubſtantiam terrenam quærere prorſus vetat, ſed ſic hæc quærere prohibet, vt pluris faciamus terrena, quam cæleſtia, vt Iudæi qui gloriam mundanam ſic quærebant, vt propter illam fidem non ſuſciperent. Et hac ratione vel gloriam mundanam, vel alia ſeculi affectare bona noxiũ eſt: & ab euangelica lectione reprobatũ. Et hoc ipſum ſæpe contingit etiam num: timẽtes enim infideles homines, ne ab alijs infidelibus exprobrẽtur, neve vilipendantur, fidem non ſuſcipiunt: vt Iudæi, qui Romæ conſiſtunt ſcientes, ſpoliãdos fore ſuis bonis ſi baptiſmo luſtrentur, baptizari detrectãt. Verum dominus hic nos hortatur, vt gloriam æternã, quæ à ſolo Deo eſt, quia gratiam & gloriam dabit dominus, præferamus mũdanis omnibus. *Nolite putare, quod ego accuſaturus ſum vos apud patrem, eſt qui accuſet vos Moyſes, in quo vos ſperatis.* Infidelitatis crimen, quo Iudæi tenebantur, accuſandum tandem & puniendũ hic docet Chriſtus. Quia tamen ipſe iudex eſt viuorũ, & mortuorum, & iudicis nõ eſt accuſare, ſed iudicare accuſatum, ideo ait, *Nolite putare, &c.* Verum profert Iudæorum accuſatorem futurum Moſem, in quo Iudæi ſperabant. Hoc eſt in obſeruatione legis Moſaycæ vos collocatis ſalutis veſtræ fiduciã, vt in re diuina atque proinde certiſsima, hæc autem lex vos accuſat modo, hoc eſt, demonſtrat eſſe accuſandos & puniẽdos: & accuſabit tandem in die iudicij, quod mihi nõ credidiſtis, ſiquidẽ lex hæc meũ eſt teſtimonium. Deut. 18. Neque tamen mirum, ſi mihi fidem nõ habeatis, ſi huic legi, quam vos pluris facitis, quam verba mea, fidem non habetis.

¶ Obſeruabis, Moſem non ſemper ſignificare perſonã illam illuſtriſsimã, appellatam hoc nomine, nam aliquando hoc ſignificat, non tamen ſemper: ſiquidem nõ nunquam legem ſignificat. Habent, inquit, Lucæ. 16. Abraham, Moſem, & prophetas, ſi illos non audiunt, neque ſi quis à mortuis ſurrexerit credẽt. Et Lucæ. 24. Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt de me in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis. Hoc autem loco poteſt ſenſus aptus vtroque modo concinnari, ſi de accuſatione finali ſit ſermo, aut referendo ad perſonam Moyſi, quæ in die finali, accuſabit Iudæos, de incredulitate, aut ad legem referre poſſumus: ſi quidem Iudęi ex lege tenebantur credere Chriſto. Nam que ad Roma. 2. Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Iudæi igitur per legem Moſaycam ſunt accuſandi & damnandi: quia incredulitas ipſorũ, eſt contra legem Moſaycam, vt ſupra eſt oſtenſum, & modo dominus teſtatur idem dicens, de me

Mundana impedimento ſunt aſſequendis cęleſtibus

Iudex non accuſat, ſed accuſatum iudicat.

Moſes, analogice ſignificat legem & perſonã Moſaycam.

Pſal. 52.

Mũdana omnia non ſunt præferẽda cę leſtibus, ſed poſt habẽda.

me enim ille scripsit, subaudi, Deuter. 18. Gene. 49. Lex igitur scripta à Moyse, hęc damnabit, vel per hanc damnabuntur Iudæi. Verum quia ait, est qui accusat vos Moyses de præsenti, ideo de lege intelligere oportebit.

Lex Mosayca accusat, & accusabit Iudęos.

¶ Quæres forsan cur non meminit aliorũ prophetarũ, si quidem alij prophetæ etiã scripserunt de Christo. Lucæ. 24.

¶ Respondebis sub lege prophetas cõprehendi aliquando. Prophetæ enim fuerũt expositores legis Mosaycę, & fundamentum prophetarum fuit lex illa: ideoque si lex illa accusat, & accusabit Iudæos, item & prophetæ sancti omnes, accusant & accusabunt Iudæos, aut dicito, de prophetis iam meminisse dominũ dum ait scrutamini scripturas. *Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis.* Verba Christi, & Mosayca scripta quæ Deo inspirante est locutus, æquam habent infallibilitatis autoritatẽ, quippe quæ diuina sunt: cæterum digniora sunt verba Christi, quia immediate ab ipso verbo incarnato sunt prolata quam Mosaica scripta, quæ Moses literis mandauit. Cætetũ apud Iudęos infideles, literæ Mosaycæ erant maioris autoritatis, quam verba Christi: ideo inquit, si literis illius non creditis, quo modo verbis meis credetis? Rogitas forsan, quid est quod ait, si literis Mosaicis non creditis, quãdoquidem Iudæi Moysi maxime credebant? Et rursum quia dixerat dudum Iudæos spem habere in Mose, at si spem habebãt in Mosem, illi etiam credebant. Respondebis primo, credebant sane Mosi dicenti, vẽturum Messiam, at nõ credebant quod hic Iesus Nazarenus, quẽ oculis cernebant, esset Messias à Mose decantãtus. Deute. 18. Vnde credebãt generali fide & increduli erant particulari fide, quam tamen tenebantur de Christo, quem videbant particularẽ habere. Quia de hoc Christo, quem ipsi ob oculos habebant Moses scripserat, vt dominus ait, De me enim ille scripsit. Vnde etiam si sperabant in generali venturum Messiam, non tamen sperabãt hunc esse, quem videbãt, & tenebantur, tum non sperare aduenturum quem veniisse iam, credere tenebantur, Vel secundo dicito, qui credit rectè literis Mosaycis credet etiam in Christum. Quare Iudæi modo etiã si Moysi credant & legem eius custodiant, Christum tamẽ non credunt. Quia non credunt Moysi, vt oportet credere: sed eius legem torquent ad siniſtros intellectus. Quo item vicio laborabant eorum maiores, quia rectè non credebant Moysi. Et hoc est, quod dñs dicit, si crederetis subaudi, vt oportebat credere Moysi forsan crederetis & mihi.

Propheta fuerunt legis Mosaycæ interpretes.

¶ Laurentius docet, forsan, esse superuacaneum: quia Græcè non legitur, sed ἄν, quod interpretatur, vtique. Et Erasmus non esse aptam lectionem autumat, quia reuocat in dubiũ, quod Christus affirmat. Porrò, non reuocatur in dubium, quod Christus affirmat, per forsitã, sed ad libertatem arbitrij demonstrãdam, ponitur forsitan. Fides enim non est necessaria, vel coacta, sed spontanea. Et ad hanc rationẽ defenditur a vulgatis interpretibus, lectio vulgata: quanquam dominus hoc intendit ex hoc sermone, quod qui exactè credit Moysi & prophetis, quos comprehendit sub Mose, ex fide horum necessario cõsequetur fides, in ipsum. Quia quamuis fides sit spontanea in antecedente, non tamen in consequenti. Namque, qui credit Christũ esse Deum, fatebitur necessario esse omnipotẽtem. Moyses autem & prophetæ sunt velut antecedens: vnde infertur necessaria consequentia fides in Christum, non tamen euidenti, quia fides in euidens est. Circa prædicta considera, sicut Iudæi perfidi, ex sua lege sunt conuincendi de crimine infidelitatis: ita & fideles peccatores, ex euangelio conuincẽtur de suis malefactis & pagani ex lege naturali, sunt redarguendi in die nouissimo. Notabis circa prædicta quę dicebamus de quadruplici ganere testimoniorũ de Christo, quæ hoc cap. 5. continetur supra tradebamus, à Ioãne, fieri mentionem in canonica. 1. cap. 5. aliorũ testimoniorum. Quãdoquidem, inquit, tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus sanguis, & aqua, & hi tres vnum sunt. Dicet igitur aliquis, quãlia sunt hæc testimonia, num eadem, quæ priora, an alia? Respondebis testimoniorũ, quædam esse euidẽtia, alia vero ineuidẽtia, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus testimonium exhibẽt beatis, omnium articulorum fidei, & hoc testimonium euidens est.

Fides est spõtanea in antecedenti non inconsequẽti

Testimonia quædã euidẽtia, alia ineuidentia.

¶ Hoc autem testimonium nõ exhibetur viato-

viatoribus, quia videmus nunc per speciē in ænigmate: ideo testimoniū, quod viatoribus exhibetur est ineuidens: non soluens, sed generans fidem. At vero viatoribus etiam Pater, Verbum, & Spiritus sanctus de fide in Christum exhibēt testimonium. Nam patre testante, testatur Filius & Spiritus sanctus: verum Pater de Filio, & Filius de seipso, & Spiritus sanctus de Filio, quāuis modo hoc testimonium Trinitatis ineuidens est.

¶ At vero, quod in canonica epistola retulit, tria esse testātia Christum spiritus, sanguis, & aqua, non est testimonium diuersum a prioribus, quia idem testantur. Spiritus enim, significat spiritus sancti testimonium. At Ioanne Baptista testante, & Patre testante, & scripturis testantibus, & operibus contestantibus, Spiritus sanctus cotestabatur.

Exponitur locus Ioannes tres sunt qui testimonium dant in terrā spiritus, sanguis & aqua.

¶ Sanguis autē domini passionem, & mortem significat, & hæc testata sunt Christū esse Deum, quia tenebræ factæ sunt super vniuersam terrā, & terræmotus factus est sub domini morte Matth. 27. Et hoc testimonium sub testimonio operum comprehenditur. Per aquam vero intellige baptismi sacramentum. At baptismus testimonium exhibuit de Christo: siquidem in ecclesia primitiua. Act. 10. super baptizatos Spiritus sanctus forma visibili descendebat, in testimoniū Iesu Christi, qui instituerat baptismum.

Testimonia de Christo alia publica, alia priuata.

¶ Porrò hoc testimonium etiam sub testimonio operū continetur. Quare testimonia hæc, quæ Ioānes denarrat in canonica epistola continentur sub testimonijs, quorum facit mentionem hoc capite. Trinitas vero exhibet testimonium euidens in cælo beatis, viatoribus vero ineuidēs per Ioānem, per scripturas, per Christi opera mirabilia, &c. Et adde testimonium particulare, quod priuatim exhibet spiritus fidelibus, ad Rom. 8. Demum annotabis, tres causas relatas à Ioanne, cur Iudæi fuerunt increduli. Prima est, quia non diligebant Deum: secunda est, quia diligebant mundanam gloriam: tertia est, quia non credebant Moysi, vt oportebat credere.

MORALIA.

Tolle grabatum tuum, & ambula.

QVIDQVID saluator noster Iesus Christus, interim dum apud mortales ageret, operatus est mirabiliter, erga hominem exteriorem, eorum quæ circa interiorem operabatur id temporis & quotidie operatur mirabilius similitudinem gerit: id quod ingredienti in campum sanctarū scripturarum, haud dubium cōstabit. Enim vero suscitat mortuos Christus ad vitam temporalem, illuminat cæcos ad vidēdam lucem istam surdorum restaurat auditum ad audiendos sonos sensibiles, cōfortat debiles, sanat claudos, &c. quæ sane omnia, & internam viuificationem mentis, & illuminationem, & auditus spiritualis reparationem, & animi confortationem, & sanationem facile indicant. Quod si mirabilia sunt externa miracula Christi, multo mirabiliora, sunt interiora, & inuisibilia miracula. Quippe, multo mirabilior est suscitatio animi, quā corporis, corpus enim ad vitam labilē suscitatur, at animus ad vitam surgit immortalē. Et oculus carnis illustratur vt videat lumen hoc visibile, at mētis illustratio, est vt cernat lumen diuinum quod mentem eruit ab omnibus erroribus & hæresibus, & dirigit eandem ad vitam capessendam æternam. Et demum Christus aperuit surdorum aures, ad sonos hos sensibiles percipiendos, non tantū præstabat opus, quantum mentis aures opillatas plumbo peccati, reserans, vt diuini verbi exciperet fidem. Quod si ita hæc se habent, vt prædiximus, vtique paralytici huius sanatio miraculosa, aliam sanitatem longe mirabiliorem denotat. Hic namque paralyticus prolixissima correptus ægritudine, & hominem non habēs adiutorem, Christū tamen habens opitulatorem an nō rectissime significat homines pleroſque, qui iā diu est, quod peccatis onerantur grauissimis quorum salus iam apud homines deplorata est? At vero, isti considerantes huius paralytici desperatam salutem, & contra spem nihilominus adeptam ex Christi gratia, equidem non habent cur despondeant animos, sed sperēt Christi gratiam, quæ illis medebitur, si tamen inertes non fuerint, & suæ salutis contēptores. Enim vero si morbum deploratum corporis, dominus solerter verbo suo curauit, nūquid morbū animæ curare despiciet? Non sane siquidem

¶ Miracula Christi exteriora signant miracula interiora.

Mirabiliora sunt Christi miracula interioraquam exteriora.

Peccatores onusti peccatis etiā grauissimis nō desperent de salute

siquidem magis mentis amat, quam corporis reparare lapsus. Ex eo igitur prolixum, & conclamatum corporis morbum curauit, vt peccatores multis, & diuturnis detenti peccatis spē suæ salutis cōciperēt.

Hæresis concedens peccata esse nōnulla irremisibilia & argumēta quę illi suffragantur.

¶Fuerunt autem hæretici, quibus non arrisit doctrina hæc, credētes peccata vsque præfixum tempus, & numerum posse obtinere donationem, & remissionem, verum vltra illum numerū vel tempus, iam conclamata esse, & non posse donationem obtinere.

¶Legebant enim in Esaia. 15. Quid faciā vineæ meæ? Auferam sepem eius & erit in direptionem: diruam maceriem eius, & erit in conculcationem: & ponā eam desertam, &c. Si ergo Deus aufert sepem, & maceriam, hoc est, submouit auxilium suum ab homine peccatore, peccatis eiusdem hoc exigentibus, conficitur peccata quædam esse, quæ non sunt donanda remissione, quia Deus aufert auxiliū ab homine, ne ipse conuertatur, in pœnam præcedentium delictorum,

¶Adhæc Ezechielis. 3. hoc idē dominus ait, Ponam, inquit, offendiculum coram eo. Si ergo dominus offendiculum ponit peccatoribus, hoc est, obstaculum ne conuertantur, ipsi nō possunt cōuerti: & quia hoc non de omnibus verum est, erit post numerum quorundam peccatorum, & ex grauitate aliorum maxima.

¶Præter hæc Amos. 1. idem tradit super tribus sceleribus Damasi, & super quartū, non cōuertar. Si ergo Deus non se cōuertit aliquādo ad peccatorē in quibusdā peccatis, huiusmodi non sunt remisibilia.

¶Rursus de Antiocho legitur. 2. Macha. 9 Orabat sceleſtus dominū, à quo non erat misericordiam consequuturus.

¶Accedit eisdem Iere. 50. Curauimus Babylonē & nō est sanata relinquamus eā. Deus igitur obstinatos peccatores relinquit, igitur horū peccatū est irremisibile.

¶Et Esai. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. Si ergo Deus cæcat peccatores, & grauat eorum spiritualem auditū, ne audiāt, & ne videant spiritualia, horū peccatū videtur irremisibile.

¶Quibus omnib⁹ astipulari videtur quod euangelicæ docent literæ. Matthæ. 12. Mar. 3. Lucæ. 12. peccatū in spiritum sanctum non esse remittendū, in hoc seculo, sed neque in futuro.

¶Et Paulus de quibusdam dicit, traditos esse in reprobum sensum, ad Roma. 1.

¶Et Hiere. 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas, vos poteritis benefacere, cū didiceritis malum. Igitur videtur, cò infelicitatis peccatorem posse peruenire, quò non posset cōuerti ad dominū: vt neque Æthiops nigredinem suam, neque pardus varietates suas deponere potest.

¶Hæc, & hoc genus alia sunt argumenta, quæ hæretici isti, multitudinē diuinæ misericordiæ nesciētes. aut fastidientes eiusdem infinitatē aduersus illam concinnāt, Quibus diuinę misericordię terminos prę scribere moliuntur indonandis peccatis: cum tamen illis occinat Ioel dicens, Deū benignum esse & multæ misericordiæ & præstabilem esse super malitiam, quippe excedit diuina bonitas malitiam nostrā. Vnde adiecit, Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Vnde rectē illa sanctissima, & zelantissima diuini honoris Iudith. 8. culpans Iudæos conciues, dixit. Posuistis tempus diuinæ miserationis. Sub eandem que culpam cadunt hæretici, qui præscribunt terminum diuinæ clementię ad conuertendum ad se peccatores. Quasi vero Dei misericordia sit finita, vt humana misericordia: aut Deo non sit magis propriū misereri & parcere, quam vindictam sumere de peccatis nostris: aut Deus magis velit mortem peccatoris quam vt conuertatur, & viuat. Et age, si homo viator ad eum statum potest peruenire peccandi, vt peccatum suum sit irremisibile, aut istud continget ex defectu Dei miserentis, aut peccatoris non pœnitentis, non primum, quia misericordia Dei excellit omnia peccata nostra. Sunt namque peccata nostra secundum se finita, diuina autem misericordia infinita: infinitum autem incomparabiliter excellit finitum. Si secundum dixeris, agam adhuc tecum. Aut iste impœnitēs viator, in quocunque numero peccatorum constitutus existat, potest pœnitere, aut non potest pœnitere. Si primum, si ipse ergo potest pœnitere, & Deus poterit donare peccatum, ergo peccatum huius non est irremisibile: siquidem nō est impœnitibile. Si vero est impœnitibile, vt ita dixerim, igitur hic non est viator. Probabis collectionē: quia viator est, qui

Hæretici prescribūt terminum & limitē diuinæ misericordiæ indonandis peccatis.

Viator quilibet potest pœnitere & non pœnitere.

est

est in statu bene merendi, & malè merendi, pœnitendi, & non pœnitendi. Quare si hic non potest surgere à peccato, neque valet pœnitere, igitur in via existens viator non est. Quid ergo si viator non est super est, vel beatum esse eum dixeris, aut damnatum, ratione vtriusque non admittente, cum in via sit, vt supponimus.

¶Istis accedat quoque, Christū non præscripsisse terminum suæ impartiendæ peccatoribus quibuslibet misericordiæ, quando roganti Petro. Matth. 18. Si peccauerit in me frater meus, quoties dimittendū sit illi, num septies, respondit dominus, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies: & numerum finitū proposuit pro infinito ex cōmuni sanctorum declaratione.

Claues collatæ Petro regni cælorum sine certa mē sura sunt collatæ.

¶Præter hæc claues Petro cælestis regni committens, coapostolisque eius, non dixit. Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctū, ad remissionem peccatorum vsque ad certam mensuram, sed absolute ait. Quorum remiseritis peccata, remittūtur eis. Quod si dixeris, quid est ergo, quorum retinueritis, retenta erunt? igitur, quædam sunt ir remissibilia, & hæc sunt retinenda, quia non remittenda. Sed quid si faciamus hominem huiusmodi peccato laborantem, quod tu autumas esse irremissibile, pœnitere, siquidem vt prēmonebamus poterit pœnitere, vtique si accedit ad confessariū pœnitens, legitime de suo peccato, confessarius non poterit hoc peccatum retinere, igitur remittet. Non ergo dominus quædam esse retinenda peccata ex eo dixit,

Peccata de quibus nō pœnitemus sunt retinenda.

quod quædā sunt irremissibilia, quia nulla sunt huiusmodi, sed quia pœnitentes quidam accedētes ad suos confessarios nō legitimam cōuehunt pœnitentiam, & id temporis sunt retinenda.

¶Ad hæc si peccatum aliquod in via fateris irremissibile, vtique consequenter fatearis est necesse desperādum esse tunc de diuina misericordia: siquidem si irremissibile est, spes nulla restat obtinendæ remissionis. ¶At verò si desperandum est de remissione, quid est quod psaltes monet, sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in domino? Præter hæc, si sperare tenemur, quomodo desperare cogemur. Et cur reprehendimus desperantes se ipsos, vt Cain dicentem, Gene. 4. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear? Et

Sperare tenētur peccatores pœnitētes de remissione peccatorū

cur creberrime diuina scriptura, diuinæ misericordiæ laudes decantat, nisi vt omnes peccatores alliciat, ad veniam petendam suorum peccatorum? Et cur tot exēpla peccatorum cōuersorum proponit, vt Magdalenę, Matthei, Petri, latronis, &c. nisi, vt neq; grauitas peccatorū à pœnitētia faciēda nos deterreat, siquidē grauissimum fuit Petri peccatum, quod tamen fletibus veniam impetrauit. Neque peccatorum multitudo, à petenda nos auertat venia, quia multa erāt Magdalenæ peccata, siquidem per septē dæmonia, quæ ab illa dominus eiecit, vniuersitas delictorum significatur, nihilominus omnium peccatorum suorum pedes Christi lachrymis suis rigans absterſionem obtinuit. Sed neque in delictis perseuerantia, nos à pœnitentia auocet, quandoquidem latro ille, qui vitam totam egerat in latrocinijs ex confessione suorum delictorum à Christo, veniam accepit. Plura de re hac essemus dicturi, nisi declamatione quadam ad Esaiā, de misericordia Dei, enucleatius ista disse ruissemus, ideo illo te remittimus.

Neque grauitas peccati neque multitudo, neque diuturnitas facit ipsū irremissibile.

¶Porrò, quod hæretici argutātur, solues, si dixeris primo argumento. Esaiam ad literam esse intelligendum de captiuitate Babylonica, quam futuram verbis cōminoratis prædicit Iudęis ex sua iniquitate. Nabuchodonosor autem veniens Hierosolymā illam euertit, & muros, cum templo subuertit, ideo ait Esaias direpiendam esse sepem, & maceriam, & quod tum populus erat conculcandus, vt factū est, quia abductus est in Babyloniam. Quamuis autē tropologicè locus iste potest referri, ad homines in peccatis suis obduratos: cæterum nunquam isti prorsus destituuntur à Deo, quia paratus est Deus, illorū peccata donare, si ipsi resipuerint. Neque vnquam tantisperdum viuūt in mortali corpore auxilio sibi necessario orbātur, vt eo adiuti quādo velint resipiscant. Alias quī verū esset quod Apoc. Ioā. cap. 3. clamat, Ego sto, ad ostium & pulso, &c. Et dominus Matt. 11. docet, Venite ad me omnes qui laboratis & egeni estis, & ego reficiā vos. Et huiusmodi alia non sunt rara testimonia in diuinis oraculis quæ hoc idem testantur. Fieri tamen potest, vt auxilio specialiori non iuuētur huiusmodi ex malis meritis suis. At neque hoc semper certum est, quandoquidem Paulus. Acto. 9.

Responsio ad argumentum hæreticorū.

Deus neminē orbat auxilio sibi necessario vt pœniteat si velit.

insaniēs

insaniens in Christũ specialissimo est adiutus auxilio, vt ad Christum conuerteretur. Nã quis scit si ignoscat, & conuertatur Deus, & relinquet post se benedictionem? Nam si vocando peccatorẽ, eundem iustificat relinquit post se benedictionẽ. Ezechieli respõdebis scripturæ esse familiarẽ phrasim vti verbis affirmatiuis aliquã do pro negatiuis: vt tradere in peccatũ, & excęcare & aggrauare & cętera, ideſt, non prohibere casum in peccatũ, nõ prohibere cordis cęcitatẽ. Itidẽ Ezechielis sermo est audiendus, Ponã offendiculũ corã eo, hoc est nõ submouebo occasiones peccatorũ, vnde scio ipsum ruiturũ. Etenim hæc est magna Dei miseratio, si offendicula & incentiua peccatorũ submoueat, quia fragiles sumus, & irritati peccatorũ occasione facile labimur: verũ exigentibus peccatis in eorum pœnã, non prohibet Deus peccatorũ offendicula, vnde se præcipitio dẽt peccatores. Quamobrem, sicut Deus dicitur tradere in reprobum sensum, nõ hunc inferẽdo, sed eum nõ prohibẽdo, & excæcat, non cęcitatẽ immittendo, sed illã non auertẽdo, ita offendiculum ponit, nõ injiciẽdo offendicula, sed illa non remouẽdo. Vnde Germanos permisit labi in hęresẽ chaos, non prohibendo hæresiarcham Lutherum eos impune docere. Et ideo traditi sunt hac ratione in reprobum sensum, & excęcati sunt, & posuit Deus coram eis offendiculum, pessimorũ doctorum auertentium eos à fidei veritate.

Germanis posuit Deus offendiculũ permittendo Lutherũ eos impune docere.

¶ Tertio respõdebis locum illum, vt ipsa series textus docet, non esse intelligendũ de cõuersione Dei quæ fit ad iustificandũ hominẽ, siquidẽ Deus vbilibet in scripturis se profitetur paratum ad iustificandos peccatores, sed de conuersione ad bona tẽporalia præstanda. Nam quamuis diu sustinet peccatores illis benefaciẽs, verũ tandẽ etiã illos punit supplicijs tẽporalibus. Et hoc est, quod Amos dicit. Super sceleribus tribus Tyri, & super quartũ nõ conuertar. Quasi diceret, Multa scelera vestra ego sustinebo in patiẽtia, & nõ euertã Tyrum, vel Damascũ: at vero tandẽ si augetis vestra crimina quotidie, ego delebo vos: & hoc faciã irreuocabili decreto, vt re vera accidit, quia huiusmodi vrbes fuerunt depopulatę, ab Assyrijs, Lege glossam interli. Idem dicitur de Antiocho, nam hic salutẽ corporis petebat, quã non obtinuit.

¶ Et memineris hæreticos cõmemoratos, Hebræorũ placitũ fuisse secutos. Hebræi enim indicãte Nicolao, ex hoc loco Amos tradiderũt peccatũ, si quater repetatur esse irremissibile, quos sane scriptura. 4. Regũ condẽnabiles esse demonstrat, vbi legimus Manassem, nõquater solũ, sed pluries Deum grauissimè offendisse, & consecutum fuisse nihilominus peccatorum suorum remissionem.

Hæresis Hebræorum quorundam.

¶ Quarto dices angelos sanctos, qui custodes erãt Babyloniorũ, quando Iudæi erãt in Babylone curasse admodũ retinere, Iudæos in Babylone precibus fusis ad Deũ, vt cõuersatione Iudæorũ lucrarẽtur Babylonios, illos eripiẽdo ab idololatria. Verũ postquã viderunt rem pro votis nõ succedere, quod sedulo curabãt cõmixtionem Iudæorũ, & Babyloniorũ, neglexerunt. Ideo aiunt, relinquamus eam, nõ quidem quãtum ad spirituale, sed quo ad tẽporale præsidiũ: hoc est, derelinquamus eã patere, vel subdi subuersioni, & depopulationi, vt tandẽ patuit, vt glossa exposuit.

¶ Quinto argumento patuit ex prædictis responsio. ¶ Septimo dices, peccatum in spiritũ sanctũ nullũ esse irremissibile, nisi impœnitentia finalis, vt glossa ordinaria tradit. Cętera autẽ quę dicũtur peccata in spiritũ sanctũ, eatenus tradũtur irremissibilia, quia dificilẽ habent remissionẽ. Nãq; autore Aristo. difficile etiã vsurpatur pro impossibili. De re hac multa habes à nobis cõscripta, in. 3, sen. lib. cætera patẽt.

¶ Vltimo dices, cõparationẽ illã hoc solũ velle consuescere peccatis esse magnũ malũ & difficilẽ habere curationẽ. Nam magnã vim habet consuetudo siue in bonis, siue in malis. Cæterũ quamuis difficile sit peccatũ diuturnum abigere, non tamẽ est impossibile, vt euãgelica historia in typo paralytici huius, docet qui 38. annos duxit in ęgritudine, & tandẽ Christi gratia sanatus est: & mulier hęmorrhoissa. Matth. 9. quę. 18. annos curua erat, & in cęlũ aspicere nõ poterat à dño nihilomin⁹ sanata est.

¶ Porrò autẽ, etsi ex parte nostra, peccatorũ consuetudo longa multũ exhibet negotium vt curetur, Christo tamẽ nullius est negotij, qui omnipotẽs est. Vis videre quã exigui sit negotij Christo, hęc diuturna sanare peccata. Accessit ad lãguidũ sæpè cõmemoratũ, & ait ei, Vis sanus fieri, & eodẽ respõdẽte se nõ habere adiuuãtẽ hominẽ,

dominus continuo, ait, Tolle grabbatum tuũ, & ambula: ò miram Christi potentiã acceſsit, & ſolo verbo morbi ſanationẽ ſignificante, languidũ adeò corroborat, & firmat, mẽbraq; eius adeò cõſolidat, quæ erant. 38. annis diſſoluta, ex lecto diuturno, & prolixo morbo, vt tollat languidus lectum ſuũ ſuper humerũ ſuũ, & firmiter ambulet. Sed multo mirabilior eſt Chriſti poteſtas, quæ hominẽ lõgo æuo multis & grauibus peccatis irretitũ ſolo verbo ſuæ virtutis ſanat, & confortat. Sed quale rogitas eſt hoc verbum? Vtique illud, Ego te abſoluo à peccatis tuis. Hoc namque verbum, quod confeſſarius promit, ex Chriſti autoritate non ex ſua promit.

¶ Acceſsit Chriſtus tunc ſemel ad languidum, ex gratia ſua, accedit modo quotidie ad peccatores, illuminaturus & ſanaturus eos. Non accedit ad eos tamen, quia merita eorum hoc poſcũt, ſed ex miſericordia ſua. Peccator enim quilibet, nihil habet, vnde iuſtificantem gratiam ex condigno mereatur, quid quod peccator diu obuolutus in cæno peccatorum, prorſus orbetur merito condigni ad iuſtificantem gratiam obtinendam? Niſi accederet Chriſtus languidus ille in grabato ſuo moreretur: & niſi ad peccatores accedat modo, perirent in peccatis ſuis. Prior eſt Chriſti acceſſus ad nos, quam noſter acceſſus ad Chriſtum. Paulus clamat ad Hebr. 4. vt accedamus ad thronum gratiæ eius: ſed ad hunc thronum peccator non accedet, niſi prius vocetur, & pulſetur à Deo. Et hæc vocatio & hæc pulſatio, eſt ipſe diuinus acceſſus.

Pri⁹ Chriſtus accedit ad nos quã nos accedam⁹ ad Chriſtum.

¶ Nemo, inquit, poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Ioan. 6. Accedit igitur vocãdo interius, per ſanctas inſpirationes, & internas monitiones, & per externos prædicatorum clamores. Et in primis hoc ait, Vis ſanus fieri? Hoc autem tale eſt, vis ne peccator vitam poſsidere æternam? vis ſupplicia euadere æterna? vis diuinam inire amicitiã? Si hæc amas, ſi hæc aſſequi curas, fuge tanquã colubrum peccatum. Eccle. 21. Dole de cõmiſsis, à committendis abſtine.

¶ Accede igitur, ſi hæc obtinere cupis, ad ſacerdotem, cui tui eſt cõcredita cura, pande & tunde pectus tuũ coram illo. Et tunc illo pronuntiante verba illa, Ego te abſoluo à peccatis tuis, Chriſtus dicet tibi quod languido piſcinæ dixit, Tolle grabatum tuũ & ambula. Qui enim à peccatis eſt abſolutus, ille tollit ſuũ grabatũ, & ambulat. Eſt autem grabatũ peccatoris, lectulus vbi peccator dormit, & quieſcit. Et hic lectulus quid putas eſſe aliud quã peccatum? Sicut enim in lectulo homines requieſcũt ita peccatores in peccatis ſuis cõquieſcũt, vt Hier. dixit de peccatore. 48. Requieſcit in fæcibus ſuis. Vt autẽ ſunt varia peccata & varij mores hominũ: ita & grabata huiuſmodi non ſunt eadẽ. Quidã enim iacẽt in carnalibus voluptatibus, alij in ambitione, alij in faſtu, & elatione, &c. qui omnes ſi volunt ſanari à morbis ſuis etiã ſi diuturnis, & perpetuis neceſſe eſt, vt verbo hoc ſanentur. Tolle grabatum tuũ, & ambula. Tunc autẽ peccator tollit grabatũ ſuum, quãdo ipſum peccatũ, vbi iacebat, & conquieſcebat, tollit ſupraſe. Sed quid eſt peccatũ tollere ſupra ſe, vtiq; quãdo peccatũ, quod tibi dominabatur, iam non dominatur: quãdo peccatũ, quod te ducebat quoquo volebat, iam nõ ducit, ſed tu illud ducis pro tua volũtate, illud tibi ſubigẽs: quãdo ſubter te eſt appetitus tuus, & tu illius dominaris. Paralyticus enim ſæpe cõmemoratus, quãdo iacebat in lectulo ſuæ infirmitatis, ſui nõ erat potẽs, ſed ibi ligatus morbo decũbebat. Acceſsit porrò Chriſtus, & illi ait, Tolle grabatum tuũ, & ambula: & cõinuo grabatũ ſuum tollit & illi dominatur, iam nõ fertur ab illo, ſed ipſe ferit illud. In quem propemodũ, tu ſi non circunferaris à peccato, ſed peccatum tu feras tanquã dominus eius, illud domans, illud frenãs, illud tibi ſubijciens iam tum tollis grabatũ tuũ. Hoc eſt ſi nõ te teneat ſuperbia, ſed tu illam potius teneas: ſi non tenearis ab auaritia, ſed potius tu in illam dominium geras, &c. tũc tollis grabatum tuũ. Paulo hoc idem adhortante. Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro. Recte dixit, nõ regnet: etenim peccatum nõ poſſumus ita à nobis tollere, neque poſſumus, ita prorſus illud ſubigere, vt nulla ſit illius in nobis, vel titillatio modica: cæterũ hoc poſſumus, opitulãte cæleſti gratia, præſtare, ſaltẽ, ne regnet peccatũ in nobis. Tũc ſanè regnat, quãdo in illo vt in lecto requieſcimus. Quãdo illud per pœnitentiam non lauamus. Porrò autem ſunt qui tollunt grabatũ ſuum, & non ambulant, & iſti nondũ ſunt perfectè ſanati.

Peccatum in quo peccator delectatur eſt grabatũ ſuũ.

Quando peccator tollit grabatũ peccati.

Non ſufficit tollere grabatũ niſi etiam ambulemus.

Tales

Tales sunt, qui disponũt pœnitere de peccatis, & pœnitent: at verò tanquam canes reuertũtur ad vomitũ. 2. Pe. 2. Tales sunt qui nõ sunt stabiles in via Dei, Tales sunt qui non proficiũt in diuinis iustificationibus. Tales sunt qui non faciunt fructus dignos pœnitẽtię. Tales, qui immittẽtes manũ ad aratrũ retro respiciũt, vt vxor Loth. Gene. 19. Quos euãgelica pronuntiat doctrina, Lucæ. 9. ineptos esse regno Dei cõsequendo. Quales fuerunt illi, quos reprehendẽs Paulus dicit, O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, vt recederetis à via veritatis. Fascinatio enim nugacitatis huius seculi mentem humanã obscurat. Eccle. 4 vt vel non incipiat rectè velle, aut si cæperit, non perficiat. Opportunũ igitur est vt postquã pœnitẽdo de erratis nostris, iam tollimus grabatum nostrũ, vt ambulemus semper in via Dei cæpta, & proficiamus operibus bonis. Et verbũ illud dominicũ. Ioã. 12. exequamur, Ambulate dum lucẽ habetis: ne tenebræ vos comprehendant. Tũc lucem habemus, quando de peccatis nostris verã Deo offerimus pœnitẽtiam, tuncque sub hac luce ambulamus, quãdo peccata, de quibus doluimus, non repetimus, sed bonis operibus nouis, mala vetera recompẽsamus. Porrò autẽ neq; solum huic languido, dominus dixit, vt tolleret grabbatũ suum & ambularet, sed etiã & alteri cuius mẽtio fit apud Matt. 9. & Mar. 2 & Lucę. 5. cui quoque à dño idem dicitur, vt ambulet. Post sublatũ grabatum suũ, vt vel hinc etiã nos admoneret necesse esse pœnitẽtibus ambulare proficiendo in via Dei. Quod enim dominus de semetipso pronũtiat, Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, nobis est operatu necessariũ, vt hodie, cras, & sequenti die ambulemus, hoc est, nunquã cessemus à recta actione, vnde nobis mereamur eternã vitã. ¶ Peccatores sanè ambulãt, & iusti ambulant, at verò heu quã dispari ambulandi ratione. Illi ambulant, in tenebris suorũ peccatorũ, & nesciunt quo eant, quia tenebrę obcæcauerũt oculos eorũ. 1. Ioã. 2. Iusti vero ambulãt, in die, veritatis lumine perfusi: & ideo nõ offendunt. Ioã. 11. Vnde Paulus hoc obnixe exigit à Thessa. 1. cap. 2. vt digne ambulẽt Deo. Tunc autẽ dignè ambulamus Deo, quando vitã nostram, actiones, & sermones, ad Deũ dirigimus: qui est ambulationis huius finis. Hoc idem Ephesijs scripsit, 2. vt ambularẽt, sicut filij lucis: hoc est, vt quia erant à Deo illustrati, opera quoque lucis, præstarent, peccatores autem legimus ambulare in circuitu. Psal. 11. at verò iustorũ rectos esse gressus: quia iustorũ recta est, Iustũ namq; deduxit dñs per vias rectas. Sapi. 10. & testante Esai. c. 26. Semita iusti recta est, & rectus callis iusti ad ambulandũ. Vtiq; aptissimè psaltes pronũtiauit impios in circuitu ambulare: & Esaias egregiè docuit, semitam iustorum rectam esse. Quippe in motu circulari, nihil proficitur: semper enim necesse est initia repetere motus, Vnde qui hoc mouetur motu, semper in eodem loco hæret, quia secundum totum à medio non discedit. At in motu recto, est profectus, & processio semper ad nouum, nouumque locum.

¶ Peccatores autem, ita mouentur, vt nũquã proficiant in suo motu: semper enim ad initium suę vitæ relabuntur. Peccatum enim fecit initiũ vitę nostræ, nam in peccatis cõcepti sumus. Qui ergo peccata exercent, ab initio suæ vitæ, non discedunt: sed male quotidie operando, in illud continue relabuntur: ideo in circuitu ambulant peccatores.

¶ Quoniam in peccatis nati, atque concepti, in peccata relabũtur, & finem vitæ absoluentes in peccato, principio vitæ culpabili sociant, & copulant, id quod circularis sibi vendicat figura, quæ initium copulat finis.

¶ Porrò iusti rectè ambulant, siquidem rectè progredientes longe se subducunt à suo initio, imò in recto motu, priores loci partes dimittuntur: & nouæ ex motu parantur. Hoc autem exhibet iusti, siquidẽ merita bona cumulantes meritis, à peccatis, ex quibus nati sunt longissimè se abducunt. Vnde Paulus, qui hunc callem rectum sibi terẽdum delegerat, fratres ait, Philip. 3. Ego me non arbitror comprehẽdisse, vnũ autẽ, quæ retro sunt obliuiscẽs, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatũ persequor ad brauiũ supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Obliuiscebatur igitur, quę erãt retro, quia culpã, & cõuersationẽ Iudaicã, quę dimiserat iam obliuioni mandauerat. Ad priora autẽ, videlicet, ad palmã suorũ laborũ, quã sperabat accepturus à Deo, se extendebat affectu, quidem sperãs illam, opere vero

Matthæ. 3.

Pœnitẽtes ex vera pœnitẽtia in luce ambulant.

Diuersa est ambulatio iustorum atque peccatorum.

Cur dicantur ambulare in circuitu.

Iusti rectas tenent salutis vias.

Finis vltimus in executione, & primus intentione.

propter illam operans. Vocat tamen vitã æternã, & coronas sanctorum priora, quãuis sint vltima: sunt enim priora, intentione, & posteriora executione: qualis est finis, qui est primus secundum intẽtionem operantis, & vltimus assecutione.

¶Hinc tibi iam exploratũ erit, si iam ex gratia Dei tulisti grabatum tuum veram agendo de peccatis tuis pœnitentiam, tibi hoc vnum restare, vt ambules in via Dei, non quomodocũque, sed recto, & non tortuoso incessu. Id quod fœliciter absolues, si progrediaris de virtute in virtutẽ. Psal. 83. donec tibi æternitatis illucescat dies.

¶Et interim meminetis, sicut paralyticũ istum, quem sæpe retulimus iacentem in grabato suo, nullus detrahebat, nullus illi conuiciabatur, at vero ferentem grabatum, illi insultant Iudæi dicentes, Non licet tibi ferre grabatum tuum, in sabbatho, ita quoque in moribus humanis contingit. Peccatorem enim si te viderint, & iacentem in delictis, nullus forte tibi conuiciabitur, imò habebis assentatores, & palpones tuorum peccatorum non paucos. At verò si ferentem tuum grabatum pœnitendo de tuis peccatis aduerterint, tragœdias in te concitabunt, non mediocres vitam tuam enim vel hypochrisi dabunt, aut insaniam esse ducent, vt illi de vita sanctorum aiebant, Nos putabamus vitã illorum insaniã, & finem sine honore. Sapi. 5. Tu autẽ esto immobilis in via Dei. ad Colo. 1. & aure surda, hos detractores pertransi, ambula per rectum callem diuinæ legis, neque declines ad dextrum deliciarũ vel honorum huius seculi, neque ad sinistrum, vt, scilicet, tribulationibus pressus mundanis, viam Dei deseras, imò firmo gressu, rectũ cæli quod arripuisti iter, Deo opitulante, & cooperante absolue.

ENARRATIO PRIMA
In caput sextum.

¶*Post hæc abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna: quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.*

SI Marcum euangelistam consulimus palam erit nobis dominum, non abijsse ex Iudæa modo trans mare Galilææ, sed ex Nazareth patria sua. Namque Marcus, cap. 6. denarrat, quod dominus declinans inuidiam & odium Nazaræorum, audita fama necis Ioannis Baptistæ, quam accepit à discipulis suis, vt traditur etiam Matthæ. 14. & Lucæ. 9. abijt trans mare Galilææ. Itaque peracto miraculo Hierosolymis, quod retulit Ioan. sanationis languidi. cap. 5. cum alijs multis, miraculis, quæ alij euangelistæ commemorant eo tempore fuisse à Christo edita, venit in ciuitatem Galilææ, quæ est Nazareth, & inde recedens abijt trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis. Non ergo immediatè intelligas, quod Ioannes ait, Post hæc quasi continuo dominus ex Iudæa abierit trans mare Galilææ, quia non continuo abijt trans mare post quam erat Hierosolymis, sed primo venit Nazareth, quam deserens, ob Nazaræorum incredulitatem, quia in propria veniens, sui eum non receperunt (fuerunt enim Christo aduersarij Nazareni, & eiusdem contẽptores, vt Marcus testatur sexto, & alij Euangelistæ,) abijt trans mare Galilææ.

¶Hoc mare erat stagnum quoddam ex defluxu aquarum collectum Iordanis, & vocatur mare, phrasi Hebræa: quia congregationem aquarum vocant mare: vnde Salomon fecit in templo à se edito mare quoddam æneum. Porrò hæsitat forsan aliquis de loco, vbi hoc miraculum editum fuerit, quia Lucas. cap. 9. Assumptis illis inquit, secessit in locum desertum, qui est Bethsaidæ, at Ioan, inquit, abijsse dominum trans mare Galilææ. Vnde iuxta Ioannem locus miraculi, erat vltra stagnum commemoratum. At verò secundum Lucam, videtur fuisse editum citra stagnum: quippe Bethsaida ciuitas non est vltra, sed citra stagnum. Cui consonat Brocardus describens terram sanctam, dicens hunc locum non esse procul à Capharnaum. vel Capernaum. At verò Marcus, cap. 6. Coegit, inquit, discipulos suos, vt præcederent eum transfretum ad Bethsaidam. Vnde promptum videtur, stagnum hoc fuisse vltra Bethsaidam. Scito autem horum gratia, stagnum hoc, quod Ioannes vocat, mare Tyberiadis, appellari etiam stagnum Genesareth, Lucæ. 5. Appellatur verò Tiberiadis, à ciuitate Tiberiade, quæ sita est in medio litore stagni huius, quæ sic vocata est.

2. Reg. 8.
3. Reg. 7.

Mare Tiberiadis Bethlaida Capernaum Tiberias.

est, nouo nomine sibi impositio ab Herode, in honorem Tiberij Cæsaris. Bethsaida verò est ciuitas exigua sita etiam in litore ad initiũ eiusdem stagni litoris orientem versus. Capharnaum verò, nõ est longe à Bethsaida, item orientem versus, neque admodum distans ab stagni principio commemorato. Dubio igitur procul miraculum, quod Ioãnes in hoc cap. commemorat factum fuit vltra mare Tiberiadis: vt ex Luca insinuatur. Marcus vero est intelligẽdus totum illud desertum appellitari Bethsaidę ex initio eius, quia à Bethsaida incipit, & ad Tiberiadem finitur, vt patebit infra. Ideoque Marcus inquit, in deserto Bethsaidæ dominum fecisse miraculum, quod Ioannes refert, cum alijs euangelistis. Non tamen hinc sequitur quod dominus miraculũ fecerit citra mare hoc, imo fecit vltra hoc mare in deserto loco, quod desertũ appellabatur Bethsaidæ, siue quia desertus ille locus, erat ex oppositio litore ad litus vbi erat Bethsaida sita, siue ob aliam causam. Et Ioannes infra docens Iesum post miraculum editum nauigasse cum discipulis suis, trãs mare, & venisse Capharnaum apertè demonstrat, locum desertum vbi edidit miraculum fuisse vltra mare hoc, siue vltra stagnum istum.

Euangelistarum cõsensus exponitur.

¶ Quodsi exquisieris, Quidergo est, quod Matthæ. 14. ait, turbas pedestres secutas fuisse dominum? Et quod dominus excepit illos. Lucæ traditur. 9. & quod ipse exiẽs vidit turbam multam, vt Matth. inquit. Quî igitur fieri poterat, vt turbę, quę secutæ erant dominũ pedestres ocyus accederent ad desertum locum, vbi dominus erat venturus, quam ipse veniens nauigio, siquidem nauigando, citius deuenitur ad locum, quam peditando? Quod si turbas illas dixerimus, non esse ex indigenis, scilicet, ex Tiberia, vel Bethsaida, vel Capharnaũ, sed esse ex alia parte stagni nõ est difficilis solutionis dubiũ: siquidem turbæ huiusmodi audientes Christũ sua litora penetraturum, peditando venerunt ad eum locum, & expectauerunt Iesum: & dominus exiẽs de naui vidit illos. ¶ Verum obstat huic declarationi, quod ait, Matth. Secutæ sunt eum. Quippe hic sermo indicat turbas venisse post Iesum, & non anticipasse aduẽtum, fortè erat via compẽdiaria, ad eum locum in quo dominus erat editurus miraculũ: quamuis non adnodum detrita, quia aspera erat. Ideoque sequentes Christum vsi via compendiaria, etiam si cum suo labore, anticipauerunt Christi aduentũ. Quia tamen Iordanis fluuius medius in itinere hoc erat, hunc per vada penetrarunt, vt hinc admoneamur quanto desiderio, & animi feruore confluebant turbas Iudæorũ ad Iesum. Cæterum euangelista nostram infirmitatem demõstrat dicens, hunc confluxũ turbarũ esse, quia videbant signa magna quæ faciebat. Non enim cõfluebant auiditate verbi audiẽdi diuini, sed ex proprio corporis commodo permoti veniebant ad Christũ. Discipulos verò domini legimus, dominum secutos nõ propter signa, sed propter verbum Dei. Vnde aiunt, Quo ibimus domine, quia verba vitæ habes? Vt vel hinc discamus, quantum interfuerit inter turbas illas, & domini discipulos. Cęterum dominus infirmitati nostrę consulẽs signa faciebat, vt ex signis visis mentes videntium præpararet ad verbi diuini audientiam. Testatur autem Paulus Iudæos signa quærere, gentes verò sapientiam, ideſt, ratiocinationes philosophicas. Ideoque dominus signa nunc ostendit, vt illos traheret ad fidem. Verum tam gentibus, quam Iudæis signa fuerunt necessaria ad confirmationem fidei: quippe fides cum sit supernaturalis, non potest ratione nostra consequi: ideoque indiget miraculis, supernaturalibus, quæ illam persuadeant. Quanquam miracula non cogunt ad fidem suscipiendam, quia libera adhuc superest voluntas, vt vel credat, vel non credat: semper enim manet obscura, & ineuidens, ideo nunquam cogit intellectum. Quamobrem, merito est tribuendum, quod isti qui dominum sequebantur ex miraculis Christo crederent.

Ioannis. 6.

Fides egu it miraculis, sed non cogitur homo ad eã suscipiendam ex miraculis.

Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autẽ proximum pascha dies festus Iudæorum Miraculũ igitur hoc, quod euangelista est denarraturus, fuit factum aduentante paschate Iudaico. Et Ioannes Baptista fuit sub hoc tempore decollatus sub anno secundo dominicæ prædicationis. At dicet aliquis, Quid ergo est, quod dominus ait, se non venisse soluere legem, sed adimplere, quando quidem dominus hoc pascha non celebrauit Hierosolymis: erat enim in hoc deserto loco

Galilææ id temporis, & non erat Hierosolymis? Primo obseruabis Cyrillum, nõ legisse pascha, sed festum Iudęorum. Putat enim hoc festum fuisse scenopegiam, siue festum tabernaculorum, quod festum sub Septembri mensi Iudæi celebrabant. At vero Iudaicum pascha erat sub tempore verno, mense Martio, scilicet, cuius plena lunatio aliquando incidebat in Aprilem. Et Hebræi per Pascha solum intelligunt festum agni & azymorum. Cyrillus autem præter vulgatã sententiam interpretum, & contra id, quod textus hic habet, dixit festum hoc, cuius meminit Ioannes fuisse festum tabernaculum, forsitan, quia ipse non legebat in suo codice pascha, sed solum festum Iudæorum. At verò supposita hac veritate, quam Ioãnes expressit modo, dicens Pascha Iudaicum, & non festum tabernaculorum, hæsitabit aliquis, quod cæpimus dubitare. Qui ergo dominus hoc pascha non celebrauit? Et eadem est hæsitatio, si festum erat tabernaculorum, vt Cyrillo in commentario placuit.

¶ Nicolaus motæ quæstioni responsum exhibet, legem Dei tum obligare Iudęos omnes ad Pascha celebrãdum Hierosolymis, nisi periculum vitæ immineret. Imminebat autem periculum vitæ corporalis domino si ad fuisset Hierosolymis: nã vt ex cap. proximo patuit, Iudæi quærebant dominum interficere, ideo discessit in Nazareth patriam suam: & hanc etiam deseruit propter causam cõmemoratam. Et ante Nicolaum Theophilactus, idem cẽsuit: sed adiecit aliam causam, quia erat Christus dominus legis, ideo id temporis noluit obseruare legem, etsi Theo. nõ exprimat quale erat hoc festum.

Deute. 16.

¶ Itaque ex parte vna seruabat legem, ne scandalizaret Iudæos, & ex alia parte voluit nunc non seruare, vt se esse dominum legis demonstraret.

¶ Verum hæc secunda causa, non est ad modum peremptoria: siquidem dominũ in legem se habere, nolebat Christus ostẽdere, quandiu viuebat in carne mortali: sed vt Paulus ait, ad Galat. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Et dominus sese esse legis obseruatorem, exactissimum, non secũdum erroneum sensum Iudæorum, sed secundum veritatem semper est professus. Et illi obiectantibus Iudæis violationem sabbathi, aliquando respondit, se quidem esse dominum sabbati, at nunquam dixit, se aliquando non seruasse sabbatum. Et equidem nullus locus colligit hoc clarè quod dominus nõ celebrauit hoc pascha. Namque quamuis in deserto Bethsaidæ prope pascha turbas pauerit, non proinde conficitur, quod non celebrauerit pascha: quia non erat tunc forte pascha tam prope, quam non permitteret Christi aduentũ ad Hierosolymam celebraturi pascha. Quod si declinans rabiem Iudæorum pascha illud non celebrauit, neque etiam festum Pentecostes, neque tabernaculorum tum celebraret: quod si quis asserat, videtur gratis, & sine causa legitima assertum. Quamuis igitur Iudæi cupiebant interficere Iesum, at vero id temporis non tam peruicaci animo cupiebant mortem Christi, quam sequenti anno, qui fuit vltimus prædicationis domini: ideo dominus Hierosolymam forsan iuit hoc etiam secũdo anno suæ prædicationis ad celebrandũ solẽnitatem paschalem.

Christus dominus legis se subiecit legi, vt reges tẽporalis se subijciunt suis legibus.

¶ Porrò cum hæc sit quæstio facti & non iuris, non est cur in ea disserẽda trahamus moras, quia res latens est, quamuis nõ clare video quod dominus hoc pascha anni secundi non celebrauerit. Interim tamen obserua, euangelistam huius secundi anni paucissima commemorasse miracula à domino edita, quia solum, sanationem commemorat ægroti illius, qui iacebat ad probaticam piscinam, & sanationem filij reguli præter tria quæ hoc cap. cõmemorãtur. Animo enim erat Ioan. potius verba, quam facta Christi cõmemorare. Hoc verò miraculum, quod modo refert, præter morem refert, quia alij euangelistæ, etiam idem retulerunt. Cæterum hoc breuiter miraculum recensuit, propter insignem Christi sermonem, de carne & sanguine suo. *Cum sublevasset ergo Iesus oculos,* Sedit dominus in monte, qui erat in deserto illo, cuius initium, erat à Bethsaida, & terminabatur ad Tiberiadem, quietisque gratia, ibi erat cum solis discipulis suis, nam turbæ supra montem non ascenderant, sed infra montem subsidebant. Ibi igitur sedens discipulorum constipatus caterua, sublevauit oculos, & vidit in loco inferiori maximam turbam, siue Iudæorum maximam multitudinem, quæ seque-

Ioãnes magis amat verba, quã facta Christi referre.

sequebatur eum. Et quos diuinitatis oculis ab æterno viderat, & infusa scietia à die suæ conceptionis inspexerat, tum temporis oculis carnis suæ noue vidit. Hæc tota est hominis fœlicitas, quod dominus illũ videat oculis misericordiæ. Etenim & si omnes videat, quia palpebræ eius interrogant super filios hominum, cæterum quosdam videt, vt puniat, alios vero, vt eorum
Sapi. 11. misereatur. Miseretur quidem omnium, & nihil odit eorum, quę fecit. Verum hęc misericordia est generalis quam omnibus creaturis suis impartit. Aperit enim manum suam, & implet omne animal benedictione. Et si auferret hanc suam misericordiam, vniuersa in puluerem redigerentur. Porrò est misericordia alia specialis, quam non omnibus impartit, sed quibusdam, quos ipse huius misericordiæ voluit esse capaces. Et hanc misericordiam concessit turbis istis Christus. Aspexit enim turbatum laborem fatigationemque itineris, & quod fame ex lassitudine torquebãtur, & quod si remisisset turbas ad propria, vt se alerent, esset addere laborem labori, & ingentem augere vexationem: ideo misertus est turbarũ, videns afflictionem eorum. Sicut ergo in nuptijs in Cana Galilææ celebratis, aduertẽs conuiuarum indigentiam, illis prouidit de vino vberri mè: namque sponsorum hydrias impleuit miraculoso & optimo vino: ita modo fatigationem sequacium considerans, voluit ex sua misericordia illis prouidere cibum. Quamuis enim in eo existentes turbæ illæ deserto non longe, vt ex Luca. 9. colligitur à Tiberiade ciuitate, & à Bethsaida, & Capharnaum, vt diximus, quia istæ ciuitates erant in litore stagni Tiberiadis, vel prope. Porrò, quia tantam multitudinem non possent continuo cibare istæ ciuitates, quia ad manum forsan non esset tanta ciborum præparatio, vt tot millibus hominum prouideri cito posset, ideò dominus voluit eos cibare miraculoso alimento.

Psalmus. 9. ¶ Subleuauit ergo dominus oculos, & vidit horum laborem, & considerauit lassitudinem, & misertus est eorum. Et sanè digni videbantur, qui Dei misericordia hac donarentur. Quãuis enim maxima pars horum, qui secuti sunt Christum, sequebatur auiditate potius signorũ pellecti, quã auiditate verbi diuini, aut desiderio salutis æternæ consequendæ, vt prædiximus: at vero credibile est nonnullos fuisse inter eos, qui ex amore Christi videndi, & audiendi secuti fuerint Christum: & forte in gratiam horum dominus hoc fecit miraculum. Vel aptius dicemus, Christum non ob merita sequentium hoc exhibuisse miraculum, siquidẽ sequentes turbæ non ex amore Christi principaliter arripuerunt iter hoc, sed potius, vt Ioãnes inquit, quia videbant signa, quę faciebat super his, qui infirmabantur, ideo ex misericordia sua miraculum fecit, non ex illorum dignitate. Proptereaque Matthæ. 14. & Mar. 6. traditur dominum misertũ fuisse sequacium turbarum, & ideo pauisse eos, vt etiã eiusdem misericordiæ fit mentio. Mar. 8. & Matth. 15. quando rursus pauit turbas, etiã miraculoso cibo, vnde apud Mar. ait, Misereor super turbam, quia iam triduo sustinent me. Et demũ misericordia Dei, est causa generalis, & originalis vniuersorum bonorum, quibus fruitur omnis creatura: & est causa etiam præueniens omnia merita rationalis creaturæ: quæ tametsi merita habeat ad vitam æternam consequendam hæc tamen merita præueniuntur à Dei misericordia. Ideo aiebat hymnidicus, In misericordia tua viuifica me. Psalm. 118. *Et videsset quod multitudo maxima veniebat ad eum, dixit ad Philippum, Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Maximum affirmatiue exponitur, quod est maius omnibus & negatiuè quo nullo est maius. At verò illa multitudo, quæ Christum sequebatur, neque erat maior omnibus, neque verum est secundum rigorem dialecticum, quod illa nulla erat maior.

Diuina misericordia est causa generalis & originalis omnũ bonorũque creaturis communicantur.

¶ Porrò scriptura non obseruat has rigidas vocum significantias, sed loquitur vulgato loquendi more. Est autem mos vsitatus loquendi, ea vocare maxima, quæ sunt excessiua secundum rationem suam. Erat autem excessus grandis, numerusque ingens sequentium Christum per deserta loca, ideoque vocatur maximus. Quippe secundum rationem sequẽtium, discipulorum magistrum, copiosissima erat illa multitudo sequẽtium Christum, etsi Græcè est multa turba.

¶ Et equidẽ miratu dignissimũ est, quod desererent domos suas, & familias vxores & filios, & vsque ad deserta penetrarent loca Christũ sectantes, Tanta erat fiducia

salutis, quã in ipso collocarant: vnde erant obliti isti nõ solum suorum, sed etiam sui, quia cõmentum secum non conuehebãt, vnde pascerent famem suam.

¶At verò magis mirandũm est, cur non omnes dominum tum sequerentur, quandoquidem ab illo virtus exibat, & sanabat omnes? Itaque desine mirari quod hæc ingens turbarum multitudo dominum sectaretur, & mirare potius, quomodo nõ multo maior turba eundem non sequebatur, propter rationem cõmemoratam.

¶Porrò diuina dispensatione factum est, quod quidam sectarentur alijs non sectantibus. Quia velle suum vnicuique est, neque voto viuitur vno. At vero neque sequaces omnes sanabat Christus, vt neque omnes ægrotos piscinę sanauit, neq; omnes mortuos excitauit, &c. sed eos tantũ quos æternum suæ voluntatis consiliũ sanare disposuerat. Quod vero ait, Vnde, de pecunia agitur interrogatio, non de loco, quia locus proximus erat vnde panes emi poterãt, scilicet, ciuitates Tiberias, & Bethsaida, &c. ideo non de loco, sed pretio verba hæc sunt intelligenda. *Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus, ducentorũ denariorũ panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Quærit à Philippo dominus, non quia egebat Philippi consilio, ideo ait tentãs eum, sed vt ex responsione Philippi palã fieret alijs discipulis, magnã copiam panis esse necessariam alendis tot turbis, indeque autoris tanti miraculi potentia omnibus innotesceret. Quare vt dicebam euangelista dominũ hoc quæsisse, dixit à Philippo, tentãtem eum. Tentare autem hoc loco est experiri quid responderet Philippus. Cuius responsum dominus optime callebat, quale futurum, antequam exhiberetur, quia diuina scientia ab æterno notum sibi erat, & infusa à die sui conceptus, cæterum experimentali scientia tunc innotuit quando responsum fuit. Et fortasis Philippus, qui reputatur rudis tum fuisse in diuinis mysterijs percipiendis, humanarum rerũ erat industrior quã alij discipuli: ideo ab eo quærit dominus, non propter se, sed propter alios apostolos, vt omnibus esset in confesso quanta fuerit tanti miraculi magnitudo. Est autẽ valor denarij, quadraginta quadrãtes. Est enim denarius septima pars vnciæ argenteę, quia denarius valet asses quatuor, quę valent quod diximus. Quare denarius excedit regale nostrum sextiruntijs, aut quadrantibus: quia quadrans teruncius vocatur à Cicerone vocabulo deducto à tribus vncijs. Vnde, veluti si subduxisset rationẽ Philippus optime dixit, Ducentorum denariorum, &c. Quippe ducenti denarij cõtinent valorẽ. 8000. tirunciorum. Numerus autem turbarũ erat. 5000. exceptis paruulis, & mulieribus, nam hæc supputare nõ erat Hebraici moris. Si ergo faciamus ad minimum mulierũ & paruulorum fuisse summam ad. 3000. rectè dixit ducentorum denariorum, &c. quippe, vnicuique comedentiũ contingebat tiruntius panis. Et si plures erant paruuli & mulieres quã 3000. neque teruntius panis, singulis contingebat ex panibus emptis ex ducẽtis denarijs, etiam si annona non esset cari precij, sed precij ordinarij. Vnde videtur Philippum virum fuisse in huiusmodi sagacem, & industrium, quidquid de rebus calendis diuinis, quandoquidẽ egregiè rem supputauit istam. Idcirco dominus ab illo petit, Vnde ememus panes, vt quantus panis esset necessarius alijs exponeret. Non tamen propter se Christus hoc petiuit, vt prædiximus. Sed forsan te mouebit dubium, quî conuenire hęc possunt quæ Ioãnes cõmemorat, cum his quæ Matth. scribit. cap. 14. Siquidem Matthæus vespere facto enarrat discipulos accessisse ad Iesum dicentes, Desertus est locus, & hora iam præterit, dimitte turbas. At vero Ioãnes ante vesperũ insinuat fuisse prãdium factum illud miraculosum.

Denarij valor.

¶Idẽque ex Luca cõstat, & Marco, quod iam erat hora vespertina, seu diei declinatio, quando discipuli dixerunt domino, vt dimitteret turbas, & dominus respondit, Date vos illis manducare, &c. Ioannes vero conuiuium hoc factum esse antequam sero esset factum apertè docere videtur. Quia peracto conuiuio dicit, Vt autem sero esset factum, descenderũt discipuli eius ad mare.

¶Rursus alij euangelistæ prius narrãt suggessisse discipulos domino, esse dimittendas turbas, & postmodum dominum curam gessisse de turbis pascendis. At Ioannes, ante omnia narrat dominum curasse, cibare turbas, simulatque, subleuatis oculis vidit illas. Nam statim dixit Philippo,

Vnde

Concordia Euangelistarum.

Vnde ememus panes, vt manducent hi. Verum secundum explicationem Augustini Apostoli prius suggesserunt Domino dimittendas fore turbas, vt euntes ad propria quererent sibi alimonia, & deinde Christum vidisse turbas, & solicitum fuisse de pascendis illis. Priorem autem apparentem collisionem solues, si dixeris, ex Luca patere solutionem, ait enim quod dies cæperat tum declinare. Vnde per vesperam primo apud Matthæum intelligimus declinationem solis à meridiano suo, & cum secundo, meminit vespere dicens, Vespere autẽ facto solus erat ibi, hoc est, solus erat in monte orans, intellexit per vesperam solis occubitum. Est igitur sensus, quod quando Dominus pauit turbas iam erat hora tarda, ad prandendum, quia iam sol declinabat ad occasum, vt inquit Marcus, hora iam præterijt, scilicet, ad capiendum diurnum cibum, iam hora consueta præterijt. Hocque idem Lucas commemorat dies cœperat declinare. Non ergo tum erat solis occasus, nam si solis fuisset occasus, non esset tempus dimittendi turbas, in proximas villas, vt emerent sibi escas, vt alij à Ioanne Euangelistæ referũt, quia sub noctis tenebris opportunitas erat illis sublata quærendi sibi cibos.

¶ Quod ergo Ioannes dicet infra, Vt autem sero esset factum, tu intellige, vt autẽ sol decubuit. *Dixit ei Vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri, Est puer Vnus hic, qui habet quinque panes, & duos pisces, sed quid inter tantos?* Græcè, quid inter tot, nam non est sermo de magnitudine, seu quantitate continua, sed de quantitate discreta: hoc est, sed hæc paucula quomodo alent tot millia hominum. Nonnunquã tamen vsurpatur quantitas continua pro discreta, & contra, ideoque interpres transtulit, tantos, pro, tot, Quæret aliquis quomodo sibi consentient Euangelistæ? Siquidem alij Euangelistæ à Ioanne, hos panes & pisces, non à puero, sed ab Apostolis haberi tradunt. Nam Domino interrogante Marc. 6. ab Apostolis, Quot panes habetis, & mandante, ite, & videte, & cum cognouissent dicunt Apostoli, Quinque, & duos pisces: & apud Lucam, & Matthæũ, idem insinuatur hos panes, & pisces non puerum habuisse, sed Apostolos.

¶ Solues si dixeris, hos panes, & pisces primo allatos in desertum à puero quem Ioann. memoratur, at ab Apostolis, vel ab aliquo Apostolorum fuisse emptos. Aut puer hic, cuius meminit Ioann. Apostolus erat, nam pueros eos vocat Dominus Ioann. 21. postquam surrexit à mortuis. Pueri, inquit, nunquid habebis pulmentarium.

¶ Verum congruentior est prior expositio: siquidẽ verba hæc, Est puer vnus hic, quæ dixit Andreas, de extraneo non de Apostolo intelligenda videntur. Concordia Euangelistarum.

¶ Rursus adhuc dicet aliquis, & quomodo conciliabuntur, quæ Ioan. dicit Philippũ dixisse ducentorum denariorũ panes non sufficient, &c. cum alijs Euangelistis denarrantibus, verba hæc ab Apostolis omnibus esse dicta. Vnde apud Marcum legimus, Et dixerunt ei, euntes emamus ducentis denarijs, & dabimus eis manducare. Et eodem accedat Philippum dixisse panes ex ducentis denarijs non sufficere alendis turbis: at verò Apostoli insinuant ducentorũ denariorum panes illis sat esse Marc. 6.

¶ Porrò ista differentia enarrationis non est enarrantium dissensus: siquidem diuersa, quæ enarratur opinio Apostolorum, non facit dissensum in Euangelistis. Philippus igitur opinabatur ducentorum denariorum panes non sat futuros, vt singuli modicum aliquid acciperẽt: at verò alij Apostoli opinabantur ducentorum denariorum panes illis turbis necessarios. Ideò ista varietas opinionum relata ab Euangelistis nõ colligit Euangelistas sibi non esse concordes.

¶ Itaque fieri potuit primo Philippum interrogatum à Domino protulisse suam sententiam, & quod dein alij Apostoli quid ipsi sensissent exposuerũt: aut quod primo Apostoli alij exponerent, quot denariorum panes essent necessarij, & subin de Philippus responderet Dominicæ interrogationi. Et demũ tam Apostoli quã Philippus impossibilitatem naturalẽ ostẽderunt, ad alendas turbas illas in deserto; id quod Dominus ab illis esse expositum antequam miraculum ederet intendebat.

¶ Augustinus verò Philippũ solũ credit dixisse quod de ducentis denarijs refertur à Ioanne: verum figurata locutione quod vnus Apostolorum dixit, Apostolos omnes dixisse commemoratur. Ad quam ra-

tionem exponitur, apparens alia varietas: nam Ioann. ait, Andream dixisse de panibus, & piscibus, alij verò Euangelistæ, Apostolis omnibus hoc tribuunt. Cæterum quia Andreas erat Apostolus, quod ipse dixit, ab omnibus dictum fuisse ab alijs Euangelistis commemoratur. Nisi velis Andream primum hoc dixisse Domino, Est puer vnus hic habens quinque panes, & duos pisces & postmodum: ab alijs Apostolis idem sit relatum: verum prior expositio non est peregrina. Est enim familiare scripturæ, pluralem vsurpare pro singulari, & contra. Quia ergo Philippus dixit ducẽtorum denariorum, alij Euangelistæ Apostolos hoc dixisse tradunt. Verum videtur obstare huic expositioni, quia non sunt eadem, sed diuersa verba Philippi, & Apostolorũ, vt prædiximus. *Dixit ergo Iesus, facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus similiter ex piscibus quantum volebant* Exploratissimum tunc iam erat turbas illas multas in deserto illo agentes, non posse pasci per modum naturalem, & quia locus erat desertus, & nullius commeatus, & quia Apostoli pauperes erant, neque poterant tantæ multitudini alendæ cibos competẽtes emere, & quia, in omni illa multitudine non erant nisi quinque panes hordeacei, & pisciculi duo, vt patuit ex dictis ab Euãgelista. Ideoque vt fecerat Dominus in nuptijs Cana celebratis, iussit enim hydrias implendas aqua, vt miraculi veritas satis clarescceret, neq; subderetur malignãtium calumnijs: ita & modo postquam exploratissimum erat, turbas illas nisi diuinitus in deserto pasci nõ posse, tum dixit Iesus, Facite homines discumbere: & alij Euangelistæ tradiderunt sedisse turbas illas, per contubernia diuisa ex quinquagenis, in quinquagenos. Quanuis Marcus inquit, Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos. Verum istud bene conuenire potest, cum numeratione facta ab aliis Euangelistis, quia Marcus totum, alij verò partem expresserunt. Vel fieri poterat, vt quædam pars turbarũ, discubuisset per quinquagenos, & quinquagenos, & alia pars per centenos, & quinquagenos. Est autem Græcè συμποσία, Latinè conuiuia, conuiuia. Et significatur decubuisse turbas per cõuiuia, & conuiuia. Geminatio enim Hebræis dictionũ significat distributionem: hoc est, accubuerunt per singula conuiuia, seu cõtubernia. Et similiter quod in Marco legimus discubuerunt in partes, Græcè habetur πρασιαι, πρασιαι, idest, in partes, & partes, hoc est, in singulas seorsum partes. Id quod Domino disponente factum est, vt citra confusionem, & tumultum comederẽt, & quia hac ratione exploratissimum esset illis miraculum, & denique facilius numerus turbarum quotus esset, Apostolis constaret.

¶ Obserua autem quod antequam Dominus pasceret mirabiliter turbas, curauit lãguidos, qui in turbis erant in deserto, vt Matth. & Lucas referunt: id quod insinuabat, antequam accedamus ad conuiuium ex corpore, & sanguine Christi, oportere nos languores curare nostros ex pœnitentia præmissa per confessionem peccatorũ.

Antequam accedamus ad Christi cõuiuiũ oportet languores internos curare nostros.

¶ Obserua rursus Christum in Cana Galilææ ex aqua fecisse vinũ, nunc verò non mutat naturam rerum, quia ex hordeaceo pane non fecit triticeum panem, sed hordeaceum multiplicat. Siquidem ex aqua fecit vinum, ad iucunditatem conuiuij nuptialis. Expediebat enim celebrare nuptias ex vino. At verò modo solum consuluit necessitati alendæ famis turbarum in deserto, cui alendæ, satis erat hordeaceus panis.

¶ Obseruabis rursum Apostolorum fidẽ in Christum, quia Domino iubente illis, Facite homines discumbere, ipsi morem gesserũt Christo. Vnde nisi credidissent Christi potentiã esse sufficientem ad alendas turbas in deserto loco, non obtemperassent Christi verbis, imò risui habuissent verba illa. Quanuis ergo non habuerunt tunc in deserto fidẽ perfectam, quia immemores miraculorum præteritorum quæ viderant dixerunt, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt vt mandu cent hi. At verò nihilominus fidem habuerunt in Christi potentiam vtcunque: quandoquidem Christi verbis obedientes fuerunt faciẽtes quod accũberent, per contubernia turbæ.

¶ Marcus porrò refert accubuisse turbas super viride fœnum, alijs referentibus accubuisse super fœnum. Et re vera ita est, viride

viridè fuisse tunc fœnum: quia Ioann. cõmemorat hoc miraculum editum à Domino fuisse quando erat proximum pascha, quare sub tempore verno editum fuit.

¶ Quod verò Ioann. ait, numerum discũbentium fuisse quasi quinque millia, consonat cum Marco, & Luca, idem tradentibus. Verum Matthæus dixit fuisse numerum quinque millia, siue quasi. Non tamen istud facit eos disidere: quandoquidem Matthæ. scripsit fuisse quinque millia intellige ad summum, exceptis tamen paruulis & mulieribus. At verò alij Euãgelistæ, dixerunt, quasi quinque millia: non hoc est, paulo minus quam quinque millia.

¶ Porrò non est dissonantia inter hæc duo fuerunt ad summum quinque millia, & fuerunt, quasi quinque millia. Alij extricant hunc nodum quod Ioannes scripsit more humano, ideò dixit, quasi quinque millia: mihi tamen magis arridet, quod dudum aiebam: quia etiam Matthæ. scripsit more humano, & tamen scripsit fuisse numerum quinque millia. *Accepit ergo Iesus panes.* Panes hos discipuli habebant, ideò ex manibus discipulorum hos accepit Dominus panes. Græcè habetur *Accepit autẽ Iesus panes & cum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli verò discumbentibus.* Et hoc modo legunt Græci, Cyrillus, Theophilactus, &c. & apud alios Euãgelistas eodem modo traditur. Dominus ergo ex manibus discipulorum acceptis panibus, gratias egit Deo, & panes, quos ipse habebat, distribuit discipulis suis, & illos distribuendo, multiplicabat, & multiplicatos discipuli distribuebant turbis. Potuit fanè fieri Dominũ primo panem vnum distribuisse discipulis multiplicando, & discipuli hunc panem multiplicatum, distribuebãt turbis, & dein alterum panem eodem modo vsque ad vltimum. Nam Dominus hos frangebat panes, & frangendo multiplicabat: item de piscibus dicito. Qua autem ratione hæc multiplicatio sit intelligenda, varia sunt Theologorum placita. Magister enim Sententiarum in. 2. distinct. 18. Credit ex costa Adam fabricatam à Deo fœminam fuisse nulla foris sectus adueniente materia, sed Deum multiplicasse costam in seipsam. Alias si noua accessisset materia, non ex costa solum facta fuisset Eua, ad quam ratione Matthæ. 14. Marc. 6. Lucæ. 9.

tionem censet hoc panes fuisse multiplicatos, citra nouæ materiæ accessionem ex noua creatione. Et ante Magistrum, fuit eiusdem placiti Hugo Victorinus. Alijs verò aliud placuit dogma, accessionem factam fuisse nouæ materiæ ex noua creatione: itaque diuinitus panis addebatur pani, & facta fuit multiplicatio.

¶ Horum autem dogmatum quod sit probandum magis, nunc non est disserẽdum, quia loco præcitato in disputationibus nostris, satis disseruimus. Vtrũq; tamen credimus modo Deo subesse, & multiplicare sine accessu nouæ materiæ, vel nouorũ panum, vel multiplicare eosdem per conuersionem nouæ materiæ in substantiam quinque panum: quãuis si nouos creasset panes Deus tunc, iam non ex quinque illis panibus, pauisset turbas illas.

¶ Alia hoc genus miracula legimus in sanctis scripturis, quale est illud miraculum de multiplicatione olei, vnde ditata est Sareptana mulier, & miraculũ aliud, quod Heliseus etiam edidit centum viros pascens ex panibus. 20. 4. Reg. 4. Et rursus miraculum illud de pane de cælo descendenti, ad nutriendos in numeros Israelitas in deserto. Cæterum hæc omnia miracula etsi fuerunt supra vires & naturæ leges, aliud alio præstat secũdum quasdam rationes. Eminuerò miraculũ hoc, quod postremo est relatum, & est primo factũ, fuit magnum fanè, quod in numeros homines Deus manna cœlesti pasceret: at verò exceditur ab hoc quod Euangelistæ de narrant: siquidem manna illud fuit nouè creatum à Deo, quod Deus Israelitis pluebat: at verò hoc præsens, si credimus nouã non fuisse creationem, sed solam multiplicationem panis eiusdem in seipso, est longe mirabilius, quam illud. Exodi. 16.

¶ Præter hæc miraculum multiplicationis olei non tam mirabile, quam hoc est, quia multo magis multiplicauit Deus panes hos quinque, & pisces, quam oleum illud fuerit multiplicatum: itemque dices de panibus, quos Heliseus apposuit populo, vt ex illis vesceretur.

¶ Est autem in hoc miraculo admirationis non mediocris, quod Apostoli tot millia hominum componerent sine tumultu, vt breui tempore facerent illos discumbere super virentia gramina: quia tot turbas non erat facile cõponere. Quid quod, quando

quando discubuerunt, iam erat declinans dies, & hora tarda diei vergente sole iam ad occasum, & tamen ante solis occubitū iam comederant ad satietatem vsque, vt ex Euangelijs colligere non est difficile. Vnde breui mora turbas composuerunt per singula contubernia Apostoli, vt vescerentur citra tumultum.

¶ Accepit ergo Dominus panes, & dein gratias egit Deo patri vt se hominem verum esse profiteretur gratias agendo, & Deum esse à quo cuncta bona procederēt testaretur ex gratiarum actione.

¶ Alij Euangelistæ autem non dicunt, gratias egit, sed quod bene dixit. Vnde quidam putant aliud esse gratias agere, aliud benedicere. Vnde volunt Christū post Deo gratias actas benedixisse panibus, benedictione multiplicatiua, vt bene dixit animalibus Genes. 1. Quia actionē gratiarum referunt ad Laudes Deo solutas, sed benedictionem ad actionem multiplicandi. Et Lucas cap. 9. vtriusque benedictionis meminit. Cyrillus autem dicere videtur, vtrumque hoc esse idem: & quod Ioannes dixit, gratias egit, & quod alij dicunt, benedixit: quia benedicere Deo, est gratias agere. Aliquando verò Christus sine præambulo gratiarum fecit miracula. Nam ex aqua vinum fecit, sine præambulo hoc, & similiter filiū viduæ, excitauit à morte & puellam archisynagogi, &c. Enimuerò nonnunquā se ostendebat esse Deum, nonnunquam verum esse hominem. Quamobrem facturus miracula, aliquādo præmittebat diuinas laudes, aliquando illas supprimebat, vt se esse Deum & hominem demonstraret. Porrò Lucas. 22. in die cœnæ Dominum ait, accepto pane gratias egisse, at cap. 24. quā do cum duobus discipulis panem manducauit ait, Dominum benedixisse, & panē fregisse. Et cæteri Euangelistæ, in die eodem cœnæ similiter referunt Christū benedixisse & fregisse panē. Itaq; in panis esum præmittebat diuinam laudem, seu benedictionem: verum in alijs miraculis non semper, vt prædiximus. Et causa est, quia dignum est in esu quotidiano panis Deum autorem laudare omnium bonorum, qui perpetim pascit omne genus hominum, & dat omnibus affluenter & nō improperat. *Similiter ex piscibus quantum, &c.* Varia lectio est huius loci. Quidam codices habent quantum volebant, subaudi, pro voluntate turbarum, siue ad eorū satietatem, alij verò quantum volebat, ipse, subauditur Christus. Hoc est, pro sua voluntate omnibus distribuebat affatim, & panes & pisces: vtraque tamen lectio satis congrua est. Cyrillus, & Theophilactus legunt, quantum volebant alij.

Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis, Colligite, quæ superauerunt fragmenta ne pereant. Ad satietatem igitur turbas cum pauisset Dominus, in testimonium verissimi pastus, atque miraculosæ alimoniæ, duodecim ex reliquijs asseruare iubet cophinos. Neque omnibus fragmenta asseruare iubet illa, sed Apostolis. Turbæ enim non erant futuræ doctores miraculorum Christi, sed solum Apostoli: ideò isti solum sunt asseruatores fragmentorum, qui sunt doctores miraculorum. Allegoria huius miraculi protrita est apud sanctos, & glossam. Quinque hos panes tradunt, Mosaicos significare libros, duos verò piscículos, vel prophetas, & psalmos, aut Euangelia & Apostolicas Epistolas secundum Cyrillum. Pisces autem sunt tanquam obsonium, ex quo panis comeditur, panes ergo hordeacei erant libri Mosaici: lex namque Mosaica duram habet superficiem: litera enim occidit spiritus est qui viuificat. Continet enim sub duritie, & asperitate literæ, medulam spiritus viuificantis, vt hordeum sub aspera palea, mollia cōtinet grana. Quia ergo Euangelica & Apostolica doctrina, offert nobis spiritum ex quo illa lex intellecta suauis fit, ideò piscibus conferuntur hæc duo, quia sunt tanquam obsonium ex quo comeditur lex vetus à fidelibus Christianis, alioqui sine istis piscibus non comedenda. At Psalmi & prophetæ erant Iudeis etiam tanquam obsonium legis Mosaicæ, quia prophetæ & psalmi declarabant legem Domini. Durum sanè erat præceptū circuncisionis Iudæis, at si in spiritualem circuncisionem illud referas asperitatem deponit suam, & fidelibus suaue fit ad vescendum. Et ita de reliquis illius legis præceptis intelligito: quæ equidem sine obsonio legis nouæ asperrima sunt testante Petro, Actor. 15. Cur tentatis imponere iugum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus. Verum accedente spiritu nouæ legis illa lēteſcūt, & dulciora esui mētis reddūtur,

Colli-

Dupler est benedictio quæ est gratiarum actio & benedictio est alia quæ est multiplicatio rerū ex Dei virtute.

Apostolis mandatur cophinos memoriam miraculorum colligere.

Euangelium & Apostolicæ Epistolæ sunt obsoniū legis antiquę

Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, qui super fuerũt his, qui manducauerant. Isti cophini erant memoriale diuini miraculi, & Christi potestas fuit ex eodem demonstrata. Memoriale verò tantæ rei, non erat dignum factu, vt periret, ideò iubet Dominus, vt seruentur cophini isti ab Apostolis. At verò in Marc. 8. & apud Matthæ. 15. quãdo iterum ad mare Galilææ pauit sequaces turbas legimus septem sportas tãtum sustulisse Apostolos ex fragmentis, quæ ex illo miraculoso conuiuio super fuerãt: nunc verò cophini duodecim. Itaque ex paucioribus panibus & in plures turbas distributis plura super fuerũt, quam ex pluribus panibus & in pauciores distributis turbas. Vnde præclarius fuit conuiuium primũ, quod Ioannes refert, & alij Euangelistæ, quam quod alij Euangelistæ sine Ioanne referunt. Quamquam consideratione dignum est, cur in. 2. conuiuio nõ fit mentio numeri piscium: at verò in primo duos esse commemoratur. Panũ tamen numerus vbique describitur: in primo enim quinque fuisse, in secundo verò septem.

¶ Et rursus quæret aliquis cur in hoc secũdo conuiuio, scripserit Marcus quod Dominus quando distribuebat panes, gratias agebat, at quando pisciculos impartiebatur, solum ait, Et benedixit ipsos. Vnde forsan verum est, quod hæc benedictio, erat multiplicatio ipsorum piscium, vt in Gene. benedictio animantium est ipsorum vis multiplicatiua, à Deo illis cõcessa. Sed iam dicet aliquis, cum etiam panes multiplicauit tunc, cur Marcus non dixit, & benexit panes, sed solum de piscibus traditur, Et benedixit ipsos. Vtique ex benedictione piscium, intelligendam à nobis voluit benedictionem panum, quã Lucas comment. 9. dicens, Benedixit ipsis, vt ex gratiarum actione, quæ memoratur in panum distributione, insinuauit, eandem fuisse in piscium partitione. Et forsan non erant nisi duo, vel tres pisces. Et quia Matthæus denarrat numerũ prioris conuiuij piscium, item & Marcus, tacendo modo piscium numerum, eundem fuisse, quem priorum piscium, satis insinuant. *Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat Iesus signum dicebant, quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Fecit Dñs alia nobiliora miracula, vel æquè nobilia quam fuerit hoc, quia suscitare mortuos nobilius est miraculum, quam pascere tot turbas ex quinque panibus & illuminare cæcos, surdisque præstare auditum, &c. æquè insignia sunt, atque hoc miraculum. At verò visa resurrectione mortuorum, nunquam dixerunt turbæ Christum esse prophetam, qui venturus erat in mundum, aut visis alijs miraculis, neque ob id voluerunt eum rapere, vt ipsum facerent regem. Vt iam hinc expendas quanta apud homines sit vis alimentorum. Siquidem turbæ postquam satiatæ fuerant cibis Christum proclamant esse verum Messiam, quem ipsi expectabant venturum. Et contendũt eundem inthronizare in sedem regni super Israelem. Ne scientes quod regnum Christi non erat de hoc mundo, sed regnum spirituale cuius meminit Angelus Gabriel, Lucæ. 2. Et regnabit in domo Jacob in æterno, & regni eius non erit finis. Hoc autem regnũ non est institutum ab hominibus, sed à solo Deo, ideò Christus regnum huius mundi spreuit, & fugit in montem, quando parabant turbæ eum facere regem, donec turbæ discederent. Ipse enim constitutus est à Deo patre rex, testante psalmographo in persona ipsius Psalm. 2. dicens, Ego autem constitutus sum ab eo rex super Sion montem sanctum eius. Quia autem turbis erat persuasum Messiam futurum illis largitorem omnium bonorum, & vidissent Christum in deserto pauisse tot millia hominum nullo sumptu, nullo ve negocio intellexerunt, qui in deserto pascit, vberius & facilius in vrbibus pascet, ideoque Christum volebant in regẽ. At verò sub Domini passione turbæ clamant, Nolumus hunc, sed Barabam. Et rursus, Non habemus regem, nisi Cæsarẽ, Ioann. 19. Et in parabola Euangelica, Lucæ. 19. Nolumus hunc regnare super nos, sub persona Israelitarum profertur. Vt aduertas, quam varium est humanum ingenium, quamque labile ex bono in malum: & maximè vulgus hoc laborat morbo varietatis. Quippe cum intelligentia rerum profunda orbetur, & trutrinam rectam morum nõ habeat facile variatur, & fere in omnem mutatur horam. Græcè non habetur propheta simpliciter, sed, ille

Christus primo egit gratias Deo & dein benedixit panibus, & piscibus.

Regnũ Christi spirituale.

Variũ est humanum ingenium.

le propheta, vt Messias denotetur, vt ex adiūctis patet: quia ait, qui vēturus est in mundum. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperēt eum & facerēt eum regē, fugit iterum in montem ipse solus.* Christus quatenus Deus rex est vniuersorum, at quatenus homo venit in mundum, non vt quæreret vanam seculi pompam, sed potius, vt homines doceret vanam mundi fugere gloriam, ideò fugit in montem. Poterat sanè sine fuga in montem, non acquiescere turbis contendentibus ipsum facere regem. Quippe nullus poterat eum cogere ad regnum accipiendum. Verum Dei sapientia erat, & disponebat omnia suauiter: propterea ausugit, vt turbarum declinaret impetum. Quod verò Euangelista ait, Fugit iterum in montem, facile insinuat, Dominum postquam transiuit stagnum commemoratum recessisse in montem, vt Ioannes iam dixerat, & postmodum, vt aleret turbas, descendisse de mōte, quem conscenderat prius, & nunc rursus fugisse in montem. Quia tamen Dominus celeriter ascendit modo in montē, ideò hunc celerem ascensum vocat fugā. Matthæus autem, non ait, Christum fugisse in montem, vt declinaret turbas volentes eum constituere regem, sed quod ascendit in montem solus orare. Neque tamen est collisio inter hæc: quia ob vtramque Dominus ascendit causam. Verum accelerauit ascensum modo propter causam, quam Ioannes commemorat.

¶ Sed quid, dicet aliquis, turba non poterat etiam ascendere in montem celeriter post Dominum & ibidem constituere Christū in regem? quomodo ergo per fugam istam Dominus sibi prouidebat, ne cōstitueretur rex? Videtur igitur dicendum istam fugam in montem fuisse, vt se Dominus absconderet in latibulis mōtis, & hac ratione turbas etiam quærētes eum declinaret. Et quia latitando orabat, ideò Matthæus dixit quod erat in monte solus orans.

Concordia Euangelistarum.

¶ At verò maius vrget dubium, quippe ex Matthæo promptum est nobis Dominum post dimissas turbas ascēdisse in mōtem. Si ergo Dominus dimisit turbas, & deinde ascendit in montem, qua ratione eas declinans fugit in montem, ne rapiāt eum, & eum constituant regem, siquidem ipse eas dimisit, vt abirent in propria? Si dimisit eas, non ergo eas fugit. ¶ Porrò dimittere turbas bifariam intelligere valemus, aut quod Dominus dixerit turbis, iam pasti estis, abite in pace, aut quod eas reliquerit: at hoc secundo modo, non primo dimisit turbas. Vel dicito Græcè non legi fugit, sed ανεχωρησαι, idest secessit. Et quod legimus vt raperent eum: & facerent eum, vsurpatur pro, ipsum, vel se. Et considera turbis notum fuisse Domino nō placere regnum, siquidem statuunt eum vi rapere, & creare regem. Incertum est autem, si turbæ hoc facere disponebant in deserto, aut agentes in deserto, hoc apud se tractabant, vt habito consilio cum alijs eum raperent ad regnum. Verum primū horum est verius. *Vt autem sero factum est descenderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nauim, venerunt discipuli eius trans mare in Capharnaū, & tenebræ iam factæ erāt.* Matthæus post dimissas turbas denarrat Dominum ascendisse montem, subaudi, illius deserti: at Ioannes diuersum videtur scripsisse. Prius namque commemorat Dominum fugisse in montem, & deinde turbas fuisse dimissas. Nam primo narrat Christum fugisse in montem & deinde, Cū autem sero factum est descenderunt discipuli.

¶ Oportet autem vt hæc apparens soluatur collisio, dicere Ioannem in summam redegisse, quæ alij Euangelistæ explicatius scripserant, ideò non ordinem gestorum in præsentia scripsit, sed solum ipsum gestum. Quamobrem, etiamsi prius narret Christum fugisse in mōtem, quam Apostolos nauem ascendisse, cæterum prius ipsi Apostoli, fuerunt dimissi à Christo, quam ipsæ turbæ, & quam Christus ascenderet in montem. Nam iussit Apostolis antequam ipse ascendisset in montem, vt præcederent Christi aduentum in Bethsaida, dum ipse dimittēbat turbas, Marc. 6. Et post hæc iussa, aduertens Iesus turbas commotas, vt eum constituerēt in regem, fugit in montes. Et post ascensum eius turbæ discesserunt. Quo autem se contulerint euangelium non explicat, an videlicet, traiecerint mare illud, an nō traiecerint tunc, sed postea.

Concordia Euangelistarum.

¶ At forsan te mouebit, quod Ioānes ait, Apostolos veniisse in Capharnaum, & videtur hoc eos fecisse ex Domini mādato. At verò Marcus scribit eos ex Dñi iussu

veniisse

veniſſe in Bethſaidam. Matthæus autem ſolum ait, Dominum Apoſtolis imperaſſe, vt transfretarẽt, nulla facta mentione loci ad quem erat transfretandum. Porrò conſonantia hæc eſt Euãgeliſtarum in re hac, Chriſtus pauit turbas, dein iuſsit Apoſtolis, vt præcederent eum, & venerunt primo in Bethſaida, deinde, in proximo oppido, quod erat Capharnaum, at tantiſperdum Apoſtoli veniebant in Bethſaida, Dominus ſe expediuit à turbis, illas relinquens fugiens in montem. Expectabant autem Apoſtoli Ieſum in Capharnaum, quia iam nox aderat: tenebræ, inquit, erant. *Vt autem ſerò eſſet factum.* Pro, vt autem ſerum eſſet factum: Serò non reperitur niſi aduerbialiter. Apud Liuium autem legimus ſerum diei, pro ſera parte diei. Significatur igitur eſſe tunc ſolis occubitum, quando Apoſtoli nauigabant in Capharnaum. Quod verò interpres tranſtulit venerunt, Græcè, eſt ἠρχοντο, præteritum imperfectum, id eſt, ibant. Vel legendum hoc eſt, ſecundum anticipationem, quia tum non dum venerant in Capharnaum, ſed poſtea venerunt. Namque inter nauigandum in Capharnaum, accidit, quod ſequitur. *Mare autem vento magno facto exurgebat. Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſupra mare, & proximum mari fieri, & timuerunt.* Sunt qui exponant hanc nauigationem Apoſtolicam fuiſſe, ex Capharnaum. Etenim Apoſtoli eò venerant, & ibidem præſtolabantur Chriſtum, qui cum moras egiſſet, deſcendunt Apoſtoli in mare, & naue conſcẽſa, redibant ad quærendum Chriſtum, & in hoc reditu mare intumuit, & tempeſtas maris obruebat Apoſtolos, &c. Verum, non in reditu ex Capharnaum, hoc accidit quod Ioannes ait, imò quando nauigabant in Capharnaum, ex Domini mandato. Tunc namque cum remigaſſent quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, tempeſtas grandis eſt in mari ſuborta, ex qua deturbatis Apoſtolis, & alijs qui cum Apoſtolis nauigabant, apparuit Ieſus ambulãs ſuper maris fluctus: & timuerunt Apoſtoli putantes, phantaſma eſſe, vt Matthæ. inquit, cum Marco. Dominus autem terrorem ipſorum diſcutit dicens, *Ego ſum, nolite timere.* Tria autem ſunt quæ hoc loco à Ioanne referuntur miracula, & quod Chriſtus calcauit marinos fluctꝰ, & quod calcatos ſedauit, & demum, quod ſubito deduxit nauigationem Apoſtolorum in portum, vt ſubdit Ioannes. *Voluerunt ergo accipere, &c.* At verò Matthæus alterum refert id temporis miraculum, quòd, ſcilicet, Petrus ex Domini iuſſu, etiã marinos calcauit vortices: & quod cum ſubmergeretur in mari, à Domino eſt ereptus à ſubmerſione.

Expoſitio vulgata non probatur.

¶ Sunt qui putant, aquas maris illius tum ſolidas factas, ideoque Dominus ſuper illas ambulabat, alij verò credũt corpus Domini tunc habuiſſe agilitatis dotem, ideò ſibi licuiſſe ſicco veſtigio mare calcare. Verum nihil horum eſt dictu neceſſariũ, ſed quod Chriſtus, vt Deus erat poterat ferre corpus ſuum ſuper aquas illas ſiccis calcando pedibus: & quod Chriſtus ex ſua diuinitate habebat, hoc gratis Petro conceſsit. Hæc autem miracula Chriſtus tunc exhibuit, vt miraculum quod dudũ egerat in deſerto, nouo miraculo geſto in mari confirmaret, vt inde iam crederent eſſe Chriſtum verum Deum, Dominum & terræ, & maris, quia omnia illi obediebãt. Quod ſi dixeris, quid eſt igitur quod ait, Venerunt in Capharnaum? igitur primo venerunt in Capharnaum. Cæterum ſupra diluta eſt hæc obiectio, quia pro, venerunt, legendum eſt ibant: vel per anticipationem verba ſunt accipienda. *Voluerunt ergo eum accipere in nauim, & ſtatim nauis fuit ad terram ad quam ibant.* Ex hoc loco Chryſoſtomus arbitratur, hoc factum quod Ioann. denarrat eſſe ſimile ei, quod denarrat Matthæ. cap. 14. non tamen idẽ eſſe, ſed diuerſum.

¶ Primo, quia Apoſtolos Ioannes commemorat propria voluntate cõſcendiſſe nauim, at Matthæ. tradit ex Domini iuſſu, quod cogebat Apoſtolos hunc conſcenſum.

¶ Secundo, quia Matth. refert Dominũ intraſſe nauim cum Apoſtolis: hic verò Ioann. non intraſſe ait, ſed quod Apoſtoli voluerunt Dominũ excipere in nauim.

¶ Tertio, quia hic traditur, quod erant apud Capharnaum, Matthæ. verò non Capharnao appulſos, ſed terra Geneſar.

¶ Cæterum hæc argumenta non conuincunt, vt mox patebit, ideoque Auguſt. & vulgati interpretes, idem eſſe miraculum fatentur.

Diſſenſus inter Auguſt. & Chryſoſt.

¶ Ratiunculæ

¶ Ratiunculæ autem commemoratæ soluentur, si dixeris primæ, hæc duo sibi consentire, & quod Ioannes ait, quod Apostoli descenderunt in mare, & ascenderũt nauim, & quod Matthæ. & Marcus inquiunt, quod compulit eos ascendere in nauim. Ioannes enim solum refert executionem mandati Christi, & alij Euangelistæ ipsum mandatum. Non enim ita coacti fecerunt Apostoli, vt inuiti facerent, sed quia Dominus instabat, vt citò facerent, ideò refertur compulsos, vt facerent, quia citius fecerunt, quam videbatur facturos.

Concordia Euangelistarum.

¶ Secundo respondebis distinguẽda esse tempora, vt concilientur Euangelistæ.

¶ Quando enim voluerunt Christum recipere in suam nauim Apostoli, erat ante quã Petrus dixisset, Domine si tu es, iube me venire ad te: & tum non exceperunt eum. At verò postquam iuit Petrus supra marinos fluctus ad Christum, tum Christum & Petrum exceperunt in nauim.

¶ Tertiò dices, Genesar non esse nomen oppidi, sed regionis, vnde vocatur mare Genesar, seu Genesareth, cui⁹ hic Ioãnes meminit, quia erat in regione illa cui nomen erat Genesar, aut Genesareth. Et in hac regione erãt Tyberias ciuitas & Bethsaida quæ erant in litore stagni prẽmemorati & Capharnaum, &c. quæ quanuis nõ erat in litore huius stagni, at verò erat prope litus. Et Bethsaida erat velut maris huius portus, à quo deueniebatur in Capharnaum celebre emporium Galilææ. Quippe Capharnaum erat illustre Galilææ oppidũ, Bethsaida verò exigua ciuitas erat. *Nauis fuit ad terram, ad quam ibant.* Græcè pro ibant, scribitur, ἤρχοντο, vt dudum pro, venerũt, est idem Græcum verbum, quod vt diximus verti etiam poterat, ibãt. Namque nondum Apostoli appulerant Capharnao, quando hæc gesta sunt, quæ Ioannes denarrat.

Genesar Genesaret regio erat contines Bethsaida, & Capharnaũ, Tyberiadẽ, &c.

¶ Quia tamen venerunt in Bethsaida & dein in Capharnaum, ideò Matthæ. ait, eos appulsos fuisse terræ Genesar, quia ciuitates commemoratæ erant illius terræ, vel regionis, cui nomen erat Genesar. *Altera die, turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia non initio esset cũ discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abijssent.* Turbæ, quæ consistebant trans mare, in loco, vbi Christus pauerat turbas, miraculum quod fecerat Dominus, pridie ambulãdo supra marinas vndas, altera die siue postero die cognouerunt. Quippe qui sciebant ibi tunc non fuisse nisi nauem vnam, & quod ineã non fuerat ingressus Iesus, sed discipuli eius ex ipsius præcepto illam sunt ingressi. Et dein videntes, quod Iesus non erat ibi in loco vbi pauerat turbas, sed esse iam trans mare, in Capharnaum, ideò miraculum, quod Christus fecerat prædictum intellexerunt. Et rursus, miraculum aliud cognouerunt, videlicet, quod cum essent distantes à terra ad quam ibant Apostoli, scilicet, terra Genesar citissimè ex Domini virtute illi appulerunt. Quia paruam Apostoli habuerant tum nauigationem, quia ventus erat Apostolis contrarius, neque remigare eis licebat, ideò exiguum erat, quod absoluerant id temporis nauigationis, quando Dominum viderunt ambulantem super maris vndas. Ideò Ioannes dixit cum remigassent stadia, 25. aut 30. quæ sanè erat modica nauigatio. Id quod expressit Ioãnes, vt insinuaret multum maris supereſſe traijciendum, vt ad Capharnaum esset tunc accedendum. Vnde cum subito illò appulissent post in gressum Domini in nauim miraculi veritas consideranti constabat. *Aliæ verò superuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locum vbi manducauerant panem gratias agentes Deo.* Græca litera non agentes habet, sed agente, gratias agente Domino. Et est sensus quod naues quędam superuenerunt à Tiberiade iuxta locum, vbi manducauerunt turbæ panem, cum Christus gratias egisset, vel postquam gratias egisset Dominus: & vocatur Christus Dominus, vt denotetur eiusdem diuinitas. At verò iuxta vulgatam editionem, gratias agentes Deo, refertur ad turbas, quæ quia audierant miraculum Christi ibidem gestum, vbi consistebant ipsæ, Deo persoluebant laudes. Sed forsan hæsitas, ex verbo Ioãnis, *Soli discipuli abijssent*, cum Matthæ. dicat quòd ij qui erant in naui adorauerunt Christum, dicentes, Verè filius Dei tu es. Vnde videtur, alios fuisse ibi in naui, & nõ solos Apostolos. Respõdebis, de Apostolis esse intelligendum quod ait, Matthæus.

ENAR-

ENARRATIO II.
In caput sextum.

¶ Cum ergo vidisset turba, quia Iesus nõ esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum. Et cum inuenissent eum tras mare dixerunt ei, Rabbi quando huc veniſti.

Sectio Euangelij. 2.

TVRBÆ, quia videbant miracula magna, quæ Christus operabatur circa languidos agminatim conuolabant ad Christum, ideò quærebant anxiè Christum. Quamobrem nunc veniunt Capharnaum, & inuento Christo, inquirunt tempus aduẽtus eius: detinebatur namque admiratione, ex aduentu Domini. Et quia opinabantur Dominum sicco pede traiecisse mare, vt ex verbo Christi certi fierent de huiusmodi traiectione, ideò inquirunt, Rabbi quãdo, pro, quomodo huc veniſti? *Respondit eis Iesus, & dixit, Amen, amen dico vobis quæritis me nõ quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Videtur sub repens esse collisio inter locum hunc, & capitis huius exordium: quia Ioannes dixerat, quod multitudo maxima sequebatur Christum, quia videbat signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Nunc Dominus inquit, Quæritis me, non quia vidistis signa. Et adde, quia quod ait, Sed quia manducastis panem, vtique signum erat: si ergo propter esum panis Dominum sequebantur equidem propter signum sequebantur. Respon. hos homines, qui à Domino exquirebant tempus aduentus sui in Capharnaum, fuisse ex illis, quos Dominus saturauerat ex panibus & ex piscibus in deserto, & ventri studentes & ocio, modo secutos fuisse Christum. Quod ergo ait, Dominus, Quæritis me, non quia vidistis signa, hunc sensum habet, Quæritis me, non vt ex signis visis, me creditis, & amatis, & veneramini, sed potius ex signis explere ventrem cupitis. Non ergo quæritis me propter me, sed propter vtilitatem vestri corporis. Quod ergo in exordio Ioann. ait, Multitudo magna, &c. Significat quod illi homines quærebant Christum, non propter signorum finem, qui est fides, & amor erga Christum, sed quia videbant signa super ijs, qui infirmabantur, hoc est ad paradam sibi corporis salutem; Christum quærebant, vt isti propter ventris saturitatem. Est sanè verum magnum fuisse signum ſturare turbas in deserto: verum Christus intendebat ex hoc signo, turbarum in Christum fidem, turbæ verò famem satiare, & ventrem explere cibis citra laborem. Porrò interrogationem horum non absoluit Dominus, quia doceri quærebant à Christo, id quod ab alijs facile poterant discedere. Putà ab Apostolis, qui viderant Dominum pridie calcantem pedibus suis marinos fluctus. Propterea dubij propositi omissa responsione, ad aliam se transfert materiam: nempe vt disserat luculentissimè de corpore, & sanguine suo, occasione accepta ex conuiuio, quod in deserto dudum celebrarat. Quare subdit, *Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Cibus qui perit, est cibus corporis: nam esca ventri, & venter escis hunc & illas destruet. Cibus igitur, qui non perit, est mentis cibus, qui dicitur metaphoricè cibus. Quippe ciborum est vegetare cibata, & quo vegetior est cibus, vegetiora reddit ea, quæ cibat. In quem modum, quia mens ex quibusdam reficitur spiritualiter, & confortatur, ideò huiusmodi, quæ illam vegetant, & reficiunt, mentis alimenta iusta appellatione cognominantur. Vnde illud Eccles. 15. cibauit illum pane vitæ, & intellectus. Est autem sapientia panis intellectus, quia illum illustrat, & roborat spirituali robore. Verum quia Dominus modo hortatur, vt operemur cibum, qui non perit, & admonet quod non operemur cibum periturum, dicet aliquis, quid ergo nõne fas est operari cibum, vnde pascamus corpora nostra, cum Deus dixerit, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, & concinit. 1. Corinth. 4. Paulus docens fideles, vt laborent suo exemplo opere manibus suis vnde alantur, & vnde ocium depellant, quod est nouerca virtutum, & mater vitiorum omnium? Quid ergo est quod Dominus modo docet. Operamini non cibum, qui perit? Respond. Dominum ex istis verbis non aliud prætendere, quam quod dixerat apud Matthæum capitul. 6. Ne

Collisio apparens soluitur.

Cibus mẽtis per trãslationem dicitur ex corporis cibo sumptus

Ephes. 4.

ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Itaque non laborem ad quærendum cibum, & corpori neceſſaria Dominus reprobat verbis præindicatis, ſed ſolum nimiam ſolicitudinem, in quærendis corpori neceſſarijs, Dominus diſſuadet. Nempe quod hæc temporalia tam ſolicite, & anxio corde exquiramus, quaſi eſſent æterna bona, & alia non ſupereſſent bona longe digniora. Nam infideles, exquirunt hac ratione bona viſibilia, quaſi alia non eſſent meliora bona ab ipſis conſequenda: ideò ſic quærunt temporalia, vt amittant æterna. Fideles igitur admonitos vult Dominus, vt operentur non cibum, qui perit, ideſt, non anxij ſint ſupra modum in quærendis terrenis, ſed omnem ſuam anxietatem, referant ad quærenda, & inuenienda æterna bona, quæ non pereunt.

Nugæ ſunt Lutheranę inficiantes liberum arbitriū eſſe actiuum ad ſibi ſalutē æternam cōciliandam.

¶ *Operamini non cibum, &c.* Ergo ſi nos debemus operari cibum, qui non perit, liberum arbitrium aliquid agit ad ſuam iuſtificationē, & non ſe habet purè paſsiuè, vt nugatur caterua Lutherana. At verò quia ſubdit, quem filius hominis dabit vobis, facilè inſinuat non eſſe potens ſolitariū ſi ſit liberum arbitrium, & nudū ab ſpeciali ope Dei, operari hūc cibum. Hic igitur cibus à Chriſto nobis datur & à nobis etiam operatur. A nobis ſanè operatur, volēdo credendo ſperando, à Chriſto datur præueniendo, inſpirando, & adiuuando, & gratiam infundendo. Non ergo liberum arbitrium diſſoluit Dei donum, neque Dei donum naturam liberi arbitrij peruertit: ſed potius vtraque hæc gratia & liberum arbitrium conuenire poſſunt. Eſt igitur cibus iſte, qui non perit dupliciter conſiderandus, aut quod in ſe non pereat, & hic cibus ſolus eſt vita æterna, quæ ex ſuo nomine facilem ſuam æternitatem præſefert. Alius eſt qui non perit, ex eo ſolum, quia diſponit ad cibum, qui

Fides & ſpes quomodo ſūt cibus qui nō perit.

non perit. Etenim fides iuxta Apoſtolum peribit, & euacuabitur in cœleſti regno, vt ſpes etiam. Cæterum fides vocatur cibus qui non perit, (vt mox dicet Dominus. *Hoc eſt, inquit, opus Dei Vt credatis in eum, quem miſit ille:*) quia per fidem initiatur in nobis vita eterna. Eſt enim fides veluti quoddam initium vitæ æternæ. Charitas autem vere eſt cibus, qui non perit, quia hæc non excidit. 1. Corinth. 15. Dominus igitur dixit, Operamini cibum, qui non perit. At ij, quibus loquebatur intellexerunt per cibum, qui non perit, opus Dei: ideò ſubdunt quæſtionem, quid faciemus, vt operemur opera Dei. Item ſpes eſt cibus viatricis animæ, qui tametſi euacuabitur in cœleſti patria, at verò, quia ſpes, & fides ſociatæ charitate promerentur vitam æternam, ideò rectè dicendæ ſunt cibus animæ, qui nō perit, aut Dei opera. Sunt ſanè vniuerſa naturæ opera, Dei opera: cæterum Iudæi non interrogant de operibus naturæ, ſed de operibus gratiæ, quæ ex Dei ſpeciali dono habentur. Hinc hæc ſequentia patent. *Quem filius hominis dabit vobis: hunc enim pater ſignauit Deus.* Appellarat ſe filium hominis, demonſtrat ſe eſſe etiam filium Dei, dicens. Hunc enim pater ſignauit Deus: hoc eſt, declarauit pater & confirmauit me eſſe filium ſuum, vt patuit in Dei baptiſmi, Matthæ. 3. Signare igitur eſt certiſsimo declarare ſigno Chriſtum eſſe filium ſuum. Et quia dixerat daturum filiū hominis cibum æternum, ne offenderentur ex verbo obijciendo. Qui filius hominis poterit dare nobis cibū æternum? Oſtendit ſe eſſe filiū Dei veraciter, quia patris teſtimonio conſignatus eſt filius Dei. *Dixerunt ergo ad eum, quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Vtique fides ſi prohabitu vſurpetur, opus eſt ſolius Dei, vt cæteræ infuſæ virtutes, tametſi hominis eſt ſe præparare ad illarū ſuſceptionem. Porrò actus fidei, & charitatis, & ſpei, ſunt ſanè opera Dei, & opera noſtra. Sūt ſanè Dei opera, quia citra Dei auxilium, nemo poteſt credere vt oportet, ſunt autem opera noſtra, quia à noſtra mente procedunt, vt de cibo, qui nō perit, dudum diſſerebam.

1. Cor. 15.

Charitas eſt animæ cibus qui nō perit.

¶ Fides igitur recta in Chriſtum eſt diuinum opus, hoc eſt, ſupernaturale Dei opus. Nam, vt præmonebam, non eſt ſermo modo de operibus naturæ, ſed de operibus excedentibus naturæ vires. Quod ſi fides eſt opus ſupernaturale, charitas Dei, atque in Deum firma ſpes opera ſunt Dei. Cæterum de fide facit mentionem Dominus, quia fides eſt fundamentum omnium virtutum Theologicarum. *Dixerunt ergo ei, Quod*

Fides eſt ſuper naturam, itemque charitas & ſpes.

ergo

ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Quid operaris. Obserua hominum istorum ruditatem incredulam, viderant signum mirabile in deserto, vbi Dominus modico pane ingentes pauerat turbas, & garriunt modo dicentes, Quod ergo tu facies signum, vt viso signo credamus tibi? Et maiores suos comminiscuntur comedisse panem cœlestem in deserto insinuantes, se hoc poscere à Christo signum de cælo, vt manna, scilicet, cœlesti pascat eos: quasi nihili ducentes quod panibus hordeaceis eos pauerit: ideo subdunt. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cælo dedit eis manducare.* Hoc eodem fastuoso ingenio tenebantur illi, qui Lucæ. 11. tentantes signum de cælo quærebant: fastidiebant enim signa de terra: ideò exigebant cœlestia signa. Et quidem rectè admonuit sapiens, occasiones quærit qui vult discedere ab amico, ideò Iudæi cupientes non credere Christo, occasionem inuenerunt petendi signa de cælo, quæ si illis pro votis exhiberentur, etiam non credérent. Varia igitur signa exigebant, cum alioqui quodlibet miraculum Christi, sat debuisset illis fuisse vt crederent. Prouerb. 18.

Dixit ergo eis Iesus, Amen, amen dico vobis, non Moises dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Dixerant Iudæi dudum, Quod signum ostendis nobis, vt credamus tibi, subaudi vt credamus te esse Messiam. Quasi dixissent signum, quod ostendisti satians in deserto turbas, non sat est, vt credamus te esse Messiam. Quippe Moses, non erat Messias, & maius præstitit miraculum, satians non pane hordeaceo, sed cœlesti turbas, & non quinque millia hominum, sed innumerabiles turbas. Et non semel, sed spacio quadraginta annorum. Quibus Dominus respondit, *Dicens, Amen, amen, &c.* Hoc est fallimini cogitantes Mosem dedisse vobis panem cœlestem, Moses enim non fuit dator panis illius, sed solus Deus, etsi Moses prædixit Iudæis diuinam largitatem, & beneficentiam, ex qua erat illis collaturus manna.

¶ Vnde argumentum ipsorũ nullius erat efficaciæ. Siquidem Christus verè multiplicauit panes, vnde alerentur turbæ illæ in deserto: at verò Moses nihil præstitit in collatione manna, sed solum pronũciauit Dei donum hoc esse erga Iudæos in vasta agentes solitudine: & formam præscripsit in colligendo pane illo cœlesti, ideò ait, *Non Moses dedit vobis panem de cælo.* Est autem articulus emphaticus, Græcè, videlicet, Panem illum de cælo, vt sit sensus, Moses nõ dedit vobis panem illum cibantem mentes, & non corpora. Et de hoc pane Dominus ait, *Non dedit vobis Moses panem*, alium, scilicet, qui confert vitam æternam.

¶ Verum si quem dedit fuit panis qui perit, quia alebat corpora, non mentes: ideò fuit panis corruptibilis, & computrescebat, nam qui asseruabãt illud in mane putridus & scatens vermibus cernebatur, Exodi. 16. Verum neque hunc panem Moses dedit, quia ipse non poterat hunc de cælo deferre panem: sed solum fuit pronunciator huius panis, vt diximus.

¶ At verò pater Deus dedit hominibus panem de cælo verum: quia misit filium suum, carne indutum, qui posset animas alere alimento veritatis & iustitiæ. Panis igitur ille qui sub Mose alebat Iudæos in solitudine, erat panis qui descendebat de cælo, hoc est, ex media aeris regione: & corruptibilis panis erat, at verò Christus est panis ex regalibus sedibus Dei descẽdens ad nostra, & ideò æternus est. *Panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mũdo.* Græcè non, verus, sed Dei, scribitur, vt lectio sit, Panis enim Dei est. Et est phrasis Hebraica: ea enim quę Hebręi significare volunt sublimia esse, & nimis admiranda Dei vocare consueuerunt, vt mons Dei, hoc est, mons sublimis, & excellens, sopor Dñi, ideſt, profundissimus: & sæpè alias, idem reperias. Quamobrem locus hic, Panis enim Dei, &c. significat panem excellentissimum, superantẽ omnem panẽ. Et ita est, quia panis, cuius Dñs meminit modo, est ipse Dñs, qui est panis de cęlo descendens, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Psalm. 76. 1. Reg. 16. Phrasis Hebraica notanda.

¶ Et huius panis excellentiam ipse Dominus exponit dicens, qui dat vitam mundo. Quasi dixisset apertius panis vsualis, quo vescitur mundus, dat sanè vitam, sed transitoriam, quia non potest vitam præstare sempiternam: & panis hic Dei dat vitam sempiternam. Aut rectius, panis

vsualis non dat vitam hominibus, sed vitam à Deo ex generatione datam, panis hic conseruat. Etenim panis non generauit, aut generat homines, sed genitos seruat. Verum panis dei, non solum seruat vitam, sed confert, quia Christus morte sua destruxit mortem nostram, & resurrectione sua vitam amissam in paradiso, reparauit: ideò veraciter dicit, Panis Dei dat vitam mundo. Per mundum humanum genus subaudi, siue homines ipsos. Quamuis enim non omnes homines viuant ex hoc pane Dei: cæterum ipse panis ex se est vitalissimus, quia sufficiens est mors Christi omnibus hominibus vitam spiritualem præbere. Verum quia illam confert, non cogendo liberum arbitrium, sed huius seruata libertate, ideò credentes, & volentes, & amantes, viuificat in actu, & repugnantes non viuificat panis hic. Lectio quoque vulgata eundem habet sensum: ea enim vera dicuntur, quæ perfectionem obtinent in suo genere. Quia ergo panis hic cœlestis non corpus, sed animam viuificat, quæ est æterna pars, & optima pars hominis, ideò panis verus est, idest, optimus panis. *Dixerunt ergo ad eum, Domine, semper da nobis panem hunc.* Samaritanæ instar isti loquuntur modo. Samaritana enim audiens à Domino aquæ cuiusdam vires, continuò illam petiuit à Domino. Ita isti commemorati panis audientes excellentiam, illicò eundem à Christo petunt. *Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Sed dixi vobis, quia vidistis me, & non credidistis.* Se esse illum panem, quem prædixerat dudum esse panem verum de cælo descendentem, exponit modo Christus. Et quia petierant Iudæi panem hunc, ideò subdit, se esse panem verum: & ideò quem Iudæi petebant promptum habebant panem.

Panis vsualis nō dat vitam hominib⁹ sed acceptam ex generatione seruat.

¶ Et vt abducat Dominus auditores à crassa intelligentia verborum suorum, quia forsan putabant Christum se vocare panem materialem, ex quo aluntur homines, addit panem se esse, tollentem famem in æternum, etsi Græcè, non æternum habetur, sed vnquam. *Non esuriet vnquam.* Panis enim materialis tollit ad horam famem, verum renouata fame, renouatur & ipsius panis esus: ideoque clarè docet se non esse panem materialem, sed alium longe dignionem, qui est panis spiritus. Vtitur tamen voce panis, vt ex similitudine panis materialis, ad intelligentiam sublimiorem spiritualis panis, auditores promoueret: nam inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.

Ex pane materiali theologizandum est ad panem spiritualem.

¶ Et, vt rem pespicaciorem faciat Dominus, adiecit, hunc panem non solum famem tollere in æternum, sed etiam sitim. Vnde cum panis materialis nunquam sitim tollat, nam istam tollere potus est, & non panis: est enim cibus solidus, solum mitigans appetitum calidi & sicci: namque fames est appetitus calidi & sicci, vt sitis est desiderium frigidi, & humidi. Sequitur quod panis cœlestis hic vim habeat mitigandi, & famem, & sitim, vt dixerat Dominus. Ioann. 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo non sitiet iterum, &c.

¶ Verum scito hæc duo famem, & sitim, in sensuali appetitu differre, at in intellectuali solo nomine discrepant. Metaphoricè enim hæc duo, transferuntur ad appetitum intellectualem, cuius fames, est appetitus æternæ beatitudinis: desiderant enim omnes homines se beatos esse: & hic appetitus est sitis etiam. Beatitudo enim satiat appetitum, vndecumque: ideoque est instar cibi, & potus. Etenim si cibatur animal, & non potatur, non expletur appetentia animalis: si verò cibatur, & potatur animalis conquiescit, tunc paulisper appetentia. Beatitudo autem, quia omnino sedat animi nostri desideria omnia, ideò iustè est instar æterni panis, & æterni potus. Et demum Christus, vt omnem suorum verborum malam depellat intelligentiam, dixit, Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet. Est autem manifestum, panem tollere esuriem, non venientis ad panem, sed comedentis panem: & certū item est: per solam credulitatem, sitim nō extingui, nisi potus accedat. Vnde clarissimè docebat esse aliū panem, multo diuersum à pane vsuali. Vt autem fames, & sitis in intellectuali appetitu sunt quidē eadem re, ratione tamē diuersa, ita & venire, & credere in Christū

Fames & sitis metaphoricè tribuūtur appetitui intellectuali.

idem

idem re sunt. Nam qui Christum credit fide viua, ille venit ad Christum: & contra qui venit ad Christum, ille etiam credit fide viua. Namque Christus de hac fide loquitur. Et quod ait, Qui venit ad me non gressibus corporis intellexit, sed mētis affectu. Quasi dixisset, Qui affectum totum suum in me collocat, non esuriet, neque sitiet. Nam, vt is discedit à Christo, qui Christum non amat, vt oportet amare: ita ille, qui amat, vt oportet ad Christum venit non localiter, sed spiritualiter. *Sed dixi vobis*, quia pro quod *vidistis me*, ideſt, vidistis opera mea: quippe hoc tempore iam multa ediderat miracula Christus, & non credidistis, vt vulgata & Cyrillus: alia lectio habet, & non creditis mihi. Quia enim dixerat, Domine da nobis hunc panem, ille ait, modo. Vidistis me, ideſt, panem quem petitis ad manum habetis, quia ego sum panis vitæ, ego panis verus, ego panis Dei, quia ex substantia Dei processi, ego panis de cælo descendens, & tamen vos non creditis quod ego sum talis panis, quippe qui putatis meliorem fuisse panem illum, quem maiores vestri sub Mose comederunt: cum alioqui tantum intersit inter me, & panem illum, quantū intereſt, inter creatorem, & creaturam: inter quæ tamen infinitum est interuallum.

Venire ad Christum & credere vt oportet in Christum.

¶ Sed quæret quispiam, Vbi Christus hoc dixit? Ait enim, *Sed dixi vobis*. Vbi obsecro hoc dixit? Cyrillus respondet, Christum dixisse per Esaiam capit. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. &c. Quibus verbis Deus per Esaiā prædixit futuram cæcitatem Iudæorum, quam modo Dominus declarat. Cæterum capit. 5. Propterea, inquit, Ioannes, persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat, &c. Vbi odium Iudaicum in Christum suppullulasse ab exordio Christi prædicationis, Ioannes docet, & in eodem capit. Iudaicam incredulitatem Christus declarat dicens, Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem ille misit huic non creditis. Ideò aptè modo ait, Sed dixi vobis, quod non creditis mihi. *Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eijciam foras. Quia descendi de cælo, non, vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est enim voluntas eius, qui misit me, patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed resuscitē illud in nouissimo die.* Explicat amplius quod dixerat: *Sed dixi vobis, quod vidistis me, & non creditis mihi.* Causam subdit huius incredulitatis esse obstinationem Iudaicam, ex qua Deus pater non trahebat Iudæos ad Christum. Vnde ait, Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Vos igitur non venitis ad me, quia pater meus non dat vos mihi. At pater non dat vos mihi, exigentibus vestris peccatis: quia pater meus paratus est vos dare mihi? sed vos resistitis huic dationi: ideò non vos dat mihi pater. Quia qui ab ipso patre mihi dantur, hoc est, quos ipse sua gratia ad me vocat, & trahit, procul dubio habebunt fidem in me, mihi credendo: & qui non dantur mihi, hoc grandi malo afficiuntur, quod non venient ad me credendo. Credentes autem in me, (subaudi semper, vt oportet) non eijciam foras, sed in cœlestibus bonis constituam eos. Est autem Euangelica phrasis, foras eijcere, id est, ad extrema mala patienda damnare, Malos, ait Dominus, foras miserunt, Matthæ. 13. Et Apocalyſ. 22. Foris canes, & venefici. Foras enim isti mittendi sunt, qui in stagnum ignis ardentis sunt deturbandi. Perinde igitur est quod ait, eum, qui venit ad me, non eijciam foras, ideſt, non deturbabo eum ad mala ferenda sempiterna. Namque in die iudicij Dominus dicet, non credentibus, & malè operantibus, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Id quod denotatur etiam in illo, quem eiecit Dominus à nuptiali illo conuiuio, in tenebras exteriores, dicens, Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? In negatiua autem ista, non eijciam foras, subaudi, affirmatiuam, hoc est, credentem in me excipiam ad intima bona mea cœlestia, quæ neque oculus vidit, &c. neque auris audiuit, &c.

Peccata Iudæorum fuerunt causa, ꝙ non venirēt credendo ad Christum.

Matth. 22.

¶ Vnde tu collige collatis Euangelicis loceis, idem esse proijci foras, quod mitti ad tenebras exteriores.

¶ Possumus autē interpretari locum hūc, referendo verba Christi ad prædestina-

tionem Dei æternam. Vt sit sensus, Omne quod dat mihi pater, secundum prædestinationem æternam ad me veniet. Dedit autem pater Christo, vt homini omnes beandos homines in eam rationem, quod esset autor beatitudinis omnium beatorum, & caput ipsorum, & iudex ad vitam æternam. Nam quantum ad iudicium generale, non solum beandi sunt dati à patre Christo, sed etiam & damnandi sunt illi dati, vt scilicet, sit iudex damnationis ipsorum. Verum non de hac datione ad iudicium damnationis modo fit sermo, sed de datione ad vitam æternam, cuius infra mentionem faciet Dominus dicens, Tui erant, & tu mihi eos dedisti. Vtique omnes beandi, Dei erant ab æterno secundum diuinam præscientiã, at suo tempore creandi Christi etiam erant, vt Deus erat æqualis patri. Verum à Deo sunt donati Christo, vt homini, vt, scilicet, in tempore suo Christus eos sanaret à peccatis suo sanguine, & erudiret lumine suæ doctrinæ, & purgaret eos suis sacramẽtis, & demum deduceret ad vitam æternam, suo adiutorio, perseuerãtiam in bono illis tribuens. Et quia prædestinatio Dei est infallibilis, idcircò ait, Omne quod dat mihi pater ad me veniet, idest, ij quos statuit ab æterno Deus pater meo sanguine beare, & mea membra mystica facere dubio procul ad me venient, id est, certissimè erunt membra mea, & fideles mei, & amici mei mihi credendo, & me amando. Et ego hos mihi credẽtes, & me amãtes syncero amore non eijciam foras: Imò eos recipiam in amicos meos, & non proijciam eos extra meũ regnum, in tenebras exteriores, sed recipiam eos in cõsortium æternum meũ, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.

Prædestinatio beandorũ hominum fit certa p Christi merita, & opera nostra.

¶ Ad hoc namq; ego qui eram in cælo, quia verbum eram Dei patris, descendi de cælo accipiens naturam humanam, nõ, vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem patris mei. Hæc autem est voluntas patris mei, vt hos quos ipse prædestinauit ad vitam æternã, ego deducam ad vitam, & prędestinationem eorum certam faciã, per mea merita, & per illorũ industriam, Ioann. 10. Christus se contulit pastori bono, cognoscenti oues suas, & asserit quod oues suas nemo rapiet de manu sua. Et hoc etiam est, quod modo ait, hanc voluntatem patris esse, vt sibi à patre donata nõ perdat. Et non solum non perdet, sed lucrabitur etiã, quia saluos faciet homines, sibi à Deo patre donatos, ideoq; vocantur populus acquisitionis. Neq; solum seruabit mentes eorum liberando illas à culpis, & potestate Satanæ, sed etiam corpora illorum seruabit: quia quamuis corpora sanctorum corrumpentur, at verò Christus illa suscitabit illæsa in die nouissimo. Et quia etiam suscitabit corpora impiorum, ideò tu intellige suscitabit ad vitam sempiternam regnãtem cum Christo. Quia impij suscitabuntur etiam à Christo, sed ad mortem ferendam sempiternam, nam viuendo, morientur. Et tu considera diuinitatem Christi istis demonstrari verbis: ait enim, vt resuscitem illud in die nouissimo, at verò solius Dei est suscitare propria virtute mortuos. Et omnes mortuos suscitare in die nouissimo, est Christi, quia Deus est.

1. Petr. 2.

Christus non solum nõ perdit suos, sed etiam eos lucratur & acquirit.

¶ Est porrò dies nouissimus, post quem alius non speratur dies, qualis est dies extremi iudicij, nam vltra non erit tempus, Apocalyps. 10. testante.

¶ Obijcies forsan, Christi humana voluntas semper faciebat, quod Dei voluntas erat, qui ergo ait, modo descendi non vt faciam voluntatem meam. Dicito, Christũ habuisse voluntatem naturalem, & deliberatam, vt quilibet alter homo, vtraque hac potitur voluntate.

In Christo vt homine, duplex voluntas naturalis alia alia deliberata.

¶ Porrò deliberata Christi voluntas, semper fuit consentiens cum diuina voluntate, & quod Deus voluit, Christus volebat, & contra, cæterum voluntas naturalis erat consentiens in modo volendi, cum diuina voluntate, non tamen in omni volito.

¶ Vnde iamiam moriturus Christus inquit, Pater, trãseat à me calix iste: verum tamen non mea, sed tua fiat voluntas. Enimuerò voluntas naturalis Christi refugiebat corporis sui mortem: at Dei voluntas mortem volebat carnis Christi.

¶ Porrò, quod sic refugisset mortem voluntas naturalis Christi, non erat contra Dei voluntatem quia res, quas condidit, sic administrat, vt eas suos effectus agere sinat. De qua re disputationes nostras ad. 3. Sententiarum. si iuuat, legere poteris. Missus est igitur Christus, vt morte oppeteret pro humano genere, id q; erat

contra

contra naturalem Christi voluntatem. Propterea dixit Christus se descendisse de cælo, nõ vt faceret suam, sed æterni sui patris voluntatem.

¶ Obserua interim hoc loco voluntatem vsurpari non pro potentia altera animæ rationalis, sed pro re volita, nam ex phrasi communi loquendi, volitum à nobis vocatur nostra voluntas. Vnde quod apud Matthæ. & Lucam dictum est, Non mea sed tua fiat voluntas, alibi explicatur, non quod ego volo, sed quod tu, Marc. 14.

Matth. 26. Lucæ. 22.

Volũtas pro potentia vsurpatur, & pro obiecto.

¶ Obserua rursus satis ex hoc loco confundi Nestorianos vnicam tãtum in Christo asserentes voluntatem. *Hæc est enim voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quod dixerat dudum verbis subobscuris, manifestioribus explanat modo. Solum enim dixerat donatos sibi à patre, non esse perdendos, neque venientes ad se per spontaneam fidem, & charitatem, esse proijciendos foras negatiuas has dixerat, iam modo affirmatiuas, quas istæ negatiuę orationes comprehendebant adiunxit dicens, hanc esse voluntatem æterni patris, vt qui videt filium, & credit in eum, sit particeps vitę æternę. Quasi apertius dixisset, propterea non perdentur venientes ad me, neq; eijcientur foras, quia regni æterni erunt consortes, & suscitabũtur in nouissimo die, vt integri & animo, & corpore, immarcescibiles obtineant coronas. *Omnis qui videt filium.* Christum videbant Iudæi, secundum visibilem formam, at hæc visio non conciliabat sola vitam æternam, ideò ait, & credit in eum, id quod est videre secundum inuisibilem rationem. Namq; fideles modò non vident Christi præsentiam, at credendo, & amãdo obtinebunt vitam æternam. Quippe beati, qui non viderunt & crediderunt. Et. 1. Petr. 2. Quem nõ videndo diligitis.

Ioann. 20.

Matth. 13.

¶ Sed forte dicat aliquis, & quale est illud quod ait, Beati oculi, qui vidẽt, quę vos videtis? Igitur, sufficit videre, Iudæis Christum. Respondebis videre Christum secundum formam visibilem, non est animi beatitudo: at videndo exterius, credere interius, istud tribuebat Dominus beatitudini, quia erat beatitudinis venturæ fundamentum. Namque fides sola non beatificat, verum sternit viam ad beatitudinem consequendam, si sociata sit charitate. Ideò Dominus Thomæ dixit, Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt. Ioann. 20.

Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, & dicebant, Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus, & patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi? Animalem hominem non sapere, quæ Dei sunt Paulus sapienter pronunciauit. Isti enim Iudæi animales erant, ideò diuina callere non poterant. Credebant enim Christum terrenam habuisse originem, vt cæteris accidit hominibus. Vnde ex falso fundamento, falsa colligebant Christum non descendisse de cælo, nam si purus fuisset homo, vt cæteri homines; non descendisset de cælo. Quod si dixeris, vel descendit Christus de cælo secundum diuinam, aut secundum humanam naturam. Non primum, quia secundum diuinitatem cælum non deseruit: terram enim implet, & cælum, ergo non descendit vt Deus est: sed neq; vt homo, quia vt homo non fuerat in cælo. Quomodo ergo descendit de cælo, qui non fuerat quatenus homo in cælo? Respondebis, secundum diuinitatem descendit Christus de cælo, non quod locali motu descendisset de cælo Deus, quippe Deus immobilis est omnia alioqui mouens: cæterum est hæc metaphorica locutio. Propterea enim, quòd Deus se se humiliauit, & exinaniuit carnem humanam assumendo, ideò descendere de cælo rectè dicitur. Hanc igitur rationem ignorantes Iudæi, murmurabant aduersus Christum. Opinabãtur enim falso Christum esse filium Ioseph, quia non erat filius Ioseph, nisi solũ vt putabatur filius Ioseph. Luc. 3. Hoc idem illi obiecerunt Marc. 6. cum esset in patria sua. Diuina autem dispensatione factum, est vt ita putaretur filius Ioseph, ad honorem Virginis tuendum. *Græca habent, Nonne hic est Iesus filius Ioseph?* & non legitur viuus, apud Græcos. *Respondit ergo Iesus, & dixit eis, Nolite murmurare inuicem, nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Obmurmurationem Iudaicam reprehendit, insinuans Iudæos, ex eo murmurare contra

Christus vt Deus, non vt homo descendit de cælo.

Christi verba, quia non erāt à Deo fide illustrati. Quæ sanè illustratio submouetur à cordibus peruicacibus, qualia erant Iudaica corda. Quasi dixisset, Vos mea verba non capitis, & ideò mihi obloquimini: Nō capitis autem, quia pater meus non illustrauit mentes vestras. Porrò non illustrauit, quia vos ex peccato vestro indignos reddidistis, qui illustremini.

Fides Catholica est donū supernaturale.

Hinc iam tu percipe fidem Catholicam habere esse donum super naturale. Quippe quod videtur esse arbitrij nostri, est venire ad Christum: est autem venire fide, & amore, & vtrumq; horum voluntarium est. Verum hoc ipsum, quod est nostræ voluntatis, pendet etiam à diuino dono. Nemo enim inquit Christus, potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum. Pater igitur nos trahit, vt veniamus ad Christum. Cæterum ipso trahente, nostrum est, aut obtemperare, aut resilire. Trahit enim non cogendo, sed mulcendo, aut alias mouendo, ad fidem & amorem Christi. Si verò non traxerit, nostrum erit etiam tum precari Deum, vt trahamur, vt laudare Deum si trahimur. Verum precari vt trahamur, diuini etiam est muneris: sed denique Deo non trahente, non possumus venire ad Christū. At verò quod nō trahamur, nostræ socordiæ, & culpæ est, quod indignos nos fecimus, vt traheremur. ¶ Et notandū duxi duplicē esse tractum, aut efficacē tractum, aut inefficacem. Omnes ergo qui trahibiles sunt, qui sunt arbitrij compotes, Deus trahit quantum est ex parte sua semper præstans, quod suum est. Omnes namque vocat ad se: quia ad ostium stat nostri cordis & pulsat: & ad cœnam omnes vocauit, quanuis indignos ab illa reiecit. At verò tractu efficaci non omnes vocat, sed solum sibi obtemperantes. Est autem tractus iste, non violentus, aut coactus, sed est ex Deo secreta motio quædam efficax, ad fidem formatam habendam in Christum. Et quia efficax est, ideò tractus vocatur. Neque enim semper verbum hoc, traho denotat coactionem, iuxta illud, trahit vnum quemque sua voluptas. At verò efficacem motionem, significat. Quando, scilicet, ex voluptate, vel ex vtilitate, aut ex honestate obiecti vehementer ad illud consequēdum mouemur: tunc trahi dicimur. Vnde sponsa orabat, dicens, Trahe me, in odorem vnguentorum tuorum curremus. ¶ Est autem tractus quidam imperfectus, qualis est fidelium multorum, qui in charitate Dei non perstiterunt, & sine illa discesserunt ab hoc seculo. Alius est perfectus, qualis est eorum, qui corde bono, & optimo, referunt fructum in patientia. Cæterum, siue hic, siue ille, donum Dei est. Obseruabis interim cum audis patrem trahere venientes ad Christum, non esse separandum filium, neque Spiritum sanctum ab hac tractione. Quoniam opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, ideo, si pater trahit & filius trahit, & si isti trahunt hominem ad Christum, item & Spiritus sanctus. Nam trahere est, mouere efficaciter cor hominis ad fidem & amorem Iesu Christi: at hæc motio actio est exterior: idcirco totius Triadis est. Vnde Paulus se à Christo tractum docet Actor. 10. Namque Christus, illi inclamauit dicens, Paule, Paule, cur me persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et Galatis scribit se à Christo fuisse instructum in lege Euangelica. Non ab hominibus, inquit, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Quod autem Spiritus sanctus item moueat intrinsecus, Ioann. 3. traditur spiritus vbi vult spirat. Et rursus Spiritus sanctus qui à patre procedit, ille vos docebit omnia. Porrò autem etsi tota Trinitas trahit ad Christum, Deum & hominem credendum, cæterum moris est Christi, vniuersam actionem patri tribuere, quia pater est principium in sancta Triade. Vnde illud Matthæ. 16. Beatus es Simon Bariona, quia neque caro, neque sanguis reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Vbi vides tractum Petri ad Christum, à Christo patri tribui propter rationem dudum commemoratam. Sed forsan scisciteberis, cur toties replicat, Christus, quod ipse suscitabit venientes ad se in die nouissimo, siquidem hoc repetit verbum? Vtique ad significandum maximum beatitudinis cumulum, quo sancti sunt donandi. Quippe nō solum erunt beati secūdum mentalem beatitudinem, quæ est Deum videre, sed etiam secundū corporalē, quia resurgent corporibus præfulgentibus, & dotibus cælestibus exornā-

Precandus Deus vt trahamur & laudandus si trahimur.

Duplex est tractus.

Tractus efficax est occulta cordis & efficax motio ad Christum.

Tota Trinitas trahit hominē ad Christum.

Cur actiones Christus tribuit patri.

ti. Pro-

ti. Propterea ergo ter repetit, vt trina repetitione, atteſtetur ſummæ veritati: & etiam vt diuinitatẽ ſuam propalet Iudeis: quia Dei ſolius eſt ſuſcitare mortuos. *Nemo venit, &c.* Per hæc verba Dominus intendebat flectere rigentia Iudæorum corda, vt ad Deũ protinus ſe cõuerterent pijs precibus contendentes, vt traherentur à Deo ad Chriſtũ. *Eſt ſcriptũ in prophetis, Erũt omnes docibiles Dei.* Græcè pro docibiles eſt διδακτοι, ideſt, docti. Nã διδακτικος. eſt docilis. Ideoque Laurentius, cui Eraſmus ſubſcripſit magis probat eſſe interpretandum, omnes docti à Deo, quam docibiles Dei, item quia putant docibilis nõ eſſe vocem latinam. Omnes hîc capitur, pro omnibus docendis à Deo. Quia igitur dixerat venientes ad Chriſtum per fidem & charitatem, trahendos à patre, explicat modo qualis ſit hic tractus. Nempe non coactionis, ſed doctrinæ, & internæ inſpirationis mouentis hominem, & docentis Chriſtum. Et non cuiuſcunque inſpirationis, vel doctrinæ, ſed diuinæ efficaciter docentis hominem fidem, & amorem Chriſti quam auditionem Ioãnes vocat vnctionem. 1. Ioan. 2. Vnctio docet vos de omnibus. Et hoc cõſtituit teſtimonio prophetico. Eſt autem teſtimonium apud Eſaiam. 54. Vniuerſos filios tuos doctos à domino: & apud Hieremiam. 30. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & paucis interiectis, Omnes cognoſcent me, à minimo vſque ad maximum.

Docilis potẽtiã ad diſciplinam ſuſcipiẽdã ſignificat doctus vero ipſam doctrinę ſuſceptionẽ: eſt enim qui iam diſcipulus eſt.

¶ Et hæc teſtimonia, vt & alia prophetica, à Chriſto, & apoſtolis indicantur ſecundum ſenſum, non ſecundum verba. Nam Eſaias ait, filios Hieruſalem doctos eſſe à domino, Dominus vero docibiles Dei, volens ſignificare electos Dei, futuros obedientes diuinæ doctrinæ, & non repugnaturos diuinis inſpirationibus. Quaſi apertius dixiſſet. Dixi vobis patrẽ tracturum homines ad credendum in me, vtique ita erit, quia ipſi homines patri trahẽti, obtemperabũt. Eſt enim ſcriptũ quod erunt docibiles Dei.

Libertas arbitrij facile indicatur.

¶ Vnde vides libertatẽ arbitrij noſtri, manifeſtè pandi, ſiquidem docibilitas, hoc ſignificat, electos fore Deo docenti morigeros. Et vbi tractus ſit per doctrinam, & ſuaſionẽ, manifeſtum eſt, libertatem eſſe in trahendo, quia doctrina, neminem cogit, ſed liberum relinquit docendum.

Omnis qui audiuit à patre, & didicit venit ad me. Declarat expreſsius quod dudum dixerat, Erunt docibiles Dei. Quippe huius doctrinæ pater eſt doctor, & omnis qui audiuit auditu interiori: & didicit obediendo, namque qui non recipit doctoris doctrinam, non didicit. Diſcere igitur à patre, eſt accipere doctrinam, ſeu reuelationem fidei à patre intrinſecus factã: & qui huiuſmodi eſt venit ad Chriſtum, ideſt, Chriſtum credit. Pater ergo eſt, qui reuelat per fidem filium ſuum eſſe Ieſum Chriſtum. Et non ſolum interius docet, ſed etiam exterius quandoque docuit dicens, Hic eſt filius meus, &c. Matthæ. 3. Prius igitur pater trahit, & pater docet, quam electi audiant, quia gratis vocantur, gratisque docẽtur à Deo patre. Poſtquam autem pater vocat, & docet, noſtrum eſt, vel diſcere obediendo, aut non diſcere repugnando. Dicet aliquis, paruuli, quos baptiſmus luſtrat, iſti veniunt ad Chriſtum, & nihil audiunt à patre. Reſpondebis, vanum eſſe Lutheri dogma credẽtis, pueros hoſce audire à patre. Quia teſtatur hos potiri actu fidei, ſed nõ potiuntur fidei actu, ſed habitu, & ideo habitualiter ſoluũ audiunt à patre, niſi velis eccleſiam audire à patre pro illis. *Non quia patrem vidit, quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo hic vidit patrem.* Auertit animos auditorũ à praua quæ poterat ſubrepere intelligentia. Quia enim dixerat, Omnis qui audit à patre, & didicit, forſan intelligebant patrẽ Chriſti eſſe viſibilem, & quod voce ſicut alij doctores erat docturus veniẽtes ad Chriſtum, ideò ſubdit, Non quia patrẽ viderit quiſpiã.

Lutherus refellitur.

¶ Hoc eſt nõ ſubeat vos cogitatio patrem meum eſſe ſenſibilem, vel viſibilem oculis corporis, eſt ſanè viſibilis oculis mentalibus, verum hac viſione mentali, à nemine videtur præterquam à me, qui procedo ex ipſius ſubſtantia.

¶ Hæc tamen verba non excludunt ſpiritum ſanctum, qui vnus Deus eſt cum patre & filio: ſed ſolum creaturas docẽt non poſſe Deũ videre clara & aperta notitia, niſi, ſubaudi, ex diuina virtute cõfortante creatam mentem ex lumine gloriæ.

Creaturæ rationales non poſſunt ex virtute propria videre Deum clara viſione.

¶ Verum ſi de viſione comprehenſiua ſit ſermo, pater ſe videt, & videtur à filio, & Spiritu ſancto, & non poteſt videri à creaturis: quia Deus eſt incõprehenſibilis. *Qui à Deo eſt. &c.* Omnes creaturæ ſunt à

Deo, cur ergo Christus singulariter testatur se esse à Deo? Vtique, vt singularem eius processionē ex diuina substantia nos doceat, creaturæ enim non procedunt ex diuina substantia, quia sunt ex nihilo: at filius ex Dei sustantia generatur. Itidem & Spiritus sanctus traditur quod ex patre procedit, ob eandem causam. Nam Spiritus sanctus procedit ex substātia patris & filij. *Amen amen dico vobis qui credit in me, habet vitam æternam.* Dixerat patrem cælestem esse doctorē christianæ fidei, demonstrat modo huius fidei fructum esse docēs vitam æternam. *Habet, inquit, vitam æternā*, ideſt. Qui credit in me, vt oportet credere, scilicet, qui, sic credit vt diligat, & sic diligit vt credat, sic rursus credit, vt operetur, & sic operatur vt credat, hic habet ius ad vitam æternam consequendam, postquam diem clauserit extremum. *Ego sum panis vitæ, Patres vestri in deserto manducauerunt mãna & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, nõ moriatur.* Regreditur vt persequatur institutum de pane cęlesti sermonem, cuius panis substantiam & vires declarat, dicens, esse vitalissimũ, quia vitam exhibet æternam. Et item substantiã, hunc panem, dicens esse ipsemet, qui de pane hoc loquebatur dicens, Ego sum panis vitæ. Et rursus declarat discrimen panis huius ad panem illum veterem, quem comederũt Iudæi tantisperdum vagabantur per deserta loca. Quoniam qui illum deserti panem comederunt non potuerunt ex vi illius panis assequi vitam æternam. At comedentes hunc nouum panem, vitam æternam ex vi panis huius assequuntur, qui eos à morte æterna defendit. Vterque quidem vocatur panis, & hic & ille, at verò longo latoque interuallo.

Deus est doctor christianæ fidei.

¶Panis sanè cælestis etsi vitę panis est nõ tollit mortẽ corporis, vt neque panis ille, qui instar coriandri de cælo descendebat. Cæterum panis iste non viuificabat mentem, neque æternã donabat vitam, sed seruabat corpus. Panis vero hic vitæ viuificat mentem, delens peccata & infundēs gratiam, & conferens vitam æternam: & tãdem viuificabit corpus in resurrectione mortuorum. *Non moriatur*, ne intelligas de morte corporali, sed de damnatione, quæ est mors secunda: vt verba subiuncta facile indicãt. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane non morietur in æternum.* Repetit idipsum quod dixerat, vt repetitione apertius reddat quod semel dixerat. Et panis vitæ, primò est appelatus panis hic, nunc verò panis viuus. Nullus certè est sensibilis panis viuus, quia panis non viuit, idcirco non est viuus: tametsi re ctè sensibilis panis vitæ nũcupetur, quia vitã seruat incolumẽ. Quocirca dicens modo, *Ego sum panis viuus*, erigit intelligentiam nostram, vt non sensibilem panẽ capiamus ex verbis Christi, sed alium longe digniorem. Namque ipse Christus est vitæ panis, & viuꝰ panis, imo panis qui est vita ex coniuncta diuinitate. *Et panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita.* Græci, vt Cyrillus, Chrysost. Theo. legũt hoc modo. Quam ego dabo, vt sit lectio hæc, Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo, &c. Et primum referunt ad sacramentũ altaris, secundum, dabo ad Christi mortẽ. Porro probabile est per vtrunque verbũ dabo, idẽ voluisse carnis suæ sacrificium subintelligere. Verũ expressionis maioris gratia geminauit verbum dabo, vt ex geminatione hac doceamur spõtaneum se obtulisse morti pro totius mundi vita. Prædixerat ergo se esse panem vitæ, nam nunc ostendit qua ratione ipse sit panis viuus, nempe immolandus pro hominibus, inde est quod ipse hominum est panis viuus, & panis vitę & carnem accipit pro tota sua natura humana, vt supra vsurpatur etiam à Ioan. dicente, Verbum caro factum est.

Mors Christi est panis vitæ & potus vitæ credẽtibus esse, & diligentibus.

¶Obserua autem vt carnem suã vocat panem, vt intelligas esse panem materialẽ, Panis enim materialis nõ est caro. Aliud enim est caro, aliud panis: diuersæ namq; sunt substãtiæ. Et supra dixerat se esse panem vitę, quẽ qui credit, non sitiet in æternum: vt iam colligas se vocasse panem vitæ, & potum vitæ, & carnẽ vitalem, vt ex omnibus appellationibus istis efficaciam huius cibi tu expendas. Neque legimus Mãna fuisse potum Iudæis, Quamuis sapiebat illis quod volebant: cæterum, neque sitim, vel ad horam extinguebat neque æternam vitam cõcedebat.

Christus panis vitæ & panis viuus panis tollẽs æternã mortẽ panis largiens æternã vitã.

¶At verò panis hic nouus, & vim potũs habet æterni, & omnis saporis interim cõtinet suauitatẽ, Quia panis est, & caro est, & vita est, ex se, & vitalis est, mortem fugans æternã, & æternam vitam conciliãs.

¶Cæterum

Mors Christi comprehẽdit rationem, & cibi, & potus quia reficit mẽtis lassitudinem ex peccato, & mentem recreat in gratia Dei

¶Cæterum existis verbis mortis suę iniquitatem dominus insinuat, & summi sacrificij in cruce celebrandi, iam adumbrat celsitudinem, siquidẽ mortuus est ad totius mundi soluẽda delicta. Quandoquidem mors domini non solum præsentibus prodest, ad vitam hominibus, sed præteritis, & futuris. Propter mortem namque eius animæ sanctorum, qui iam defuncti erant solutæ sunt à limbo vbi tenebantur conclusæ: & præsentes homines ex Christi morte reconciliantur Deo, obtinentes per illam remissionem peccatorum, itidem & futuri ex eadem idem obtinebunt. Ideo ait, Caro est pro mundi vita. Vita autem hæc non est temporalis vita, sed Spiritualis vita, scilicet, peccatorum remissio, & gratiæ infusio, & regni cælestis adeptio. Quæ omnia conciliauit hominibus Christus per mortem suam quam obtulit Deo patri. Quod si obieceris, & quid est quod Ioan. 16. ait. Non pro mundo rogo? Si nõ rogat pro mundo, quomodo, inquit, Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mũdi vita? Verum quod dixit, se non rogare pro mũdo, pro infidelibus intellexit, qui non erant audituri Euangelium, quos reliquit in sua obstinatione. Cæterum pro infidelibus qui erant audituri euangeliũ per apostolos, pro illis etiam exorauit, vt ex eodem loco. Ioan. 16. demonstratur. Forsan dices, Si caro Christi fuit oblata pro mũdi vita, cur ergo multi sunt vocati pauci vero electi? Cur arcta est via, quæ ducit ad vitam? Cur tot dãnantur infideles? cur tot heretici? cur tot corruptissimi christiani? Caietanus, post Theophilactũ ad vitam corporis habendam in die iudicij locum referendum censuit. Quippe Christus in die nouissimo, suscitabit fideles, & infideles omnes ad corporis vitam: quia omnes resurgent, & pij, & impij ex Christi merito.

Collisio apparens soluitur.

Collisio apparens soluitur.

¶Porrò nõ de huiusmodi vita arbitror locum esse exponendũ istum. Quandoquidem Dominus de suscitatione mortuorũ paulo ante loquẽs, solum meminit de suscitatione piorum. Solum namque inquit se suscitaturum credentes in se, per quos pios intelligendos esse, non est dubitatio, tametsi etiam impios suscitabit.

¶Propterea igitur aptius dicemus, Christi mortem ex se sufficientem esse omnibus hominibus præbere vitam spiritualem: cæterum non præbet ex eorum obstinata voluntate.

Christus quo ad efficaciam mortem suam solum obtulit pro electis.

¶Adde tamen dñm non obtulisse mortẽ suã pro omnibus hominibus quo ad efficaciam, sed solum pro electis, quos ipse nouerat ex prædestinatione æterna: quanquam mors Domini ex se sufficiens est ad delẽdum omnium peccata. Per mundum igitur vel oportet intelligere omnes homines electos, & tunc apertum est, carnẽ Domini oblatã efficaciter esse pro peccatis totius mũdi: aut si intelligimus per mũdum vniuersitatem hominum, sine restrictione, oportebit secundum sufficientiam verba Domini intelligere, non secundum efficaciam.

Christus spõtaneam subijt mortem.

¶Obserua etiam Dominum se obtulisse spontaneè, oblatus est enim quia ipse voluit, Esai. 53. Id quod præsens admonet sermo, Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Dabo, inquit, igitur spontaneè fuit mortuus Christus. vt alibi Ioannis. 10. ait. Pastor bonus animã suam ponit pro ouibus suis. Idem Matthæ. 20. & Mar. 10. traditur Dominum daturum animam suam redemptionem pro multis. Et quod dixerat modo pro mundi vita, apud Matthæ. & Mar. ait, pro multis. Quippe pro mundo est oblatus quo ad sufficientiam, pro multis vero quo ad efficaciam. Hoc idem Esai. 53. præsenserat Christum facturum. Si posuerit, inquit, pro peccato animam suam, videbit semen longeuum.

¶Obserua rursus Dominum carnem suã dandam dixisse, esse in sacrificium vitale, pro toto mundo. Et idem sacrificium dicit esse panem, vel cibum. Siquidem sacrificium cibus est sacrificantiũ, vt olim quæ Iudæi sacerdotes sacrificabant, edebãt, & etiam illi, pro quibus sacrificabatur ex eodem sacrificio sæpe, licet non semper participabant: ita quoque fideles ex Christi sacrificio participant, & sacerdotes salutarem hostiam, & viuificum calicem communicant. Et Christus se Deo patri sacrificãs sub cæna nouissima edit carnem suã, & potauit sanguinẽ suum, vt nos vberius primo tomo. 4. sentẽ. disseruimus. *Litigabant ergo Iudæi adinuicem, dicentes, Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducãdum?* Aliter sacra virgo quæsiuit, quo modo pótest hoc fieri, quoniam virum non cognosco, & aliter isti, dum aiunt, Quomodo potest hic carnẽ suam dare ad manducandũ?

Namque

Nãque virgo beata dubitabat, vt instrueretur: isti vero dubitant, non vt in vera intelligentia verborum domini instruerẽtur. Sciebant autem Dominum assuetum esse sub parabolis mysteria salutis obtegere. Vnde debuissent, à Domino, sensum legitimum verborum suorum exquirere, Id quod quia non fecerunt, ideo non dubitabant, vt veritatem scirent, sed potius fastidiendo Christi verba.

¶Vnde infra exposuit Christus verba sua dicens, spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, idest, esus carnis meæ, materialis, non confert animo vitã & esus carnis meæ, per fidem & charitatẽ, qui spiritualis esus mentem viuificat, & esus carnis meæ, vt verè est.

¶Porro autem scire oportet quod ex sinistra intelligentia verborum Domini, hæc disputatio litigiosa Iudęorum est suborta: crassa enim minerua intellexerunt verba Domini. Quamuis Dominus clarè docebat, non esse carnem suam comedendam visibiliter morsibus dentium, sed fide, & amore esse hũc esum verum suæ veræ carnis sub speciebus panis faciendum. Cæterum, quia odium gerebant in Christum, maluerũt verborum Christi impetere superficiem, quam ex sensu verborum Christi interius pasci. Et hanc litem modo texunt, quam prius potuissent texuisse. At vero reueriti Christi personam, & miraculum celeberrimi conuiuij recolentes, non ausi fuerunt. Modo autem deposita reuerentia ad Christum, & conuiuij nulla habita ratione, quia Dominus inculcauit sermonem priorem, & apertiorem eum fecit docens clare carnem suam esse panẽ, &c. ideo Iudæi etiam apertius se produnt, litigãdo: etsi Græca habent, pugnabant. Verum quia hæc pugna erat ex verbis, & nõ ex pugnis, ideo rectè transtulit interpres litigabant. Et aduerte Iudæos inuicem excitasse litem ex verbis Domini, & non litigasse tũc cum Christo, sed inuicem Domino tamen præsente. Vnde subditur.

Dixit ergo eis Iesus, Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibe ritis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis.

Non explicat dubium quod Iudæi versabant. Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum? Sed necessitatem, manducãdi carnẽ, suam exponit, addens necessitati comedendæ carnis, necessitatem bibẽdi sanguinis sui. Ait enim, Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis, seu, vt Græca habent, non habetis vitam in vobis. Et cõmemorans sanguinis sui potum, mortis suæ insinuat futurum cruentum sacrificiũ. Et quidem verba hęc non sunt liquidi sensus. Quando autores sacri, & non sacri variam illorum prodiderunt intelligentiam. Vt autem rem difficilem aperiamus hinc capiamus exordium, duplicem esse necessitatem aliam cõsequẽdi finis, vt est equus necessarius ad iter, & tibus ad vitam, aliam vero esse præcepti: vt est necesse nobis diuina obseruare præcepta. Iã igitur, vel hæc verba sunt exponentia præceptũ Dei, aut solum indicant necessitatem finis, videlicet, necessarium esse ad participandam vitam spiritualem comedere carnem Domini, & bibere sanguinẽ eius. Quod si præcepti est in istis verbis necessitas, vtique infantes verba hæc non ligant. Infantes namque non possunt præcepto constringi: quia nõdum vsus rationis sunt compotes, sicut neque bruta præcepto constringi possunt Infantes namque pro infantili tempore sunt instar iumentorum, vt dixit Aristoteles. Quamuis in potẽtia sunt, vt obligentur ex præcepto, non tamen actu obligari possunt. Quo circa si hac ratione theologizandum est, verba hæc Domini non sunt generalia omnino, comprehendentia omnes homines: sed solũ eos, qui iam sunt arbitrij compotes, & hos ligant duntaxat. Et iuxta hanc obseruationem, si vera est, verba hæc Domini de sacramentali perceptione eucharistiæ sunt audienda, vt sit sensus. Nisi manducaueritis sacramẽtum corporis & sanguinis mei, non habebitis vitam in vobis. Cæterum, quia adultorum hominum, maxima pars est infidelium, neque hos ligabit præceptũ hoc: siquidem manducare carnem, & bibere sanguinem Domini sacramẽtaliter, non obligat infideles: qui nãque lustrati non sunt ex baptismi aqua, non tenentur ad eucharisticam perceptionem, sicut neque in culpa sunt alia sacramenta ecclesiæ non percipiẽtes à baptismo: quandoquidem quãdiu non baptizantur nõ sunt capaces aliorum à baptismo sacramentorum. Quamobrem, si vera est hæc intelligentia verborum Domini, de fidelibus solũ vera sunt, qui

Duplex necessitas, aut finis aut præcepti.

Infantes non possunt subintantia ligari præcepto vel diuino vel humano.

Infideles non tenẽtur ad eucharistiam capiendam.

qui soli tenentur Eucharistiam sumere, saltem voto, si à reali perceptione ex impotentia excluduntur.

¶Porrò autem, intelligentia hæc, non tam plana est, quam sit citra scrupum. Enim vero Dominus expresse meminit, vtriusque refectionis quæ est ex esu carnis suæ, & potu sanguinis sui. Igitur, duplex esset necessitas huius præcepti diuini secundum hanc intelligentiam, & comedendæ carnis Christi, & bibendi sanguinis. Vnde Bohemi suũ traxerunt errorem, dogmatizãtes, omnibus fidelibus esse necessariã ex Christi præcepto vtrãque refectionem eucharisticam, & panis, atque calicis: & ideò suos cõmunicant ex vtraque specie. Quibus subscripsit Luthe rana perfidia. Et quod quædam ecclesiæ, vt meminit. D. Cyprianus sermone de lapsis, hanc colebant consuetudinem, sub gemina suos communicantes specie fideles. Cæterum, quia ex vtroque concilio Constantiensi, & Basiliensi, & demum ex nouissimo Tridenti. docetur hoc non esse necessarium laicis, quia sufficit laicis, sub panis specie carnẽ & sanguinem Domini comunicare, sub qualibet enim specie est tota caro, totusque Domini sanguis, ideo decernitur satis esse laicis quod sub panis specie vtrunq; sumant, vt vtriusque speciei participatio reseruetur solis sacerdotibus, quibus Dominus dixit solis, Hoc facite in meam commemorationem. Quid quod aliquando dominus sub vna specie solum cõmunicauit discipulos suos secundum Augusti. Theophila. & quosdam alios patres, videlicet, quando discipulos illos euntes in Emaus obuios habuit Lucæ. 24. Et secundum sensum hunc verba Domini non obligãt omnes fideles ad comedẽdam carnem suam sub forma cibi & sanguinem suum, sub forma potus, sed solum sacerdotes, vnde neque diaconis, neque subdiaconis, aut exorcistis fas est. At vero dicet aliquis, Laicus comedens corpus Domini sub forma panis, non bibit sanguinem Domini: nemo enim dicet comedẽtem frustum panis intinctum vino bibere, sed comedere. Vnde non impletur hac ratione Domini verbum. Nisi manducaueritis carnem, &c. Et biberitis eius sanguinem, quia comedere nõ est bibere. Sicut etiam si solum calicem quis sumeret, quamuis in calice consecrato vere sit caro Christi, nemo diceret, quòd bibens calicem comedat: nam bibere nõ est comedere. Forsan respondebis, eum qui comedit eucharistiam sub forma panis realiter, & corporaliter non bibere Domini sanguinẽ, verum spiritualiter illum bibit. Credit namque fidelis, eucharistiã sub specie panis comedens, se sumere quoque sanguinẽ Domini: ideoque spiritualiter credendo & amando, bibit sanguinem Domini. Et tantum consequens est non omnes fideles teneri ad sacramentalem sumptionem sub forma panis & vini, corporis & sanguinis Domini, siquidem non tenẽtur ad potum sanguinis sub forma potus, sed solum ad spiritualem sanguinis sumptionem, qui non sunt sacerdotes.

Conciliũ Cõstantiense Basilienſe & Tridentinũ probãt laicos nõ esse cõmunicãdos sub vtraque specie

¶Porro autem, quia hæc Dominicorum verborum intelligentia non se extẽdit ad omnes fideles, quia paruuli excluduntur, imo vt colligebam, neque omnes fideles adultos comprehendit, quia laici nisi spiritualiter nõ bibunt sanguinem Domini, quintimo neque clerici alij à sacerdotibus, propterea alij verba Dñi testantes esse generalia omnesque fideles comprehẽdere, siue adultos, siue infantes, siue sacerdotes, siue non sacerdotes, intellexerunt verba hæc, de manducatione & potu spiritualibus, iuxta hos autem non denotatur per verba Domini præceptiua obligatio, aut necessitas præceptiua, sed solum finis necessitas, vt supra annotabam. Vt sit sensus inquam, iste si non comederitis carnem filij hominis spiritualiter, & eodem modo biberitis sanguinem eiusdem extorres eritis vitæ & participes eritis mortis.

¶At verò, qualis sit hęc manducatio spiritualis, qualisue potus hic sit spiritualis, nõ est admodum peruium. Enim verò Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remission. cap. 20. habet primo paruulos comprehẽdi sub Domini verbis cõmemoratis, vt etiam comprehenduntur sub verbis illis, Qui non fuerit natus ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vnde paruuli sine participatione corporis & sanguinis Domini seruari non possunt, vt neque sine baptismo. Et lib. 3. cap. 4. exponit, Nisi manducaueritis homines carnem eius, hoc est, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam. Et mox subijcit de paruulis, Nec vitam æternã possunt habere præter

Christi

Christi corpus: cui, vt incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur. Et hoc loco super Ioan. scribens, idem latius prosequitur dicens, Hunc itaque cibū, & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis fidelibus eius.

¶ Innocentius quoque primus, locū hunc quē versamus euangelicum paruulis etiā tribuit sic enim habet in epistola ad patres concilij Mileuitani, quæ recensetur inter epistō. Augu. nume. 92. Illud vero, quod vestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs, etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuū est. Nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius sanguinem, non habebūt vitam in semetipsis. Qui autem eis hanc sine regeneratione defendūt videntur mihi ipsum baptismum quassare, cum prædicant illos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendū.

¶ Ex quibus verbis videtur Augustino, & Innocentio Papæ, hoc probatum fuisse dogma, infantibus necesse esse comedere carnem, & bibere sanguinem Domini: verum hæc manducatio, & potus hic, nō est aliud quam susceptio baptismatis.

¶ Itaque infantes quando baptizantur, & regenerantur, tunc manducant corpus, & potant sanguinem Domini. Quare vt videtur non obligat Innocētius paruulos ad sacramētalem manducationem corporis & sanguinis Christi, sed solum ad spiritualē, quæ est sola regeneratio ex baptismo: & idem sapere videtur Augustinus.

¶ At vero alij non hac contenti expositione, rem hanc latius produxerunt docentes paruulis esse necessariam sacramentalem sumptionem eucharistiæ: & quia non possunt realiter manducare carnem, aut bibere calicem Domini, saltem in voto, hæc participant.

¶ Et quia non possunt sub infantia voto gaudere ecclesiæ votum illis satis est. Nāque, ecclesia, autore Augusti. libro commemorato, de pecca. meri. & remissio. illis accōmodat aures, vt audiant verbū Dei, & linguam vt profiteantur fidem Christi. Namque patrini personam gerunt infantulorum. At vero dicet aliquis, Et quid si patrini desiderantur? quid si Iudæus vel Saracenus in solitudine seruata forma ecclesiæ intēdens baptizare infantulum, vt fideles suos baptizant, baptizet illum? Tunc nullus est respondens pro paruulo, aut profitens fidem loco illius, quomodo ergo ecclesia tunc illi accōmodat aures, & linguam? Quo modò in voto suscipit eucharistiæ sacramētum? Non enim hoc est promptum videre: tametsi contenditur à multis paruulos & suscipere sacramētum baptismi actu quando baptizātur, & sacramentum altaris ex voto ecclesiæ. Et valde pugnat cōtra Caietanum Ambrosius Catharinus in suis annotationibus contra Caietanum pro hac sententia. Verum si hoc verum est, iam igitur paruulis necessum est duo capere sacramenta, alterum in re, vt baptismum, alterum in voto vt eucharistiam. Quod si duo suscipiunt sacramenta quando baptizātur, geminam quoque sacramentalem adipiscentur gratiam, aliā ex baptismo realiter suscepto, aliā ex eucharistia ex voto suscepta: vtrunque namque sacramentum suam donauit gratiam. Neque obstat quod suscipiatur in voto, quia sacramenta ex voto suscepta, si non tantā, saltem aliquantulam conferunt grātiam, si obex non obstiterit, qui in infantulo baptizato, obstat nihil.

Ambrosius male sudat cōtra Caietanum.

¶ Quidquod Augustinus lib. de doctrina christia. 3. cap. 16. non hanc probat intelligentiam, siquidem non de sacramentali manducatione, intellexit verba Domini sæpe commemorata, sed solum de spirituali: sic enim habet, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus, vel flagitium videtur iubere. Figura ergo est, præcipiens passioni Domini esse cōmunicandum, & suauiter atque vtiliter recōdendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit. Ergo secundum Augustinum paruuli, quia quando baptizantur fruūtur merito passionis Domini, ideò figurata locutione dicuntur mā ducare carnem, & bibere sanguinem Domini. Adulti verò quia suauiter hæc merita condunt in memoria, & in illis oblectātur, & ex illis pascuntur, & refocillantur interius, ideò manducant carnem & bibūt sanguinem Domini. Et aptissima est trās latio, siquidem infantes baptizati reficiūtur ex sacrificio illo cruēto corporis Christi in baptismate, abluente originales eorum sordes, & eruente eos à Sathanæ imperio,

Infantes quanam ratione māducant carnem, & bibūt sanguinē Domini.

perio, & transferente in regnum Christi, qua refectione nulla potest excogitari in hac vita maior: ideò merito dicuntur tunc manducare carnem Christi, & sanguinem bibere: quãuis ipsi tunc non sentiunt hãc refectionem, sensuri tamẽ si adoleuerint. Quod si in tẽpesta morte de medio sublati fuerint citius refectionẽ hanc videbunt. Adulti verò illam actu sentiunt, quãtum datur viatoribus eandem sentire per quasdam coniecturas, colligentes se Dei esse amicos, id quod est optima refectio, ideoque caro, & sanguis Christi, merito traduntur cibus esse, & potus vitalis fideliũ. Præter hanc autem spiritualem refectionem quæ est quædam spiritualis refectio, est sacramentalis alia refectio, quæ præfatam spiritualem presupponit. Nam qui digne accedũt ad participandum sacramẽtum synaxeos, nouam sibi gratiam parãt. Cæterum nullus fideliũ hoc ambigit hãc esse necessariam At vero quod ambigitur est, de verbis Domini si hanc iubẽt sacramentalem manducationem, an spirituali sint contenta. Et nobis arridet quod videtur Augustin. & Innocentio, & multis theologis alijs arrisisse, de spirituali & non sacramẽtali vel in re, vel in voto, esse verba Domini intelligẽda, vt præmonebamus. ¶Itaque ipsa baptismi susceptio, ipsa ve regeneratio est esus carnis, & potus sanguinis Christi. Quod si dixeris in omnibus sacramẽtis participatur Christi mors, non ergo sola regeneratio est esus corporis, & potus sanguinis Christi: & rursus Dominus distinxit esum, à potu, at in spiritualibus hæc non distinguuntur, quia amare mortem Domini, & illam credere, est esus, & potus animi, respondebis primo, Baptismi sacramẽtum frui vehementius virtute sanguinis Christi, quam cætera sacramenta: ideò quia maiorem confert refectionem, quippe mentem regenerat, id quod alia sacramẽta non præstant, ideo illi tribuitur in primis, quod sit quædam manducatio carnis Christi, & potus sanguinis eius, cum alioqui per cætera sacramenta etiam refectio ex sanguine Christi in fideles deriuetur.

¶Porrò cætera sacramenta maiorem laborem exigunt sumentis, quã baptismus, qui attritione quadã contentus est in adultis in infantibus verò nihil exigit, ex parte sumentis, nisi non repugnare, quod infans præstat, ideo aptissime tota refectio tribuitur baptismali virtuti. Quanquam autem sit admodũ in expediens patrinos agentes vices infantium profiteri fidẽ nomine illorum, & alia gerere, quæ ipsi in ecclesia vice infantium gerunt, cæterum baptismi virtus nõ ab istis pendet, neque tanquam necessaria postulat ex sacramenti necessitate. Quippe vt dudum cõmemorabam, infantulus baptizatus ab infideli, nullis extantibus patrinis, si forma, & intẽtio seruetur ecclesiæ, etiam reficitur ex baptismo interius, & manducat carnem, & potat sanguinem Domini. Tametsi Durandus & alij quidã, rẽ hanc dubiã trahant: de qua re nos abũde disseruimus, in. 4. sent.

¶Vnde quando huiusmodi infantulus sic baptizatur, votum ecclesiæ actuale nullũ est adhoc, vt huiusmodi infantulus Eucharistiam suscipiat, quia infantulus hic ignotus est ecclesiæ, patrinis enim est destitutus, & in regione infidelium ab infideli baptizatur, vt supponitur. Votum autem cum sit desiderium, quoddam præexigit notitiam, quia nihil volitum quin præcognitum, ideò ecclesia non habet desideriũ actuale quod hic infantulus suscipiat eucharistiam suo tempore. Et me latet, cur theologis quibusdam hoc sit in confesso, infantulis, esse necessarium suscipere eucharistiam in voto ecclesiæ, quandoquidẽ infantibus baptismus non prodest susceptus ex voto ecclesiæ. Nam fac patrinos vel alios deferre infantulum ad ecclesiam baptizandum, & in ingressu ecclesiæ sub catechismo, exhalare animam, an non hic suscepit baptismum ex voto ecclesiæ, quãdoquidem ad hoc deferebatur, & catechizabatur, aut exorcizabatur, at verò hic baptismus ex voto solũ infanti nõ prodest, cur ergo eucharistia ex solo voto suscepta proderit infantulis? Quod si non proderit, necesse non est illis, id temporis ad salutẽ eucharistiæ sacramentum sumere in voto ecclesiæ: sed sat illis est edere Christi carnem, & bibere Christi sanguinem, per baptismalem regenerationẽ, per quam participes fiunt meritorũ passionis Christi: vt prædictum est.

¶Secundæ verò obiectioni respondebis, ex hac euangelica lectione satis insinuari, comedere carnem Christi, & bibere eius sanguinem, esse id, quod dudum tradebamus. Siquidẽ diuersitas vocum, scilicet, manducare, & edere, non facit diuersitatem rei, sed vocum. Quod autem ait Christus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibetis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, non est intelligendum de manducatione sacramentali, quia multi manducant indigne, & bibunt sibi iudicium, vt Paulus ait, & tamen habent vitam in se, quia non mortaliter peccant, sed de manducatione spirituali, quæ est per fidem, & charitatem, quæ non habentibus vitam in se, vitam præstat. Quod autem ait, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die

manducandi & bibendi, non colligit ex iſtis verbis neceſſario ſacramentalẽ vſum, quandoquidem ſupra Dominus dixerat, Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet. Et quidem eſurire diuerſæ voces ſunt, at verò, pro eodem à Domino vſurpatur, non eſurire, quod eſt ſaturari, & non ſitire, quod eſt plene potari. Nãque credens in Chriſtum, vt oportet credere, hic ſaturabitur à Chriſto ſpirituali ſaturitate, & potabitur, pleno potu ſpirituali. Neque tamen me fugit. S. Tho. dixiſſe in 3. parte. queſt. 80. arti. 2. Spiritualem manducationem includere votum ſuſcipiendi euchariſtiam ſuo tempore. Hoc autẽ, non eſt intelligendum, vt cenſet Catharinus, non ſufficere baptiſmum ad ſalutem paruulo, niſi etiam ſuſcipiat euchariſtiam in voto, eccleſiæ: iſtud enim falſum eſſe paulo ante demõſtrauimus: ſiquidem ex Auguſti. & Innocentio, collegimus illis ſat eſſe regenerationem baptiſmalem. Et argutię Ambroſij Catha. nihil conuincunt. Ait enim, ſi ſolus baptiſmus eſt neceſſarius, igitur nõ requiritur fides, & non exigitur voluntas, & votum parendi præceptis Dei, ſiquidem in paruulo non exigitur fides ex neceſſitate ſacramenti, quia ſi dei profeſsio patrinorum non eſt neceſſaria, vt præmonebã, neque conſenſus pueri, aut patrinorũ eſt illi neceſſarius, vt nos alibi oſtendimus contra Durandum: ſed ſatis eſt illi, quod ipſe ſuapte præſtat natura, ſcilicet, non repugnare: ideoq; infantulo ſatis eſt baptiſmus ad ſalutem.

sẽſus. S. Thomæ.

Refellitur Catharinus.

¶ Porrò autem, vt ſicut quõdam apud Iudæos circunciſio obligabat ad obſeruantiam totius legis Iudaicæ, ad Galat. 4. Ita baptiſmalis ſuſceptio modo, eſt quaſi votum quoddam totius legis chriſtianæ obſeruãdæ. Ideoq; paruuli ſi ſuperuixerint tenentur quando opportunitas ſe dederit ad perceptionem euchariſtiæ. Quod ſi obieceris, etiam tenentur ad pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiendum, fateor ſanè, at differenter tenentur, ad hoc, & illud. Ad hoc enim ſolum tenentur, ſi poſt baptiſmum lapſi fuerint, nã ſi non fuerit lapſus, neque reparatio exigitur pœnitẽtialis, ad illud verò, etiam ſi nullus adſit lapſus, tenẽtur nihilominus ad euchariſtiam. Ideo rectè traditur, baptiſmũ includere euchariſtiæ votum, & non traditur itidem includere pœnitentiæ votum, &c. Quod ſi tertio inſultaueris cõtra prædicta. Si hæc Domini verba non de ſacramentali ſunt audienda euchariſtiæ perceptione, vnde colligemus perceptionem euchariſtiæ ſacramentalem eſſe ex Dei præcepto? Et forſan propter hoc argumentum ſanctorum nonnulli hæc verba ad ſacramentalem rerulerunt perceptionem euchariſtiæ. At diximus dudum ſi ad adultos tantum verba Domini ſunt referenda, equidem verum eſt hoc dogma, & neceſsitatẽ habent præcepti. Et Græca hoc videntur ſonare, habent enim, Non habetis vitam in vobis. Verũ neque hoc perſuadet, quia Hebraiſmus eſt, habetis, pro habebitis. Cæterum aptior videtur ſenſus generalis verborum Chriſti, ita vt comprehendant etiam paruulos vt præmonebam: & quãquam cum adultis loquebatur, ad omnes nihilominus extẽdebat verba ſua, vt loquens cum Nicodemo, Niſi quis renatus, &c. etiam paruulos comprehendebat. At quamuis hac ratione non denotetur neceſsitas præcepti, ſed finis, nihilominus aliunde præceptũ euchariſticæ perceptionis ſubluce re poterit. Nãque dominus nouiſsima cæna apoſtolis hoc præcepit dicens, Hoc facite in meam cõmemorationẽ. Non enim ſolum præcepit, vt conſecrarent panem, & calicem, vt ipſe conſecrabat, ſed etiam, vt ſicut ipſe illis porrigebat ſuum corpus, & ſanguinem, ita ipſi alijs fidelibus porrigerent. Vnde palam eſt, fideles teneri ad euchariſticã perceptionem Domino mandante apoſtolis, vt diſtribuãt fidelibus corpus, & ſanguinem ſuum, vt ipſe illis diſtribuebat, alias fruſtra mãdaſſet Eccleſia autem aduertens ex calicis diſtributione periculũ imminere, effuſionis dominici ſanguinis, laicis prohibuit diſtribuendũ: certa alioqui ſub panis ſpecie veraciter diſtribui ſanguinem Domini. Nos diſſerentes in. 4. de ſacramẽto altari, multa de re hac tractauimus, ideo in preſentia vberiori tractatui eſt ſuperſedendum. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Explicuerat neceſsitatem edendæ ſuæ carnis & bibẽdi ſui ſanguinis, iam verbis iſtis fructũ, ſeu vtilitatẽ huius eſus, atque potus explicat, nẽpe eſſe adeptionem vitæ æternæ. Quod ſi verba hæc ad ſacramentalem referas perceptionem, ſubintelligenda veniunt ad hanc rationẽ, ſecundum apoſtolicã doctrinã. 1. Cor. 11.

Neceſsitas præcepti de euchariſtica perceptione.

Qui

Qui dignè manducat meam carnem, & dignè bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

¶ At verò, si sub hac ratione sunt audienda, dicet aliquis, nullum constitui discrimen inter manna, & carnem Domini. Namque testante Augustino, hoc loco tractatu vegesimo sexto, digne manducantes manna non sunt mortui morte subaudi secunda. At verò Dominus hoc discrimen constituit inter vtrumque, quod comedentes manna mortui sunt, at vero comedentes panem, quem Christus ipse porrigit, non morientur. Vnde aiebat, Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. Fuerunt autem ex patribus multi, qui manna comederunt digne, vt Moses, & Iosue, & Caleb, &c. Veruntamen si de manducatione spirituali locum hunc, vt priorem audiamus, lucidior est sensus.

Comedentes manna digne nõ sunt mortui morte intellige secunda.

¶ Enim verò, tum manducatur Christi caro, & bibitur Christi sanguis spiritualiter, quando mortem eius amamus, & credimus, & illi incorporamur, & vnimur, vt supra differebatur: etiam si Augustin. respondere possemus illos non esse mortuos non ex vi manna secus est de pane cæleſti. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo* die. Non solum igitur esus hic, atque potus vitalis est animæ humanæ, sed etiã humano corpori: quia corpora horum edentium carnem Domini, & bibentium eius sanguinem suscitanda sunt ad gloriam æternam in nouissimo die iudicij. Virtus namque mortis Christi, non solum viuificat modo animas, quæ sibi per fidem copulantur, & charitatem, sed etiã viuificabit suo tempore corpora.

Comedentes digne manna non sunt mortui morte secunda nõ ex mãna, sed ex vi pœnitẽtiæ at comedẽtes digne panem cæleſtem ex vi huius panis præseruãtur a morte hac.

Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Spiritualia verius esse habent, quam temporalia illa enim sunt permanentiora, quia æterna, hæc vero labilia, quia corruptioni obnoxia. Ideo Christi caro & Christi sanguis, quia mentem spirituali refectione reficiunt, atque roborant, ideo verè sunt cibus, & potus. Cibatio autem, & potatio terrenorum, vitam corporalem seruãt quidem ad tempus æterno tamen non possunt seruare. Ea igitur ratione caro Christi vere dicendus est cibus, & sanguis eius vere est potus. Non quod sint cibus vel potus materiales, vel naturales qui secundum proprietatem sermonis propriè & verè sunt cibus & potus, sed quod ad veram cibatos, & potatos transferunt vitam, quæ est vera vita, cui collata hæc temporanea vita, non est vita, sed mors potius quædam prolixa.

¶ *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Non ab re dixit Augustinus, vt paulò ante indicabam, incorporari Christo, & esse membrum mysticum eius manducare corpus, & bibere sanguinem eius. Namque verba hæc Domini, hoc præferunt, *Qui manducat meam carnem, &c. in me manet.* Igitur manere in Christo, est manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem. Nisi quod obstrepet aliquis Augustino dicens cibum incorporari cibato, igitur fideles, quia incorporantur Christo, potius dicẽdi sunt cibus Christi, quam Christus cibus ipsorum. Scito tamen corporalia quando ad spiritualia transferuntur non sibi in omnibus conueniunt. Eatenus ergo incorporatio in Christi mysticum corpus vocatur ab Augustin. esus, & potus carnis, & sanguinis Christi, quatenus ex hac incorporatione reficitur incorporati animus, & spirituales eius vegetantur vires, id quod cibi, & potus est proprium.

Exponitur verbum Augustini.

¶ Porrò diuerso modo fideles iusti manent in Christo, & Christus manet in eis. Quippe huiusmodi manent in Christo, quia Christi fidem colunt, & charitatem seruant, & Christo sunt per baptismum colligati, tanquam membra suo capiti, & demum æternorum adipescendorum in vno Christo collocatam suam habent spem.

Aliter Christus manet in fidelibus quã fideles in Christo.

¶ Christus verò est in infidelibus istis, sicut caput est in suo corpore. Est in illis eos illuminans, & protegens. Ego, inquit, vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: & post consummationem etiam, & multo perfectius erit in sanctis suis. Quippe in cælesti patria Deus erit omnia in omnibus beatis. 1. Corinthior. decimoquinto. Quibus vnietur per vnionem ineffabilem, & beatificum illapsum. Et id temporis spirituali hac manducatione, multo excellentius comedent beati corpus, & bibent sanguinem

Matth. 24

Christi, quam modo, quia aperta visione videbunt Christum. Vnde Dominus, A modo, inquit, non bibam de genimine huius vitis, vsque in illum diem cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Matthæ. vigesimosexto, & Lucę, vigesimosecundo. Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Tunc igitur pascha implebitur, quia beati, per claram visionem, & summam Dei fruitionem Christo copulabuntur, & ingredientur, & egredientur, & pascua inuenient. Ioan. decimo. Hoc idem insinuatur, Lucæ duodecimo. Præcinget se & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis. Quid enim est quod ministrabit illis, nisi se ipsum offeret, fruendum à beatis suis?

¶ *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Circa hæc verba considera, quod ex illis, & alijs relatis, Qui manducat meam carnem, & bibit meum, &c. in me manet, & ego in eo, Hylarius colligit esse naturalem vnitatem inter manducantes Eucharistiam & Christum: id quod, vt præfert est falsum, quia vnitas est per gratiam, non per naturam. Sed Hilarius voluit docere realem esse vnitatem corporis Christi, cum communicantibus, & non esse mysticam contra hęreticos asserentes solum esse mysticam. Quare cum hæc similitudo sit analogica non æqualitatis est inter viuere fideles propter Christum, & viuere Christum propter patrem. Et modus loquendi Hilarij, est consuetus nobis, quæ affirmare enim volumus esse realiter & verè, dicimus naturaliter ita esse. Et denique, quia esse mysticè, seu figuratè sacramento altaris, & esse naturaliter videntur opposita. Hilarius, vt abduceret nos a primo dixit secundum.

¶ Vt autem lucidior sit similitudo hæc oportet legere ita, Et qui manducat me, & ipse viuet propter me, vt sit correspondentia inter sicut, & ita. Et redditur à Domino causa à priori, quare qui manducat carnem suam, & bibit sanguinem eius, habet vitam æternam, saltem in spe certissima, vel habet ius ad æternam vitam adipiscendam. Et causa est, quoniã Christus est vita procedẽs à patre, qui est fons, & principium vitæ: ideo qui Christo vnitur, vnitur vitæ: ideo necessario vitam habet, quippe habet coniunctionem cum ipsa vita. Itaque, vt Christus est vita, quia vnum est substantialiter cum vita, quæ Deus pater est, ita & qui manducat Christum, potitur vita, quia est vnum per charitatem, cum ipsa vita, quæ est Christus.

¶ Et hoc est quod ait, Et ipse viuet propter me. Cur propter me? nempe quia fideles viuunt vita gratiæ propter Christi merita. Christus igitur viuit propter patrem, quia ab illo est genitus, scilicet, procedendo ex substantia patris: at fideles viuunt propter Christum, quia ab illo sunt regenerati per gratiam Spiritus sancti, quem effudit in eos abunde Deus per lauacrum baptismale.

¶ Est igitur similitudo hæc in quadam analogia, & correspondentia consistens, non tamen quod sit vndecunque similitudo æqualitatis. Quippe, inter patrem & filium est vitæ essentialis diuinæ vnitas, seu identitas, at inter Christum & fideles iustos, est solum charitatis vnitas. Rursus Christus viuit vita diuina ex generatione æterna, at fideles viuunt diuina vita ex regeneratione temporali. Et rursum fidelium vita est diuina vita ex participatione æternæ vitæ, sed vita Christi non ex participatione est diuina vita, sed coessentialis paternæ vitæ.

Hic est panis, qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt, Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Multi faciebant Iudæi manna, vnde mirabiliter patres eorum in vasta solitudine pasti sunt à Deo: quo viso dixerunt, Manhu quid hoc, nam interpres secutus est Chaldæam dialectum, quæ Man vsurpat pro Mi, quod significat quid, Hebræi autem volunt, Man, esse nomen illius cibi: vt videtur ex Numer. vndecimo. Nihil aliud, aiunt Iudæi, respiciunt oculi nostri nisi Man, vnde Helias in lexico, interpretatur Man, donum, quia Deus de cælo gratis conferebat illud. Nicolaus ex Rabbi Salomone interpretatur præparatum, nam Man, vt cadebat de cælo erat aptissimus esui: vnde Sapien. decimosexto, paratum panem dedisti eis. Appellatur autem panis Angelorũ, quia gerebat typum veri manna, quod est Christus, in quem desiderant

Ange-

Angeli prospicere, vt ait Petrus. 1. Pet. 1.

¶Aduerte interim, quod Manna, erat cibus cadens ex nubibus cum rore habens figuram coriandri, quia erant minuta grana habentia colorem bdelij, idest, Hispanè, *De aljofar, o perlas*, saporem autem, similem cum melle. Exodus, decimosexto, vel panis cum oleo. Numer. vndecimo. Vocatur item panis Angelorum Sapienti. decimosexto, & Psalmo. 77. & putant Hebræi quidam huiusmodi mãna fuisse cibum angelorum, sed errant. Angeli enim cibo inuisibili vtuntur, vt liber Tobiæ docet. Vnde Moses ait, hic est panis quem Deus dedit vobis ad vescendum, vobis ait, non Angelis.

¶Notandum autem placuisse quibusdam hoc manna, esse naturalem nubium stillationem, nubium, scilicet, quæ tegunt partem illam deserti Aegypti in qua vagabantur Iudei. Sententiam assertam hãc vidi in libro quodam cuiusdam medici. Sed certum est miraculo descendisse, ideo est erratum assertum hoc, namque manna quod stillant nubes etiam apud nostrates, est summopere diuersum ab hoc scripturæ: quia illud non est cibus, sed medicamentum: hoc vero cibus erat, vt supradictum est.

¶Iudæis igitur conatur nunc Christus se ostendere, scilicet, carnem, & sanguinem suum esse manna verum: tantumque esse discrimen inter vtrumque, quantum inter figuram rei, & ipsam rem. Manna namque illud erat typus, panis huius cælestis, cuius meminit Christus. Id quod Paulus. 1. Corinthio. 10. expresit dicens, Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Cur obsecro manna illud corporale, spiritualem vocat Paulus escam? Et cur potum aquæ corporalis, quẽ Dominus excisa petra illis ministrauit, spiritualem potum vocat? Vtique quia esca ille, & potus ille adumbrabant, escam carnis Christi, & potum mirabilem ex sanguine Christi.

Antiquũ mãna figura fuit noui manna, quod est Christus.

¶Et quantum interfit denique inter vtrũque cibum Dominus supra ostenderat, & idem summatim epilogando, demonstrat modo, dicens, Hic est panis (semetipsum ex pronomine demonstrans) qui de cælo descendit: nam, Verbum caro factum est. *Non sicut manducauerunt, &c.* Hoc est, qui ederint ex hoc cæleſti pane non sic se habebunt, vt patres vestri se habuerunt, comedendo ex illo manna, siquidem comedentes illud manna mortui sunt, hoc est, non sunt adepti ex illo vitam æternam, at vero qui ex hoc pane cælesti comederint consequentur vitam æternam.

¶Diximus autem superius locum hunc non esse audiendum de morte corporis, quippe esus panis cælestis non tribuit nobis immortalia habere corpora, vt neque illud manna antiquum. Verum ex verbo hoc adiuncto, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Verbum prius suam habet intelligentiam, scilicet, non sicut manducauerunt patres vestri, & mortui sunt, id-est, non vixerunt in æternum, hoc est, non sunt adepti vitam æternam. Itaque *Mortui sunt*, exponitur per non adipisci vitam æternam, vt etiam Augustin. hîc insinuat, & contextus docet.

¶Porro obserua etiam patres quosdam qui illud manna manducauerunt adeptos fuisse vitam æternã, cæterum istud nõ soluit verbi Dominici veritatem. Quoniam etiam si Moses, Iosue, & caleb, & alij patres manna illud manducantes gloriam æternam adepti sunt, non tamen per vim illius manna. Manna namque illud nihil immortalitatis habebat: quippe quod corruptibile erat, vt panis naturalis: ideo non poterat perducere suos mãducantes ad vitam æternam.

¶Christus vero, quia Deus est & homo, ideò vita est, & autor vitæ: qua enim Deus est vita est, qua homo verò est ex coniunctione personali ad diuinitatem, quam habet vitæ autor, quo nomine Petrus, Actor. tertio, eum vocat. Non quia qua homo efficit vitam, sed quia propter merita suæ mortis cruentæ fidelibus promeruit æternam vitam. Et ideo dixerat dudum, Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Paulus porro. 1. Corinthio. 10. non dixit, Patres vestri, sed patres nostri, quia Corinthijs loquebatur, qui non deducebant genus ex Iudæis, quibus cum Christus loqueretur dixit, Patres vestri. Et quamuis Dominus ex semine Abrahæ, & Dauid descendebat secundum carnẽ, & ideo patres habuit Iudæos, vt Paulus ait, ad Rom. 9. at modo non vocat eos patres nostros, sed vestros. Quia si

ad Hebræ. 12

Christus qua tenus homo est autor vitæ spiritualis nõ effectiue, sed meritorie.

sic dixisset crederent Iudæi Christum, se profiteri ex patre Iudæo esse genitum, & obijcerent illi, Quid ais, patrem tuum esse Deũ, si profiteris patres tuos esse Iudæos? *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerũt, Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire,* Euangelista modo docet locum Dominicæ huius doctrinæ fuisse publicũ & manifestum: quippe erat in synagoga, vbi Iudæi solebant cõuenire, vt audirent verbum Dei. Est autem Capharnaum, vt sæpe meminimus celebre totius Galilææ emporiũ. Quem locum Christus, sæpe frequentabat, vt sua prædicatio euangelica pluribus innotesceret. At vero Iudæi putantes carnem Domini dentibus esse terendam carnaliter intelligebant verba Domini. Etiam si Dominus, satis ostẽderat se non esse panẽ naturalem, sed aliũ longe sublimiorẽ, & carnem suam nõ esse manducandam, neque sanguinem bibendum, instar naturalis esus, qui fit dentibus diuidendo escas, aut naturalis potus, qui fit ipsum bibendo sanguinem visibiliter, sed credendo, & amando. Vnde supra dixerat, Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet. Et rursum dixerat dudum, Qui mãducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo, insinuãs hoc sermone manducare carnem Christi, esse illi vniri fide, & charitate. Cæterum obserua, quod non solũ sermo hic Christi, de eucharistia, durus & difficillimus est intellectu humanę capacitati, sed etiam omnia, quæ articuli fidei docẽt difficillima sunt ad intelligentiam nostram. Nam & si verissima sint, quippe quæ ex Dei verbo processerunt, cæterũ sunt difficillima. Et vt sunt veracissima supra omnẽ veritatem ita sunt difficilia supra omnem difficultatẽ: namque obscurissima sunt nobis. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate. Ænigma autem est propositio valde obscura, qualis illa de comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo: at multo obscuriora sunt, quæ docent articuli fidei.

¶Quanquam autem huiusmodi mysteria sunt æqualis veritatis, non tamen sunt æqualis difficultatis. Imo tria sunt in fide, quæ præcipuam continent difficultatem, vt triadis mysterium, & incarnatio diuini verbi: & Eucharistia. Quæ ob suam obscuritatem à Domino vocantur mysterium fidei.

¶Scito tamen quæ docet fides in se esse clarissima, vnde beatis sunt euidentia. Difficultas igitur est ex imbecillitate creati intellectus. Sicut liber qui optimis scriptus est characteribus optime legitur ab acuto visu, ab hebete vero, male, non sane est libri defectus, sed hebetudo visus in causa est. Nos igitur quia hebetes sumus difficultatem patimur, beati vero qui ex lumine gloriæ mentem habent acutam clare vident fidei arcana.

¶ *Et quis potest eum audire*, hoc est, Hunc sermonem refugit mens nostra, eundemque fastidit. Isti enim fastidio habebant esum carnis sanguinis Christi, vt olim patres eorum fastidio habuerunt manna cæleste, aiebant enim, Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo. Nume. vigesimo primo, & Numer. vndecimo. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Parentum igitur horum instar filij eorum iam nauseant, super pane de cælo descendenti, qui est Christus. Et quidem si ruditate laborarent, & non potius odio tabescerent Iudæi, sciscitarentur à Domino sermonum suorum intelligentiam, vt Apostoli fecerunt dicentes, Edissere nobis parabolam, Matthæi decimotertio. Cæterum, non hoc exquirunt, sed continuo fastidiunt cibum oblatum cælestem, & inuicem dicunt, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire, hoc est, quis potest æquo ferre animo verba aspera hæc. Et quod aiunt durum esse sermonem, non tam in intelligibilem eum esse subintellexerunt, quam immanem, & feralem esse insinuarunt. Nam duram esse sententiam iudicis dicimus, si immitis, & cruda sit. Quia ergo ex verbo Domini male intelligebant, Christi carnem esse administrandam illis ad comedendum, vt carnes bestiarum, scilicet, boum, & caprarum, & ouium, ideo hanc suspicantes feritatem esus, dicunt, Durus est hic sermo, & quis poterit eum æquo animo ferre, quasi dixissent, nemo poterit ferre hunc sermonem, quia intolerabilis est, quippequi nos obligat ad esum carnis humanæ, id quod ferarum est, non hominum. Homines enim, non vescuntur carnibus humanis, aut potantur sangui-

Solum sacramentum altaris vocatur mysterium fidei, ob eã difficultatem.

sanguine humano. Et forte recolebāt præceptū illud quod cōmemoratur, Leui. 19. carnem cum sanguine non comedes. Et Deu. 12. omnino prohibetur sanguinis potus: ideoque aiebant Domini sermonem esse intolerabilē. Circa hæc autem verba, adhuc obserua, quod esse durum sermonē fidei bifariam intelligere possumus, vel quod sit incredibilis, & hoc falsum est, quia tot, & tantis fulcitur miraculis, quod efficitur credibilis: aut, quod sit difficilis captu, & hoc verum est, quia superat mentem humanam, imo & angelicam: quippequi totam naturam creatam excedit fidei maiestas. Cæterum hanc difficultatē molle facit gratia fidei.

¶ *Sciens autē Iesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli eius. dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius.* Hæc obmurmuratio facta fuit inter quosdam discipulos Domini, non palam, sed clam apud semetipsos. Qui autore Theo. non erant vere discipuli Domini in professione disciplinæ euangelicæ, quæ erat duodecim tantum, & aliorum septuaginta discipulorum. Cæterum isti, quia familiariores erant Domino, & Apostolis eius, quam reliquum Iudæorum, & Galilæorum vulgus, ideò modo vocitantur discipuli. Et obserua, vt sermo fidei infidelibus est durus, agrestis & insuauis eum putant incredibilem, quia impossibilem, vnde ipsis patet risui, quasi stultus esset, at vero fidelibus est sermo vitæ, vt Petrus ait verba vitæ habes.

¶ Dominus igitur volens cōpescere horū discipulorum offendiculum, ait, Hoc vos scandalizat, siue hic sermo meus vos offendit? Et est legenda oratio hæc interrogatiue. *Si ergo videritis, &c.* Si Christus ascendit vbi erat prius, igitur prius erat in cælo, non vt homo, igitur, vt Deus verba autē hæc Cyrillus exposuit. Non vos offendat sermo iste, siquidē ascensurus sum in cælum, vbi prius eram. Et hoc videtur longe impossibilius, quam quod ex carne mea vobis sit conferenda vita. At vero re vera ascensurus sum in cælum, & multi ex vobis videbitis me ascendentem in cælum. Si ergo hoc quod est difficilius factu ad oculum videbitis ne offendamini ex verbis meis, quæ dudum feci vobis. Corruptē Martianus & Apollinarius intellexerunt locum hunc de corpore Christi, quod testantur fuisse delapsum ex cælo, cum sensus sit, de diuinitate Christi secundum quam erat prius in cælo.

Hæresis Martiani, alias Marcelli & Apollinarij testantiū corpus Christi fuisse à cælo delapsum in virgineā vultam.

¶ Vel, vt aliter interpteris scito Iudæos offensos fuisse, & quia audiebāt Dominum se compellasse panem de cælo descendentem, & quia aiebat, carnem suam esse necessario edendam, vt homini sit vita æterna. Et demum, quia docebat carnis suæ edulium, & sanguinis sui poculum, edentibus & potantibus, afferre vitam æternā. Dominus ergo has resoluēs difficultates, dixit duo. Primum est, Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi eram prius, hoc est, Ne miremini, quod vobis dixerim esse panem, qui de cælo descendi, siquidem multi ex vobis videbunt me ascendentem in cælum. Si ergo visus testabitur tunc meum ascensum, quid miratu dignum si fides suadeat meum descēsum. Et quid, si ascensurus sum vbi prius eram, igitur, necessario credere oportebit meum descensum. Nam nemo ascendit, vbi prius erat, nisi prius descenderit. Potest sane homo ascendere non præmisso descensu, vt si ascendit, vbi prius non erat: at si ascendit vbi prius erat, necesse est priorem fuisse descensum quam ascensum. Vnus tamen est Christus, qui descendit, & qui ascendit, ad Ephes 4. Hoc idem ascensionis suę mysterium aperuit Nathanaeli. Ioann. 2. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Postrema soluit dubia excludens carnalem sensum verborum suorum, vnde offendebantur discipuli illi: & docens verba sua secundum spiritualem sensum esse intelligēda. Iudæi enim offendebantur quia existimabant morsibus esse edendā carnem Christi & visibiliter potandū sanguinem. Verū Dominus à carnali hoc sensu eos abducēs ait, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Et non dixit, caro mea. Supra namque dixerat, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: nunc vero, caro, ait non prodest quicquam. Hęc autem simul sunt vera. Etenim aliud est de carne Christi, aliud de carne, vt vniuersaliter sumitur, pro carne ipsa, vt est caro. Enim vero Christi caro, quia est coniūcta personaliter Dei verbo, quod vita est, quia Deus est, ideo ex vnione personali hac, viuificare potest. Namque ex hac hy

1. Cor. 8.

postatica vnione, moriens, vt homo Christus in cruce, & fundens sanguinem, promeruit hominibus gratiam iustificantē, & aperuit nobis regna cælorū. At vero caro vt caro est, ideſt, secundum carnis naturā, non hoc gaudet priuilegio. Quo circa caro simpliciter loquēdo, non prodest quicquam ad vitam æternam, alijs neque sibi promerendam, vt neque aqua ex se prodest ad mundandā mentem, nisi propter spiritum. Ioan. 3.

Caro secundum propriā naturam non prodest ad viuificandā mētē, neque sanguis ex natura quicquam prodest.

¶ Rectè ergo Dominus spiritus est, qui viuificat, inquit, quia Deus spiritus est, & ideo Deus viuificare potest mentes humanas, iustificando eas. Namque gratiam & gloriam dabit Dominus. Cæterū Christi caro, coniuncta est personaliter huic spiritui, quia verbum caro factū est, ideò ex hac personali vnione cum spiritu Dei, viuificare etiam potest. Caro igitur Christi, vt caro est, etiam non prodest quicquam, ideſt, non potuit promereri iustificantem gratiam: at verò, vt est Christi caro potuit promereri. *Spiritus est qui viuificat.* Solus Deus est effectiue autor vitæ spiritualis, meritorie autem humanitas Christi, est causa vitæ huius, vt traditur in Concilio Tridentino, sessio. 14. Quod autem sic meritorie sit viuificans caro Christi, est sane, quia illam obtulit Christus Deo patri in sacrificium pro mundi vita. D. Augustinus, per carnem intellexit sensum carnalem, per spiritum sensum spiritualem, itemque Cyrillus. Ad hanc rationem, si spiritualiter manducetis carnem meam, & bibatis sanguinem meum, vobis conferet esca hæc, & potus hic vitam æternam. Si autem carnaliter intelligatis meam carnem, esse edendam, vt caro bouina. vel arietina, & sanguinem meum esse à me extrahendum, vt a vobis potetur, nihil proderit vobis hęc intelligētia ad vitam. Quæ tamen non sunt ita accipienda, vt sub sacramento altaris, nō verè & realiter sit caro & sanguis Christi, hoc namque hæretici multi intellexerunt, esse solum carnem ibi Christi, & sanguinem spiritualiter, & in typo: sed solum per spiritus excludit manducationem carnis visibilis, aut potum sanguinis visibilis. Nam sic visibiliter manducare vel visibiliter bibere non prodest ad vitam spiritualem conciliandā quicquam: nihilominus caro Christi, vt est vere in sacramento altaris, & sanguis eiusdem valde prosunt sumentibus si tamen digne sumpserint. Nō potest autem eucharistia dignè sumi, nisi cum sacramentali perceptione, spiritualis misceatur: qui enim manducat, & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit. Vnde semper verum est, spiritus est ex se qui viuificat, caro ex se non prodest quicquam. Quamuis Christi caro, vt aiebam dudum, & Christi sanguis in eucharistia, de se semper sunt collatiua gratiæ, cęterum etiam exigunt sufficiēter præparatum suscipientis animum. Quo circa caro Christi semper ex se prodest, si tamen spiritus adsit, ideſt, si mente referta nostra ex gratia Dei eucharistiam capiamus. Cæterum hæc expositio, refertur tota ad sacramentalem perceptionē. Si tamen ad spiritualem referamus verba Christi, vt supra annotabamus, prior intelligentia germanior videtur. Et quod sequitur. *Verba, quæ ego loquor, spiritus, & vita sunt.* Facilem habet declarationē, scilicet, Verba, quæ ego loquor, si ad spiritualem referantur sensum, qui est sensus interior, vitam menti conferunt: hoc est. Si quod dixi de esu carnis meæ, & de potu sanguinis mei, vos intelligatis, de esu & potu spirituali qui fit, credendo, & amando me vitā vobis afferunt. Quia per fidem, & amorem Christi, vita nobis donatur, nunc per gratiam suā, quam credentibus & amantibus, vt oportet donat, & dein in futuro seculo, vita ęterna tribuetur. Et aperit manifestius, se de fide, & amore sibi exhibēdis hæc intellexisse, quæ dixerat addens. *Sed sunt quidā ex vobis qui non credunt.* Hoc est, Verba mea vos offendunt, quia non penetratis spiritualē eorū sensum, sed torquetis ad sensus carnales. Estis enim sensuales, ideo ad quæ sunt supra sensum non potimini intelligentia recta. Hoc autem per māducationem carnis meæ, & potum sanguinis mei à vobis exigo, vt efficiamini mēbra mea, & mihi incorporemini, per sacramenta mea, per fidem & charitatē erga me. Sed vos non creditis mihi, ideo neque amatis me. Hoc nō de omnibus vobis dictum volo, sed de quibusdam, quos sensus carnalis adeò premit, vt non possint attollere mentem ad spiritualem verborum intelligentiam.

Caro & sanguis Christi, semper ex se prosunt, & exigunt spiritualem sanctificationem ia sumēte, ideo sine spiritu nō prosunt.

¶ Caro ergo Christi vitalis est, & viuifica, quia hęc non excludit spiritum. Spiritus enim testificatur, quod Iesus est veritas,

1. Ioan.

1. Ioan. 4. & ad Roma. 8. Vos, inquit, nō eſtis in carne, ſed in ſpiritu Dei: ſiquidem ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Dei non habet, hic non eſt eius. Si vero Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus autē viuit propter iuſtificationē. Qui ergo carnem Chriſti manducat ſacramentaliter, & digne, ex carne Chriſti Spiritum ſanctum ſibi conciliat: & qui illam ſpiritualiter manducat, itidem ſpiritu Dei imbuitur: nam ſpiritum Chriſti habitantem habet in ſe ipſo. Per carnem autem noſtram diſtrahimur ab ſpiritu Dei, verum per Chriſti carnem, Spiritui ſancto coniungimur. Quamuis igitur caro Chriſti ſit ſecundum ſubſtantiam ſuam verè caro, at ſecundum effectum & operationem, quam operatur in nobis, ſpiritualis eſt: ideò ipſa potens eſt nos viuificare. At ſciſcitaberis, Cur Dominus ſolum dixit, Caro non prodeſt quicquam, & nihil meminit de ſanguine? Dicito, quod ſub carne ſubaudiuit ſanguinem: ceterum Chriſti caro, & Chriſti ſanguis aufert opprobrium noſtræ carnis. Quia caro noſtra concupiſcit aduerſus ſpiritum. ad Galatas. 4. Nam aduerſaria eſt ſpiritui, vt ſpiritus aduerſarius eſt carni. Vnde caro noſtra ſapit terrena, & faſtidit cæleſtia, & carnis ſapientia animalis eſt, & diabolica. At verò Chriſti caro, Spiritui ſancto eſt amiciſſima, quia concepta eſt ex Spiritu ſancto, & ex Maria virgine. Chriſti caro non concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſed ſolū ea amat, quæ ſpiritus amat, & ea odit, quæ ſpiritus odit. Eſt enim caro Chriſti tabernaculum inuiolatum Spiritus ſancti: in carne enim Chriſti fixam habet manſionem Spiritus ſanctus. Super quem, inquit Spiritus ſanctus Ioanni Spiritum deſcendentem, & manentem, ſicut columbam, ipſe eſt qui baptizat, Ioan. 1. Manet ergo in anima, & carne Chriſti Spiritus ſanctus: ideoque per manducationem Chriſti carnis, & per potum ſanguinis, Spiritus ſanctus donatur edentibus, & potantibus. Et enim ſupra tradiderat Dominus, Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. At vbi Chriſtus manet ibi manet Spiritus ſanctus, qui eſt in Chriſto, & qui manet in Chriſto, manet in Spiritu, qui eſt in Chriſto. Et demum maculas & ſordes ſpiritus, & carnis, quam primus homo per peccatum ſuum, quod ex carne habuit originem, ſiquidem expomi vetiti deſiderio, initium ſumpſit peccatum illud Chriſtus per carnem ſuam emaculauit, & abſterſit. Quia per cruentum ſacrificium carnis ſuæ in cruce Deo immolatum, mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.

Caro Chriſti nobis conciliat ſpiritum viuificantem

Caro noſtra cōcupiſcit aduerſus ſpiritū ſed caro Chriſti, ea ſola amatque ſpiritus.

Sciebat enim, ab initio Ieſus, qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum. Græcè negatiue legitur. Qui eſſent non credentes, & ita legit Theophilactus, & ſi Cyrillus legit ſicut nos legimus, qui eſſent credentes. Et vtrunque patebat Chriſto, & qui erant credentes, & qui non credentes. Diuina enim ſcientia antequam ſecula conderentur perſpicuum vtrunque erat Chriſto: quippe diuinitati Chriſti ab æterno vniuerſa patent. At ſcientia creata, à creatione animæ Chriſti, omnia erāt ipſi conſpicua, vt in tertio diſputauimus ſententiarum; ſaltem ea, quæ Deo nota ſunt ſcientia viſionis. Quod ſi legimus, non credētes, congrue aptatur, verbo priori, videlicet, Sed ſunt quidam in vobis, qui non credunt, ſubdit enim euangeliſta rationem; nempe quia ſciebat ab initio Ieſus, qui non eſſent credentes: quanuis vtraque lectio congruit. Neque ſolum ſciebat ab initio Chriſtus, qui eſſent futuri credentes, & non credentes in ipſum, horum, ſcilicet, infidelitatem & illorum fidem, ſed etiam ſciebat abinitio iniquitatem ſui proditoris. Hinc igitur euangeliſtā tu collige voluiſſe nobis diuinitatē Chriſti inſinuare: nam Dei ſolius eſt, omnia ſcire antequam fiant. Deo namque omnia ſunt nuda & aperta antequā adſint, quia vocat ea, quę nō ſunt, tanquā ea quæ ſunt. Rom. 4. Diuus enim Ioānes, in primis huic rei incubuit diuinitatem Chriſti declarare. Vnde ex verbis dudū relatis. *Si videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius.* Chriſti diuinitas patefacta eſt: quia Chriſtus non erat in cælo, quatenus homo tunc, ſed quatenus Deus. Et cum vna perſona erat diuina & humana rectè ipſemet qui aſcendit poſtea vt homo deſcēderat prius, vt Deus non mutando locum, ſed aſſumendo naturā humanā. Modo quoque Chriſti diuinitas inſinuatur, vt dicebā. *Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datū à patre meo.* Demōſtrat his ver

Varia lectio.

Chriſto vniuerſa patent.

Vna perſona eſt Chriſtus, humana & diuina, & qui aſcendit in cælū ipſe eſt qui deſcendit.

bis Iudæos esse non credentes, quia indignos se reddiderunt, qui traherẽtur ad fidẽ Christi à Deo, vt iam supra exposuimus. Et aduerte, quod Dominus dixerat superius. Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, hoc loco elucidat, dicens, Nisi ei fuerit datum à patre meo, vt nemo intelligat ex verbis prioribus coactionem, quam videtur præse ferre verbum, traho, ideo elucidat modo per verbum mitius, quod dixerat per verbum asperioris significationis. Trahere igitur patrem ad fidem Christi est donare fidem Christi: quia fides donum Dei est. Non ergo, vt censuit Pelagius fidem ex arbitrij sui facultate sibi dimissa, poterit quis habere, sed necessario eget libertas arbitrij diuino præsidio, vt credat. Id quod dubio procul Dominus docet modo, dicens, Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à patre meo. Quid enim est aliud datum, nisi donatum, & quid donatum, nisi gratis datũ.

Fides est donum Dei.

¶Verum vsus est primo verbo trahendi Dominus, vt mysterium quoddam tractionis ad fidem denotet. Videtur enim, nos quodammodo sine coactione cogi quando rectam suscipimus fidem. Enim verò natura hominis est ex sensibilibus colligere, quæ ipse credit. Et humana ratio semper persuadet sibi, quæ credit hærẽs sensibilibus. Et illam rationem censemus certiorem, quæ sensibilibus cõquadrat magis, cum ergo fides transcendat sensibilia, imo quamuis verè non pugnet cum sensibilibus, videtur tamen sensibilibus repugnare. Proinde omnis qui rectam fidem suscipit, credẽdo, scilicet, ea, quæ neque sensus, neque imaginatio, neque naturalis ratio capit, videtur trahi, quodammodo, & cogi, quia credit præter modum sibi natiuum ad credendum, & ideo regnum cælorum dicitur verè vim pati, & violentos illud rapere. Matthæ. 11. *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* Aptissimè Dominus prædixerat neminem creditu-rum, nisi a patre donatum fuerit illi credere. Vnde denarrat continuo euangelista, qui erant, quibus à patre, non erat datum credere in Christum, dicens ex hoc multi, ideſt, ex hoc tempore, vel ex hoc sermone, siue occasione accepta non data ex profunditate sermonis Christi de carne sua, & sanguine suo, multi discipulorum Christi, de quibus supra iam meminerat, abijsse retro, ideſt, reliquisse Christi disciplinam, quam prius sectabantur, vt verè dictum esse putes non omnium esse, sed quibus datum est à Deo. Cur autẽ Deus non omnibus hoc donum fidei, est impartitus, vtique profunda est quæstio, quæ mortales omnes latet, & soli Deo largitori huius fideiest nota. Istud namque est in archiuis diuinæ sapiẽtiæ, quod quosdam trahat & alios non trahat: ideo fugit scrutinia humanæ rationis. Hoc autẽ nobis probatissimum esse debet, Deum, quibus impartitur donum fidei ex gratia sua impartiri, & quibus non impartitur, ex sua iustitia non impartiri. Quandoquidẽ nemini debetur gratia iustificans, & quæ alioqui omnibus hominibus est necessaria ad salutem, nulli tamen debita est secundum iustitiam, quia gratia non esset si debita esset.

Profũda quæstio Deo soli nota.

¶Quo circa, si dignatur Deus homini impartiri fidem & iustificationem dignatio est suæ gratiæ, & clementiæ, si quem tamen relinquit in sua infidelitate, & in suis tenebris finit delitescere, libramen est diuinæ iustitiæ.

¶Hoc autẽ quod quosdam trahat, & alios nõ trahat, cõmendat magis Dei misericordiam, quam exercet erga sanctos suos. Quippe, singularioris est muneris, quod hos trahat, alijs non tractis, quam si omnes traheret. Vnde Paulus, ad Roman. 9. dicens. Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet subdit. Diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Abũdantior igitur demonstratur Dei clementia, in trahendis suis sanctis, quandoquidem alios multos non trahit, quos etiam si trahere voluisset, potuisset, sed cur noluit, ipse solus nouit, qui noluit & in particulari causam huius rei scire mortales fugit omnes, vt prædiximus. A priori autem generaliter iam indagare cæpimus causam, & rationẽ attulimus, esse Dei vberem clementiam in quosdam, & seueram iustitiam in alios.

Ad fidem cur rectedicamur trahi, & sine coactiõe quodãmodo cogimur.

Cur Deus quosdam trahit & alios non trahit à priori latet homines, sed à posteriori indagari potest vtcũque.

¶Accedit etiam eadem, à posteriori rationem esse, quia si omnibus donaret fidem suam, & traheret ad se crederetur ab hominibus tractum hunc esse naturæ conditionem, & non gratiæ diuinæ misẽratio-

rationem. Quæ enim sunt apud omnes homines, naturalia esse reputantur. Quapropter iam tum fides non dono Dei accepta ferretur, sed naturæ deputaretur officio. Ideò Deus non omnes trahit, ne donis suis detrahamus, & ne quod est miseri cordiæ munus, reputetur esse naturæ qualitas. Porro vt ad nos redeamus illi, quos enarrat Euangelista, similes fuerunt denarratis à Paulo. 1. Timoth. 5. Iam quidam conuersi sunt retrò post Sathanam. Namque qui Christi non est assecla, necessario conuertitur retrò post Sathanam. Et hos reprobat Christus dicens Lucæ. 9. Nemo mittens manum ad aratrũ, & aspiciens retrò aptus est regno Dei. Tales isti Domini discipuli erant, quia sequendo Christum iam mittebant manum ad aratrum, vt seminarẽt semina sanctorum operum, vt meterent vitam æternam: porrò aspexerunt retrò cum vxore Loth, & ideò perdiderunt fidem, quam profiteri cœperunt.

Dominus cur obscurè sua docebat mysteria habes de hac re in præfationib⁹ nostris ad Esaiam non pauca.

¶ Sed forsan sciscitaris, cur Dominus obscuro sermone grandia fidei mysteria docebat, sub metaphoris, & parabolis, siquidem ex obscuritate offendebantur auditores? Respondebis, hoc ex industria diuina factũ est, vt in parabolis doceret sub velamento metaphorarum, vt auditores sedulo exquirentes sermonis diuini obscuri claritatẽ, magis mysteria diuina, quia quæ nostro sudore paramus nobis gratiora redduntur reuererentur: non exquirentes verò suæ inertiæ mercedem reportarent, vt inquam in tenebris ignorantiæ relinquerentur. Nam si panem materialem, quo vescimur, voluit Dominus ex malo merito nostro, vt in sudore vultus nostri illum nobis compararemus. Quidquod panem spiritualem beatæ doctrinæ, velit à nobis ex sudore nostro parandum: nempe vt intelligentiam doctrinæ ex magistris nobis conciliemus: quamquam mysterium quod modo denarratur, non tam obscure à Domino proponitur, quam sinistrè à Iudæis maleuolis, fuit intellectum. *Dixit ergo Iesus duodecim, nunquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? Et nos credimus & cognouimus, quia tues Christus filius Dei.* Liberam relinquit Christus arbitrij libertatem, priores enim discipuli, qui non erant asciti in sucrum Apostolorum duodenarium, sed, vt dicebam, erant eò discipuli, quia Christo, & Apostolis erant familiares, & Christi doctrinam sequebantur, ex libertate sui arbitrij abierunt retro & non ambulabant, vt solebant cum Christo, & Apostolis eius.

Liberum arbitrium.

Apostoli verò suam etiam pronuntiant voluntatem sequendi Christum liberam. Apostolus enim Petrus, vt princeps Apostolorum, vicem eorum agens, sub totius collegij Apostolici persona, inquit, Ad quem ibimus Domine, &c. Dominus ergo ait illis, Et vos vultis abire? Quasi dixisset, Vobis liberum erit etiam, vt alijs discipulis, vel mè sequi, vel à me discedere. Non ego egeo comitatu vestro: abeuntibus enim vobis, alios mihi eligam in socios. At verò Petrus legitimè intelligens verba Domini præfata, scilicet, manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, esse credere in Christum, & in eo per charitatem manere. Et quod huiusmodi credentes in Christum, erant donandi vita æterna, & quod corporis potituri gloriosa erãt resurrectione, respõdit Christo, Ad quẽ ibimus Domine: verba enim vitæ æternæ habes. Hoc est, nullus est magister hominum quem petamus, & verus Doctor quem habere valeamus, nisi tu, quia verba tua, vitam æternam tibi credentibus pollicentur.

¶ Et interim considera, quod quanuis eadem verba, quæ Petrus, & chorus Apostolicus audierunt, & alij Domini discipuli, at Apostoli illa rectè intellexerũt, & alij discipuli malè. In quem prope modum eandem diuinam scripturam legunt catholici, & hæretici: verum catholici rectè, illam intelligunt, hæretici sinistrè illam habent. Namque discipuli isti, qui abierunt retro, & iam non ambulabant cum Domino typum gerunt hereticorum, qui cum professi fuerint fidem Iesu Christi in Baptismo, & Sacramentis Christi fuerint imbuti, ab ipso tamen discedunt: & non cum ipso ambulant, sed retro conuersi sunt post Sathanam: quandoquidem, se se abstraxerunt à corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, quæ est columna, & veritatis firmamentum.

Discipuli quidam Domini typum gerunt hęreticorum.

¶ Sed forsan quæret quispiam, cur nõ beatificat modo Dominus Petri confessionẽ, vt fecit Matthæ. 16. Beatus, dicens es Simon Bariona, &c. Et quidem nunc ex-

Noranda quæstio.

presius egit personam chori Apostolici, Petrus quam tunc: ait enim, Nos credimus, & cognouimus. Verum Matth. 16. non tam expresse, quia solum inquit, Tu es Christus filius Dei viui. Quanuis & hic, & ibi, totius chori Apostolici nomine confitetur Petrus fidem diuinitatis, & humanitatis Christi. Quandoquidem Matthæ. 16. ab omnibus Apostolis quærebat Dominus, quis nam ab illis crederetur ipse esse, & Petrus respondens omniũ Apostolorum personam egit. Theophilactus eò factum ita esse putat, quo Dominus non blandiretur Apostolis, quorum nomine Petrus fassus est, sé nolle discedere à Christo. Ne, scilicet, crederent Apostoli, Dominum multi feciſſe, quod ipsi noluissent retro abire cum alijs, indeque putarent ipsos fuisse Christo adeò necessarios, quod ipsis discedẽtibus Christi doctrina nõ haberet assecias. Verum quantũ cõiecto, propterea Dominus modo non cõmendat Petri fidelem de Christo confessionem, quia Petrus fidem suam, & totius collegij exprimebat dicens, Nos credimus, &c. At verò si Dominus commendasset fidem omnium Apostolorum, videretur etiam tum commendasse fidem Iudæ proditoris: verum proditoris fides indigna erat quæ laudaretur. Quia ergo Dominus erat reprehensurus Iudam Iscariothem: continuo enim dixit, Vnus ex vobis diabolus est, ideò Dominus à generali commendatione fidei Apostolorum modo abstinuit propter causam commemoratam. Porrò Matth. 16. Etiam si Petrus videtur nomine omnium Apostolorum confessus fuisse fidem Iesu Christi, at verò non dixit, Nos, sed solum, Tu es Christus filius Dei viui. Et Dominus solius Petri fidem commendauit, dicens, Beatus es Simon Bariona, quam ipse solus est confessus, vt significaret Dominus fidem, quam profitetur Petri cathedra esse synceram fidem, & à Christo cõmendatam.

Petrus ferebat Apostoli ci senat' personam.

Fides cathedrę Petri syncera fides est & ideò à Christo commendata.

¶ Vel secundo respondebis, si lectio, quã quidam codices habent sit probanda, quã Theophilact. sequitur, qui legit hoc loco, Tu es Christus filius Dei viui, tametsi in codicibus omnibus non legitur viui, sed apud Matthæ. 16. Si ergo hanc recipimus lectionem, forsan hæc eadem est Petri confessio illi, quam commemorat Matthæ. 16. & ideò Ioannes non meminit cõmendationis huius confessionis, quia sciebat à Matthæ. esse descriptam. Vnde si hoc verum est, Christus tum erat in partibus Cæsareæ Philippi. Mihi verò non probatur dogma hoc, quia expresse docet Ioann. hunc sermonem Dominum habuisse in synagoga oppidi Capharnaum, at verò confessio illa Petri Matthæ. 16. fuit Domino residente in partibus Cæsareæ Philippi. Quæret tamen aliquis cur Petrus ait, credimus de præsenti, & cognouimus de præterito. Verum vtrumque refertur ad præteritum, vt sit sensus credidimus nos, & cognouimus ex miraculis tuis te esse Christum filium Dei, vel credimus modo ex miraculis, quod iam pridem cognouimus te esse Messiam filium Dei. *Nonne ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariothæ: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.* Quod me sequamini & nolitis retrò cum alijs discipulis abire, id præstatis quod vobis incumbebat officij, siquidem vos elegi ex numero omnium Israelitarum, non quia sapientiores, aut ditiores, aut nobiliores, aut sanctiores reliquis, sed ex gratia mea vos promoui in culmẽ eminentissimum Apostolicæ dignitatis. Quamobrem etsi omnes qui censentur nomine discipulorum tuorum tenebantur, me sequi & à me non discedere. Vos tamen quos duodecim eligi in Apostolos primariosque orbis Christiani duces, multò fortius ad id tenemini, meis vestigijs in omnibus hærere. Cæterum neque in hac parte vobis erit absoluta laus, siquidem vnus vester diabolus est. Porrò autem diabolus Græcum nomen est, & calumniatorem, vel delatorem significat. Dominus ergo Iudam appellat diabolum, vel quia id temporis calumniabatur contra Christum, aut quia erat calumniaturus. Et probabilius videtur iam tum calumnias texuisse contra Christum, etsi occultò insidiabatur. Iuxta Psalm. 40. verba, Egrediebatur foras, & loquebatur in id ipsum, id quod de Iuda vaticinium erat. Porrò electio Christi Iudam istum fecit Apostolũ, & sua iniqua volũtas eum fecit diabolum. Erat sanè Apostolus ex diuino munere, at diabolus ex sua prauitate. Diabolus sanè non natura, sed imitatione. Namque

Confessio fidei Petri apud Ioãnem, & apud Matthæum nõ est eadẽ numero

dia-

diabolus est accusator sanctorum. Proiectus est inquit, accusator fratrum nostrorum Apocalyps.12. Subit autem mirari, qui fit, vt electus à Deo in Apostolum verteretur in diabolum? Cur Deus talem elegit, quem futurum sciebat diabolum? Vtique æquo te pulsabit pede, & quæstio illa de Saule, electo à Deo in regem Israelis, qui tamen etiam fuit diabolus ex tyrannide, & ex miris calumnijs, quas paravit contra Innocentem Dauidem. Et sanè hoc non temerè fit à Deo, vt intelligamus electionem diuinam neminem cogere ad virtutis officia: sed tam liber est electus à Deo, quam non electus. Electio diuina sanctimoniam ingerendo admonet officio, ad quod fit electio, at verò nō cogit. Miratu igitur est quam dignissimum, idem est Apostolus & diabolus, & quæ videntur summo interuallo distare, in eodem fine interuallo conueniunt. Iudas est Apostolus & idem est diabolus cum alioqui Apostolus ministerfit lucis, diabolus minister tenebrarum: vnde videntur nimium dissidere. Et re vera si munera consideras, nimium dissident, at si personam, & subiectum aliquando conueniunt. Erat quidem Iudas Apostolus non moribus, sed diuino munere: erat diabolus non diuino munere, sed moribus proprijs: vt iam hinc desinas mirari quod catholica testatur Ecclesia sanctissimum officium coniūgi nonnunquam cum pessima persona. Et nugaces existima hæreticos nugantes sacerdotem malum non esse sacerdotem, ideò missam illius non esse missam, & hæreticos non posse baptizare, etiam seruata forma, & Ecclesiæ intentione. Et Episcopos criminosos non esse Episcopos, & alia hoc genus asseuerant deliramenta. Quorum ora, vel ex hoc loco occluduntur, quia Iudam Apostolum Christus vocitat diabolū. Vnus, inquit, ex vobis diabolus est. Ex vobis, inquit, id est Apostolus sicut & vos, diabolus est, & hac ratione non est ex vobis, sed contra vos. Est igitur ex vobis, & non ex vobis, ex vobis, vt Apostolus non ex vobis, vt diabolus. Quid igitur miraris, vel ne mireris iam si Episcopus est, & peccator est, si sacerdos est, & peccator est. Namque si Iudas Apostolus erat, & diabolus erat Episcopus poterit esse, simul atque peccator. Est namque ex Dei munere sacerdotium, & episcopatus, at quod sit diabolus, ex propria prauitate animi contingit. Sicut ergo solus Apostolatus non sufficit Iudæ ad vitam conciliandam æternam, ita neque Episcopatus, neque sacerdotalis functio. Hæc namque ad gratias gratis datas spectant, vt & prophetiæ donum, quod peccatoribus nōnunquam impartitur Deus.

Sanctissimū officium cum pessima persona aliquando coniungi potest.

Episcopatus & sacerdotiū ad gratias gratis datas pertinent.

MORALIA.

¶ *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, Ioann.6.*

EVangelista Ioannes conuiuij cuiusdam celeberrimi meminit hoc capit. 6. Vnde Dominus traiecto mari Galilææ, quod est Tiberiadis pauit magnam multitudinem virorum, fœminarum. Et quidem hoc conuiuium, est admodum mirabile, quippe multiplicauit Dominus in deserto existens paucos panes, & piscículos in eam multitudinem panis, & piscīū quæ non solum suppeteret victui tot millium hominum, quot Ioann. commemorat, sed & superabundaret. At verò huius conuiuij occasione, panis cœlestis, qui est caro Christi Ioannes mentionem fecit. Primum autem prioris conuiuij tropologiam exequemur, dein verò ad panis cœlestis tractatum stylum referemus. Erant autem quinque hordeacei panes, & duo pisciculi, vnde Dominus immēsam aluit turbam. Qui panes quinque alios denotant panes mysticos longe digniores, quā fuerunt illi hordeacei. Isti enim alebant corpus, sed non mentem, at panes, quos continuo referam, alunt mentē quia sunt panes mentales, & non corporales.

¶ Est autem panis primus horum, qui est solidus panis, citra quem peccatoribus vita nō adest æterna, scilicet, cōpunctio cordis nostri ex nostri peccati consideratione. Vnde in Psalm.79. hic panis decantatur, qui est pœnitentialis panis. Cibabis, inquit, nos pane lacrymarum. Egregius equidem cibus, qui mentem famelicam & aridam satiat diuina gratia, & diuinam perditam restaurat amicitiam. Hic sanè panis à Deo multiplicatur, quippe lacrymæ nostræ exiguæ sunt, ad plancandum

Panis pœnitētialis.

candum diuinum offensum ex nostris culpis numen, nisi Deus illas probatas haberet ad se placandum. Diuinus ergo sermo hunc panem sibi acceptum reddit, dicens surgite postquam ederitis, qui comeditis panem doloris, Psalm. 126. Hunc panem doloris ex cœlesti dono habent pœnitentes, est namque pœnitentia ex diuina clementia pœnitentibus concessa. Ne quando, inquit Paulus, det illis Deus pœnitentiam. 2. Timoth. 2. idem ad Roman. 1. Et apud Esaiam. 30. Dabit tibi Dominus panem arctum. Vtique pœnitentialis panis arctus est, quippe nō exigit à nobis Deus suo præcepto acerrimas contritiones, & flagella crudissima, & macerationes immanes, sed minima de peccatis nostris cōtritione Deus contentus est. Et quamlibet minima sit diuini tamen est muneris, quod illam habeamus. Neq; solum cōtritio huiusmodi, diuinæ est largitatis, quin & attritio si ea sit, ex qua homo dolet de omnibus peccatis suis ex timore æterni supplicij concussus, vt traditur in Concil. Trident. Sess. 14. Hic panis est ille subcineri cius panis, quem Gedeon descendē tem super castra Madianitarum aspexit subuertentem Madianitas Iudi. 7. Quippe, quod subuertit dæmonum phalanges pœnitentia est. Et rectè hic panis per subcinericium illum denotatur. Olim namque pœnitentia in fauilla, & cinere agebatur Iob. 42. Cui concinit Dauid. Cinerem, ait, tanquam, &c. Hic igitur panis visus est Gedeoni desuper descendere: quia, vt aiebam, cœlestis muneris est pœnitere de peccatis, vt oportet pœnitere. Est namque excedens hominis facultatem pœnitere ex amore Dei dilecti super omnia, itemque pœnitere ex timore æterni quod creditur supplicij: ideò diuino præsidio opus est, vt iuuetur homo, vt sic pœniteat.

¶ Est autem nobis natiuum de malis à nobis patratis pœnitere. Namque syndere sis ipsa internè pungit, & conscientia, etiā nullo damnante inclamat, & facinoris intrinsecus autorē accusat. Cæterum, quod propter inuisibilia bona adipiscenda, vel ad euitandum inuisibilia gehennæ mala pœniteamus desuper descendit hic pœnitentiæ panis. De longe proculdubio venit panis hic, quia impartitur pœnitentibus ex diuina benignitate. Vnde Paulus, An ignoras quod Dei benignitas te ad pœnitentiam adducit? Precandus igitur Deus, vt hunc nobis donet panem, quo refecti, non timeamus Madianitarum, id est, diaboli, & peccatorum tyrannidem. Quot verò sint necessaria ad pœnitētiam in. 4. Sentent. tomo. 2. luculenter expressimus quantum nobis Dominus concesit, ideò supersedēdum est abundantiori tractatui de pœnitentia.

¶ Iam igitur secundum panem explicemus. Est autem panis in passionibus, & tribulationibus nostris patientiam habere, & æquo animo ferre propter Dei honorem emergentia, quæ nos premunt mala. Est equidem æquissimo nomine dicēda patientia hæc, panis fidelium, quia si panis est sustentare animalem vitam, patientiæ est sustentare spiritualem vitam. Quare sapiens ille monebat, In humilitate tua patientiam habe. Eccles. 2. Et Dominus Lucæ. 8. electos suos docet in patiētia fructum referre. Et inter fructus spiritus, patientia recensetur, ad Galat. 5. Nemo namque frui potest spiritualibus bonis, patientia sit refertus. Et Paulus monet, vt patientia supportemus inuicem ad Ephesios. 4. Et inter sectanda à fidelibus hanc à nobis sectari iubet. 1. Timoth. 6. sectare iustitiam, fidem, charitatem, patientiam. Et demum Iacobus. 1. Patientiam docet opus perfectum habere. Et rectè, quia hac submota, cætera infructuosa redduntur. Diximus enim patientiam sustentaculum esse vitæ spiritualis. Contingunt enim sæpè hominibus, plæraque multa, quæ eos molestant, & grauiter cō turbant, & vnicum tunc extat præsidium ad solatium patientiæ confugere, quo fotimala accidētia superare valeamus. Vnde aiebat Apostolus, Patientia nobis necessaria est, Hebræ. 10. Hunc autem panem Deus multiplicat, quia pro tolerātia quā in malis præstamus, donamur consolatione interna. Quamobrem Paulus. 2. Corinth. 1. inquit, Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et Dominus Matthæ. 5. dicens Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et rursus, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabūtur. Quid aliud docet, quam patientes esse remunerandos præmijs sempiternis. Qui enim persecutionem patiuntur propter

iustitiam

Pœnitentia est douū Dei

Cōtritio etiā minima, & attritio sunt diuinæ largitatis.

Antiquus pœnitendi modus.

Quæ pœnitētia est diuinę gratiæ est tribuēda, & quæ non.

Secundus patientiæ.

iustitiam, vtique patientes sunt propter cultum iustitiæ, & lugentes istos apte dicemus, eos qui calamitates Ecclesiæ lugẽt, & de illis vehementer, quasi de malis propijs dolent, & sustinent eas in patientia, donec Deus Ecclesiæ suæ de remedio opportuno prouideat, quando illis succurrere non datur.

Tertius misericordiæ panis.

¶ Est tertius panis misericordiæ, ex qua dolemus, de defectibus, siue spiritualibus, siue corporalibus nostrorum fratrum. Huius panis meminit Eccles. 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. Tũc autem mittimus panem nostrum super transeuntes aquas, quando pauperibus nostra erogamus, vocantur autem peregrini pauperes, aquæ siquidem discurrũt ex loco in locum, vt quærant sibi victum, instar enim defluentium aquarum habẽt motum, & decursum ex vico in vicum: itemque pauperes errones, qui ostiatim discurrunt, vt quærant sibi alimonias. Et quanuis eleemosyna sit omnibus pauperibus necessaria, maximè tamen peregrinis, quia ignoti sunt, & non habent vnde sibi subueniant, cum sint alienigenæ. Nam indigenæ pauperes habent indigentes alios notos, vnde possint commodius sibi parare victum. Hic igitur eleemosynæ panis, mittendus, siue erogandus est pauperibus, & promissionem habet vitæ quę nunc, & futuræ. Et non temere panis est nuncupatus, reficit enim corpora pauperum, & multò vehementius mentes erogantium. Conclude, inquit, sapiens ille Ecclesiast. 29. eleemosynam tuam in sinu pauperis, & ipsa pro te orabit. Et quæ nã maior mentis refectio, quam beatitudo, at verò Dominus misericordiam beatificat, dicens, Matthæ. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Si panis naturalis defendit vitam à morte, eleemosyna, quæ eruit animam erogãtis, à morte sempiterna, an nõ congruentissimè dicẽda est panis animæ. Vnde Tobi. 12. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: non sanè hoc verbum habendum est de morte temporali, à qua nihil liberare potest, sed verbum hoc habeto, de morte spirituali. Quippe eleemosyna præseruat à peccatis committendis, & commissorum, quorum pœnituimus, relaxat commeritas pœnas. Neque solum hoc, sed etiam erogantes eleemosynas etiamsi peccatis sint depressi ex diuina clementia incitantur ad pœnitentiam. Et quanuis illi à merito bono sint alieni, at verò ipsa eleemosyna orat pro illis. Sed cur orat pro erogante? Nempe quia pauperes recipientes, digni sæpè inueniuntur, qui à Deo pro erogante exaudiantur. Iustis igitur eleemosyna prodest, vt donum perseuerantiæ in sanctitate, & iustitia obtineant, vt etiam peccatorum pœnæ, ab eis nondum solutæ, per eleemosynas deleantur. Quia, vt aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatum. Dani. 4. Rursus peccatoribus admodum vtilis est, quia recipientes eleemosynam pro erogante Deum precantur, & Dominus eorum preces exaudit sæpè.

Eleemosynã iustis & peccatoribus necessaria.

¶ Semper igitur panis mentis est eleemosyna, sed tum maximè, quando erogans ipsam Deo gratus est, tunc enim est efficax hic panis, tunc vegetat spirituales vires, tum auget charitatem: quia qui non diligit fratrem manet in morte. Tobias eleemosynas erogat & visus illustrationem miraculosam promeruit, cap. 12. Cornelius eleemosynas expendit pauperibus, & angelum doctorem obtinuit, Actor. 10. qui institueret in colenda Christi fide. Et Actor. 9. Dorcas, quia viuens eleemosynas elargiebatur, mortua iam excitatur ad vitam à Petro. Circunstetere runt, inquit Lucas, illum omnes viduæ flentes, & ostenderunt ei tunicas, & vestes quas faciebat illis Dorcas, &c. Et ideò Petrus illam excitauit ad vitam. Vnde Paulus eleemosynam valde commendans ait, Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Vt igitur Deum promereamur habere, benefacere oportet indigentibus, & nostra temporalia bona eisdem communicare. Quia si frangimus esurientibus panem nostrum, erumpet quasi mane lumen nostrum, Esai. 58. Et quidem si amoris fundamentum est similitudo, omne namque animal diligit sibi simile, omis namque ouí iungitur & non vrso, & bos boui, & non leoni, &c. Deus admodum diligit eleemosynarios: sunt namque Deo valde similes. Deus namque omnibus creaturis suis quotidie, & quouis momento suam impartit misericordiã.

Propter eleemosynã Dei miracula fecit.

1. Tim. 4.

Eleemosyna eroganti est panis spiritualis & cui erogatur panis materialis.

Eccles. 13.

ricordiam. Siquidem ex sua liberalitate omnia sustentat: Deo namque non sustẽtãte, vniuersa perirent, canente Psalmo 103. Auferes spiritum tuum, & in puluerẽ suum reuertentur. Qui ergo sunt miseri cordes, ideò sunt similes, quia benefaciũt alijs, instar Dei, qui dat affluenter omnibus, & non improperat Iacob. 1. Deus porrò ex sua gratia creaturis suis misericordiam præstat. Vnde eleemosyna, vt Deo sit grata, cum diuina similitudinem gerat oportet. Qui namque eleemosynã erogat, non syncero corde, scilicet, ad Dei gloriam, vt quę Deo gratior reddatur, sed ob alias temporales causas, hic etsi exterius Deo similis videatur, interius verò lõge abest à diuina similitudine. Neque enim diuina scriptura beatificans eleemosynarium, illũ beatificat solum quia porrigit panem esurienti exterius, sed quia porrigendo ex Dei charitate facit. Beatus vir dixit psaltes, Psalm. 40. qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Vtique intelligere super egenum & pauperẽ non est solum leuare egeni miseriam, sed illam leuando simul intelligere hoc esse Deo gratum, & ex Dei amore, proximi miseriam leuandam. Multi sanè sunt, qui pauperum miserias sua ope leuant, nihilo minus non intelligunt super egenum & pauperem. Quia non id præstant, quia intelligunt Christum in pauperibus esse fouendum, ipso testante, Matt. 25. Quod vni ex istis minimis feciſtis, mihi feciſtis. Et equidem eleemosynam infideles etiã elargiuntur, at quis dicet eos esse beatos? Vtique nemo fidelium illos proclamabit esse beatos: quippe, non intelligunt illi super egenum & pauperem, sed solũ ex compassione natiua, aliorum miserias leuant. Maxima ergo vis eleemosynæ est, quæ liberat eleemosynarios in die mala. Est autem dies iudicij, dies amara valde ijs, qui subibunt damnationis iudicium, ab hoc autem iudicio damnationis eruet eleemosynarios eleemosyna. Quippe, vt dicebamus, eleemosyna liberat ab omni peccato, & liberans à peccato, liberat à damnationis iudicio. Et equidem in die iudicij tota ratio est ineunda de eleemosynis. Audi enim vocem supremi iudicis, Matt. 15. quia tunc proferet in die illo, Quia esurijui dediſtis manducare, &c. Venite benedicti patris mei, & percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Et ijs qui à sinistris sunt, quia non præstiterunt misericordiæ opera eis dicetur, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Summa ergo iudicij diuini eleemosyna est, quæ verè est Deo grata eleemosyna, videlicet, quæ exhibetur pauperibus ex charitate Christi.

¶ Hic autem panis, à Deo valde multiplicatur, quoniam, pro paruis, quæ pauperibus elargimus, multa Deus donat, & pro terrenis cœlestia, & pro tẽporalibus sempiterna. Vnde Dominus, Lucæ. 6. Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertã, & coagmentatam, & superfluẽtem dabunt in sinum vestrum. Aspicis ne quæ sit multiplicatio huius panis. En tibi quid dabitur, dantibus eleemosynas, mensura equidem bona, & conferta, & coagmentata & redundans. Quia centuplum accipient huiusmodi nunc in tempore hoc, & in seculo venturo vitam æternam, Matthæ. 19. Marc. 10. Et eò plura recipiemus, quo plura erogamus. In qua enim mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. Hoc est, seruabitur proportio, inter data à nobis pauperibus, & collata nobis à Deo. Non quod erit eadem numero mensura, siquidem modica sunt omnia, quæ præstare possumus, collata ad ingẽtem vim præmiorũ cœlestium. Erit igitur æqualitas non rei, sed proportionis. Nam si parcè seminamus, parcè & metemus. Si verò in benedictionibus, ideſt, abundè seminamus abundè & metemus. 2. Corinth. 9. de eleemosyna disseruimus pleraque in. 4. Sentent. quæ huc vocare non libet.

¶ Quartus panis est timor æterni supplicij, quod manet peccatores omnes. Hoc sanè pane debent vesci iusti, ne cadant in peccata, & debent vesci peccatores, vt à laqueis diaboli, quibus captiui tenentur, extricentur. Apte quidem panis hic timor dicitur, quippe timor diuinorum supplicioru conseruat vitam iustorum: iusti enim cõsiderantes grauissima quæ manent peccatores tormenta, sibi solerter cõsulunt ne in peccata ruant. Et hic panis est, quem iusti comedunt in luctu Tob. 4. Comedebãt panem in luctu: lugent enim peccata sua, quæ memorantur feciſſe contra

Eleemosyna vt sit Deo grata similem diuinæ oportet esse.

In die iudicij tota ratio est ineunda de eleemosyna.

Inter data à nobis & collata nobis à Deo non erit proportio æqualitatis, sed inæqualitatis

4. Panis.

Timor pœnalis omnibus cõgruit & iustis & peccatoribus.

tra Dominum. Et peccatores timor Domini, etiam seruat ne effrænes sint in peccatis admittendis, sed contineant se ne ruant præcipites in facinora. De timore Domini dixit Salomon capit. 14. Timor Domini fons vitæ. Sublato enim timore Domini nulla vita spiritualis potest homini contingere. Et Eccles. pronuntiat, nihil melius esse quam timor Dei, ca. 25. A timore namque Domini concipimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis Esai. 25. Rectè igitur appellatus est timor Dei fons vitæ, siquidem per timorem Domini concipimus, & parimus spiritum vitæ. Concipimus quidem, quando concussi timore Domini expellimus peccatũ à nobis, parturimus autem & parimus, quando nostra peccata, quæ iam odio habemus, formidantes supplicia æterna, confitemur pœnitentiario, & dignam de illis solumus Deo satisfactionem. Quamobrem psaltes nos hortatur dicens, Timete Dominum omnes sancti eius. Quod si sanctis timere Dominum incumbit, multò fortius peccatores timere debent Dominum, qui in maiori periculo versantur. Nugantur sanè hæretici Lutherani, ridentes hanc doctrinam, docentem timorem suppliciorum æternorum esse commendandum, quandoquidem timentes diuina hæc supplicia exque timore defugientes culpas, hypocritas esse proclamant, reclamante tamẽ tota scriptura, quæ miris enconijs hunc timorem commendat. Et Concilio Tridẽtino idem exponente Sess. 6. can. 3. in hæc verba, Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere anathema sit. Et hic canon contra Lutheranas assertiones est editus. Lutherus enim timorem seruilem censuit peccatum esse, & remorari à vitæ æternæ ingressu animas, quas lustrat purgatorius ignis, fretus Ioan. autor. 1. Ioan. 4. perfecta charitas foras mittit timorem. Et rursus ad Roman. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.

Timor seruilis bonus est, & à Deo donatur.

¶ Verum qui Deo obtemperat, obtemperando nullatenus peccat: at verò qui timet æterna supplicia Domino obtemperat, dicẽti, Si pater ego sum, vbi honor meus? si Dominus, vbi timor meus? Malach. 1. Igitur Deo exhibendus timor, quia Dominus, vt amor præstandus, quia pater. Timens igitur Deum, vt Dominum vniuersorum non peccat, quandoquidem non timens à Deo culpatur. Et quis poterit reo vicio dare si timeat pœnã sibi imminentem ex reatu suo, aut quod timens pœnam, non peccat? Est sanè timor pœnæ, qui seruilis est, & vicio dandus quando sic quispiam formidat peccare, propter pœnam, quo dilla sublata vellet peccare. Namque istud velle peccare, peccatum est. At verò, qui solum ex formidine pœnæ peccatum odit, non tamen animum habet peccandi si pœnam non timeret, neque de hac re ipse meminit, sed solum ex formidine pœnæ peccatum fugit, hic timor valde bonus est, & vtilis omnibus fidelibus.

Timor seruilis bifariam expenditur.

¶ Et ideo legislatores constituunt pœnas transgressoribus legum suarum: quia sanctum hoc esse iudicant, vt ex præmijs alliciant subditos ad obseruationem legum, & ex pœnis eosdem auertant ab earũdem violatione.

Legislatores sub præmijs & pœnis suas constituũt leges.

¶ Deus igitur qui iustissimus est legislator, pœnam grauissimam statuit gehennæ, violatoribus legis suæ. Et hæc pœna iustissima est, quia à Deo profecta, qui est iustitia ipsa, est sancita, qui ergo illam timendo non peccat, secundum legem Dei agit. Quippe ad hoc à Deo fuit sancita, vt homines horribilem pœnam formidantes abstinerent à culpis, & illam cupientem euadere de patratis sceleribus dolerent. Quod verò Ioannes scripsit, Luthero astipulatur nihil. Perfectam enim charitatem. Ioann. vocat, ex qua diligimus Deum & proximum, vt contextus Ioannis insinuat apertè, & sensus hic est. Diligens Deum atque proximũ non habet cur timeat in die iudicij, sed potius habet, vnde fiduciam cõcipiat, quod non lædetur à gehennæ incendijs. Dixerat enim primo, Si diligamus inuicẽ, Deus in nobis manet & rursus, in hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, &c. id est, diligendo Deũ & proximos propter Deum perfecta est charitas Dei nobiscũ, & tantum fiduciam habemus in die iudicij, quod erimus æterni regni consortes.

¶ Vnde

De dilectione Dei & proximi exigenda erit ratio in die iudicij

¶ Vnde Dominus tum de huiusmodi charitate exiget rationem dicens, Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Non enim ait, Esurientes pauistis pauperes, &c. sed Esuriui, & dedistis manducare: quia vt dudum aiebam hæc perfecta est charitas proximi, illi subuenire vt Christi membro, & tum diligendo proximum Christum diligimus.

¶ Hæc igitur charitas foras mittit timorẽ, idest, fiduciam præstat obtinendi regni æterni. Non tamen foras mittit timorem æterni supplicij. Ceu præparationem ad charitatem obtinendam: quia timor iste æterni supplicij, disponit ad charitatem habendam Dei, & proximi, vt seta docente Aug. introducit filum, & cõseruat, tantum abest, vt charitas hunc timorem excludat.

¶ Aut oportet Ioannis hunc exponere locum, de timore purè seruili, ex quo homo nõ peccat solummodo, ex formidine pœnæ, peccaturus alias, si illam non formidaret. Hunc sanè timorem charitas perfecta foras mittit, quia etiam minima charitas Deum amat, & propter Deum declinat offensam diuinam. Non tamen sermo est de timore, qui propriè non est seruilis, quando etiam formidini est pœna, non tamen præcipuè propter pœnam peccata cauemus, sed propter Deum amorem, etiã si formido pœnæ, nos etiam incitat ad nõ peccandũ. Quem sensum glossa probare videtur, tametsi prior expositio non est dissona Ioanni, ibidem monenti dilectionem proximi. Charissimi, inquit, Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Et vt magnificaret dilectionem proximorum, dixit charitatem perfectã excludere timorem damnationis in die iudicij. Vnde, quia quæuis charitas à Deo infusa, est Dei, & proximi, quælibet excludit hunc damnationis timorem, quia coniuncta est spei, quæ est cœlestium expectatio. At obseruabis, quod charitas hoc sibi vendicat ex natura sua, quia reddit nos Deo amicos, & nihil damnationis est amicis Dei. Porrò ex parte subiecti, vbi recipitur, accidit, vt non excludat timorem hunc. Viatores enim nesciunt se habere charitatem Dei: ideoque timent, quanuis sint iusti, damnationem futuram, Deo hoc disponente, ne erigantur in cogitationibus suis, & charitate potita fraudẽtur. Secundo respondebis similiter fidelibus iustis donatum fuisse spiritũ adoptionis filiorum per baptismi gratiam. At verò Iudæis per legem non donabatur spiritus iste filialis adoptionis: siquidem lex neminem duxit ad æternam hæreditatẽ consequendam. Quippe iusti sub illa dege tes, defuncti sunt nõ adeptis promissionibus, ad Hebræ. 11. Idcirco, illa lex operabatur non spiritum filialem, quia filiorum est hæreditas paterna: at verò illis ex lege sola non poterat contingere hæreditas sempiterna, ideò non vocantur filij, quia si filij hæredes ad Rom. 8.

Spiritus filialit adoptionis nõ excludit necessario timorem

¶ Quamobrem nihil veritati obuiat si dixerimus hunc spiritum filialem, non excludere timorem æterni supplicij. Iusti enim timent æterna supplicia, Psalm. admonente, Timete Dominum omnes sancti eius, quanuis timent hæc supplicia ex charitate Dei, ne diuino frustrẽtur consortio. Et rursus à peccatis abstinent ex eodem timore gehennæ non principaliter, quia magis abstinent verentes ne Deum offendant: cæterum ex timore abstinent accessoriè.

¶ At verò forsan occinet aliquis dicẽs, minima charitas foras mittit timorem ad sensum prætactum, & minima charitas diligit Deum & proximum, quanuis sit imperfecta: cur ergo Ioannes hoc solum tribuit perfectæ charitati: quia vox hæc perfectum, grandem intensionem charitatis præsefert.

¶ Respondebis, quamlibet charitatem ex parte sui obiecti, quod Deus est, perfectã esse, quia quæuis diligit Deum, & proximum: at verò contingit illi imperfectio ex paucitate suorum graduum. Ioannes autem loquitur de perfectione ex parte obiecti. ¶ Vel dicito Ioannem per perfectam charitatẽ, intellexisse veram charitatem, quæ est dei propter se, & proximi propter Deum, & hæc vera charitas, quia diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, necessario foras mittit timorem gehennę, quia hæc quantum est ex se facit nos securos, quippe reddit amicos nos Deo. Vbi autem est amicitia, timor iste cessat: siquidem amicitia, non lædit, sed seruat amicum. Quanuis vt aiebam ex parte habẽtis charitatem, timor sæpè iustos afficit gehennæ, quia periculis multis humana infirmitas

Charitas ex se nos facit securos ab æterna dãnatione at ex parte habẽtis fuccrescit dãnationis timor.

firmitas. Quæ autem nõ est vera charitas, qualis est eorũ, qui putat se diligere Deũ non diligendo proximum, vt qui odio habet inimicum suum, ista non est vera charitas, ideò neque perfecta: quippe quod non est verum, neque perfectum est secundum rationem suam. Ideò hæc non excludit timorem: quia qui non diligit fratrem suum, manet in morte. Non ergo Ioannes de intensione verba facit charitatis, sed solum de vera charitate, vt opponitur contra apparentem & non existentem charitatem. Istum porrò panem Christus multiplicat sicut prædictos. Quippe timorem hunc, cõmutat in voluptatem, & spiritus dulcedinem. Namq; suos amicos Deus paulatim deducit ad maiorem & vberiorem charitatem: vnde timorem suppliciorum vertit, in voluptatem spiritualem quandã: quia secura mẽs quasi iuge est conuiuium. Timorem igitur non multiplicat Deus illum augendo, sed multiplicat, in melius commutando, nempe in securitatem cõscientiæ, & mentis hilaritatem.

Prouerb. 15. ¶ Postremus deniq; panis est, vnde potius vescuntur iusti homines, quã peccatores. Est enim panis iste desiderium vitæ æternæ. Multæ nãq; sunt tribulationes iustorum & ideò illam æternã requiẽ suspirant, & illi inhiant, & ad illam capessendã vehementer anhelant. Vnde aiebat ille Psal. 41. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita anima desiderat ad te Deus. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Si panis sustentat quos cibat, suspiria etiam & desideria hæc sustentant iustos, tantisperdum in hoc exilio agitur.

Panis quintus.

¶ Et rursus, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitãtibus Cedar. Multum incola fuit anima. Cum enim cernunt se absentes esse à Domino, sub peregrinatione sua, desiderãt patriam cœlestem. Vnde Paulus ad Philipp. 1. Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.

¶ En tibi panes quinque, vnde Dominus pascit fideles suos quotidie. Neq; ab re describũtur esse hordeacei, siquidem panes isti asperitatem continent. Omnes enim panes quotquot retulimus præseferunt quandam asperitatem. Siue enim pœnitẽtiam, consideres, siue eleemosynam, siue patientiam, siue æternorũ suppliciorum timorẽ, siue lacrymas & suspiria vitæ æternæ adipiscẽdæ, exteriorem corticem asperum & durum habent: tametsi vim alendi spiritum hominis sub duritie exteriori condant. Et horũ primum panẽ, scriptura cõmemorat fuisse hordeaceum Iudi. 7. vt idem de reliquis intellectum velimus.

Piscículi qui sunt obsonia sanctorum.

¶ Porrò pisciculi, ex quibus panes isti comeduntur, sunt spes veniæ: namq; pœnitentibus dulcescit pœnitentiæ labor, quando certam habẽt veniæ spem. Et rursus omnes alij panes, qui duri vidẽtur dulcescunt, & mollescunt spe præmiorũ æternorum. Quotus enim quisq, esset, qui pœniteret de peccatis suis nisi certus esset de spe veniæ obtinendæ à Deo. Aut quotus quisq; esset, qui tot labores in via Dei æquo ferret animo, nisi præmium adhuc in exilio positus, à longe videret, & à lõge salutaret. Nam omnis, qui arat, ideò arat, quia spem habet conceptam fructus percipiendi. Egregius sanè piscículus est obsonandæ pœnitentiæ ille, quem diuina format vox, Agite pœnitentiam, quia appropinquauit regnum cœlorum. In comparabilis quoque nobilitatis est piscículus ille alter quem Paulus. 2. Corinth. 4. proposuit pro obsonio tribulationum, & laborum, quem iusti in hoc seculo patiuntur, videlicet, id quod in præsenti est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Pulcherrima sunt istæc ex piscículis istis obsonia. Namque, vt panis comestus citra obsonium, non tam gratus est gustui, quam quando obsonio potitur, ità labores nostri, atque pœnitentiæ, non essent nobis gratæ, nisi diuinæ nobis essent mulcentes consolationes.

Regressus ad priora.

¶ Iam verò istis quinque recensitis panibus, cum sibi connexis piscículis, ad panem illum sublimiorem, qui de cælo descendit, & dat vitam mũdo referamus sermonẽ. Dicebamus enim Euãgelistam occasione conuiuij accepta, ex quo Dñs in deserto turbas illas ex quinque panibus, & duobus piscibus pauerat mentionẽ introduxit panis cœlestis, vnde non nutriũtur corpora, sed animi fideliũ vegetantur. Non solum quinque millia virorum, vt in priori conuiuio, sed omnium fidelium corda aluntur spirituali hac alimonia.

At hîc nouus panis, caro Christi est. Panis, inquit, quem ego dabo caro mea est prọ mundi vita. Caro namque Christi in cruce Deo patri oblata in redemptionẽ humani generis contulit vitam mundo: quippe, huius carnis oblatio, sacramenta Ecclesię fecundat, vt illis perceptis vitam percipientes æternam obtineant. Et rursus caro Christi iam glorioſa in ſacramento altaris contenta mundi vita est: quia fideliũ vita ex ſacro baptiſmatis fonte hausta, Eucharistia conſeruat, & fouet, ne pereat, ſed aucta caronetur æternò. Diſcipuli porrò quidam Domini durum exiſtimarunt eſſe Christi ſermonem tradẽtem carnem ſuam eſſe cibum, & ſanguinem ſuũ eſſe potum, quippe qui ferale & beſtiale opinabantur ex Christi verbis eſſe illis iunctum Christi carnem inſtar arietinæ, vel bouinæ carnis, eſſe dilaniandam, vt ipſi ex illa nutrirentur.

¶ At verò fidelibus Christi iſte ſermo non durus, ſed mollis creditur. Summi namque beneficij exiſtimant eſſe, quod Chriſtus conderit carnem ſuam ſub pane in edulium mentis, & ſanguinem ſub mero in ſpiritualem potum.

Primus modus manducãdi carnẽ Christi ſpiritualiter.

¶ Primum quidem quando ſacro fonte ſunt purgati baptiſmi guſtarũt carnis Dominicæ edulium, & ſanguinis Dominici hauſerunt poculum: tunc enim Chriſto ſunt vniti per fidem & charitatem. Neq; hoc ſolum ſed in corpus myſticum ſuum ſunt traiecti realiter per baptiſmi lauacrũ: facti enim ſunt Christi ſerui, & milites: & illi nomina ſua dederunt: Euangelioque Christi ſeſe manciparunt, cuius profeſsi ſunt obedientiam. Et ideò realiter trãſlati ſunt in Eccleſiæ Chriſtianæ iuriſdictionem, per realem ſuſceptionem baptiſmi. Dixerim realem, quia baptiſmus in voto, non transfert hominem in corpus Eccleſiæ myſticum realiter niſi tantum in voto. Verum poſt iſtam ſpiritualem carnis Christi manducationem, & ſanguinis Christi ſpiritualem hauſtum, eſt alia manducationis, & potus ratio eiuſdem carnis, & ſanguinis Christi, quæ ſacramentalis eſt. Enimuerò ſub panis ſpeciebus poſt cõſecrationem latet Christi verum, & viuum corpus, & ſub ſpeciebus vini verus, & viuus Christi ſanguis. Quapropter, qui ſacramentum Euchariſtiæ ſumit, & carnem Christi manducat, & ſanguinem bibit: verum, vt aiebã, alia ratione, quam prius, quippe verè & realiter, carnem Christi mãducat, & ſanguinẽ bibit, cæterũ inuiſibiliter: quia carnem Christi latentẽ manducat: quoniam Chriſti caro inuiſibili modo, & non viſibili latet ſub Euchariſtiæ ſacramento.

2. Modus Manducatio ſacramẽtalis eſt ſpiritualis ex parte carnis Chri quæ comeditur, quia eſt ſpirituali modo in Euchariſtia.

¶ Eſt igitur viſibilis mãducatio ſpecierũ panis, & eadem eſt inuiſibilis mãducatio carnis Christi. At verò etiãſi inuiſibilis eſt manducatio carnis Christi, vt inuiſibilis potus ſanguinis Christi tamen vtriuſq;, eſt realis mãducatio, & realis potus: quia realiter & verè caro Christi adeſt ſub ſpeciebus panis cõſecratis, ſicut ſanguis Christi ſub ſpeciebus cõſecratis vini. Quia ergo inuiſibilis carnis Christi eſt manducatio, & inuiſibilis ſanguinis Christi potus, hac ratione ſpiritualis eſt mãducatio, & ſpiritualis eſt potus, qua verò eſt viſibilis ſacramenti realis vſus, eadem ratione eſt item realis, & non myſtica ſolũ mãducatio, vel myſticus potus. Eſt autẽ obſeruandũ ſpiritualem hanc manducationem attẽdi ex parte carnis Christi, quę comeditur ſub ſacramento velatè Euchariſtico. Quippe cũ hæc Christi caro, ſit in Euchariſtia ſpirituali modo, ideò manducãs Euchariſticũ panem, vel bibens Euchariſticũ calicem, ſpiritualiter mãducat, & bibit ex parte eorum quæ manducat, & bibit, quæ ſpiritualis modo, ſunt in Euchariſtia. Hic autẽ ſpiritualis exiſtẽdi modus eſt æquiuocus, & ſub illo venenum latet, niſi catholicè explicetur. Eſt enim ſpiritualis modus exiſtendi, qui excludit verã & realem exiſtẽtiã. Eſt item ſpiritualis modus qui excludit, quãtitatiuum, & corporalem modum exiſtendi. Christi autem caro, itemq;, ſanguis, non primo modo ſpiritualiter exiſtunt, in ſacramento Euchariſtiæ, ſed ſolũ ſecundo modo. Quippe ſunt quidẽ quãta ibidem, non tamen ſecundũ rationẽ quantitatiuam, quæ poſcit totum eſſe in toto, & non totum, in non toto, ideſt partẽ corpus, eſſe in parte loci.

Quomodo caro, & ſanguis Chriſti ſint ſpiritualiter in Euchariſtia.

¶ Eſt poſtremo alius modus manducandi ſpiritualiter, qui vtrumque cõprehendit, & manducationem ſacramentalem priorem, & addit, quod comedens ſit Deo gratus, & denuo, per Euchariſtiæ vſum Chriſto vniatur. Qui ergo Euchariſtiam manducat, ſub culpæ reatu, etſi ſpiritualiter primo modo manducet, quia ex parte

parte carnis Christi realiter manducatæ, quæ inuisibili modo, & spirituali quadã ratione, inibi latet in Eucharistia, at verò ex parte manducantis, non est manducatio spiritualis, quia iudicium sibi manducat & bibit. Non manducat enim tunc ad bonum sui spiritus, sed ad detrimentum eiusdem. Non enim nouam sibi parat vnionem cum Christo, sed nouam separationem.

Patres veteres manducauerunt spiritualiter Christũ in deserto comedãdo manna & hic modus spiritualis mãducationis fuit prior tẽpore trib⁹ nostris.

¶ Habes igitur præter illam spiritualem manducationem Christi, quam Hebræi in deserto manducantes manna habuerunt. 1. Corinth. 10. tres rationes manducandi spiritualiter Christum, primam sine sacramento Eucharistiæ, alias duas cum sacramento. Porrò autem durum cen suerunt hunc sermonem hæretici, & ideò abierunt retrorsum, & cum Christo iam non ambulant, vt discipuli illi à Ioanne commemorati.

¶ Fuerunt namq; hæretici, qui carnem & sanguinem Christi in Eucharistia cõfessi sunt spiritualiter, hoc est, tanquam in typo esse. Quia panis ille carnem Dñi, post verbã illa, Hoc est corpus meum significat, & calix sanguinem Domini. Hæresis vetus Berengarij hęc fuit, & noua Oecolãpadij. Durum enim existimant corpus Christi, quod magnum est, in breuicula coarctari hostia. Durũ item esse arbitrantur corpus Christi, in innumeris esse locis & esse in cælo & simul in terris esse, & ꝙ frangatur panis, corpore Christi indiuiso, quodque in quauis minima particula sit Christi integrum corpus, integrúque sanguis, & quod Christi corpus ibi continea tur, & maius sit contentum, quam continens hostia, continensque calix.

¶ Durũ rursus existimat Lutherus hũc sermonem, quia sensus & imaginatio, & naturalis ratio, ibi esse panem ibique esse vinum testantur. Quia panis figura, sapor, odor, itemq; vini ibi esse cernũtur. Quocirca confessus est in Eucharistia esse verũ corpus Christi, verumq; sanguinẽ, at verò trãssubstãtiationẽ panis in corpus, & vini in sanguinem Dñi planè inficiatur.

¶ Porrò autem fidei autoritas apud catholicos sermonis huius superat duritiem, docens in venerabili hoc sacramento, verum corpus Christi existere, verũq; sanguinẽ, post consecrationem à sacerdote celebratam, nihilq; substãtiæ panis, vel substãtiæ vini peracta cõsecratione ibidẽ super esse, sed illa transsubstãtiari in verũ corpus & sanguinem Dñi ex vi horum verborũ, Hoc est corpus meũ, &, Hic est calix sanguinis mei, solaque accidentia superesse vtriusque transsubstantiatæ substantię, videlicet, figura, color, sapor, odor, & grauitas, & quãtitas, panis, atq; vini. Quæ sanè accidentia nõ hærẽt corpori, vel sanguini Christi, sed, vel soluta sunt omni subiecto, aut si hęrent quantitãtibus panis, atq; vini hærent. Quantitates verò istæ nulli hærent, at diuina virtute à substantijs proprijs separatæ subsistunt.

Confessio catholica de Eucharistiæ veritate magnificat magis Dei potentiã & reueretur amplius Christi verba.

¶ Et confessio hæc catholica magnificat magis Dei potentiam, & reuerentur amplius Christi verba, quã hæretica dogmata. Quandoquidẽ hæretici hærẽtes sensui, & imaginationi, nõ potuerunt leuare mẽtem, vt crederent Deo hoc subesse, vt corpus suum ineffabili modo collocet sub panis speciebus. Et quod plus potest Dei potestas facere, quã nostra, vel ratio, vel imaginatio capere possit. Quod si ipsi fatẽtur verbũ Dei fecisse humanitatem suam nõ per se subsistere, sed in semetipso subsistere, cur mirantur idem verbũ facere posse quãtitatẽ per se subsistẽtẽ in Eucharistia? Si suæ humanitati cõtulit accidentarium existendi modũ, cur quantitati nõ poterit substãtialem existendi conferre in Eucharistia modum? Nũquid ligatur magis Dei potentia circa accidentia, quã circa substãtias? Quis adeò desiperet obsecro? Vt ergo substãtiæ nõ repugnat esse in alio, ità neq; accidenti esse per se. Aliud est enim quod natura poscit rerum, aliud quod diuina operatio præstare poterit supra rerum naturam. Natura igitur substãtiæ est, esse per se, vt accidẽtis esse in alio, at verò De⁹ cui nõ est impossibile omne verbum, potuit, substãtiam humanam Christi, sibi copulare ad vnitatem personalẽ. Vnde ipsa natura humana Christi, in Christo subsistit nõ ex propria, sed ex verbi subsistentia. Ita quoq; potest facere quãtitatẽ esse per se in Eucharistia.

Ecclesia Catholica candidius & syncerius intelligit Christi verba quã hęretici.

¶ Quod verò fides catholica reuereatur magis verba Christi, quã delirium hæreticũ, vel hinc tibi patebit, quippe is magis reueretur verba Christi, quia cãdidius, & syncerius illa intelligit, at Ecclesia catholica verba hæc, Hoc est corpus meũ, candidius, & syncerius habet, quã hæretici, quippe ipsa prę ferunt

in Euchariſtia eſſe corpus Chriſti verè, & realiter quod eſt Eccleſiæ dogma, & non figuratiuè, vt temerè hæretici cõtendunt.

¶ Et rurſus nihil ibi ſub velaminib⁹ ſacris ſpecierũ panis, & vini eſſe peracta cõſecratione niſi corpus, & ſanguinem Chriſti, corpus, ſcilicet, viuum & integrũ, & perfectum Chriſti, ſanguiſq; puriſsimus eius. Et quia viuũ ibi eſt Dñi corpus, ideò ibi organicũ eſt, ſanguine ſuo refertum, quia vita animalis in ſanguine eſt. Vnde nulla eſt diuiſio corporis à ſanguine, vel ſanguinis à corpore: ſed verè ſanguis Dñi, eſt in venis & arterijs ſuis cõtentus, quanuis cõſecratio panis referatur, ad corpus, & conſecratio calicis ad ſanguinem Dñi.

¶ Verum, etiamſi ſignificatio harum conſecrationum ſit diuiſa, res tamen ipſa non diuiditur. Ex diuina tamen arte factũ eſt, vt ſacra vtriuſque ſignificatio eſſet diuiſa, vt diuiſim conſecrando ſanguinem & diuiſim cõſecrando corpus, memoria Dñicæ paſsionis expreſsius à fidelibus recoleretur. ¶ Quod ſi conſecratio panis in corpus Dñi ſubſtantiã panis admitteret, quî eſſet tunc vera propoſitio hæc, hoc eſt corpus meũ? idem de ſanguine colliges. Nã impoſsibile eſt, quod ſubſtantia panis ſit corpus Chriſti, aut ſubſtantia vini ſit ſanguis Chriſti. Quid quod panis ſubſtantia pro nobis nõ eſt tradita, neq; ſubſtantia vini, pro nobis in cruce eſt effuſa?

¶ Eccleſia igitur catholica rectè intelligẽs verba hęc Chriſti quę dicimus, nõ durum credit ſermonẽ Dñi tradẽtem, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Imò hæc verba ſuauiſsima credit eſſe, & leniſsima. An non lenis eſt ſermo, qui audienti pollicetur vitam æternã? an non lenis eſt ſermo, qui famelico veram cibationẽ promittit, & ſitienti, veram ſitis extinctionem? Vtiq; ſermo huiuſmodi, qui hæc pollicetur, ſuauiſsimus eſt, atq; leniſsimus, tãtum abeſt, vt durus ſit iudicãdus.

Verba Chriſti famelicis & ſitibundis mentibus ſaturitatẽ ſpondent.

¶ At verò verba Dñi, præfata animo humano famelico diuinæ gratiæ, quæ eſt verus animæ cibus, hoc ſpondent. Ait enim, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui mãducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem: in me manet, & ego in illo, & rurſus, qui manducat me, ipſe viuet propter me. Qui autem habet in ſe manentem cibũ, & in ſe manentem fontem vitæ, non poterit, vel fame premi, vel ſiti torqueri. Qui verò Chriſti carnem manducat dignè, habet in ſe manentem cibum, quia Chriſtus in eo manet: igitur ſpiritus fames prorſus depellitur ab eo. Habet item in ſe manentem vitæ fontem qui Chriſtus eſt, igitur ſitire nequit. Vnde ait, Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet in æternum.

¶ Cibi naturales, cibant ſanè eſurientes, at alimonia ex iſtis non tanti vigoris eſt, vt ſemper perſeueret, imò exhalatur adeptus ex illis vigor, & paulatim niſi denuo alatur expirat. Vt titionibus accedit ſub motis à foco, qui paulatim effumantes, reſoluunt, quod habent incendium, & tandem extinguntur.

¶ Porrò caro Chriſti verè eſt cibus, quia vigor animi noſtri ex hoc adeptus cibo, non euaporatur, neque euaneſcit, ſed perſiſtit immotus, imò in dies fotus creſcit, niſi ſocordia noſtra, diuinus creatus in nobis ex hoc cibo feruor tepeſcat, & niſi vigorẽ tanti cibi ſpõte à nobis proijciamus.

¶ Cibat nãq; Chriſtus digne carnem ſuã comedentes ſpiritus ſui dulcedine, & gratiæ ſuæ noua infuſione. At verò Dei gratia ſemel collata ex parte Dei nunquam flacceſcit, neque relaxatur, neque euaneſcit. Cæterum ſi euaneſcit, iſtud eſt dandum noſtri arbitrij vicio, quod peccatum admittit, in hoſpitem, quem hoſpitẽ Dei gratia fugit omnino.

¶ Verè igitur cibus eſt caro Chriſti, quia ad hoc fideles cibat, vt æternò viuant. Cibi verò noſtri cibant nos vt ad tẽpus viuamus, neq; æterno poſſunt ſuã producere cibationẽ, ideò cibant ad vitã mortalem, atq; caducam. Veraciter ergo Chriſtus dixit, Caro mea verè eſt cibus, quippe quæ veram vitã donat. Neq; dixit carnem eſſe verè cibum, ſed carnem ſuam. Caro enim quæuis, alia non eſt verè cibus, ſed caro Chriſti verè eſt cibus. Caro quæuis alia cibus eſt ſanè, ſed non verè cibus. Neq; omnis caro vſurpatur in cibum, quia humana non eſt cibus niſi auium, vel beſtiarum, non tamen hominum, hominis caro cibus eſt. At caro Chriſti, eſt caro veri hominis, quia eſt caro humana, & nihilominus, non beſtiarum cibus eſt, ſed angelorum cibus eſt, ſed hominum verè cibus eſt, etiamſi differenter. Angelos namque paſcit caro Chriſti, quia Angeli

geli delectantur considerantes carnẽ Christi ineffabili vnione esse diuino verbo cõiunctam, & tanti mysterij cõtemplatione pascuntur. At verò est hominum verè cibus caro Christi, quia humanas mentes eius carnis Christi fouet, & vegetat.

¶ Ad hæc caro Christi est verè cibus, non quatenus caro, quia si quatenus caro esset verè cibus, eatenus omnis caro esset verè cibus, at non omnis caro est verè cibus, sed sola Christi caro est verè cibus.

Sola Christi caro est verè cibus, & est viuifica caro, quia copulata fonti vitali quod est verbum Dei.

¶ Siquidem hæc sola caro est viuifica caro, quia coniũcta fonti vitali, qui est verbum Dei in excelsis. Quia ergo verbum caro factum est, ideò caro huius verbi, est viuificãs caro, vt quia carbo ignitur, ideò vrit tangentem. Supra naturam igitur est carnis cibare mentem: carnis enim est cibare carnem, & non mentem. Cæterum, quia Christi caro supra propriæ naturæ vires fuit Dei verbo copulata, idcircò hoc sibi parat, quod mentes fidelium vegetet, & roboret.

¶ Hoc sanè non dedit illi natura sua, sed diuinitatis consortium carnem Christi leuat, vt cibet humanas mentes. Tangebat caro Christi cæcos, & eos illuminabat: tangebat surdos, & auditum conferebat: tangebat ægrotos & sanitati restituebat: tangebat mortuos & vitam donabat. Vnde hæc? Nunquid ea ascribes naturæ carnis Christi? non arbitror. Sed ideò manus Christi tangens saluberrimè tangebat, quia manus Christi, manus Dei erat. Et caro quoque Christi in sacramento latens verè cibus est: quia caro diuini verbi est. Si ergo credis carnem Christi esse carnem Dei non putabis durum esse sermonem Christi commemoratum. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vapor namque terræ, terrenus quidem est, suapte natura: obscurusque & ponderosus est. At virtute solis, in sublimia fertur, & obscuritatem deponit: & in sublime latus splendescit, vt sol, quia sol illi coniũctus, splendorem illi impartit solarem. Caro etiam Christi vt caro, terrena est, viuifica non est, quia spiritualis non est, at verò vt æterno soli coniũcta, in sublime lata est, quia in verbo Dei subsistit & inde tota fit diuina caro spiritalis caro, & viuifica caro, & mentium nostrarum cibus salua tamen semper corpulentæ naturæ ratione. Hoc namque fuit diuini consilij opus, & mirabilis sapientia: vt quia in carne nostra humana latet venenum mentis nostræ, in carne enim latet concupiscentia, quæ mortem operatur in nobis, vnusquisque enim nostrum peccat à sua concupiscentia abstractus & illectus, Iacob. 1. in carne quoque diuina, quæ etiam humana est lateret huius veneni antidotus. Et, vt operante Sathana ex carne nostra est initium mortis, atque seminarium peccati, ita Deo autore in carne Christi, esset vitæ initium & seminarium iustitiæ. Panis, inquit, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Crucifigitur enim caro Christi & immolatur, pro vita æterna concilianda hominibus. Et per baptismum caro Christi crucifixa, mortis suæ vigorem hominibus communicat. Namque baptismus mortem peccati destruit & vitam spiritus donat: at verò post per baptismum regeneramur, & facti sumus tanquam noui geniti infantes Deo. Cæterum indigebamus spirituali cibo, vnde aleretur spiritualis hęc infantia nostra. Ideò Christus horum infantiũ pater, quos viuificarat ex carne sua mortua, alit ex carne sua viuente & in cælis regnãte: ideò sub speciebus panis, abscõdit carnem suã, vt sub panis specie caro sua cibet infantes suos quos ex baptismo, sibi spiritualiter genuerat. Caro igitur Christi, quæ vitã donat ex baptismo, hanc vitam seruat per Eucharistiã. Hæc namq; spiritus vitã roborat, & vegetat digne tamen edentium. Istud est, quod concinnè canit Ecclesia. Culpat caro, purgat caro, regnat Deus, Dei caro. Et quia diabolus vtebatur carne nostra ad perditionem nostrã Deus vtitur carne sua, ad restaurationẽ nostrã. Et carnem suam fecerat instrumentum mentis humanæ sanctificãdæ, ideò voluit carnem suã ad eã rationẽ in Eucharistia collocare, secundũ quã suæ carni cõgrueret hæc mẽtium sanctificatio. Quãobrem quãquam in Eucharistia sit vera Christi caro veruſque Christi sanguis, at nõ sunt ibi carnali modo, quod Theologi dicunt, quantitatiuo modo, imò spirituali modo. Habent nãque ibi modũ essendi spiritualẽ. Quippe Christi caro est tota in tota Eucharistia, & tota integra in quauis hostiæ particula: itidem de sanguine dicito.

Caro & sanguis Christi nõ sunt in Eucharistia quãtitatiuo modo, sed spirituali & diuino modo.

¶ Est autem hic modus essendi spirituũ:

siquidem anima hoc modo est in corpore nostro & angelus in loco suo. Et quod verius dixerim caro & sanguis Christi nõ solum hunc habẽt existendi modum quem substantiæ obtinent spirituales, imò transcendit, & facile superat hanc existendi rationem, & diuinam quandã, & sublimiorem existendi induit rationem. Enimuerò diuinitatis est replere vniuersa: at caro, & sanguis Christi omnem eucharistiam replenti: vbique enim terrarum est Christi caro, atque sanguis. Et non quot sunt hostiæ, aut calices consecrati tot sunt, vel caro, vel sanguis Christi, sed eadem est Hispaniæ, quæ Germaniæ, quæ Italiæ, & quæ apud Antipodes, eadem quæ apud nos. Istud autem est admodum mirabile, quod vna & eadem Christi caro, idemque Christi sanguis, sit vbique gentium, & vbique terrarum, simul existens in mũdi omnibus partibus, & sub contrarijs differentijs positionum, & sursum & deorsum, & dextrorsum & sinistrorsum, & antè, & retro.

Sublimiorẽ modum existendi habet caro Christi in Eucharistia, quã in cœlo.

¶ In cælo quidem caro Christi, suum seruat naturalem existendi in loco modum, quia tota Christi caro in toto existit quẽ describit loco, & pars in parte. At verò in Eucharistia diuiniorem existendi habet modum, quia non exuens quantitatem, qua in cælis afficitur, modum quantitatiuum non seruat, quia non describit locum in Eucharistia, imò neque definit locum, vt angeli, quippe angeli vnum replentes locum, in alio simul esse nequeunt, hoc enim diuinitatis est. Cæterum caro Christi nonnihil sapit hanc diuinitatis existendi in loco rationem, vt prædiximus: quanuis multum ab ea deficit, quippe solum est in terris, in Eucharistia. Desine igitur mirari, quod caro Christi, cũ sit caro, sit humanæ mentis cibus: siquidem caro quidem est secundum substantiam suam, at verò spiritualis est secundum existendi modum suum in Eucharistia. Quem modum sibi parat, vt nobis congruat in cibum secundum suã substantiam rursus caro est: at verò habet diuinum modum essendi, & quia diuino verbo copulata, & quia vbilibet est in Eucharistia, vt iam ex duplici ratione diuinam esse Christi carnem fateamur. Et quia subsistentia fruitur diuina, & quia neque describitur ab hostia, vel calice, neque ibi definitur, imò omnes replet sacratas per totum orbem hostias omnesque calices implet instar diuinitatis vniuersa replentis. Quanuis quia creaturæ sunt, Christi caro, & sanguis, non replent vniuersa, quia localiter in cælis sunt, & in terris solũ sunt sub velamine specierum consecratarum panis atque vini, & non alibi: tametsi verbum Dei quod est Christus, quia creator est, vniuersa replet.

Caro Christi est, ex substãtia tua caro ex modo essẽdi spiritualis & diuina.

¶ Vnde nullum est sacramentorum, in quo Deus ita insigniter suam exerceat potentiam, vt est in hoc altaris sacramento: vt verè dictum putes, diuinum hoc sacramentum, esse memoriale quoddam, vbi Deus epilogauit grandia, & mirabilia opera sua. Iam enim tibi diximus carnem Christi, hic esse quantam, & modo non quantitatiuo: rursum hic esse instar diuinitatis non de circunscriptiuè, aut diffinitiuè, sed quodammodo repletiuè, etiamsi in. 4. Sententiarum. tomo. 1. modum hunc existendi appellabam sacramentalem.

¶ Ad hæc per carnem suam, vt in Eucharistia est collocata cibat mentes humanas, illas vegetat, atque corroborat, & se vocat panem, & cibum, vt ex sensibilibus cibis, & sensibili pane, spiritualis huius cibi energiam colligere valeamus. Hoc namque seruata vtriusque ratione, operatur carnis Christi ferculum in mentibus nostris, quod cibus materialis operatur in corporibus nostris: hocque sanguinis Christi poculum operatur in animis nostris, quod pocula materialia in corporibus hominum. Neque solum in Eucharistia exercet Deus suam mirabilẽ potestatem, sed ostendit etiam credẽtibus suam ineffabilem sapientiam, siquidem per causas easdem extinxit culpam, per quas ipsa exorta est. Exorta nãq; est humani generis culpa ex cibo. Genes. 3. & ex cibo eadem soluitur: siquidẽ Christi caro oblata est in cruce pro mundi vita & hæc est cibus fidelium. Ex cibo igitur introducta est humani generi calamitas, & ex cibo fœlicitas nobis referatur. Nam qui mãducat Christum, ipse viuet propter Christum, quia viuet æternò cum Christo.

Diuina sapiẽtia ostẽditur valde in Eucharistia.

¶ Et quidem rem mirabilem præstitit diuina sapientia, vt id, quod videbatur aduersari spiritui, idem fecit esse spiritus antidotum:

antidotum: quandoquidem nihil videtur magis aduersari spiritui quã caro. Paulo testante, Caro cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem ad Gal. 4. At verò aspice quanta sit Dei sapiẽtia, suam carnẽ fecit esse nr̃i spiritus medicamentũ. ¶ Sunt autem medicamenta quædã purgatiua & expulsiua morborum, alia verò præseruatiua. Caro autem Christi vtrãq; rationem subijt medicamenti. Offertur, & immolatur in cruce, & fit medicamentum nostræ culpæ expulsiuũ: quia mortuus est Dñs, propter delicta nostra. Consecratur in Eucharistia, & fit medicamentum à culpis præseruatiuum. Eucharistia enim dignè sumẽtes, à culpis faciendis pręseruat. Auget enim Dei charitatem in nobis, & fomitẽ minuit, & vires spirituales ad repugnandum cacodæmoni cõseruat. Vnde Chrysostomus, tãquam leones flãmas spirantes, sic à mẽsa illa descendimus terribiles facti diabolo. Vt igitur Christus Ioan. 9. cæcũ quẽdam ex luto, quod videbatur visui contrarium illuminauit, quia lutum ex diuina Christi saliua temperatũ fuerat, ita modo ex carne sua spiritus nostri pharmacum cõposuit: quia caro sua caro Dei est. Et demum suam Deus demonstrauit suis fidelibus in Eucharistia charitatem eximiam. Enimuerò nullus est qui tam feruẽter amet, vt amicum famelicum propria pascat carne, & sitibundũ proprio sanguine potet. Quinimò matres sæpè nutricibus tradunt filios suos alendos, quos lacte alere proprio piget. At verò, quæ est Dei infinita charitas, ipsum nõ piguit, carne sua suos alere fideles, eosdemq; suo potare sanguine. Et quidẽ, etsi difficilis sit intellectu conuersio panis per cõsecrationẽ in corpus Christi, & meri in sanguinem, vt verè dixeris cũ Samaritana, Puteus hic altus est, & non habes quo hauriasaquam, quoniam visus non haurit aquam ex hoc sacramento, qui ait, ibi videri colorem panis, atq; figurã, neq; per gustũ hauriemus, quia hic item ait, ibi esse panis saporẽ, neque per olfactũ, qui ait, ibi esse odorem panis, neque per tactũ, qui se tãgere panem profitetur, sed neque per imaginationem, quæ non capit, quod corpus magnum, sit in modico loco, & demum neq; per naturalẽ rationẽ, quæ proclamat, vbi sunt panis accidẽtia, ibi est substantia panis, quia accidentia panis, sunt in pane. At fides, est per quam ex hoc altissimo puteo hauriemus aquam diuinæ miserationis. Namque qui potuit vxorem Loth conuertere in statuam salis, & potuit virgam Aaronis conuertere in colubrum, & hunc iterum in virgam, & qui potuit Nili vndas, in sanguinem vertere & petram in stagna aquarum, & rupem in fontem aquarum, & in nouo testamento, hydrias nuptiales, refertas aquis, in vina conuertere, an non poterit panis substantiam, & vini, in suam carnem, & in suum sanguinem commutare, vt ait Ambrosius libr. de officijs? Etsi mirabilior, & sacratior est eucharistica conuersio, quam cõmemoratæ, quoniam in alijs cõuersionibus superstes est materia substantiæ conuersæ: at hic nihil manet, neque materia, neq; forma, sed nuda accidẽtia supersunt. ¶ Quod si adhuc huius diuini sacramenti, animo est vberius decantare laudes, quis obsecro pro dignitate eius poterit. Cæterum vtvt valemus eas prosequamur.

¶ Celebrata fuit & decantata olim, quam maximè esca illa, quam vocauerunt manna Hebrei, ideſt, quid hoc? ex illo enim de cælo descendenti pastus est populus ille Hebræus, tãtisper dũ vagabatur per vastã Eremũ. At multò celebrior est & maiori decãtatione prosequenda est esca hæc carnis Christi, vnde pascuntur fideles, quandiu in vita hac huius nostræ peregrinationis demorantur, illa nãq; esca antiqua fuit huius nouæ figura. Quod enim Hebræi deserta versantes loca post exitũ ab Ægypto, post mare rubrum traiectum aliti fuerint manna illo, quid aliud adumbrabat, quã quod postquã depulerit homo Ægypti tenebras, quæ sunt peccata, & postquã demersa fuerit Pharaonis inuisibilis potestas, ideſt, diaboli Tyrãnis in mari depressa fuerit rubro, hoc est, per sacrum fontem eneruata baptismatis, iam tunc liber fidelis ab hac tyrãnide, agens in deserto huius seculi, & proficiscẽs ad vitã capiendã æternã, esca hac cælesti in hoc itinere est pascẽdus, ne deficiat, sed roboretur potius in via spiritus: vt valeat deniq; superare hostiles dæmonum acies, valide obsistẽtes sibi, ne recto cursu ad vitam properet æternam. Accedit eisdem, quod mãna illud erat nutum, ita Dñs se exinaniuit formã serui accipiẽs, & sicut illud erat lucidum instar bdelij precioſi lapidis, ita Dominus

Ad Rom. 4. 1. Corint. 15. 2. Corint. 5.

Charitas diuinæ erga fideles symbolum egregiũ est Eucharistia.

est vera lux quæ illuminat omnem homi nem venientem in hunc mũdum: & sicut sapor illius man, erat vt similæ cum mel le, (est autem simila farina purissima à fur furibus repurgata) ita Dominus est vera simila, quippe omnes homines sumus fur furacei, quia omnes in Adã peccauimus, at Christus longe abest à furfure peccati, quippe qui venerat ad purgandum huma na peccata. Sapor verò huius similæ est dulcissimus, canente Ecclesia, O quã suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam filijs tuis demonstrares pane suauissimo de cælo prestito esurientes imples bonis, & fastidiosos diuites dimittis inanes, & sicut olim mã illud vetus, iustis erat suauissimus, at iniustis fuit fastidio, dicentibus, Nauseat anima nostra à cibo, isto leuissimo. Item sapor illius erat, sicut panis pisti cum oleo, ita Christus est panis misericordiæ, quia venit in mũdum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus, &c.

¶ Appellauerũt porrò stupentes hoc mã na videntes Hebræi, & dixerunt, Quid hoc? At verò quanto stupore vehementiori nos oportet teneri, diuinam potentiam, diuinamque sapientiam, diuinamque charitatem, contemplantes mirabiliter, imò ineffabiliter humani spiritus antidotum incomparabilem operantia in exiguo pane hostiæ, & in exiguo sacrato calice? Proh stupendum angelis nedum hominibus mysterium, quod substantia panis tota, tam eius materia, quam forma conuertatur in corpus Christi, itidemque substãtia vini, in sanguinem Domini, & quod ex hac conuersione panis in corpus Domini, nulla accedant incrementa, corpori Christi, neque variatio vlla, aut mutatio, vt neque sanguini ex conuersione vini in sanguinem Domini. Quia non est hæc conuersio instar conuersionum naturalium, quæ nõ fiunt sine mutatione eius, quod conuertitur, & eius in quod conuertitur, vt si vesceris pane, panis in carnem nouam conuertitur. Quia noua fit caro ex pane comesto, nouusque sanguis. Panis enim materialis, non solum conuertitur in carnem, & ossa, sed etiam in sanguinẽ, secus autem est in hac admiranda conuersione, substantia namque panis, nõ in sanguinem conuertitur Domini, sed solum in corpus Domini.

¶ Est sanè sanguis ibi sub panis specie ex concomitantia, at nõ ex vi conuersionis illius. Neq; sacerdos consecrans panem, in corpus Domini, consecrat in sanguinẽ Domini, aut consecrans merum in sanguinem, consecrat in corpus Domini: sed sicut consecrationes sunt diuersæ, ita & termini ad quos celebrantur consecrationes sunt diuersi, consecratio, scilicet, panis, ad corpus, & consecratio vini ad sanguinem Domini: quod si fas est ima componere summis, accipe tantæ rei familiaria exempla. Primum est, ex lege Partit. titulo de venditio. & emptio. Vbi habetur quod emens domum emit consequenter in domo affixa, vt abacum affixum, & hydrias si habuerit terræ infixas: ita qui consecrat corpus facit ibidẽ in hostia esse sanguinẽ, non ex vi consecrationis, sed quia est sanguis corpori annexus viuo. Et item qui emit electuarium, *Conserua*, Hispanè, emit vas in quo est: ita quia sanguis Christi, est in corpore consecrato sanguine, est ibi corpus.

Consecratio panis diuersa à consecratione vini.

¶ Et demum quod huius Eucharistici mysterij maiestatem cũ prædictis auget, hoc etiam est, quod cibus hic, atque potus nõ subeunt aliorũ ciborum legem. Et enim cibo, & potu hoc est natiuum transmutari in substantiam comedentium, atque potantium. Porrò caro Christi, & sanguis eius, non transmutantur in substantiam fidelium comedentium, & potantium, sed potius fideles vtentes tanto sacramento, transmutantur, vel transformantur quodãmodo in ipsum, quem mãducant Christum. Est autem hæc in Christum transmutatio noua quædam vnio ex hoc cibo & potu cum Christo, omnes enim dignè manducantes panem hũc cœlestem cum Christo, & nouã spiritualem ineunt amicitiam, nouamque sortiuntur vnitatem. Vnde Paulus, Vnus panis, & vnũ corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. 1. Cor. 10. Quasi colligens fideliũ adunationem, spiritualẽque vnitatẽ & pacem, ex esu vnius carnis vniusque sanguinis Christi potu esse. Et enim si omnes fideles ex esu sacramẽti huius vniuntur cum Christo, necessum est, vt inuicem vniantur. Nam quæ vniuntur vni tertio, inuicem quoque vniuntur. Non tamen tibi imponat D. Hilarius, in homilia quæ legitur feria. 4. infra octauas festi

Maiestas Eucharistici mysterij ex multis collecta.

Vnitas fidelium ex vtu vnius sacramenti.

Hilarius exponitur.

festi Corporis Christi, dicens. Vnitatem hanc Christi cum manducantibus corpus Christi esse naturalem. Quod autem in nobis naturalis hæc vnitas sit, ipse ita testatus est. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinẽ meum, in me manet, & ego in eo. Et Cyrillus Hierosolymitanus episcopus idem videtur præferre dicens mysterijs fidei digni redditi, concorporei, & vt ita dicá cõsanguinei Christi facti estis. Et legitur in octaua Corporis Christi, idẽque expresius innuit Cyrillus Alexandrinus, tractãs verba, Qui manducat meã carnem, &c. docet nos cõmisceri Christo per Eucharistiæ cõmunionem, vt si quis cæræ liquefactæ, aliam infuderit cæram idem Chrysosto. sermo. de Eucharistia. Propterea inquit se nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit. Et lẽ gitur sermo hic infra octauam indicatam. Vnde quidam collegerunt Christum nobis naturaliter per sacramentum hoc vniri, sed falso. Nam siue Hylarius siue alij indicati patres intellexerunt per incorporationem, & cõmixtionem per naturalẽ vnitatem, realem vnitatem. Namque adiecit Hylarius, Viuit ergo per patrem, & quomodo per patrem viuit eodem modo nos per carnem eius viuemus. At certum Christum vt homo est per gratiam vnionis viuere, igitur nos per gratiam Eucharistiæ viuemus, nõ ergo est naturalis vnio nostri cum Christo, sed gratiosa. Et Augusti. locum hunc, Ego viuo propter patrẽ, ad gratiam vnionis retulit, & si etiam referri posse non ambigat ad vnionem naturalem patris & filij. Cæterum Hylarius de gratia vnionis locum videtur intellexisse, Hebræi porro suum illum panem demirati, appellarunt Manna, quam cognominationem sua admiratio imponebat, multo autem congruentiore ratione fideles Eucharisticum panem, manna appellare possunt cælestem. Nam si Hebræi illum suum panem videntes dixerunt. Quid hoc? nos credentes Eucharisticum panem, meliore ratione interrogare possumus, Quid hoc? Et hanc interrogationem mortalium nemo soluet, nisi illustratione diuina doceatur. Namque occultissimum est Eucharistiæ mysterium, & sensui, & imaginationi & naturali hominum rationi, sensus namque, panis albedinem, & figuram ibi solum nouit, & imaginatio sensum secuta, idem imaginatur: & demũ ratio naturalis sensus imaginationis pedissequa, idem iudicat ibi panem esse atque vinum, quia horum accidentia ibi esse intuetur, vt supra tangebatur. At vero solius fidei magisteriũ hanc interrogationem soluit, Quid hoc? Fides igitur respondet quærentibus, Quid hoc? dicens hoc esse memoriam Dominicę passionis, Hoc, ait, facite in meam commemorationem, quia est fides mysterium. Hoc esse fidei christianæ stabilimentum, hoc esse charitatis fidelium incrementum, quia ex nimia charitate fuit institutum, hoc esse spei nostræ ad celestia erectionem, hoc esse æternæ venturæ hæreditatis pignus, vt canit Ecclesia, O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ pignus datur, hoc esse Ecclesiæ catholicæ firmamentum, hoc esse martyrum victoriam, vnde teste Cypriano, olim si subeundum erat martyriũ hoc sacramentum erat arma, hoc esse beatorum delectamẽtum, hoc esse viatorum robur, atque solamen.

Eucharistiæ glorioſa enchomia.

¶ Triplici namque nomenclatura donatur hoc sacramentum, vocatur enim Eucharistia à verbo εὐχαριστιο, ideſt, gratias ago, siquidem Dominus instituit hoc sacramentum gratias egit, ideo Eucharistia idem est, quod gratiarũ actio, aut gratiositas, seu gratia interprete Hieronymo.

¶ Item vocatur synaxis, ideſt cõmunio, quippe quod est sacramentum vnitatis & pacis. Vt in secreta oratione missæ huius festi docetur, Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine vnitatis & pacis propitius dona concede quæ sub oblatis muneribus mysticè designatur. Vnde panis ex multis granis coalescit, vt vinum ex multis acinis conflatur.

¶ Rursus vocatur viaticum, quia viatoribus viam spiritualem terẽtibus, hoc datur in eduliũ. Vnde canit Ecclesia se noscens dat in socium, se conuescens dat in eduliũ. Vnde igitur quale edulium huius cælestis conuiuij, quia agnus est qui tollit peccata mundi. Erubescat igitur talis edulij conuiua lupinos huc deferre mores, sanctus sanctorum est, erubescat maculatam ferre mentem, & ita de reliquis.

¶ Vnde satis liquet in hoc sacramento, esse fontem vitę, in hoc esse fontem gratiæ, in hoc esse nutrimentum infantium spiri-

Chriſtus non vnitur naturaliter cum comedẽtibus eucharistiã contra quoſdam qui hoc tempore iſtud aſſeuerabant.

tualiter ex baptismo genitorum, in hoc esse denique Christum, omnium bonorum autorem, siquidem in Eucharistia verus continetur Christus, vnde hoc solo nomine, præstat cunctis sacramentis, quia idem sub vtraque specie panis & vini, & is ipse qui in cælis regnans beatis animabus est conspicuus, est etiam sub panis & vini specie viatoribus sane occultatus, fidelium est nihilominus diuinus cibus, atque potus.

¶ Ascēdens namque ad æthera Christus, & suum corpus, atque sanguinem inferēs sideribus, noluit prorsus ecclesiam suam, quam sanguine suo sibi parauerat orbari sua præsentia reali. Ideo fidelibus voluit se facere in Eucharistia præsentem, & infidelibus absentem. Fidelibus namque fit ibi præsens, quia fideles fide edocti nouerunt post consecrationem, ibi Christū veraciter contineri, infidelibus verò abest Christus, quia infidelitas inficiatur in Eucharistia verè Christum esse. Fidelibus igitur Eucharistia panis pinguis est præbens delicias sanctis, calixque maxime præclarus inebrians nos immortalitatis amore. Panis sanè pinguis, calixque præclarus, inebrians mentes sanctorum, & non à vino, sed ab Spiritu sancto, & illas impinguans, non terrena pinguedine, sed cælestibus Spiritus sancti charismatibus. Quāto enim cibus & potus est nobilior, tanto meliorem facit corporis habitum comedēntium, & bibentium. Et enim si perdicibus phasianis, gallinis vescaris, si pocula vini selectissimi haurias, egregiam tibi parabis corporis complexionem. Qua propter si hoc diuino cibo, quæ est Christi caro, si hoc cælesti poculo, quod est Christi sanguis, ciberis, atque poteris, diuinos dubio procul tibi mores parabis. Cæterum si non praueris, non est cibi, vel potus vicium: quippe quæ planè sunt diuina, sed manducantis, & potantis, vicium esse puta. Manducauerunt carnem Domini, & biberunt eius sanguinem in nouissima cæna omnes Apostoli: at non omnibus vitalis fuit ipsa vita, non omnibus salubris, ipsa salus, sed Iudæ proditori mors fuit, & perditio. Nam post cōmunionem sacrā corporis, & sanguinis Christi à cœna exiuit prodituru Christum Iudæis. Et quod erat illi porrectum ad conciliandam amplius Christi amicitiam, ipse vertit sua iniquitate, ad consummandam Christi inimicitiam. Vt enim prosit cibus, comedenti, & potus bibenti, nō sat est, ipsa cibi & poculi, nobilitas, sed necessaria est comedentis, vel bibentis aptitudo. Da perdicem febricitanti, & febrem ad maiores flammas excitabis. Da pleuriticovinū, vel electissimum, & pleuresim proritabis vehementius. In quem propemodum, & si caro, & sanguis Domini, vita sint, & salus mentium, cæterum non omnibus, vitam, & salutem, sed diuersa præstant. Namque inquinatis mentibus, non conciliant vitam & salutem, sed potius dānationem. 1. Corinthio. 11. Mundis autem mentibus, per contritionem, & confessionem tanto esui præparatis, Eucharistia vitalis & saluberrima est, & huiusmodi mentibus miranda emulumenta affert. Pœnas namque debitas ob crimina confessa in re, vel in voto, quorum nondum fuit absoluta satisfactio Eucharistiæ vsus relaxat, & venialia, quę facere non est animus soluit. Plura produxissem de tanto arcano, nisi in. 4. sent. abūde disseruissem, pro captu nostro rem hanc, & in declama. ad Esaiam. Nisi velis, hęc quæ dudum cōmemorabā, de efficacia Eucharistiæ, confirmare testimonio Cyrilli Alexandrini episcopi, qui in homilia de corpore Domini, ad hunc modū loquitur. Sedat, cum in nobis manet Christus sæuientem membrorum nostrorum legē, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit ægrotos curat, cōllisos tedintegrat. Et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouib⁹ posuit, ab omni nos erigit casu. Quæ sunt vera omnia de digne manducātibus, nam indignis quid accidat Paulus docet dicens. Propterea sunt multi infirmi, inter vos, & imbecilles & dormiūt multi, vt enim sol, iuxta variam subiecti affectionē, variam sortitur operationem. Liquat enim cæras, & densat lutum, ita Eucharistia dignè sumentes corroborat, & indignè sumentes amplius debilitat, ad ambulandum in præceptis Dei, vt supradictum est.

Eucharistia mundis mentibus est vitalis, & saluberrima immundis noxia.

ad Ephe. 5. Eccle. 29.

Eucharistiæ vsus diuinos parat vtenti mores.

ENARRATIO PRIMA
in Caput septimum.

¶ *Post hæc autem ambulabat Iesus, in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare.*

Postquam

POSTQVAM pauerat ex quinque panibus & duobus piscibus turbas, postquã alium panem, & aliud multo excellentius, ex carne, & sanguine suo ostenderat cõuiuium verſabat adhuc Galilæam, discurrens per synagogas Galilæorum, & ibidem prædicans regnũ Dei, quia non erat illi animus tunc versandi Iudæam: cur autem versabat alienam, & non propriam prouinciã, & rationem subdit Euãgelista. *Quia Iudæi quærebant eum interficere.* Non sane, quia ipse timebat Iudæos, siquidem spontaneã subiuit mortem, & non coactam. Et qui ventis, & mari imperabat & obediebant ei, quid timuisset Iudæos? Quid quod Dominus alioqui vitæ & mortis erat. Verum quia disposuerat non pati tunc, sed præscripto a sua diuinitate tẽpore, ideò expectans opportunam subeundę à se passioni horam, nolebat versare Iudæam subsignificat Ioãnes Dominũ fecisse pascha Hierosolymis, & deinregressum in Galilæã, neque apud Hierosolymitas agere, sed solum apud Galilæos. Si autem vt Nicolao placuit, Dominus hoc pascha quod commemoratur cap. 6. Christus non celebrauit sensus est, post hæc adhuc versabat Galilæos nolens in Iudæa versari. Ambulare hoc loco idem est, quod versari, & est phrasis consueta scripturæ, vt in psal. 10. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, idest, qui versant legẽ Domini: pro Galilæam, lege Galilæa, & pro Iudæam, Iudæa. Erasmus indicat lectionem ex Chrysostomo, legenti, pro nõ volebat, non valebat, & est facilis delapsus ex voce, volebat, in alterã valebat. Cæterum lectio vulgata, est magis probanda, quam etiam Theophilactus amplectitur. Quanquam non est absimile huic lectioni quod in Marco legimus, cap. 6. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum. Sicut ergo non poterat in Nazareth miracula facere, non ex impotentia sua, sed impediente incredulitate Nazaræorum, sic & modo non poterat versari in Iudæa, prædicando, & sermonem euangelicum confirmando miraculis, obsistente tanto negocio absoluẽdo, perfidia Hierosolymitarum. Cæterum quanquam lectio B. Chrysost. verũ habet sensum, non tamen est authentica lectio, sed vulgatam oportet probare, ex cõmuni consensu interpretum. *Erat autem in proximo festum Iudæorum scænopegia.* Manifestum videtur interdenarrata à Ioan. cap. proximo, & quę modo denarrantur, multa alia egisse Dominum, Matth. 15. & Mar. 8. quæ à Ioanne non referuntur. Siquidem conuiuium ex quinque panibus, tẽpore propinquo, paschali festo fuisse celebratum Ioannes, cap. 6. dixerat. Quia igitur id temporis, vt supra dicebam, paschale festum incidit tertia die aprilis, at festum tabernaculorũ erat inchoandum mense Septẽbri die. 10. fluxerant ferè sex menses, inter ea, quæ referuntur, cap. 6. & quæ recensentur hoc cap. 7. Aduertes autem, vt supra commemorabam, tria fuisse Iudæis celeberrima festa, & festum azymorum, quod erat paschale agni festum, & festum scænopegiæ, quod erat tabernaculorum festum. A quibusdam scribitur cum aspiratione scænophegia, schenopesia reclamante tamen Græcanica scriptura. quæ sine aliqua aspiratione, scribit scænopegia, idest, fixio tabernaculi à sceni, quod est tabernaculum, & pigo, quod est figo: vnde ride dicentes à sceni, & phagin, quod est comedere deriuari: & demũ festum Pentecostes, quod subsequebatur festum azymorum.

¶ Hęc tria festa celebrabãtur ob suas causas. Primũ in laudes diuinas obingẽs beneficium, quod impendit Iudæis, illos educens de ergastulo Ægypti in terram manantem lac, & mel. Secũdum vero quod erat Pentecostes, ad gratias Deo soluendas quod gentem Hebræam introduxerit in terram promissionis. Tertium denique in monumentum peregrinationis Iudæorum in eremo, vbi habitabant in tabernaculis quibusdam ve tentorijs mobilibus: & vt gratias Deo agerent, propter reconditos mense Septembri fructus, & vina iam expressa ex torcularibus, & recondita in vasis suis. Fit hărũ. 3. solennitatum mentio, Leui. 23. & Nume. 18. & Exodi. 12. *Dixerunt autem fratres eius ad eum, transi hinc & vade in Iudæam, vt discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis.* In apostolico cœtu erãt quidam consanguinei Christi Iacobus, Simon & Iudas, & extra hunc cœtum, erant etiã alij Domini consanguinei. Fratres igitur hoc loco nõ significantur filij Ioseph,

Diuina potestas ex incredulitate nostra impeditur.

vt

vt credit Theophilactus, sed Christi consanguinei ex parte matris eius Mariæ. Isti ergo fratres Domini nō erant de numero duodecim, sed vagabantur extra hunc numerum. Et freti cōsanguinitate audacter loquūtur Domino, & insolenter de Christo humanam opinionē habentes: ipsum, scilicet, esse gloriæ inanis auidum. Et rapiunt loquendi occasionem, quia tempus aduentabat quo erat eundum in Hierosolymam, propter festum tabernaculorum ideo dicunt, Transi hinc: hoc est, quando quidem seculi gloriam, humanasque laudes queris exoperibus, & doctrina tua, cur quiescis in Galilæa, & nō festinas ire Hierosolymam, vbi sunt doctores, & principes sacerdotū, & templi magistratus: qui probantes gesta, & dicta tua magnam inde consequeris apud omnes laudem. Rursus ibidem sunt discipuli alij tui, qui non secuti sunt te in Galilæam, sed ibi manserunt in Iudæa, illis placebit admodum videre opera tua, & audire doctrinam tuam. *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifestate ipsum mundo.* Nemo opera gloria digna occultè facit, si tamen intendit manifestationem sui nominis, apud homines. Cum ergo tu intendis hanc manifestationem tui nominis apud omnes homines, cur apud Galilæos solum versaris, & apud eos glorioſa opera facis? Galilæam vocant isti occultum locum, conferendo illam ad Hierosolymam, siquidem Hierosolymis erat templum celeberrimum toto orbe, erantque confluxus ex omni natione ad visendum templum illud, & ibidē offerendum erat Deo quod ipse iubebat offerendum. Et tum maxime, quando festiuitas illa solennis aderat tabernaculorum. Ad hæc in ciuitate illa erant pontifices Iudæorum, & procuratores Romanorum, ideo aiebant isti manifesta te ipsum mūdo. Quippe ob causas cōmemoratas Hierosolyma metropolis Iudæorum mundus appellatur.

¶ Sunt qui credant hos hæc dixisse Christo ex inuidia, & animi peruersitate: quippe cupientes Christi doctrinam patere calumnijs, itemque miracula, suadebāt Domino concedere Hierosolymam, quia ibi scribæ legis poterant Christum calumniari, & opera eius obiurgare: quia potentes & sapientes erāt: id quod non poterāt Galilæi præstare, quia neque adeo sapientes, neque potentes erant. Aut forsan verisimilius est, non ex Christi inuidia hæc dixisse, sed ex inanis gloriæ cupiditate. Enim vero cum essent Domini cōsanguinei, studebāt Dominū glorioſum esse Hierosolymis, & in Iudæa, vnde fama nominis eius in mundum peruolasset. Quia si Hierosolymis à pontificibus, & doctoribus legis probarentur Christi doctrina, & miracula, magnam sibi gloriam consequerētur inde consanguinei Domini. Putabant autem isti Dominum ex formidine doctorum & principum Iudæorū non versare Iudæam, sed solum Galilæam, & ideo aiunt. Si hæc facis. &c, ideſt, si vera sunt miracula, quæ facis, & in nomine Dei facis illa, manifesta te ipsum Hierosolymis, vt gloriam & laudem inde consequaris. Aut poteris exponere horum verba vsurpando, si, pro quia. Hoc est, Quia hęc facis mirabilia, fac nō in angulo, quod est Galilæa, sed in facie totius orbis, quæ est Hierosolyma. Et quantum coniectare licet videtur, quod isti, & alij forsan se cum agitabāt quæstionem, cur Dominus magnifica quæ faciebat, non faciebat Hierosolymis, sed apud Galilæos? Et sibi respondebāt, hoc eò factum, quò Dominus formidabat Iudæos Hierosolymitas. Vnde resultabat apud quosdam horum opinio Dominum Hierosolymitas formidare forsan; quia non vera edebat miracula, & idcò fugiens reprehensionem, nolebat concedere Hierosolymam. Alij verò contra credebāt, vera esse Domini miracula, & doctrinam veracem, at verò, quia Dominus reprehendebat Pharisæos, & scribas, timens potestatem horum ne morti eum traderent, ideo non petebat Hierosolymam. Variæ igitur ferebantur apud hos sententiæ, cur vt commorabatur in Galilæa, non cōmorabatur in Iudæa, cum alioqui Iudæa esset Domino, natalis prouincia. Et hæc placitorum varietas inde procedebat, quod isti Dei mysteriū ignorabant. Et quod apud gentes significatas per Galilæos, esset euangelium recipiendum, & à Iudæis explodendum, vt Psaltes prædixerat, In Idumæam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ subditi facti sunt & sæpe alias. Et præter hæc Iudæi continuo ab exordio Christi prædicationis conceperunt inuidiam, & odiū contra Christum. Galilęi non item.

Et

Et ideo illi seseindignos reddiderũt, quod Christus apud eos demoraretur, ideò ad Galilæos se transferebat. Cur autẽ apud Galilæos, & non apud alios, quandoquidem erant multæ aliæ prouinciæ sub Iudaismo, ille nouit, qui secundum sapientiam suam omnia moderatur, *Nemo quærit in occulto esse, &c.* Verba hæc videntur ex duplici capite Christũ accusare, & quod ipse erat formidolosus, & rursum quod ambitiosus. Etenim operari in occulto videtur formidini tribuendum: & quærere palam esse, videtur in gloriæ ambitionẽ referẽdum. Christus autem prorsus abhorrebat ab vtroque, quia non omnino in occulto operabatur: siquidẽ apud Galilæos operari non erat in occulto operari, neque ipse gloriam inanem quærebat. Ego ait, gloriam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. *Et quærit ipse in palam esse* Græcè καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. Et quærit ipse in libertate esse, hoc est, libere, & audacter loqui, vel, vt Chrysostomus exposuit in palam esse, idest, celebrem esse, & glorioſum apud homines. Et hoc videtur intellexisse ex verbis suis isti Christi consanguinei. Erasmus discutiendum relinquit, si apud probatos autores, reperiatur, in palam esse, sicut in coram esse, & insinuat sapere barbariẽ. Vnde in sua editione, non transtulit in palam esse, sed palã esse. Et interpres Theophilacti eodẽ modo, & Cyrilli traductor, item traduxit palam esse, & non in palam esse. *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Demonstrat rationem euangelista, cur isti cõmemorati fratres Domini insolẽter locuti fuissent contra Christum, illi irrogantes iniuriam prædictam. Et causam subdit fuisse, quia non credebant fratres in Iesum: hoc est, non habebant rectam existimationem de Christo. Putabãt enim Christum esse purum hominem, & affectibus humanis duci vt cæteros homines. Vnde cogitabant Dominũ ex parte vna formidolosum, aut meticulosum esse, & ex altera parte auræ popularis cupidum. Et in omnibus fallebãtur huiusmodi cogitationibus, vt supra dictum est. Per fratres autem dicebamus dudum, consanguineos Domini esse intelligendos, non filios Mariæ & Ioseph, aut filios Ioseph ex altera vxore, sed virginis matris consanguineos, appellat euangelista nunc fratres Domini, etiam si vt iam pridem dicebam, hoc vocabulum fratres latius patet in scripturis. *Dicit ergo eis Iesus, Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Respondit Dominus sibi germana mansuetudine fratribus suis dicentibus, Transi hinc, & ait. Tempus meum nõdum aduenit, hoc est, transeundi in Iudæam non est modo tempus opportunum. Ego enim scio quis sit temporis articulus, quæ ve sit opportunitas transeundi hinc in Iudæam. Et cum opportunitas adfuerit transibo: nunc autem nondum accesit hæc opportunitas. ¶ Vobis autem, qui non ducimini ductu Spiritus sancti, semper quãdo libuerit est opportunitas transeundi hinc in Iudæã. Obserua autem verba Domini esse referenda ad transitum ex Galilæa in Iudæã, & tempus huius transitionis ait, nondum accesisse. Cæterum aduentus sui in mundum tempus iam aduenerat, quando ipse natus est. Vnde Paulus quãdo venit plenitudo temporis misit Deus filium, natum ex muliere factum sub lege. Augustinus verba præfata retulit non ad tempus mortis & passionis, vt Chrysost. & Theo. sed ad tempus glorificationis Iesu Christi in die iudicij. Quasi dixisset, Tẽpus meæ glorificationis nõdum aduenit, vestris autem cupiditatibus explendis & voluptatibus absoluendis, semper tempus est paratum. Videtur autẽ germanior interpretatio, & simplicior, Tempus meum transeundi ex Galilæa, in Iudæam, nõ est modo opportunum, quousque Spiritus sanctus, cuius ductu sum transiturus transeũdum esse me monuerit. Vobis autẽ semper est opportunitas, quando suggesserit vestra libido illo eũdi. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.* Quando in Iudæam vos contuleritis vestri contribules, & amici, & socij lætabuntur ex vestro aduentu. Enim verò, vos estis amatores mundanarum rerum, & ipsi quoque eadẽ amant, & vos & illi ob hanc causam mundani estis, & omne animal diligit sibi simile: quo circa inter vos & illos est amicitiæ humanæ nexus. Ad meũ tamen aduentum non gaudebunt, sed dolebunt: quippe ego mundana non quæro, sed illa fugienda esse doceo, quia ego mundanorum sum inimicus, & vnũquodque odit sibi contraria. Ideo me mundani homines

quales

quales sunt ij qui Iudæam colunt, odio habent, & me præsente excitabuntur ad grauiora odia. Propterea igitur non verso Iudæam frequẽter, vt Iudæorum odiũ declinem. Cæterum tandem odium iniustum ipsorum, ego cõtemnam, quando opportunitas adfuerit ex qua moriẽdum mihi erit pro humani generis salute: interim tamen odia Iudaica declinabo.

¶ Vnde nobis exemplum exhibetur, quãdo necessitas non exegerit fidei, aut fraternæ charitatis, declinare quo ad licuerit aliorum inuidiam: at verò si necessitas poposcerit, tunc proculcanda sunt humana odia, & odiat qui volet, nihilominus operemur quod oportet. *Testimonium perhibeo.* Solus Christus potuit iudicare seculi huius iniquitatem, quia ipse solus est patris sapientia, & ipse solus incontaminatus, & plenus Spiritusancto, quia Deus & homo est. Homines verò nõ possunt testari quã mala sint opera hominum. Quia omnes nati sumus filij iræ, & ignorantes sumus ex nobis ipsis eorum, quæ Deo placita sunt: ideo, nisi diuinus affulserit radius, non possumus intelligere, quantũ sit operum mundanorum venenum. Vnde dixit ille, Delicta quis intelligit? Vtique Christus intellexit, & cæteri, quos afflat spiritus Christi, vt hoc intelligant & doceant. Quod verò ait, non potest mundus odisse vos non tollit arbitrij libertatem, sed verba hæc in sensu hypotetico sunt capienda. Non potest mũdus vos odisse, hoc est, quandiu mundani homines, sunt mundani, necessum est, vt alios mũdanos ament & spirituales odio habeant. Cæterum mũdanus homo, ex libertate, arbitrij, iuuante Christi gratia potest mundana post habere, & cælestibus inhiare, & tunc mundanos non amabit, sed cælestibus acquirendis incumbet. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum.* Græcanica lectio quæstionem tollit ex verbis istis subortam cum sequentibus. Quippe hîc Dominus ait, Non ascẽdam ad diem festum, & dein subditur, Dominum ascẽdisse, id quod collisionis esse videtur. Porrô litera Græca habet οὐπω, nondum ascẽdam, & dirempta est omnis collisio. Non enim absolute dixit non ascendam, sed nondum ascendam. Quia dixerat paulo ante, Tempus meũ non aduenit. Aut respondere oportebit, Non ascẽdam vobiscum, sed semotus â vobis. Ascẽdite vos, quia ego non ascendam in vestra societate. Dies autem festus, vsurpatur pro ipsa festiuitate: siquidẽ festiuitas scenopegiæ octo durabat dies, qui omnes erãt ipsa festiuitas. Quare, Non ascendam ad diem festum, tu intellige ad festiuitatem scenopegiæ. Græca nãque vox, quæ hic scribitur ἑορτὴ, significat festiuitatem, siue festum. Et eandem vocem scripsit Ioãnes post modum & interpres etiam expo suit per diem festum, & non per festum: et si infra transtulit festum, & non diem festum. *Hæc cum dixisset mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius tunc & ipse ascendit, ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.* Hoc gestum Domini vanos esse ostẽdit fratres commemoratos Domini, qui Dominum existimabãt inanis gloriæ aura capi: siquidem Dominus noluit venire ad natalem prouinciam magna stipatus caterua consanguineorum, & discipulorum, id quod summopere prætendunt mortales si eis licet, quando ad propria remeãt, magna ingredi consanguineorum, & amicorum pompa. At Dominus suos cõsanguineos noluit in comites: ideo post quam illi ascenderunt, ascendit Dominus cum Apostolis suis. Et rursus si Dominus meticulosus esset, vt illi vane obiectabãt, fratrum suorum amaret comitatum, vt ipsum defenderẽt, id quod Dominus neglexit. Est autem obseruandum hunc regressum ex Galilæa in Iudæam fuisse eundẽ, quem scribunt Matth. 19. dicens, Et factũ est cũ consummasset Iesus sermones istos migrauit à Galilea, & venit in fines Iudeæ trans Iordanem. Et Marcus. 10. ait, Et inde exurgẽs venit in fines Iudææ vltra Iordanem. Et Lucas, cap. 9. scripsit. Et factũ est dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Hierusalem. Quippe ex Galilæa transeundum erat per Samariam, & Dominus tunc misit nuntios ad Samaritanos, vnde colligitur fuisse tum Dominũ in Galilea. Itaque ascensus iste, cuius mentionem facit Ioannes, est idem cum migratione ex Galilæa in Iudæam, quam cõmemorant cæteri euangelistæ. Et fuit commigratio hæc in Iudææ fines primo, deinde circa medium festum venit in metropolim Iudææ, scilicet Hierosolymam celebraturus festum scenopegiæ, & tandẽ sub paschali tempo-

Solus Christus potuit testimoniũ perhibere quod mundi opera sunt mala.

Concordia euãgelistarũ.

tempore crucis mortem laturus. ¶Quod vero non manifestè, sed velut in abscondito veniret ad festum, ideò fecit, vt rabiē inimicorum, vt homo declinaret. Vtramque enim suam voluit ostendere naturam & diuinam & humanam: diuinam miraculorum potestate, humanā autem ex operum humanorum infirmitate. Ideo ascendit quasi in occulto, vt hostilem furorem compesceret sua occultatione. Et qui poterat manifestus compescere, vt Deus, voluit vt homo, compescere occultos. Inimicorum enim furor manifestatione inimici, magis irritatur, quam mitigetur.

Christus vtrā que suā naturam mira arte hominibus patefecit.

¶Quod vero ait, quasi vel non significat diminutionem, sed potius veritatē. Quia re vera occultus venit Iudæam, vt Ioā. ait, ascendit non manifeste. Vel ex eo dicit. quasi in occulto, quia neque omnino manifestus, neq; omnino occultus. Quippe significare voluit non fuisse publicum & euulgatum Domini aduentum in Iudæā, quia non se prodidit statim in conspectū turbatum, sed apud priuatos, & sibi notos deliteſcebat. *Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus est, alij autem dicebant, non, sed seducit turbas.* Quoniam diuinæ legis erat præceptum, vt in scenopegia omnes venirent Hierosolymam festum acturi, ideo Christi inimici, vt haberent, vnde raperent calūniandi ansam, inquirunt an Christus celebraret festum cum illis: vt si forte non celebrasset excitarent tragædias Dominū Iudaica soluisse festa, & Dei violasse mandata. Vagabantur autem variæ de Domino sententiæ, vt ferè semper accidit de hominibus insignibus. Enim vero cū suis in facie & conspectu populi, quilibet opinatur de illis pro suo arbitrio, vt de regibus, quidam dicunt esse iustos, alij vero iniustos de literatissimis, quidam dicunt, esse veracis doctrinæ, alij vero falsæ. De Domino ergo quidam, qui erant boni viri, bona sentiebant, qui vero mali & inuidi, non item. Nam vnusquisque pro qualitate sua opinionē fert de alijs: siquidem auaris nō sunt grati liberales, vt neque falacibus, honesti. Vnde monet Ecclesiasticus, ne cum irreligioso viro tractemus de sanctitate, neque cum iniusto de iustitia, &c. Ideo Pharisæi, Lucæ. 16. quiā auari erāt Dominum misericordem reddebant. Quamobrem in turbis quidam erant morigeri, & istis Christus videbatur quod erat, alij verò discoli quibus videbatur quod non erat: quia liuidis oculis Christi opera videbant: ideo isti aiebant, Dominum seducere turbas.

Leuiti. 23.

Cap. 37.

¶Enim vero non penetrantes Christi doctrinam diuinam, tradētem carnem suam esse verè cibum, & se esse filium Dei verum, &c. dicebant hāc doctrinam esse nugacem, & seductoriam. Id quod sæpe euenit aliorum doctrinam non callentibus ex nimia profunditate: pronuntiant enim continuo esse impossibilem, & fallacem. Erat igitur murmuratio multa, de doctrina Domini in turbis illis ob causas prædictas. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.* Tu subaudi, nullus eorum, qui rectā fidem habebant de Christi operibus, & sermonibus palam seu manifeste, aut libere loquebatur rectam suā de Christo fidem, quia timebant Iudæos: hoc est, Iudæorum magistratus. Vnde videtur Iudæorum magistratus, iam præscripsisse tum pœnas ex statutis suis, aduersus eos, qui Domini laudarent doctrinā: alias non erat cur isti viri boni timerent Iudæos ex Christi laudibus. *Iam autem festo mediante ascendit Iesus in templum.* Hoc est, quarto festiuitatis die, Iesus ascendit in templum. Diximus enim festum hoc fuisse scenopegiam, & exordiū accepisse. 15. die Septembris, & durasse septem dies. Ideo Dominus quarto ascendens die festiuitatis ascendisse describitur ad medium festū. Hoc igitur sibi vult festo mediante, hoc est, sub media festiuitate. Et si Lauren. Et Erasmus reprehēdunt translationem hanc. Et obserua quod supra interpres verterat diem festū, modo aptius vertisse festum. Namque eadem dictio Græca ἑορτὴ, est vbilibet. Cur autem Dominus nō in principio festiuitatis, sed sub media festiuitate templum ascenderit, ratio videtur hæc, quia in exordio festorum est magnus turbarum confluxus, & comessationes, ludi, saltationes, & alia hoc genus à quibus vidēdis Dominus abstinuit. ideo quia sub media festiuitate, & turbæ declinauerāt. Et populares istæ voluptates ex festo erant iam temperatiores, ideo Dominus ascendit in templum sub medio festo. Quod si inanem affectaret gloriam, vt fratres eius temere putabant, in exordio

festi-

festiuitatis ascendisset, vt omnibus esset conspicuus, id quod non fecit, quia gloriã Dei, & non seculi fastum quærebat. *Et docebat.* Quamuis aduentus Domini in Iudæam nõ fuit manifestus: at verò postmodum ascendens in templum festum celebraturus se manifestum dedit, & ideo manifestè docebat, etsi Euangelista non explicat quid tum docebat. *Et mirabantur Iudæi dicentes. Quomodo hic literas scit, cum non didicerit.* Videtur quod hæc admiratio nõ sit ex pietate procedens, sed ex calumnia. Volebant enim Iudæi Dominum ex malo spiritu literas accepisse. Nam si Iudæi Domini miracula Beelzebub principi tribuerunt. Lucæ.11. quid mirum est, quod eidem & doctrinam tribuerint? Vnde Iudæi non admirantur Domini doctrinam, sed solum qua ratione docebat legẽ, legis proferens prophetarumque testimonia, cum neque legem, neque prophetas, ipse didicisset. Sciebant enim Iudæi Christũ non habuisse magistrum docẽtem, neque iuisse scholas iudaicas. Cognoscebant nãque Domini infantiam, atque vitæ progressum. Vnde dixit Nicodemus, Ioan. 3. Scimus quia à Deo venisti magister, insinuans Christum non fuisse humanitus, sed diuinitus edoctũ. Itaque Nicodemus non hæsitat, Christi doctrinam esse diuinitus acceptam, ideo nihil miratur dicẽs, Quomodo tu cũ non didiceris literas scis nihilominus literas, quia doces diuina? Iudæi vero quia liuore corripiebantur contra Dominum, ideo nihil de doctrina diuina mirantur, sed modum mirantur, quo modo cum non fuisset discipulus, euaserit doctor. Quare recte dixit Chrysostomus, hanc admirationem fuisse nequitia plenã. Hinc colliges Dominum Iesum, vt homo erat fuisse imbutũ à conceptione sua scientia omnium rerum. *Respondit eis Iesus, & dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Quia cogitabant Iudæi ex spiritu nequam Domini esse doctrinam, respondit Iesus, suam doctrinam esse non humanã, neque diabolicam, sed cælestem, & planè diuinam. Quod vt exponat, ait, Mea doctrina non est mea. Augustinus locum hunc nodosum esse arguitur. Quia si dixisset, ista doctrina non est mea, non erat locus quæstioni, at quia ait, Mea doctrina non est mea, ideò nodosus videtur hic Domini sermo. Nam ait, Mea, non est mea.

Christi doctrina à Deo nõ ab hominib⁹ fuit accepta.

Christus à sua conceptione fuit imbutus scientia omnium rerum.

Cæterum Augustinus verba hæc Domini exposuit dicens significare diuinã processionẽ Christi à patre: Christus namq; est ipsa doctrina patris, ipsaque sapientia, quia Dei verbum est. Sensus igitur est, Christũ non procedere à seipso, sed à patre, vt confundatur Sabellius confundens personas, dicens. Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnicam esse personam. Ideo Christus ait, se nõ esse à se ipso, sed esse verbum patris: quia doctrina alicuius est doctrina, & verbum alicuius est verbum. Ad hanc rationem exposuit locum istum homi. ad Ioan. At vero. lib. 1. de Trinitate, aliter elucidat, Mea doctrina non est mea: secundum aliud suam dixit, secundum aliud nõ suam. Secundum formam Dei suam secundum formam serui non suam. Chrysosto. verò aliter intellexit. Eò enim putat dictum, Mea doctrina, non est mea, quo intelligamus doctrinam, quam docebat Christus esse à patre, quam dixit suam, quia ipse docebat eam. At verò modus iste loquendi tritus est apud nos. Siquidẽ quilibet catholicus dicere poterit, & dicit rectè, mea fides non est mea, sed ecclesiæ: siquidem fidem possum dicere meam, quia illam profiteor, & non meam, quia illam nõ excogitaui, sed ab ecclesia accepi. Vt discipulus dicere poterit, scientia mea, non est mea, sed est magistrorum meorum. Idest, quod ego scio, nõ est ex meo cogitatu, aut inuẽtione, sed ex magistrorum autoritate. Demum sermo Domini, vulgatã habet loquendi consuetudinem. Tu interim obserua, Dominum, tam opera sua, quam doctrinã, semper retulisse in patrem autorem. Vnde aiebat, Pater in me manens, ipse facit opera Ioan. 14. & cap. 5. Non potest filius, &c. Et modo mea doctrina non est mea. Non enim quatenus homo gloriam suam quærebat, sed patris. Non quia ipse non operabatur miracula, aut non docebat doctrinam, sed quia principiũ, vnde omnia sunt pater est: ideo in patrem vniuersa referebat, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit.* Scite admonuit Arist. in Ethicis suis talia esse hominum iudicia, quales sunt ij, qui iudicãt. Enim vero iustis placent iusta, & iniustis iniusta, Malè enim cæcus iudicat de coloribus. Et Ecclesiasticus idem monuit, cap. 37. Auaris enim non placet liberalitas, & superbis

Variæ expositiones.

Cur Christus omnia referebat in patrẽ.

Talia sunt iudicia qualis sunt iudices.

ſuperbis diſplicet humilitas, &c. Quia ergo lex Chriſti ſancta eſt, nō tunc poterat, neq; poteſt modo placere Iudeis, vel alijs infidelibus nō ſanctis. Vnde impedimento erat Iudæis auaritia, & liuor & animi tumor ne in Chriſtū crederēt. Hoc ergo eſt, quod Dominus ait, Si quis voluerit, &c. Hoc eſt, ſi vos feceritis Dei præcepta, & deposueritis ex cordibus veſtris omnē inuidiam, omne odium, omnem tumorem, & reliqua, tum placebit vobis doctrina mea, & credetis eam eſſe diuinam. At vero tantiſperdum affectionibus peſsimis imbuti fueritis, nō poteritis credere doctrinę meę. Nam febricitans dulcia putat eſſe amara, quandiu humor febrilis linguam eius afficerit. Expurgata verò febrili affectione, de guſtādis rectum habebit iudicium.

¶ At forſan quiſpiā argutulus colliget ex loco iſto ſi homini conſtare poteſt doctrinam Chriſti eſſe à Deo, quomodo conſtabit. Ait enim, *tunc cognoſcetis Vtrū à Deo ſit.* Quippe à nobis ſi cognoſci poteſt eſſe à Deo, qua ratione cognoſci? num per fidē, an per experientiam? Quod ſi per fidem perinde igitur eſt ac ſi dicat ſi fueritis boni habebitis fidem meam. At vero prius eſt habere fidem, quam eſſe iuſtos, & bonos: quia ſine fide non accidit iuſtificatio. Per experientiam vero ſi dixeris homini conſtare poſſe doctrinam Chriſti eſſe à Deo, iam tum fidei meritum ceſſaret.

¶ Reſpondebis Dominū ſermonem habere modo, cum Iudęis, quibus impedimēto erat ne crederēt, cordis nequitia, ideoque Dominus monet, vt deponant animi affectus prauos, & tunc Dominus illuſtraret corda eorum vt crederent in Chriſtum.

Doctrinæ Chriſti veracitas ex ſola fide conſtat.

Vnde ſupra dixerat, c. 4. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis. Doctrinæ igitur Chriſti veracitas ſolum ex fide cōſtat, cæterum, vt hanc fidem habeamus, neceſſum eſt, vt diuinitus illuſtremur, quia fides donum eſt Dei. Et ſupra docuerat Dominus, Nemo venit ad me niſi pater meus traxerit eum. Ne autem illuſtremur, obſtat cordis noſtri obſtinatio, & prauitas affectus. Nō ergo neceſſe eſt nos eſſe prius iuſtos, vt fidē concipiamus, quia prior eſt fides quā iuſtificatio noſtra ſaltē natura, ac neceſſe eſt, ne obſtinati ſimus in prauis affectibus noſtris. Nā que tunc, vt luci ſolari impedimento eſt, oculorū clauſura, quippe clauſis oculis lux nihil proderit nobis ad videndū, ita ſi clauſi dimus oculos mētis noſtræ, repugnādo diuinæ doctrinæ, nō illuminabimur. Eſt autem obſtinatio multiplex, alia quæ vocatur cæcitas intellectus, quando ſic amat ratione naturalē, noſter intellectus, vt diuinę autoritati contradicat. Alia vero eſt voluntatis, quę quāuis diuinæ autoritati cedat in credendis, in amandis non cedit. Et hęc ſecunda obſtinatio non pugnat cum fide: quamuis momentum habet, illius expulſio, vt fides in nobis generetur. Verū non pugnāt fides, & hęc cordis obſtinatio, quia ſimul poſſunt eſſe, verbi cauſa, qui accedit ad baptiſmalem fontem baptizandus, credens Chriſto, at verò adhuc ſuū affectū circa peccata retinēs. Porrò prior obſtinatio repugnat fidei: implicat enim quod homo non cedat diuinæ autoritati in credendis, & quod credat. Dominus autē verbis iſtis, de vtraque hac obſtinatione videtur ſua intellexiſſe verba. Siquidem, quamuis ſecunda obſtinatio fidem admittat, at vero rarum eſt infideles obſtinatos in ſuis peccatis fidē ſuſcipere, quia maxima præparatio ad fidē noue ſuſcipiendam, eſt voluntas bona, ſeu deſiderium vehemens ad Deo placendū, & ad bene operandum: huiuſmodi enim Deus illuſtrabit ſua fide, vt quod deſiderant citra fidem, per fidē exequantur, & cæteras virtutes. *An ego à me ipſo loquar.* Hoc eſt, cognoſcet per fidem illi donatam, quod ego à me ipſo non loquor, ſiue quod doctrina mea eſt cæleſtis doctrina, à Deo patre mihi vt homini inſtillata. *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in eo non eſt.* Hæreticorū eſt, à ſe ipſis muſta confingere, & machinari, quæ ſuos diſcipulos doceant: quia non docent, quæ Deus, & Chriſti eccleſia docet, ſed ſua ſomnia vēditant, tanquā diuina oracula. Id quod erat olim pſeudoprophetarum dicentiū, Hæc dicit Dominus, Domino nō dicente. Ezechi. 13. Et rurſus Antichriſtus, quē nō mittet Deus, ſed ſua libido, atq; væcordia, hic ex ſuo loquetur extollens ſe ſupra omne quod dicitur Deus. 2. Theſ. 2. Hęretici, igitur ex propriæ gloriæ ambitione, & Antichriſtus itē proprię glorię ſtudēs, loquētur à ſeipſis. At vero Chriſtus, quia nō ſtudebat glorię proprię, ſed paternę quatenus homo erat, nō ex ſeipſo loquebatur: ſed quæ

Obſtinatio intellectus, & voluntatis.

Prophetæ vana videntes loquuntur ex ſuo tales ſunt hæretici.

sciebat, vt Deus loquebatur, vt homo. Quo circa verax est Christus, etiam vt homo est, & iniustitia nō est in Christo. Pharisæi autē, quia propriæ gloriæ acquirēdæ studebant vehementissime, & gloriā Dei nō intendebāt, quippe quidquid operabātur erat ad aucupandū humanam aurā, & vt hominibus placerēt, propterea erāt mēdaces & iniusti. Nāque testante regio vate, Qui hominibus placēt, confusi sunt, & abominabiles. Et Paulus cōcinit, si adhuc hominibus placerem Christi seruus non essem. Christus igitur, vt supra docuerat, non suā intendebat exequi, sed patris Dei voluntatem, item non suam parare, sed patris intendebat gloriam: propterea verax erat in doctrina, & iustus in operibus suis. Et verbis istis tacite carpit illorum sinistram cogitationē. Cogitabant nāque Dominū auræ popularis captari desiderio, cū potius ipsi Iudæi hoc laborarent morbo. Quippe cū pleni essent dolo & nequitia, vt ab hominibus honorarētur, multa exhibebant ieiunia, multasque fundebāt Deo preces. Ideoq; Dominus, Matth. 23. eorū callēs mentē, eos appellabat sepulchra dealbata: & ob hanc causam, sæpe monebat, vt mundarent internos animi affectus.

Psalm. 5. ad Gala. 1.

Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legē? Putabāt Iudæi Christū hostē legis Mosaicæ. Nāq; Ioā. 5. sanauit paralyticū ad probaticā iacentē piscinā in Sabbato. Vnde murmurationē aduersus Dñm texuerūt, quod violasset Sabbatum. Ideo Dominus, vt ab hac se assereret iniusta calūnia, iustam aduersus calūniatores obuertit modo accusationē dicens, Iudæos esse vere violatores legis Mosaicæ, & ideo nō posse Dominū accusare, de huiusmodi violatione. Nāque qui aliū carpit innocentē oportet esse. Et iusta hæc est Domini reprehēsio: siquidem Dominū calūniantur, quod Sabbatū violasset, quippe, sanitate donauit paralyticū cōmemoratū in Sabbato: at vero ista reprehensio, erat calūniatoria: siquidē Sabbatū solū prohibebat opera seruilia: at vero hominē donare sanitate erat opus diuinum, ideoq; lōge aberat à ratione seruilis operis. ¶ Porrò Iudei Dominū volentes occidere, & viduarum domos sub sanctimoniæ depredantes prætextu, & omne denique Dei iudicium peruertentes Lucæ. 11. Decimatis, ait, mentam, rutam, & omne olus, & præteritis iudiciū & charitatē Dei, verè violabāt legē Dei. *Quid me quæritis interficere?* Christo patebāt viscera putrida Iudeorū: ideō palā erat Christo Iudaicus animus occidendi eum, ideo ait, Quid me quæritis interficere? Quasi apertius dixisset, Lex Mosaica vetat innocentem, & insontē interficere, vos igitur me innocentē volentes interficere, non seruatis legem Mosaycā, Modo autē Dominus hoc solū insinuat præceptū de non occidēdo, quod dixit violare Iudæos: cæterum vt iam indicatū est ex Luca, ex multis alijs criminibus legem illam violabant.

Exodi. 24. & supra. 5.

Calūniatores non aduertētes suas grauissimas culpas leuiores in alios regerunt & eorum quos odiunt benefacta culpant.

¶ Et obserua, Dominū dicere Iudæos violare legem, ex animo solo occidendi, quippe tum nondum Christum occiderant. Igitur voluntas sola violabat legem, quo ad Deum. Hoc idem supra obiecit Dominus Iudæis, cap. 5. *Respondit turba, Dæmoniū habes, quis te quærit interficere?* Latebat Iudæos, quod Domino animi eorum cruēti paterent, ideo aiunt, Quis te quærit interficere? id quod alioqui animo dispositum erāt: & forte opere iam tentarant. Etenim paulo infra inquit Euāgelista, Dicebant ergo quidā ex Hierosolymis, Nōne hic est, quē quærebāt interficere. Quod sanè eò dicebant, quo cōsilia Iudæorū ad occidendum Christū, iam erāt nota illis. Aduerte autē Dño duo obiecisse Iudeos, & quod dæmoniū habebat, & quod mendaciū protulisset, dicendo, Quid me queritis interficere? Dominus autem clarè non diluit obiectiones has, sed obscure innuit esse falsas. Nō enim dixit, Ego dæmonium non habeo, id quod paulo post, cap. 8. erat dicturus. Neque dixit, Vere vos quæritis me interficere, siquidem, iam hoc occidendi Dominum consilium se proderat erga Hierosolymitas, vt dudum aiebam. Cæterum omnem sermonē suum dirigit Dominus, vt demonstret Iudæos, esse legis Mosaycæ transgressores, cuius tamen obseruantiam maximè iactabant, item vt demonstret se non esse legis transgressorē curādo paralyticum in Sabbato. Vnde, *Respondit Iesus, & dixit eis, Vnum opus feci, & omnes miramini.* Vnum miraculosum opus vestris oculis exhibui curans paralyticū, qui 38. annos degerat in paralysi, & omnes miramini, hoc est, & omnes offendimini. Namq; admiratio hæc non erat ex pietate, sed ex nequitia, vt iam commemorata significat scandalum, siue Iudæorū turbationem

tionē, & offensam. Quod vero nō essent offendendi ex facto illo subdit rationem. *Moses propterea vobis dedit circuncisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Et in Sabbato circunciditis hominē.* Argumentū Domini hoc est qui circūcidit hominē in Sabbato, vt sæpe tum accidebat, non violat legem, quia circuncisio illa erat sanctum opus, & animæ circuncisi necessarium. Quo circa non erat illud opus contra legem iubentē feriandum esse in Sabbato, igitur sanatio paralytici etiam si facta fuerit in Sabbato, non violat legem qui illum sanat, quia est opus magnæ misericordiæ ægrotum sanare. Opera autē misericordiæ, nō possunt violare diē festum Sabbati: imō festa hæc sunt instituta, vt vacemus diuino cultui, & fratrum subleuemus indigētias. Vt ergo circūcisio nō violabat Sabbatū in Sabbato exercita, quia erat cultus diuinus: ita sanatio infirmi non violabat Sabbatum in Sabbato donata ægroto, quia erat opus maximæ misericordiæ. Vt ergo qui eleemosynam contulisset pauperi in Sabbato non violasset Sabbatum: ita qui eundem pauperem sanasset. Quod si dixerint Iudæi, in alterū poterit differri diem huiusmodi medicatio, quid si interim moritur infirmus? Quid si fame interim perit? Hinc patent omnia sequentia. Quod vero ait, circuncisionem esse ex patribus, significat Mosen non fuisse primum, qui legem Dei promulgauit de circuncisione, quia Abraham fuit primus. Gene. 17. cui circuncisionis præceptum fuit promulgatum, & multo ante fuit à patribus obseruatum posteris Abrahæ, quam Moses, legem tulisset, de circuncidendis masculis. *Si circuncisionem accipit homo in Sabbato, vt nō soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Est autem Domini tale argumentum, nam si id quod magis videtur inesse non inest, neque id quod minus. Quod ergo magis videbatur soluere legem, erat circuncisio, quia hæc tollebat hominis sanitatem vulnerando hominem, & eiusdem integritatem violando præcindendo membri genitalis pelliculam: ideo magis videbatur circuncisio violare Sabbatum, quam sanatio paralytici, quæ erat restitutio quædam ad integram totius hominis sanitatē. Si ergo quod videbatur magis præseferre violationem non violabat, cur violat, quod minus videtur violare, vel breuius. vt Theophi. si circuncisio dolorifica non tollit Sabbatum, sanatio totius hominis suauis, cur tollet. Alij referunt hunc locum ad sanitatē animæ & corporis: circuncisio enim si sanabat animā ab originali peccato, corpus lædebat: at sanatio paralytici totū sanauit hominem secundū vtranque hominis partem. Verum Dominus verbis cōmemoratis nihil meminit de efficacia circuncisionis ad sanctificandū, sed solum agit, quod circuncidere genitalis membri pelliculā, quę dolorifica est, & ablatiua sanitatis illi⁹ mēbri, quia triduo sustinetur à circuncisione genitaliū grauissimus dolor nō est dissoluere festiuitatē Sabbati, neq; sanatio totius hominis, nō erit violatio Sabbati. In quā fere sentētiam est Theo. vt meminimus: itēq;, D. Cyrillus, ad eādem rationē fere locum exponit. Ait enim circuncisos Sabbato, esse curādos Sabbato, & curatio illa nō erat solutiua Sabbati. Si ergo curatio mēbri genitalis læsi ex circuncisione præputij, non soluit Sabbatū, quia erat in remediū doloris genitaliū, curatio nō partis, vel mēbri humani, sed totius hominis non erit etiā à fortiori solutiua Sabbatinæ festiuitatis. Imo si quis feria sexta circūcideretur, & Sabbato curaretur ad mitigandum dolorē ex vulnere mēbro incussum nō esset solutio Sabbati. Quāuis ergo Nicolaus retulerit locū ad sanitatē animæ & corporis, nō videtur literalis expositio, sed potius mystica. *Nolite iudicare secundū faciē, sed iustum iudiciū iudicate.* Lex erat Deut. 1. non esse iudicandū secundū personæ vultū, sed secundū personę meritū. Vnde ait, Nō accipietis cuiusquā personā, quia Dei iudiciū est. At vero hāc legē violabant Iudæi: siquidē Mosem mandantē circūcisionē in Sabbato (quia Sabbatū non est in lege exceptū à circuncisione) nō accusabant Iudæi, tāquam violatorē Sabbati: at vero Dominū, qui opus maximę misericordię & clemētiæ fecerat in Sabbato, incusabāt vt Sabbati violatorē. Vnde nō iudicabāt Iudæi secundum causæ meritum, sed secūdum personæ affectū. Mosem nō deferentes, & Christū accusantes, cū eadē esset in vtroq; causa vel accusandi, vel absoluēdi. ¶ Porrò forsan dices, Iudęos accusasse Dominū, quia precepit paralytico, vt tolleret grabbatū suū in die Sabbatino, & eundem paralyticum de eodem accusant, Sabbatū

Gene. 34.

Iudicium est ferendū secūdū causæ meritum, & non secūdum personæ affectū.

est,nō licet tibi,aiunt, tollere grabbatum tuum: at vero tollere grabbatum videtur opus seruile,& ideo nō esse sabbato exercendum. Cæterū ex hoc loco, satis liquet Iudęorū indignationem conceptā contra Dominū non fuisse,ex eo,quod paralyticus sustulit grabbatum, sed quia Christus sanitati restituit paralyticū. Ait enim Dominus,Mihi indignamini, quia totum hominē sanum feci in Sabbato? Porrò Iudęi nō ausi sunt dicere, Non tibi licet sanitatē accipere in Sabbato, quia erat ridēda calūnia, ideo cautius dixerūt. Nō licet tollere grabbatū tuum,quia videbatur quod ferre grabbatū,erat opus laboriosum,& seruile. At vero quia ferre grabbatū erat ad gloriā Dei demonstrandā ex sanatione mirabili paralytici, ideo nō erat illud opus seruile, sed maxime liberale. Porro sciscitabitur quispiā, cur Dñs opera huiusmodi in Sabbato celebrabat, vnde sciebat esse Iudæos offendēdos? siquidē huiusmodi sanationē potuisset differre in diē non sabbati.

¶Respōdetur Christū ex industria opera quædā mirabilia in Sabbato celebrasse siquidē volebat iam subsignificare tēpus iā aduētare,quo cęremonialia illi⁹ legis erāt delēda: & ideo ipse in Sabbato, operabatur quædā quæ videbātur maleuolis esse violatoria Sabbati. ¶Et secūdo, vt ostēderet scribas, seu doctores legis siniſtrum habuisse sensum diuinę legis,quæ iubēs Sabbatinā obseruātiā,non vetabat opera,quę erant vel nostrę necessitatis,vel diuini cultus. ¶Vnde Machabæi quidā sese permittentes hostilibus gladijs,ne Sabbatū violarēt,imprudēter egerūt:at verò qui Sabbato,arripuerūt arma & impetū fugauerunt hostilē. 2. Mach. 6. Sapiēti⁹ rē gesserūt: de circūcisiōe multa habes in. 4. nostro. dis. 1

Sabbati obseruantia nō vetabat quę erāt diuini cultus vel nostræ necessitatis.

Dicebant quidā ergo ex Hierosolymis, Nonne hic est,quē quærūt interficere? Ecce palā loquitur,& nihil dicunt. Non ergo erat prorsus occultū consiliū malignantiū de occidendo Dño, sed vulgatū iam erat apud quosdā, siquidē isti dicūt, Nonne hic &c. quod non dixissent,nisi iam cōsiliū illud immane, se prodidisset. Isti ergo, quos cōmemorat Euāgelista erant hæsitabundi in fide Christi. Etenim ex altera parte videbatur illis Iesum esse verè Messiā: quia videbant nunc Christū palā,hoc est liberè,& nullo principe Iudæorū impediente arguere principum iniquitatē, vt dudū dixerat, Nemo ex vobis facit legem. Ex altera vero parte colligebant nō esse verè Christū, quippe opinabantur Christi originē,futurā occultissimā. Ideo dicunt,Christus cū venerit, nemo scit vnde sit. Enim vero ex Esaia didicerāt generationē eius quis enarrabit. 53

¶Porro autē,Dominus Matth. 22. sciscitatur à Iudæis de Messia cuius erat futurus filius, & ipsi respondēt,Dauid. Vnde certū erat Iudæis Christum futurū ex propagine Dauid. Ideoq; rectè sciebant, Christū esse filium Dauid,& eum ob hoc vocabāt filium Dauid.

Origo temporalis Christi manifesta origo æterna occulta.

¶Vnde si obseruetur origo temporalis Christi nota erat Iudęis, quia eos non latebat,ex prosapia Dauid progenitum,& in Nazareth conceptum, & in Bethlehē natum. Veruntamen confessum erat Iudæis Messiam tantę esse futurum dignitatis,vt hominū superaret omniū excellētiam, & hoc isti insinuabant verbis istis, Cū Christus venerit, nemo scit vnde sit. Aut forsan hoc dixerūt,quia certum habebāt,originē Christi futurā occultā, quia legebāt, Descendet sicut pluuia in vellus. Psal. 7. Et rursus, quis poterit cogitare diem aduētus. Mala. 3. Quia ergo credebāt aduētum Messiæ in orbē terrarū futurū occultum, ideo dicūt, Christus cū venerit, &c. At re vera isti si intellexissent veritatē originū Christi scitè dicebant, quippe etsi origo Christi tēporalis erat manifesta, nō tamē omnino. Siquidem nemo nouit,nisi tanti operis autor Deus,quomodo Christus cōceptus fuerit sine virili semine,& quomodo per virginis vuluam integerrimam fusus fuerit in orbem. Et origo denique diuina,ex qua ante secula natus est de patre na Dei substātia, nulli mortaliū nota est, sed est absconditum omnibus mysterium. Sciebant ergo Iudæi vnde erat Christus, & nesciebant vnde erat. Sciebant originē & nesciebant originem, vt ex dictis patet. Hinc sequentia liquescūt. *Sed hunc scimus vnde sit, Christus cū venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ego Iesus, in tēplo docens,& me scitis,& vnde sim scitis. Et à me ipso non veni, sed est verus qui misit me,quē vos nescitis.* Quam variæ de Christo tunc iactabantur sententię apostolorum respōsum. Matth. 16. ostendit, Alij dicunt te esse Eliam, alij Hieremiam, &c. At vero Apostoli syncerā de Christo cōceperant fidem, quā professus est Petrus coapostolorum nomine, dicēs,

Ego

Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui: & idē Petrus idem supra testatus est. cap. 6. Ideoque, si ad collegium Apostolicum referas hæc verba. Et me scitis, & vnde sim scitis, vera sunt. Sed quia modo Dominus specialem nō habet sermonem cum Apostolis, quærendū restat, quomodo verum est, Et me scitis &c. cum Petrus dicat. Et nunc scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Actor. 3. Et Paul. 1. Cor. 2. Si regem gloriæ cognouissent nū quā crucifixissent. Porrò quod Iudæi Dominum cognouerint, parabola vineæ facile submostrat ex verbis illis, Hic est hæres, venite occidamus eum. Et in eadē parabola Matth. 21. traditur colonos vineę videtes filiū dixisse, Hic est hæres, &c. Si ergo viderunt filiū cognouerūt Christum esse filium Dei. Et Dñs, Ioā. 15 Nunc autem viderunt & oderunt me: si viderunt, igitur sciebant Iesum esse Messiam. Imo non solum hoc, imo videtur eos cognouisse Christi diuinitatem. Etenim Glossa ordinaria quæ est Strabi, enarrans hunc locum, Matthæi. 21. inquit Iudæos per inuidiam, & non per ignorantiam filium Dei crucifixisse. Intellexerūt enim eum esse illum, cui pater per prophetam dicit, Postula à me, & dabo tibi gentes, hęreditatem tuam. Psal. 2.

An Iudæi cognouerint Christū esse Messiam & Deum.

¶ Accedit istis, quod Hiere. 33. legitur, Ecce dies veniunt, dicit Dñs, & quibusdam interiectis. Et hoc est nomen, quod vocabūt eum Dominus iustus noster. Vbi Hebraice legitur, Deus noster. Et hoc vaticinium consentientibus etiam Hebræis doctoribus de Christo est audiendum.

¶ Prętęr hęc & Esa. 9. Et vocabitur Deus, id quod de Messia est intelligendū. Igitur Iudæi non solū cognouerūt Iesum Nazarenū esse Messiā, sed esse filiū verū Dei.

¶ Porrò istis obuiā it vt videtur, quod Ioā. 9. scribitur. Hunc autem nescimus vnde sit: & quod hoc cap. relatum est Christus cum venerit. nemo scit vnde sit.

¶ Litigiosa est hæc concertatio, quia ex scripturis non videtur liquidam obtinere solutionē: etsi Chrysostomus Matt. præfatum enarrās locum, idē videtur astruere Iudæos cognouisse esse filium Dei. Thomas in. 3. par. q. 47. articu. 5. tradit Iudæos non cognouisse Christum esse Deum, at cognouisse principes, & rectores eorum, eum esse Messiam. Et verba hæc, Hic est hæres, ex persona colonorum vineæ, qui erant sacerdotes illius populi, & maiores plebis esse habēda docet. Cęterū si cognouerunt eum esse hæredē, vtique cognouerunt eum esse filium Dei, siquidē verba, Psalm. 2. ad filium Dei dicuntur à patre, Postula à me, &c.

¶ Sunt qui putent hos maiores plebis Iudaicæ, cognouisse Christū esse filiū Dei, non per naturā, sed secundū quandā excellentiā. Nicolaus vero in glossa ad cap. 21. Matt. distinxit dicēs plebeios Iudęorū nō cognouisse Iesum esse Messiam, neq; cognouisse eum esse Deū: quia horū notitia, pertinebat ad legis doctores. Qui tamē cognouerunt Iesum esse Messiā, & esse Deū in principio prędicationis Christi: dein vero quia probabilis erat illis deitatis Christi opinio procedente Christi prædicatione illam opinionem deposuerunt.

¶ At vero loci, quibus maximè fretus se conduxit Nicolaus in hanc sententiā sunt indicati dudū ex Hiere. & Esaia, qui alioqui non cōuincunt. Siquidē loci isti nō docēt Iudæos esse cognituros Christi diuinitatē, sed solū quod erat vocandus Christus Deus, & hoc verum est, quia si nō a Iudęis cognitus est, vt Deus à gentibus fidelibus est cognitus, vt Deus: ideò fideles Christum credunt & vocant Deum.

Nicolaus nō probatur.

¶ Ego vero dixerim primo, promiscuam plebē Iudæorū cognouisse Iesum esse vere Messiā. Enim vero Ioānis Baptistæ testimonia hoc inculcabāt sæpissime apud plebē illā Ioā. 1. quæ testimonia etsi à Phariseis negligerētur, à promiscua tamē plebe probabātur siquidē Lucæ. 7. Pharisæi neglexerūt Ioannis baptismū: plebs autem non neglexit, sed baptizabatur ab eo & sub baptismo illo Ioannes Christum annuntiabat. Vnde paulo infra dicet Euangelista, *De turba autem multi crediderunt in eum*, subaudi, credebant esse verum Messiam: ideo subiecit, Et dicebant, Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Quamuis enim nescirent scripturas, at ex doctoribus illis confessum erat Christi tēpora iam adesse, quia viderāt legationē factā ad Ioānem à Hierosolymitis, an ipse esset Christ⁹, id quod stultè factū fuisset, si iam tēpore aduentus Messię, nō adfuissent. Quia ergo iā conceperāt esse opportunitatē aduētus Messiæ, & ex altera parte magnitudinē miraculorū

Promiscua plebs Iudæorū cognouit Iesum Nazarenum esse Messiam.

cernebant, ideò iam arbitrabãtur Iesum esse Messiam. Imo ante hæc omnia ex solo Ioã. testimonio ductus Philippus, cognouit Iesum esse Messiã, Quem scripsit ait, Moses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum à Nazareth filium Ioseph Ioan. 1.

¶ Secundo dixerim huiusmodi turbam, non credidisse, tunc Iesum esse filiũ Dei secundum naturã, & si credebant esse Messiam. Hoc suadebitur facile intelligenti turbas nõ intellexisse arcana legis, & prophetarum, neque ad hoc tenebantur. At vero hoc erat arcanũ profundissimũ diuinitatem Christi, ex prophetarum accipere oraculis.

Promiscua plebs Iudæorum ignorabat diuinitatem Christi.

¶ Cæterum quod esset Messias venturus ex cõmuni fide accipiebãt, & quod Iesus Nazarenus esset ipse qui expectabatur vẽturus, ex Ioãnis testimonijs, & ex miraculis Christi persuasum erat eis. Vnde Pilatus hanc cõmunẽ illius populi fidẽ expressit in illustrissimo illo titulo, Iesus Nazarenus rex Iudęorũ. Hoc enim intellexit per regem Iudæorũ, quod per Messiã: siquidẽ Messias expectabatur rex Iudęorũ. Neq; Pilatus illustrẽ hunc titulũ mandasset affigendũ cruci, nisi certũ hoc haberet ex cõmuni plebis consensu Iesum Nazarenũ esse verũ Messiam. Quin etiã & paruulorũ clamor ille, O siana filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Dñi. Cui clamori concinebãt suffragia populi præcedentis ramos & prosternẽtis Christo vestimẽta. Hoc idem probat vulgarem esse illius populi sententiã tunc Iesum esse Messiã expectatum ab illis ex lege & prophetis.

Matth. 26.

Matth. 21.

¶ Tertiò dixerim Pharisæos, & Scribas primoresque illius populi nõ cognouisse Iesum Christum esse verum Deum. Hoc mihi persuadetur consideranti Dominũ dixisse Matth. 16. Petro, Beatus es Simõ Bariona, quia neque caro, neque sanguis reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cęlis est. Erat igitur necessaria tunc, particularis Dei reuelatio ad cognoscẽdam Christi diuinitatem. At vero hanc reuelationẽ cõmuniter non habuerũt Pharisæi, neque illius periti legis. Quãquam quibusdã ad fuerit vt Simeoni, & Annæ Phanuelis filiæ, & beatæ Mariæ, & alijs huiusmodi, at vero communiter non donabatur reuelatio huiusmodi.

Pharisæi & legisperiti non cognouerunt Iesum esse verum Deum.

¶ Accedit eodem, quod legisperiti vnum credebãt Deum esse ex scriptura: & si crederent Christũ esse verũ Deum & filiũ veri Dei, videretur illis multiplicare Deos, id quod maxime abhorrebant.

¶ Rursus, quia has obijciebãt Christo criminationes, & quod Sabbatũ solueret, & quod se faciebat filiũ Dei, æqualẽ Deo, vt ex prehabitis legendũ est: igitur neq; credebant esse Messiã, neque filium Dei. Et quãuis nõnulli ex proceribus Iudæorum crediderũt Iesum esse Messiã, vt Nicodemus, & Nathanael, & siqui fuerunt alij, at vero diuinitatem eius non confitebantur. vt cap. 1. diximus.

Ioan. 4. Ioan. 1.

¶ Quarto dixerim Pharisæos, & legis doctores fere semper non credidisse Messiã esse Iesum. Hoc patet, quia paulo post ex ordium prædicationis Christi, inimicitias gesserunt in Christũ, & illo neglecto, legationẽ miserunt ad Ioannem, an esset Christus. Et quia Ioãnes testabatur Iesum esse Messiã, ideo etiã eum odio habuerunt Luc. 7. Quod vero in persona eorũ dicitur, Hic est hæres, idẽ est ac si dixissent, hic est quẽ putat vulgus esse hæredẽ, aut hic est, vt ipse testatur, filius Dei. Vnde hoc Christo impij obijciunt dicentes. Promittit se scientiã Dei habere, & filiũ Dei facit. Sapi. 2. Quinto dixerim simul atq; Dñs cœpit prędicare, & diuulgari nomẽ ei⁹, Pharisæi, & alij primores populi Iudaici opinabãtur Iesum esse Messiã. Tunc enim nondum eorũ inflãmauerat inuidia pectora: ideoq; quia nõ corripiebantur liuore rectè opinabantur de Christo. Et hoc est, quod Dñs ait. Ioã. 15. Viderunt, & oderunt me & patrẽ meum. Etenim ex scripturis viderunt Iesum esse Messiã: at vero procedẽte Christi prędicatione, quia videbãt discipulos Pharisæorũ minui, & Dñi scholã augeri corripuit eos liuor, quia superbi erãt, & gloriã mundanã aucupabãtur, & rectam, quã habebãt de Christo sententiã permutauerũt, in corruptã sententiam, male sentiendo de Christo, & illũ odio habẽtes, vt scriptum est, odio habuerũt me gratis. Et sub ratione hac omnia consonant, siquidẽ si distinguis tempora cõcordabis sacra eloquia, & quod scierũt Dominum, & quod nescierunt. Similiter populus Iudæorum rectam concipiens fidem de Christo, ex persuasu maiorum sub Domini passione mutarunt sententiam: ideoque clamabãt, Tolle hunc, & dimitte Barrabam. Siquidem plebecula, vertibilis est, & nulla

cæra

cera tã facile recipit figuras, varias quã vulgus varias excipit opiniones. *Sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego enim scio eum, & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Deus est maxime verus, quia est maxime ens. Ens namque & verum inuicem consequuntur. Et quod infinitum est ens, infinita est veritas. Et sicut Deus est fons totius entitatis, ita est fons vniuersæ veritatis. Christus autem quia quatenus Deus à Deo procedit, quia genitus est ex diuina substantia, ideo procedens ab infinita veritate, ipse quoque est infinita veritas. Quamobrem inquit, se scire Deum, siquidem, vt Deus est procedit à Deo tanquam verbum Dei. Quapropter, necesse est, vt verbum substantiale Dei, quod est Christus, sciat mentem paternam, vnde ab æterno processit. Et ideo ait, Sed scio eum, quia ab ipso processi: & quia æterna processio est, æterna scientia est. Causa igitur, vnde filius patrem cognoscit, est qua processit à Patre, hoc est, quia est genitus de substantia patris. Et sicut pater nouit filium quem generat, ità filius nouit patrem ex quo genitus est, quia hæc processio est per intellectum; & mens est generans, & mens est genita: quo circa geniti, & generantis, mutua est cognatio. Nos verò etsi processimus à parentibus nostris nescimus, quã do generabamur, vnde generabamur. Quippe generatio hæc carnis erat, non mentis: quatenus autem homo est scit patrem scientia infusa.

Deus qui maximè est maximè verus est.

Christus scit patrem vnde processit.

¶ At fortè hæsitabis, quid est quod Dominus ait, *Quem vos nescitis*, siquidem Iudæi sciebant Deum, quem vnum adorabant? Respõdebis, nesciebant Iudæi Deũ, vt pater erat Christi, vt supra dicebam, tamen secundum absolutum diuinitatis nomen sciebãt Deum. Aut nesciebant Deũ, ea phrasi dictũ est, qua illud, Amen amẽ dico vobis nescio vos, hoc est, nõ amo vos. Pharisei ergo Deum non amantes, neque syncerè colentes, nesciebant Deum. *Ab ipso sum, & ipse me misit.* Ab ipso Deo sum non tamẽ sicut creaturę quę à Deo procedũt, & ab ipso sunt. Aliquid igitur singulare hoc sermone de se ipso Christus nos docet, dicens, Ab ipso sum: videlicet, ex ipsius substantia Dei processi, sum enim Deus à Deo. Vniuersa nãque creata non sunt hoc modo à Deo: creaturæ enim ex nihilo prodiere, at filius nõ ex nihilo, sed ex paterna substãtia. Is ipse igitur, qui ab æterno ex Patris procedit substãtia, ipsemet missus est tẽporaliter, quãdo verbum caro factũ est. Hîc tu cernis, quomodo idẽ Deus, est Christus, qui homo. Nã ipsemet qui est à patre, est missus à patre: non ergo est duæ personæ Christus, sed vna diuina quia à Deo processit, & humana quia à Deo missus. Vtramq; igitur naturã suam, Dñs his verbis ostendit diuinã dum ait, à Deo sum: humanã, dum inquit, & ipse me misit. Porro Græcè non habetur, Si dixero, quia nescio eum ero similis vobis mendax. *Quærebant ergo eum apprehendere. & nemo misit in illũ manus, quia nondũ venerat hora eius.* Verbũ Christi missum in aures Pharisaicas, non producebat fructũ pro sua dignitate, sed potius spinas, & tribulos germinabat pro auriũ prauitate. Quia quãuis diuinũ erat quod audiebatur verbũ: at vero aures recipiẽtes, malignãtes erãt: ideoque verbũ frugiferum sterilescebat. Et verbũ quod erat lux vertebatur in tenebras: cæcitas nãque mentis vniuersa obscurat, etiã verissima dogmata. Porrò sibi obscurat, quia sibi nocet, non verbo.

Natura diuina & humana in vna persona Christi.

¶ Pharisæi igitur ex verbis Domini odia in Christum magis acuebant. Et Christi mãsuetudo eos vertebat in rabiẽ. Cæterũ non potuerunt rabiẽ suam plusquã caninam explere, quia Dñs non disposuerat tum pati, & hoc est quod ait, *Nondũ venerat hora eius*, ab ipso, scilicet, Christo definita suæ passioni. *De turba multi crediderunt in eum, & dicebant, Christus cũ venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit.* Turba, quia nõ erat inflãmata ex inuidię incẽdijs rectã tenebat de Christo sententiã, quam colligebat ex multitudine miraculorum, quę Christus operabatur. Siquidẽ prophetæ ipsorũ non tãta, neque tã sublimia ediderant miracula. *Audierũt Pharisæi turbam murmurantẽ, de illo hæc & miserunt principes, & Pharisæi ministros, vt apprehẽderent Iesum.* Turba Christũ credit, & sua fide eum glorificat. Pharisæi non credunt, & sua incredulitate Christum dehonorãt. Turba credendo ad Deum erigitur: Pharisæi non credendo deprimuntur coram Deo. Turba sapit Christum confitendo, Pharisæi insaniunt Christũ despiciendum. Ideo nõ ferentes gloriam Christi à turba oblatam,

Pharisæi, & principes societate fœderantur contra Christũ, & mittunt ministros, vt Christũ in carcerem conijciant. In quibusdam codicibus Græcis legitur, Principes sacerdotum, & hoc modo legit Theo. At vero Cyrillus nostram sequitur lectionem: verum Græcè, non scribitur Iesum, sed eum. *Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicũ tẽpus vobiscũ sum, & vado ad eũ, qui me misit. Quæretis me, & non me inuenietis: & vbi ego sum vos non potestis venire.* Dñs demonstrat his verbis se præsciũ fuisse mortis suæ tũc venturæ. Ait enim, Adhuc modicũ tempus vobiscũ sum, quasi dixisset, Breui sum moriturus. Et breui erat sane moriturus, quippe in proximo mense Aprili Dominus passus est: & distabat mensis hic à verbis istis Domini fere sex mẽsium spacio. Rursum demõstrat suam mortem futurã spontaneam. Ait enim, *Et vado ad eum qui me misit*: si quidem per mortem suam trãsiuit ad patrem. Vadere autem vel abire motum denotat spontaneum, & non coactum. Sensus autem horum verborum ad hanc rationem est componendus, Sinite ò Pharisæi, & populi iudaici primores ne curetis me occidere, quia velitis nolitis modicum mihi tempus restat, antequam accedat hora à me decreta, vt mortem sub eam a vobis mihi inferendam. Interim enim oportet me vos docere, & doctrinã meam illustrare miraculis. Quo circa fruimini me hoc tempore: quia postquã mortuus fuero, non dabitur vobis me frui. Tunc enim post resurrectionẽ meam ero vobis inuisibilis. Etiam si desideretis me videre, & tractare, & doleatis, quod cum præsens vobis eram, non fruiti estis mea præsentia, at vobis iam non tũ dabitur illa frui: quoniã tum, immortalis ero, neque consuetudinẽ geram cũ mortalibus. Quo circa, quia pusillũ est meæ præsentiæ corporalis erga vos tempus, date operã, vt me hoc exiguo fruamini tempore. Nam post quã glorioſus surrexero, quæretis, hoc est, desiderabitis me videre & non videbitis. Dicetur vobis immortalis surrexit, & desiderabitis me immortalẽ videre, & tamẽ non videbitis. *Quæretis me. &c.* Sunt qui hæc verba in malum trahant, ideſt, quæretis me rursus occidere, & non poteritis: verum hic sensus violentus videtur: ideo commodior est sensus prædictus.

¶ Vel quia vt Cyrillo placet postquam Dominus ascendit in cælum, Iudæi moti ex apostolica prædicatione, & miraculis pœnitentiam agendo dixerunt, Viri fratres, quid faciemus? Actor. 2. vel quia sub obsidione Titi, & Vespasiani in maximis angustijs constituti Iudæi, desiderarunt Christum ipsis adesse vt à tantis eruerentur periculis. Hæc porrò verba Dominus fere Petro. Ioan. 13. dixit, Quo ego vado tu non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Tametsi verba hæc aliorsum spectant, quam in præsentiarum commemorata: quandoquidem significant Petrum non esse tunc moriturũ cum Christo, at verò post Dominicam Ascensionem fore moriturum pro Christo. Verum verba huius capitis non hoc denotãt, sed quod retulimus. *Et vbi ego sum, &c.* Sunt qui putent verba hæc esse sumenda iuxta phrasim Hebraicam vsurpantem tempus pro tempore. Ideoque, vado pro vadam, vel abibo, & sum pro ero: vt sit sensus. Ego vado ad patrem, ideſt, abibo, vbi ego sum hoc est, vbi ergo ero. Significatque Dominus hoc sermone ascensurum se in cælestia regna, illòque iturum post mortem suam, & Iudæos propter suam infidelitatem non posse illò abire. Vel, vt Augustinus exposuit, Vbi ego sum secundum deitatem, quia sum in dextera Dei patris, sum in sinu eius tanquam vnigenitus eius, vos non potestis venire. Et quo ego vado, hoc est, quo ego proxime post hoc tempus, vel post pusillum tempus abiturus sum, vos non potestis venire. Non negat Iudæos non posse beari, sed affirmat infideles Iudæos non posse saluari. Et Dominus ea phrasi modo vtitur, qua nos. Quippe, quæ proxima sunt, vt fiant, dicimus iam fieri: ideo Dominus, vado dixit, pro, post modicum sum abiturus. Verum quando ait, Vbi ego sum, propter suæ diuinitatis gloriã dixit, ad quam Iudæi fruendam non poterant venire ex sua infidelitate. *Dixerunt ergo Iudæi ad semet ipsos. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eũ? Nunquid in dispersionẽ gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quẽ dixit. Quæretis me, & non inuenietis.* Iudæi Christum accusabant, quod Iudaismum solueret, vt ex ante habitis constat, vnde forte opinabantur doctrinam eius aptam esse gentibus & ineptam Iudæis. Ideoque suspicabantur ob hanc causam Christum relicturum

cturum Iudaismum, & commigraturum ad gentes, vt liberè prædicaret, & solueret Iudaismum. Et hæc verba illò tendunt, vt tanquam apostatam à lege Moysi Dominum accusent. Hoc enim insinuabāt, dicentes, Nunquid in dispersionem gentium, &c. Hebraismus est dispersionem enim gentium, significat in dispersas gentes. Gentes enim erant dispersæ per varias nationes.

ENARRATIO II.
In caput septimum.

¶ *In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat dicens, Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura flumina de ventre eius fluēt, aquæ viuæ.*

Sectio. 2.

SVPRA dixerat Euangelista Dominum ascendisse Hierosolymam, circa medium festum, vel sub medio scenopegiæ festo: nunc verò quid in postremo die huius festiuitatis, Dominus fecerit demōstrat: quia gesta à Domino sub medio festo clarè ostenderat præmissis sermonibus. Est autem aduertendum, ex Leuit. 23. vt supra commemorabam, festum istud scenopegiæ habuisse primum diem sanctissimū, & celeberrimum: quoniam primus dies vacabat ab omni seruili opere. Verum etiamsi septimus dies, erat dies postremus scenopegiæ: at verò non erat postremus & celeberrimus, atque sanctissimus. Quippe in die illo septimo nō erat vacandum ab opere seruili sicut in octauo. At verò in die septimo, erant offerenda Domino holocausta. Cæterum octauus erat celeberrimus, sicut & primus vbi non erat seruilibus incūbendum operibus. Offeretis ait, in eo holocaustum, est enim cœtus atque collectæ. Hebraicè & Sereth, hoc est, retentio, atque prohibitio: quia tum retinebatur populus ad vacandum Deo, & prohibebatur, ne vacaret seruilibus operibus. Cœtus verò & collectæ eadem ratione dicebatur. Namque retentio populi cœtū cōstituebat & collecta erat, quia erat collectus tum ad vacandum diuinis & non diffundebatur ad labores suos, & ad necessaria vitæ comparanda. Quamquam Nicolaus aliam rationem excogitat, in commen. ad eūdem locum. Ex eo enim credit collectam hūc octauum appellari diem, quia id temporis colligebantur pecuniæ, ad sacrificia, & alia templo necessaria. Cæterum hoc, absque competenti causa asseritur, de qua alibi. Sufficiat nobis in præsentia dixisse, Hebraicè appellatum diem hunc octauū & sereth, quod nomen retentionem, vel prohibitionem denotat: at hoc quid ad eleemosynas tum colligendas? Verum ad id, vnde est digressa redeat oratio. Solum duo dies referuntur celebres in festo scenopegiæ, & primus, & octauus: vnde videtur expunctus septimus dies ab hac celebritate. Cum ergo ait Euangelista, clamabat Iesus in nouissimo die magno per nouissimum & magnū diem, octauus commemoratus videtur sub intelligēdus. Porrò Theophilact. non octauum diem censet fuisse, hunc diem commemoratum ab Euangelista, sed septimum: quia dies septimus erat Iudæis celebris & magnus dies, quia Sabbatū erat. Porrò, vnde hoc colligetur, q̄ septimus illius festiuitatis nē cessario erat Sabbatū, quia poterat esse nō Sabbatum. Poterit quispiam dicere, Euā geliſtam insinuare fuisse tum Sabbatum: itaque cōcurrebant tum septimus dies festi tabernaculorū, & dies Sabbati. Quod si ita accidit, vera narrat Theophilactus: sed quod acciderit latet nos. Etsi Theophilactus Chrysostomū sectetur, qui eandem amat sententiam diem septimū fuisse diem magnum & nouissimum, cuius Euangelista meminit. Nicolaus, vtramque innuit sentētiam: & quod fuerit dies septimus, aut quod erat octauus dies, cuius mentionem fecimus: id quod recentiorum multi existimant.

Scenopegia duobus celebrib⁹ erat insignis diebus primo, & octauo.

¶ Atre vera res hæc occulta est, & vt aiebam si forte quod possibile erat, tum septimus & nouissimus dies festiuitatis scenopegiæ fuit Sabbatum optimè conuenit illum diem esse nouissimum, & magnū: quia tum non erat incumbendum nisi diuinis: nō quia septimus erat scenopegiæ, sed quia Sabbatum erat.

¶ Hoc igitur die, quia populi erant congregati, ad diuina colenda, Dominus voluit docere populos, quia sub magnis festiuitatibus, opportunior est docendarum plebium occasio. Et præterea etiamsi pri-

mus dies, erat Deo dicandus: verum exordia festorum, quia luxui & ganeæ magis patent, ideò noluit Dominus, tum docere: quia non tam capaces, neque tam auidæ fuissent turbæ doctrinæ Christi, quam postquam seruierunt ventri, & voluptati. Idcirco, vt Chrysostomus commemorat, Dominus tum doctrinam suam impẽdit turbis regressuris iamiam ad propria, vt eis esset tanquam quoddam viaticum. *Et clamabat dicens.* Quod iubebat prophetis, hoc ipse prophetarum exequitur Dominus. Clama ne cesses, dixit Deus Esaiæ exalta, sicut tuba, vocẽ tuam: & nunc Dominus idem præstat clamando dicens. Et quod de sapientia Dei scribitur. In capite turbarum clamitat, foris prædicat, & in plateis dat vocem suam, hoc idem Dei sapientia Christus exequitur officium. Et quanuis, vt dudum commemorat Ioãnes, Pharisæi, & Iudæorum senatus miserunt suos satellites, vt Dominum comprehenderent, & vinctum perducerent, nihilominus nihil horum Dominus veritus, clare & publicè, & clamando, docet se esse verum Messiam, & fontem aquæ viuæ, vnde riuantur flumina in suos fideles. Neque modo solum legimus Christum clamasse cum doceret plebem, sed Lucæ. 8. ipse clamabat dicens, Qui habet aures audiendi audiat. Doctor verò qui clamat docendo, eò clamat, quò vox prædicationis ad omnes perueniat auditores, præsertim si turba multa collecta est ad audiendum. Et clamat rursus, vt ardentius infigatur in auribus auditorum sermo, quem docet. Neque solum Dominus docendo clamabat, quin & operando. Excitaturus enim à morte Lazarum Ioann. 11. Clamauit voce magna, Lazare veni foras. Clamor autem iste fuit à Christo editus, vt ex clamore, magnitudinem miraculi denotaret. Et mysticas si amas rationes, ex eo clamat Lazarum suscitaturus, & alios mortuos excitando non clamat, quia Lazari suscitatio typum gerit peccatorum, qui iam pridem sunt iacentes in fœcibus peccatorum. Qui sanè magna opera Dei egent, vt à morte spirituali cui succumbũt excitentur.

¶ Clamat igitur Christus, vt etiam surdastri possint audire sermonem eius. At verò nos etiam debemus clamare, vt Dominus aperiat aures nostras, ad excipiẽdum diuinam Christi doctrinam, ex cuius præsidio à diaboli laqueis extricemur, vt Chananæa clamabat, Matthæ. 15. Et cæcus etiam clamabat, vt illustraretur Lucæ. 18. Vnde in Psalm. 119. Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit. Et sæpè huiusmodi clamores ad Dominum repetuntur in Psalmis. Et certos nos oportet esse, si rectè clamauerimus, exaudiendos fore. Clamauerũt, inquit, iusti ad Dominum, & exaudiuit eos Psalm. 33. Nos sæpè non audimus Deum ad nos clamantem. Vocaui, inquit, & renuistis, extendi manus meas & non fuit, qui aspiceret Prouerb. 1. At verò Deus semper nos exaudit clamantes, si synceri sint clamores, & de necessarijs sint. Stabat igitur Iesus, & clamabat. Non solum autem est labor docere clamando, sed auget laborem docere stando. At verò Dominus nulli parcens labori, stabat & clamabat. Sed iam audiamus, quid est quod clamat. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Lectio ambigua est apud interpretes: quia duplicẽ generat sensum, differens punctuatio. Si enim figatur punctum post, scriptura. Sensus est, Qui credit in me sicut dicit scriptura, hoc est, Qui credit in me ex admonitione scripturæ. Scriptura enim Christum vbique docet. Huiusmodi sic credens ex scripturæ autoritate, hac donabitur dote quod flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Et hoc modo legunt Chrysostom. & Theophilactus, & videtur admodum Germana lectio. Si verò lectio sit, *Qui credit in me*, vt ibi interponatur punctuatio, & sequatur mox. *Sicut dicit scriptura, Flumina fluent, &c.* alius est sensus longe diuersus. Significat enim scripturæ esse testimonium, quod credens in Christũ habebit fluxum fluminum ex ventre suo aquæ viuæ.

¶ At verò hæc lectio multum fecit laborare interpretes exquirendo locum docentem, vel testantem, hoc ipsum quod dicit Dominus. Et quidem Hiero. in Pentateucum, credit hunc locum non extare apud septuaginta, sed ex fontibus Hebræorum esse petendum, vt alij tres loci ab eo commemorati, idemque affirmat in prologo ad Paralypomenon.

¶ Cæterum locus Prouerbiorum cap. 5. quia Tho. indicatur esse hunc, quem Dominus

Prouerb. 1.

Si opportune clamamus ad Deum exaudiemur etiã opportune.

Ambigua lectio.

Cur Dominꝰ docendo clamabat sæpè.

Christus docendo & operando clamat

minus subindicat etiam est apud septuaginta, saltem sensus verborum si non verba eadem. Namque in nostra editione, quæ est ad Hebraicam veritatem sic habet, Deriuentur fontes tui foras & in plateis aquas tuas diuide. Et prius dixerat, Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui, & fere idem apud septuaginta.

¶ At verò locus hic ad literam, de matrimonio est subaudiendus, & non de doctrina, aut de donis Spiritus sancti. Sensus enim est, Habeto commercium carnale cum sola vxore tua, & filij tui ducant vxores publicè, & non clandestinè: & item filiæ tuæ palam nubant. Aptior verò videtur locus Prouerb. 22. Appone cor tuum ad doctrinam meam: quam pulchra erit tibi cum seruaueris eam in ventre tuo & redundabit in labijs tuis. Et forsan hunc locum intellexit Hiero. in apologetico contra Rufinum dicens, Verba Domini hæc ex Prouerbijs Salomonis esse desumpta, quippe prior indicatus locus minoris est apparentiæ. Quanuis re vera neuter locus videtur esse is, quem Dominus subindicat. Si tamen lectio hæc sit probanda, aptius forsan diceretur locum hunc non extare in Biblijs sacris, sed quia multi prophetici libri periere, vt liquet ex nostris Biblijs: in quibus fit mentio multorũ prophetarum, qui non extant vt fuere Gad, Ahias, Addo, Semei, & Oza, ideò forsan in istis erat.

¶ Porrò liberat nos ab hac difficultate, si lectionem aliam accipiamus, vt Chrysostomus, & Theophilact. acceperunt, vt dudum commemorabam, de qua re paulo infra nonnihil attingam. ¶ Oportet autem obseruare verba hæc Domini sub metaphora esse audienda. Siquidem per ventrem non ventrem corporalem, sed spiritualem subsignificauit, & per flumina nõ hæc visibilia flumina, sed inuisibilia. Vt etiam psalmis vsu est hæc ventris, & fluminum metaphora, & in Prouerb. 22. vt dudum indicabam. Ex vtero inquit, ante Luciferum genui te. Ex vtero sanè nõ corporali, quia Deus hoc vtero caret, sed vterum vocat memoriam fæcũdam paternæ mentis, siue paternam mentem scientem se infinita scientia, & vniuersa alia à se. Et rursum libr. Sap. fluminiconfertur sapientia, quasi fluminis impetus, inquit, est sapientia: &, fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, quæ ad flumina spiritualia trahunt intelligentiam. Talia sunt hæc flumina, quæ à Domino traduntur taliq; venter. Et sicut Samaritanam docens, aiebat, cap. 4. Fiet in eo fons salientis aquæ in vitam æternam, ita modo ait, Flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Per quæ verba, vt per priora hoc Dominus subnotare volebat, fidem in Christum & amorem, sola posse satiare hominis appetitũ ad beatam vitam. Siquidem quanuis fides, & amor Christi actu non beatificent, at spe beatificant. Et beatitudo quam fides Christi promittit, si recta sit, & charitatis non destituta contubernio, hæc sola satiat mentem hominis. Porrò neque lex Mosaica hãc pollicebatur beatam vitam, neque Philosophia, neq; seculi honores diuitiæ, vel voluptates, sed sola fides Euãgelica hanc docet, & hanc pollicetur certissima pollicitatione. Et freti hac spe fideles qui fidem suam ex operibus demonstrãt, secularia bona contemnunt, neque illa desiderant, sed habentes alimenta, & quibus tegantur his contenti sunt: & mala temporalia æquo animo ferunt: & plæraque plæclara operantur, vt tandem optata spe cœlestium bonorũ frui detur.

¶ Cæterum Domini verba bifidam sortiuntur intelligentiam. Possunt referri namque ad fidẽles credẽtes in Christum, quibus gloriabatur primitiua Ecclesia: aut potest referri ad omnes fideles, qui credentes Christum, Euangeliça custodiunt mandata. Quod si ad priorem sensum verba Domini referas, vtique quia fideles illi vberibus gratiæ Spiritus sancti sunt dotati, & mira opera gesserunt ex virtute, quæ eos afflabat Spiritus sancti, ideò Dominus inquit, Qui credit in me, sicut dicit scriptura, &c. Flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Non riuuli, inquit, sed flumina, vt abundantiam diuinorum charismatum denotet donandam fidelibus primitiuæ Ecclesiæ, copiamque gratiarum, eisdem tum conferendam.

¶ Et re vera ita fuit. Quippe præter inaudita retroactis temporibus, Spiritus sancti descensionem, in linguis igneis, plura gratiarũ dona illis sunt impartita. Et enim Paulo autore. 1. Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Diuisiones ministrationum sunt, idem autẽ Dominus. Et diuisiones operationũ sunt, idem

Primitiua Ecclesia locuplentissima fuit charismatib⁹ spiritus sancti.

idem autem Deus. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, &c. Et vniuersa hæc, quæ narrat Paulus copiose, sunt donata tum fidelibus. Vnde Apostoli, & alij discipuli Domini, & reliqui fideles, istis omnibus tunc exuberabant charismatibus. Quapropter non riuulis Spiritus sancti, sed fluminibus alluebantur illorum mentes. Et non solum eos alluebat spiritus flumen, vel irrigabat: verum tanta erat vbertas spiritus siue gratiæ spiritualis eis donatæ, quod & poterant, & alios vehementer trahere ad eiusdem gratiæ participium, vt Actor. historia facile indicat. Vnde prædicante Petro multi sunt conuersi ad fidem Christi: & idem præstiterũt alij Apostoli & discipuli Domini. Et hoc est quod per Esaiam frequẽter prædictum fuit. Vnde capit. 41. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Et. 43. Ponam in deserto viam, & inuio flumina, & idem sæpè alibi. Et Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini. Et Ioelis. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et demum hoc vnũ voce consona semper scriptura sonat: sub tempore Messiæ dona gratiarum cumulatissimè esse fidelibus prouentura. Et forte hoc est, quod volebat Dominus dicens, Qui credit in me, sicut dicit scriptura. Quamquam enim nullus sit locus, qui ex presse sub Domini verbis hoc pronũciet, at tota scriptura sub alijs verbis hoc clamat, quod Christus aiebat. Quod si hoc probatum tibi fuerit, non est quod crucieris, quærens locum scripturæ, quem Dominus indicauit, quia tota scriptura hoc canit, & Dominus non ait, vt Esai. vel Ierem. dicunt, sed sicut dicit scriptura.

Obserua.

¶ Fideles igitur in Ecclesia primitiua spiritualia opera insignia operabantur, qualia prophetæ priores nõ sunt operati, quia vberrimo Spiritus sancti flumine sunt mundati.

Cumulatio ra fuerũt merita Christi anorum quã fideliumante Christum.

¶ Si verò ad fideles omnes verba referas, sensus est, fidelium merita esse opima, qualia non fuerunt priorũ merita. Enimuerò, quædam sunt merita interiora fidei charitatis, & spei, & alia exteriora, vt eleemosynarum, ieiuniorum, orationum vocalium, &c.

¶ Hæc igitur merita de pura conscientia fidelium iustorum, tanquam ex ventre quodam vberrimè prodeunt. Etenim Spiritus sancti gratia semper salit in vitã æternam. Nunquam enim est Dei charitas ociosa, sed semper est negociosa: ideo semper refluxum habet ad Deum, vnde fluxit. Vnde egregiè dixit Dominus, Flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Quia merita omnia sunt viua opera, vt peccata sunt mortua opera. Ab hac denique gratia in quibusdam fluxit martyrij corona, in alijs doctrinæ Catholicæ gloria, in alijs virginitatis integritas, in alijs tolerantiæ in laboribus constantia. Et demum varia sunt flumina aquæ viuæ, quæ ex conscientia pura fluunt. At verò ante Christi tẽpora, erant quidem gratiarum dona, at non in tanta abundantia, vt tum potius riuulos spiritus, quam flumina fluere dixeris. *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Non enim erat spiritus datus, quia Iesus non dum erat glorificatus.* Vocat Ascensum Christi ad cælos glorificationem, tu intellige, corporis, quia anima Christi semper erat beata. Variãt codices, nam quidam legunt, Non erat Spiritus sanctus, & non scribitur, datus, sed loco, datus, est sanctus: & ita habetur in Græcanico codice. Theophilactus verò in textu, quem exponit legit, Nondum erat Spiritus sanctus datus. Tametsi Erasmus dicat in exemplari Theophilacti, quod erat apud fratres prædicatores Basilienses scriptum, Nondum erat Spiritus sanctus, & ipse exponit datus, Textus verò, quem Cyrillus explicat legit, vt nostra vulgata. At Augustinus ex quæstione mota, & eiusdem solutione videtur legisse, Nondũ erat spiritus Dei. Quærit namque: sed quid est quod ait, Nõ erat spiritus datus, quia Iesus, non erat glorificatus? In euidenti est intellectus. Non enim non erat spiritus Dei, qui erat apud Deum, sed nondum erat in eis, qui crediderant in Iesum. Vnde videtur ex quæstionis huius solutione Augustinũ legisse, non erat spiritus Dei, quanuis quispiã adiecerit de suo verbis Augustini, spiritus datus. Est enim perspicuum, quod si Augustinus legisset, datus, nullum locum fuisse quæstioni, vt vides. Erasmus arbitratur primam scripturam Ioannis, neque habuisse sanctus, neque, datus, sed sanctũ esse adiectum à Græcis interpretibus, &

Gratia Dei refluit ad deũ vnde fluxit.

Ascensus supra sydera Chri est glorificatio, non animæ, sed corporis, nisi de accidentalia velis.

Varia lectio discutitur.

datus,

datus, à latinis. Id quod videntur Augustini verba sonare, quia in quæstione mota, spiritum Dei solum nominat.

¶ Porrò vtraq; lectio sensum habet verũ: quanuis vulgata non habet quicquã offendiculi, vt prior lectio, quæ primo aspectu horrida est, dicens, Nondum erat Spiritus sanctus. Tametsi sensus est sine offensione: significat enim non esse adhuc Spiritum sanctum donatum fidelibus, vt ex proximis verbis Euangelistæ colligitur. Dixerat enim, Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eũ, ideoque germana est intelligentia, Nondum spiritus erat acceptus à credentibus.

¶ Est autem emergẽs quæstio, quia prophetæ fuerunt imbuti spiritu, & Ioannes Domini præcursor, & Anna, & Simeon, & Beatissima Maria, ante Domini ascensum ad cælos. Respondebis, hoc sanè habuisse spiritum Dei, sed non in tanta plenitudine, vt post ascensum Christi. Si legimus igitur Apostolos ante Domini super astra ascẽsum fuisse afflatos Spiritu sancto. Accipite, ait, Spiritum sanctũ, quorũ remiseritis peccata remittũtur eis, &c. & Ioann. Baptistam esse repletum Spiritu sancto, adhuc ex vtero matris suæ, & Mariam, plenam fuisse gratia. Cæterum sub linguis igneis, nunquam est datus credentibus Spiritus sanctus. Neque prophetis hoc accidit, aut Ioanni præcursori Domini, sed neque Apostolis, aut B. Virgini ad diem vsque Pentecostes. Tunc sanè datus fuit Spiritus sanctus vberrimè, in credentes Christum. Et illa visibilis missio, durauit ætate Ecclesiæ primitiuæ: quia tunc ad vtilitatem fidelium exhibebatur, videlicet, vt ex visibili missione Spiritus sancti, qua fruebantur ex baptismo fideles, intelligerent fidei Christianæ veritatem, & in fideles tanto moti signo infidelitate deposita fidem Christi amplecterentur.

Vbertas Spiritus sãcti, quo ad gratias gratis datas in primitiua viguit Ecclesia, & quo ad gratiam gratum facientẽ.

¶ Multiplicata verò fide, hæc vbertas spiritualis fluminis, quantum ad gratias commemoratas restricta est: quamquam quo ad gratiam personalem, necessariam cuilibet ad vitam æternam, nõ cessabit ad diẽ vsque iudicij.

¶ Exiget quispiã, cur Dñs, non ante ascẽsum suum super iuga cælorum, voluit hec flumina gratiarum fidelibus concedere? Respondetur huiusmodi vbertatem spiritualium gratiarum, expectasse perfectã reconciliationem hominum cum Deo. Quippe æquum erat homines non donari perfecta vbertate spiritus donec perfecta esset reconciliatio hominis cum Deo: nam perfectior amicitia, vberiorem poscebat spiritum. Fuit autem post ascensum Dñi in cælum, istæc perfectã reconciliatio: quia Christus introduxit ascẽdendo in cælum, hominem ibidem. Quia animas iustorum, secum induxit in cœlestem patriam, id quod erat iam signum perfectæ reconciliationis. Quapropter hac celebrata perfecta reconcilia tione, Christus misit spiritum suum abundanter super credentes: quippe quibus erat ianua cœlestis reserata regni. Vnde Paulus, hoc innuit dicens, Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: & subdit, Dedit dona hominibus. Captiuare verò captiuitatem, est hominibus plenam spiritus donare libertatem, & istud est perfectè esse iam Deo reconciliatos, ideò tunc dedit dona insolita hominibus. Cõplementũ mysteriorũ Christi fuit ascensio in cælum. Ad hæc Spiritus sancti visibilis illa missio, celebrabatur ad docendum mysteria Christi: at ascensio Domini compleuit Christi mysteria pro redemptione hominis facta, ideò expectauit Spiritus sancti, visibilis illa missio, Domini ascensionem, vt tum completè, illa doceret homines. Multa alia conduxi, quę rem hanc exponerent, in declamatione de festo Pẽtecostes, ad Esaiam, quæ si iuuat poteris videre, & huc vocare. *Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones eius, dicebant, hic est verè propheta. Alij dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Nunquid à Galilæa venit Christus? Nõne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid venit Christus? Dissensio, itaque facta est, in turba propter eum.* Natiuum est hominibus, de rebus, quæ non videntur, neque sentiuntur varias concipere sententias: ideò turba hæc, in varias de Christo scinditur sententias, vt etiam Matth. 16. vulgi de Christo varia recensentur placita. In vulgo autem, quidam sunt politioris iudicij, alij rudioris, alij mediocris: alij rursus bene affecti, alij malè, alij neutrales. Qui ergo erant, præstantioris iudicij, aiebant Christum esse verè prophetã, & esse Christum, quem ipsi expectabãt: & huiusmodi iudicium, iam supra est cõmemo-

memoratum. Nisi quod cum essent legis imperiti, distinguebant, inter verum prophetam, & Messiam, cum tamen, idem erat propheta verè, vel propheta ille eximius, quem sperabant Iudæi, & Messias. Alij verò rudiores, hæsitabant, de hoc placito aliorum, quia credebant Christum esse Galilæum, & ideò aiebant eum non esse verè Christum. Quippe Christus Bethlehemita erat futurus, & non Galilæus. Retinebant enim memoriæ Malachiæ vaticinium. Et tu Bethlehẽ nequaquam minima es, &c. Matth. 2. Et rursus quia Christus erat futurus ex semine Dauid, at credebant Iesum Christum, non ducere originem ex semine Dauid, sed forsan ex semine Aaron, quia aduertebant esse Dominum cognatum Ioannis Baptistæ. Hos autem rudes rectè esse dixi, quoniam ruditas erat ignorare Dominum esse ex prosapia Dauidica, cum nota esset mater eius Maria, quæ ex genere Dauid ducebat originem. Præsertim quod Iudæis tribus erant satis notæ. Vt etiam ruditas erat, Christum Galilæum esse existimare. Erat vtique conceptus, in Galilæa, & ibidem enutritus, at natus erat in Iudæa in Bethlehem, ciuitate Dauid. Et hoc notum fuerat omnibus: siquidem notum fuerat Herodẽ, occidisse pueros Bethlehemitas, propter Christũ Bethlehemitam. Verum quia non semper tam prõpta est rerum gestarũ memoria, ideò isti, quia sciebant Dñm in Galilæa enutritum, & diu demoratũ in Galilæa, ideò iudicabant eum esse Galilæum, & augebatur opinio eorũ, quia discipuli Domini Galilæi erãt. *Quidam autem ex ipsis volebãt apprehẽdere eum sed nemo misit super eum manus.* Quia, vt sæpè diximus, spontaneam subiuit Dñs mortem: ideò non quando libuit Iudæis, Dñs se tradidit morti, sed quãdo ipsi placuit. Videtur autem quod isti, qui modo cõmemorantur voluisse apprehendere Dñm fuerint, ex turba conducti à Pharisæis, erant enim ministri põtificũ ex subiunctis. *Venerunt ergo ministri ad pontifices, & Pharisæos, & dixerunt eis illi, Quare non adduxistis eum? Responderunt ministri. Nũquã sic locutus est homo, sicut hic loquitur.* Græca non habent, loquitur, sed aliquis adiecit de suo, vt planior esset sermo. Odium & liuor, maximo sunt impedimento capiẽdæ veritati. Ministri autẽ, non odio aut liuore erant affecti, sed solũ quippe qui pretio erant conducti imperatis à principibus parebant: ideò ex sermone Dñi detinentur, vel prohibentur ne tentent imperatum à suis heris facinus. Et vltronei confitentur verba Dñi esse plusquam humana verba, & ideò abstinuisse à facinore. Principes, verò & Pharisæi, dignitatem Christi non intelligunt, quam eorum ministri intelligebant, & ideò furiunt in Christũ. Porro, qui præfracto animo nõ credebant Christo, etiam eodem animo non credunt suis ministris, ideò Euangelista subdit. *Respõderunt ergo eis Pharisæi, Nunquid & Vos seducti estis? Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis sed turba hæc, quæ non nouit legem? maledicti sunt.* Christus doctrinæ suæ splendore obscurabat Pharisæorũ religionem, & doctrinam. Et miraculorum operatione, eandem confirmans, contemptibiles reddebat Pharisæos. Quia ob hoc eorum doctrina minoris pendebatur apud Iudæos, idcircò inuidia succensi, nihil nõ tentabant contra Christi gloriam & honorem, ideò debacchãtur modo in suos satellites, illosq; deferunt esse seductos à Christo. Et rationem afferũt, quia nullus principum credebat Christo, nullusque Pharisæorũ, qui erant legis scientissimi: at verò turbæ, quia ignara legis erat, fidẽ in Christum, nihili ducendam asserebant. Et hortamentis Pharisæorum, principes, item Christũ non credebant. Docebant nãque Pharisei principes nõ esse à Deo Christũ, quia legem Dei violabat: & ideò arcebãt eos à fide Christi, propter legis obseruantiam, quam ipsi falsò confingebãt. Quare modo se non credere aiunt, sed turba hæc quæ nescit legem. Quasi dixissent, apertius, Si turba sciret legem Moysi, non crederent in Christũ violantem legẽ: & quia turba nescit legem, idcircò nõ aduertit delinquẽtem contra legẽ. Cum tamen multo secius erat. Turba enim credẽs Christũ legẽ implebat, nã Rom. 10. finis legis Christus. Pharisæi autẽ non credentes Christũ legem infringebãt, quia à fine legis auertebantur. Erat namq; lex tanquã pædagogus Christi ad Gal. 3. suos erudiens, & parans ad Christũ. Pharisæi autem hunc pædagogũ à suo proprio diuertebant munere, auertendo legẽ, & eos, qui sub lege erãt à suo vero scopo Christo. Et ita factum fuit, vt qui gloriabantur, in lege, non credendo

Cur Dñs putatus est Galilæus hic, & infra.

Odiũ & liuor impedimẽto sunt maximo veritati capiendæ.

Legis veteris scopus Christus.

dendo Christum cõtra legem agerent, & Deum inhonorarent, ad Rom. 2. Seductio igitur qua dicunt laborare turbam, atque ministros, erat Pharisæorũ morbus, quia cæci erãt, & duces cæcorum: & quos ipsi vocabãt cæcos, illuminauit Christus, & ipsi qui iactabant videre obcæcati sunt Ioan. 9. In iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. *Maledicti sunt.* Maledictionem esse putabãt credere in Christum cũ tamen omnis cœlestis benedictionis origo sit. Quippe citra fidem impossibile est placere Deo, Hebr. 11. Et opportunè Esaias clamat, Væ vobis, qui ponitis lucẽ tenebras & tenebras lucem. c. 5. Tales isti erãt, qui benedictionẽ Dei asserebant esse maledictionem. Scriptũ autem est in Abraham fore benedicendas omnes nationes terræ, hoc autem erat propter Christũ ex Abraham carnis ducentem originem, Matth. 2. Et ad Gal. 4. At verò Pharisæi Christũ, in quo plena benedictione, quia æterna benedicũtur omnes gentes, maledictionem esse testabãtur. At ipsi cõtra erãt verè maledicti, quia noluerũt benedictionẽ Dei, quę est Christus, & elõgabatur ab eis, Psal. 108. Et Deus, Gen. 12. maledicit maledicẽtibus Abrahę, & benedicit benedicentibus. Quid quod maledicat maledicentibus vnigenitũ suũ, & benedicat benedicẽtibus. Super turbam igitur credẽtem, benedictio Dñi erat, & super Pharisæos peruicaces, maledictio Dei super capita eorũ, quia sanctum Dei blasphemauerũt. *Dixit Nicodemus qui venerat ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis, Nũquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?* Nicodemus erat discipul⁹ Dñi occultus tamen, eratq; ex principibus Iudæorũ supra. 4. Et quia Christũ amabat, ideò dolens, q̃ Pontifices & Pharisæi in audita causa, ipsum damnabãt admortem, Christi partes agẽs dixit, Nũquid lex nostra, &c. Namq; Deut. 7. Diligẽter esse vestigandã causam reorũ iubetur, & nõ perfunctoriè, antequã reus cõdẽnetur ad mortem. Pharisæi autem ruebãt ad interficiẽdum Christũ ex inuidia, & odio & nõ ex iustititia moti. Quamobrẽ latenter Nicodemus carpit Pharisaicos mores, & principum reprehẽdit iniquitatẽ, quia legẽ non seruabant, inaudita causa Dñm occidere volentes. Et qui ex lege gloriabãtur, cõtra legem agebant. Mendaces autẽ ostendit eos esse Euãgelistа, dicẽtes nullũ ex principibus credidisse in Christũ. Quippe Nicodemus erat vnus ex numero ipsorũ, & credebat in Christũ. Item ex numero scribarum erat Natanael, & in Christum credebat, vt supra dictum est.

Pharisæi seducti, veraces vocant seductos.

Genes. 17.

In Christo est benedictio plena, qa æterna.

¶ Diximus autem superiori sermone, diuinam sapientiã ad hanc rationẽ mysteria Christi temperasse, vt maxima pars primorum credẽtium fuisset ex idiotis, & vilibus personis, ne, scilicet, arbitrarẽtur homines fidem Dei, esse humanæ sapientiæ opus. Verũ ne sapiẽtibus, & primoribus esset ludibrio, & cõtemptui fidei prædicatio si aduerterent à nullo sapiente, à nullo q̃; primore probari, ideò misscuit cũ idiotis & vilibus, sapientes paucos, procereſque quosdã, qui fidem idiotarũ, etiã reciperẽt. *Respõderunt, & dixerunt ei, Nũquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa, propheta nõ surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domũ suam.* Præceps esse iudiciũ principum, & Phariseorũ de dãnando Dño ex omnibus alijs, & ex hoc loco satis liquet. Nãq, si isti nõ attentassent facinus hoc interficiendi Dñm: sed diligenti iudicio, rẽ perpendissent vtiq; cognoscerent Dñm Bethlehemitã esse, & ideò natũ in Iudęa, & non in Galilæa. Verũ inuidiæ, & odij furor cæcabat illos, vt incognita Dñi causa vellent ipsum occidere, & Nicodemus nihil agebat si erat Christus propheta, sed solũ quod inauditus nõ erat occidendus.

Cur in exordio Euãgelij maxima pars credentium fuerint idiotæ, & viles pſonæ.

¶ Obseruabis sedulo argumẽta hæreticorũ Lutheri, & suorum discipulorũ friuola satis esse: quoniã sunt talia, qualia horum Pharisæorum. Isti enim ex negatiuis procedunt ad inferendã suam illationẽ. Colligunt enim, In Christũ, nõ credunt Principes, neq; Pharisæi, igitur nõ est credendũ. Rursus nullus prophetarũ surrexit ex Galilęa, igitur Christus non est propheta. In quem modũ hæretici argutantur, Nõ est expressum in scriptura sacra, igitur nõ est credendũ. Cum tamen forma hæc colligẽdi reprobata sit à dialecticis, quia ex negatiua pura nulla cõsequitur illatio. Quippe non esse, nihil infert. Quãuis enim principes non credebant, neq; Pharisæi, nũquid ideò necessario sequebatur nõ esse credendum in Christũ. Etsi illis donaretur, nullum vatũ ex Galilæa surrexisse, nunquid necessariũ erat Christũ, quem putabant Gali-

Argumenta Lutheri sunt similia argumentis Pharisæorum.

Galileũ non esse prophetã? Vt etiã nõ est necessariũnõ est expresũ in scripturis par uulos esse baptizãdos, igitur arcendi sunt à baptismo: siquidẽ satis est, consuetũ esse abexordio nascẽtis Ecclesiæ, hos tradi baptismo. Nicodemus autem non erat gene re Galilæus, sed potius Iudæus, at vocatur Galilæus, quia Christi, quẽ censebãt esse Galilæum, partes ducebat etsi ex timore, non publicè ducebat, vel sensus est, Tu nõ es ex Galilæa, cur ergo faues Galilæo.

Multi ptophetæ Galilæi.

Quod verò isti dicunt ex scripturis nullũ fuisse Galilæũ prophetã, falsò dicunt. Nãque Elisæus fuit Galilæus, & Tobias, qui etsi non referatur in numerum prophetarum: fuit tamen illustratus prophetico lu mine. Et Debora, fuit item prophetissa ex Galilæa, & verisimile est fuisse & alios. Christus verò Nazaræus appellatur, & ideò etiam Galileus, quia Nazareth est Galilææ ciuitas. Vnde Mar. 6. Nazareth vocatur patria Dñi, nõ quia ibi natus, sed quia ibidem enutritus, & cõuersatus. Erat igitur Bethlehemita Christus, ex natiuita te, at Galilæus educatione, & conuersatio ne. Et Pharisæi, nolebãt hæc distinguere, vt veritatẽ intelligerent, & scriptura nõta cuit Messiã futurum etiam Galileũ, quip pe Esa. 11. vbi nos legimus. Egredietur vir ga de radice Iesse, & flos, de radice eius ascẽdet, Hebraicè legitur, & Nazarenus de radice eius ascẽdet. Vtraq; igitur de Dño erant prænuntiata, & quod Bethlehemita era futurus, Matt. 2. & quod Galilæus ex Nazareth, vt prædictũ est. Malè, quapropter Pharisæi scrutabantur scripturas. Græca lectio non habet, surgit, vt nostra, sed, surrexit, & ita legũt Chrysо. & Theo phil. In quibusdam codicibus, item nõ legitur scripturas, sed scrutare. Porrò forsan dicet aliquis, non esse Pharisæos culpandos, quod Dñm appellarent Galilæum, si quidem Nathanael, Ioã. 1. Christi idẽ nomen insinuauit, dicens, Num à Nazareth potest aliqd boni esse? Imò & Philippus, Inuenimus ait, Iesum à Nazareth. Cæterum quia affectus pendendus est, & non ipsa sonans exterius vox, ideò Nathanael à Dño commendatur. Pharisæi verò sunt carpendi, quia Dñm ad ignominiã, & probrum vocabant Galilæum. Et proh horũ hominũ densissimam cæcitatem, prophetam esse inficiãtur Christum, quia à Galilæa non surrexit propheta, sed Moses vnde surrexit? Respondeant ipsi. Vtique ex Ægypto, fuit nãq; Ægyptius Moses à natiuitate scriptura testãte, Exo. 2. Nũquid ob hoc quia ex Aegypto surrexit, ideò nõ fuit propheta, aut contemnendus Moses? Imò maximi habebant Iudæi Mosem. Sed obsecro nunquid Aegyptus erat præstantior locus, quã Galilea ad procreandũ vates Dei, imò ignobilior, quippe Galilęi cultores erant Dei, & Aegyptij contra. Vana igitur est Pharisaica obiectio, ex Galilæa non surrexit propheta, quippe quid si nõ surrexit, potuit surgere, imò surrexit Dñs prophetarum ex Galilæa, secũdum nutricationis, & conuersationis, non tamen natiuitatis in Galilea rationem. Si legislatorẽ Iudæi ex Aegypto habuerunt cur incredibile illis est Messiã pertinere ad Galilæã? Verũ rectè traditur, Quatuor ista timor, odium, dilectio, census, hominum, rectos peruertere sensus. *Et reuersi sunt vnusquisq; in domũ suam.* Hanc finalem clausulam Theophilactus, & Cyrillus, & alij nonnulli in textu Euangelico, quem exponunt, non habent.

Christ⁹ Bethlehemita & Galilæus.

MORALIA.

Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, &c.



Varia est hominũ sitis, enim uero, quidam sitiunt honores, alij voluptates, alij diuitias: & vnusquisq; pro sua conditione alia, & alia desiderat. Cæterũ vna est omnium sitis, idemque beatitudinis desideriũ. Quamquam enim de essentia beatitudinis diuersa sint hominũ placita. Philosophis enim, vel in virtute, aut operatione virtutis beatitudo collocatur, vulgaribus autẽ ex maiori parte voluptas, diuitiæ, & pro genio viuere, beatitudo reputatur. Nobiliorib⁹ verò honor, & potestas, & stẽmatum claritas beatitudo esse ducitur. Et demum quãdo tristitia hominẽ corripit voluptuosos, beatos esse proclamant: quãdo paupertas premit, diuites beatos esse pronunciamus, vt quãdo morbis vrgemur nihil felicius esse ducimus, quã sanitatis beneficiũ. Cæterũ etiãsi varij varia de beatitudinis essentia sentiãt, vnus est omniũ appetitus, vnũ est desideriũ beatitudinis. Quamquã enim

lateat

lateat distinctè, qualis sit ipsa quæ desideratur beatitudo, at in generali omnibus est conspicuum, Beatitudinẽ aggregare vniuersa bona, & mala depellere cũcta. Quamobrem hoc vnum vnicè omnes desiderant, hoc in summis habẽt votis, huic impensissimè inhiant, vt cunctis fruantur bonis, & nullis premantur malis. Est nanque beatitudo summum bonum, quod si summum bonũ est, nullum desiderat bonũ. Nã si desideraſſet aliquod bonum, non esset summum bonum. Quod enim illi defuisset bonum redderet eam non summum bonũ: quia defectus boni malum est, malum autem commixtũ cũ bono, ipsum bonum, cui miscetur facit esse non summũ bonum.

Beatitudo aggregat omnia bona & depellit omnia mala.

Beatitudo est summum bonum.

¶ Vnde ex diuersitate opinionis de summo bono, prodeunt etiam diuersæ opiniones de beatitudine. Nam qui summum iudicant esse bonum, mergi voluptatibus, isti voluptatum fruitionem beatitudinem esse ducunt, & ita de reliquis. Deceptio igitur in decernẽdo summo bono, deceptio est etiam, in intẽtione beatitudinis. ¶ Porrò autem nullum creatum bonum est summum humanæ mentis bonum: quod humanæ mentis beatitudinis sitim extinguere possit. Enimuero si voluptates sensuales dicũt quod Christus, si quis sitit, veniat ad me facilè mentiuntur. Postquã enim homo pro sua libidine voluptatibus huiusmodi se expleuerit, easdem fastidit, at beatitudo nemini fastidium generat, sed summam quietem. Quidquod, voluptas nõ potest extinguere humanæ mẽtis sitim. Postquam enim istę te expleuerint, alia habere cupis, siue honorem, siue pecunias, siue vltionem ex inimicorum iniurijs, &c. Ad quam sane rationem neque honores, neque diuitiæ, neque stemmatum claritas, neq; potestas, &c. possunt polliceri quod Christus modo pollicetur, Si quis sitit veniat ad me. Quoniam si biberis honores, diuitias & reliqua seculi bona, adhuc sities alia. Hæc nanque cum sint fluxibilia bona, sitim humanæ appetentię non tollunt, quia immortalitatem non donant. Quinimo fac hæc bona vniuersa sociata immortalitate, in homine non desiderari, vt non desiderabantur in protoplasto Adamo, etiam num non extinguent sitim humanam. Nanque adhuc ipsa mens ad Deũ assequendum anhelasset. Enimuerò cum mens nostra ad imaginem Dei fuerit condita, & diuinitatis capax per cognitionem & fruitionem, si diuinitatis fruitio desideratur, beatitudo nõ datur. Esset sanè protoplastus si perstitisset in paradiso beatus naturali quadam beatitudine, quæ nulli hominum postea contigit neque contingere potest: quia omnes morimur, & sicut aqua dilabimur super terram. At verò ad maiora se porrigit humanæ mentis desiderium, quam ad bona naturalia omnia: nempe, ad bonum illud diuinum, quod omnia bona creata transcendit. Vnde aiebat Augusti. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te. Et ante Augustinum regius ille decantarat psaltes, satiabor cum apparuerit gloria tua Domine: quippe bonorum omnium creatorum summa, nõ æquat vnicum bonum increatum quod est Deus. Hoc nanque bonum infinitũ est: illa verò finita, etiam si illa omnia in cumulum redigas. Quocirca quandiu non adipiscitur creatura rationalis hoc infinitum bonum, & videndo clarè, & fruendo perfectè, non est sitis eius extincta: sed semper sitiet huius infiniti boni adeptionem.

Adã beatus fuisset in paradiso naturali beatitudine quæ postea accidit hominum.

Cumulus omnium bonorum creatorũ non æquat bonũ increatum.

¶ Peripatetici quapropter beatitudinem subtilissimis rationibus exquirentes, & tradentes tandem esse in contemplatione diuinorum, non collimarunt cum veritate, etiam si gestiant se collimasse. Enimuero contemplatio diuinorum, quæ nobis in hac peregrinatione agentibus accidit, confusa est, & ænigmatica est, & laboriosa est plusquam satis. Quippe diuina multum transcendunt modici nostri ingenij facultatem, testante Aristotel. 1. Metaphysicorum. sic se habere intellectum nostrum ad illa intuenda, vt oculus vespertilionis, ad lucem solarem. Porrò si laboriosa est hæc meditatio nostra diuinorum, si ænigmatica est, vtique beata non est. Nam beatitudo summa est requies, & nihil laboris admiscet. Adde, quia confusa, & ænigmatica est, authore Paulo, quia videmus modo per speculum in ænigmate, ideò beatitudo non est, quia beatitudo perfecta est,

& nihil imperfectionis admittit. Quam obrē congruēter dixit Ausonius in Solonis sententijs: dico tunc vitam beatam, cum peracta fata sunt. Quippe dum hic viuitur, beatitudo nulla adesse potest. Nihil nanq; in vita hac boni est, quod nostrā possit satiare mētē: sed solū cœlestia quę vētura sunt bona, hęc sola possunt nostræ appetentiæ sedare sitim. Vnde Boetius metro. 10. lib. 3. ad illa superna nos inuitans bona cecinit.

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terreas habitans libido mentes.
Hic vobis requies erit laborum:
Hic portus placida manens quiete:
Hoc vnum miseris patet asylum.

Beatitudo à Christo constituitur in contrarijs ad bona sensibilia.

Porro Dominus volens nos auocare ab omnibus, quę homines vulgo putāt hominē beare, & reddere felicē in cōtrarijs eorū statuit beatitudinē hominis, Matt. nanque. 5. Pauperes spiritu pronuntiat beatos, vt diuitiarū affectū putemus esse miseriam. Et beatos esse proclamat lugentes, vt voluptatibus deditos, insinuet nō esse beatos, sed miseros. Et beatos docet eos, qui vexantur, & torquentur, & persequūtur propter iustitiā, vt in honoribus seculi, & in pompaticis fastibus ne credamus esse beatitudinē nostrā. Quandoquidē beatitudo potius est, in amissione honoris secularis propter Euangelij iustitiā. ¶ Olfecerunt autē hoc ipsum & gētiū poetę, siquidē Hora. Oda. 9. lib. 4. pulchrè Domino cōcinit in hęc carmina.

Poetę de beatitudine consonant Euangelio.

Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque letho, flagitium timet.
Non ille pro charis amicis
Aut patria timidus perire.

Neque contraria, sed eadem sapit Lucanus lib. 9. belli ciuilis, de beatitudine loquens ad hunc modum.

Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perueniunt. Illic postquam se lumine vero,
Impleuit stellasque vagas miratur, & astra,
Fixa polis, vidit quanta sub nocte iaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.

Porro autem, poëticis non indigemus testimonijs, quandoquidem, ipsa temporalia quæ cernimus bona, & vniuersa denique creata bona, ipsa se tacendo produnt, ipsaq; non clamando proclamāt, se nō esse beatitudinem consummatam hominis: quippe quę vel fluxibilia sunt, vel si non fluxibilia creata tamen sunt, & non ipsum bonum, ipsumve hominis summum bonū. Vnde omnia hæc, quia hominis appetentiā nō tranquillāt, ideo innuunt, alia esse quærenda bona, quæ sunt diuina bona, & supernaturalia bona, in quibus tādē mens creata quiescit, vt grauia in centro suo pacē habēt, & leuia in summis locis quietem possident.

Vniuersa creata tacendo se produūt non esse ipsum hominis bonum.

¶ Cęterum ad hęc supernaturalia bona, exilis est appetitus noster. Ad naturalia quidem prompta sunt desideria nostra, ad supernaturalia vero difficiles sumus, vt ad ea, quæ sunt cōtra naturā nulli. Vnde exigua est sitis nostra ad supernaturalem beatitudinē capessendam. Quippe hanc, vt imparē nostris viribus, vtq; nostros superantem humeros habentē pondus exiliter cupimus. Desideria enim nostra ad nobis proportionata bona accenduntur facilè, ad improportionata verò, frigēt. Quāobrē sitimus nobis cōnaturalia bona ardenti siti, at quæ nō vidētur nostræ familiaria naturæ esse bona, sed leuata admodū supra naturā nostrā, non sitimus ardenter, sed segni quodā & tepenti desiderio illa auemus.

¶ Dominus ergo noster, Iesus Christus, venit in mundū, vt quæ ardenti siti, desiderabamus, iā nō desideremus, & quæ segniter cupiebamus, ardentissimè sitiamus. Itaque quorundā bonorū extinxit sitim in sanctis suis, & aliorum bonorū accendit sitim in eisdem. Temporalium nanque bonorum extinguit infidelibus suis sitim, at ęternorū excitauit sitim cōtra verē diabolus molitur. Porro quod illorū sitis extinguatur, & quod horum excitetur diuini muneris est. Vnde modo ait, Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Quid obsecro est si quis sitit? Quid ergo, sitiunt homines, voluptates diuitias, honores, num horū abūdantiā pollicetur suis Christus? Non vtique hanc memoratur Christus sitim. Neq; enim voluptates seculi, aut pompas inanes pollicetur fidelibus, sed crucem ferendam secum eis imponit. Hæc nanque temporalia calcanda docet non amanda, abhorrenda, non sitienda. At verò

Christus in sanctis suis cœlestiū bonorum excitat sitim, & temporaliū sitim extinguit.

est

est sitis alia quã ipse operatur in nobis, illa inquam, cuius ipse in Euangelio Matth. meminit. Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hanc sitim beatificat Christus: & hæc sitis est iustitiæ sitis. Cuiusnã iustitiæ? Vtiq; illius cuius Paulus memoratur, Rom. 14. Regnũ cœlorũ nõ est esca, vel potus, sed est iustitia, & pax & gaudiũ in Spiritu sancto. Hæc iustitia est adhærere iustissimo Deo in omnibus, & omnes diuinas amplecti iustificationes, id quod cõsummatè præstare, sanctorũ cælicolarum est, at vero pro humano exhibere penso fideliũ iustorũ est. Quippe qui Deo adhærent, & in Domino collocant spẽ suam, vt Dauid ait, Mihi adhærere Deo bonũ est, ponere in Deo spẽ meã. ¶ Beati igitur sunt, qui hãc iustitiã sitiunt, & esuriunt. Quoniã in spiritualibus, idẽ est esuries, quod sitis. Vtraque enim sunt vehemens animi ad hęc habẽda desiderium. De huiusmodi siti verba Domini intellige, Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Si quis iustitiã sitit, scilicet, regni cœlestis habitationẽ, si quis hærere Deo, si quis sitit maculas peccatorum abstergere, si quis sitit perseuerantẽ esse in bonis, si quis sitit diuinã amicitiam, si quis denique vniuersa spiritualia, & cœlestia bona sitit, veniat ad Christum fontem viuum, & explebit suam sitim. ¶ Vnus est Christus, qui hanc sitim extinguere potest, ipse solus est largitor iustificationis, & glorificationis nostræ author. Ipse dat merita promerentibus, & dat præmia legitimè certantibus. Non Moses, legislator, non lex lata, non ceremoniæ ex lege sancitæ, non philosophorum gymnasia, non caro, nõ sanguis, nõ mundus non angelorum agmina hanc sitim sedare possunt, sed solus Christus, qui clamat, Si quis sitit veniat ad me. Veniat ad me sanè, non vadat ad se, si enim vadis ad te, si sities iustitiam, nõ bibes iustitiam, sed vanitatem: imò si sitis spiritum Dei, ex te hauries, sed mundanum spiritum. Si ad te vadis hauries terrena, quæ ad tempus parta possidentem satiant, at æterno satiare non possunt. Si sitis ergo veram iustitiã, verã sanctificationẽ, si sitis vera possidere bona, Christum inuitantem audi, Veniat ad me. Noli abire ad creaturas, quia istæ non possunt humanę mentis explere hęc altissima desideria. Memor esto vatẽ illũ dixisse Hiere. 2. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, Me dereliquerũt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valẽt aquas. Qui ergo venit ad Christũ ille vadit ad fontem viuum, vnde viuã aquam hauriet, quæ suã possit spiritualẽ sedare sitim. Qui verò ad se venit vel ad creaturas vadit, vt ab eis suam sitim satiet, satiari non potest. Quippe creaturæ nõ sunt fons aquæ viuentis, quia creaturę à Deo hauriunt vitã, & à se vitam non habent. Imo sunt veluti cisternæ dissipatę, quæ aquas refectionis non possunt continere. Cisterna quidẽ non habet originem aquæ, sed ex fontis participio, vel fluminis, vel cœlestiũ imbrium haurit aquas quas continet. Quod si dissipatæ sunt cisternæ, modico tempore aquas aliunde exhaustas retinere poterunt. An nõ voluptifica vniuersa, opulentissima quæque, honorificentissima omnia, quæ mirantur suspensi homines, sunt cisternæ dissipatæ, siquidem præterit figura huius mundi? Et vniuersa conferuntur vapori ad modicũ apparenti: quippe sicut vmbra, & sicut fumus vniuersa transeunt. Dimitte igitur si sitis, cisternas has dissipatas, & veni ad fontem viuentis aquæ, qui dissipari nequit: & ex hoc fonte abundè tuam leuabis sitim. Hunc fontem sitiebat ille, qui aiebat, sicut cernus desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea desiderat ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuũ, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei, Psal. 41. Ceruus æstuabundus, properè currit ad fontes, vt æstum mitiget. Ceruo igitur æstuãti se cõtulit Psaltes: quippe desiderium sanctorum ad conseruandam Dei gratiam & adipiscendam æternam coronam, est vehementissimum. Quod autem desiderabat sanctus iste, sicut ceruus, Deus nõ creata erãt. Sitiuit anima mea ad Deũ fontẽ viuũ, quando veniã & apparebo ante faciẽ Dei. Vtiq; semper psaltes Deo erat cõspicuus, at nõ Deus illi. Desiderabat autẽ venire ante faciem Dei, hoc est, quod Deus manifestus esset illi. Et rursum, Sicut terra,

Sitis iustitiæ est à Deo, & hanc satiandam promittit Christus.

Quæ est iustitia quã sitiunt sancti.

sine aqua, ita anima mea ad te Deus. Terra arida, irrigua desiderat cœlestium aquarũ vnde inebriatur, & fœcundatur Hæc igitur irrigua cœlestis gratiæ sunt à nobis sitienda, vt rore cœlesti hoc imbuti fœcundemur diuino spiritu.

¶ *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Sponta nea est hæc sitis, quia nemo cogitur vt sitiat, sed sponte sitimus cœlestia, sitis sanè potus naturalis aquæ, vel vini, nõ est spontanea sitis, velimus enim nolimus, sitimus bibere, vel vinum, vel aquam. Natura enim animalis poscit humectari & infrigidari, ex potu naturali. At verò sitis hæc non naturalis est, sed spõtanea est. Spontanea quidem est, quia nostri arbitrij est sitire Dei iustitiam, quæ nostra est sanctificatio, verum nisi præueniamur diuina gratia, non sitiemus nostram iustificationem. Nemo inquit, venit ad me nisi pater meus traxerit eũ. Igitur ad leuandam sitim hanc veniendum est ad Christum: & ad Christũ nemo venit, nisi pater traxerit eum, vnde nemo poterit leuare sitim nisi pater Deus eũ traxerit ad Christum. At, qui sitit iustificationem, & vnionem cum Christo, iam trahitur à patre, nam sitire hæc diuina habere, trahi est quodãmodo. Nanque, qui cœpit, dimidium facti habet: verum qui sitit, iam orditur suam iustificationem. At verò, vt sitire, est nostri arbitrij, & diuini muneris, ita & venire ad Christum, & bibere, nostrę sunt voluntatis, & diuini sunt charismatis.

Nemo sitit spiritualiabona nisi præuentus diuina gratia.

¶ Porrò forsan dicet aliquis, Quale est hoc quod bibendum est? Quippe solum ait, Veniat ad me, & bibat, non subdit tamen quod bibendum est. Enimuerò supra. 6. expressit Christus, suum sanguinem bibendum. Qui manducat, ait, meam carnem & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in eo: at vero modo solũ ait, Veniat ad me, & bibat. Nũquid ergo alia sunt à nobis bibenda pocula præter Christi sanguinẽ, vt sitim nostrã expleamus? ¶ Et rursus forsan solicitat lectorem, cur hic nihil meminit de esu carnis suæ, sed solum ad bibendum sitientes inuitat, & non explicat qualis hic potus?

¶ Annotandũ est autẽ, id quod supra ad uertẽdũ duximus in spiritualib⁹ idẽ esse esurię, & sitim, idẽ cibũ atq; potũ. Christus igitur se vocat cibũ mentis, atq; potũ supra cap. 6. Ego, ait, sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet in ęternũ. Credendo igitur Christum, vt oportet credere, esuries mentalis sedatur, & sitis expletur. Ipse igitur Christus est credentiũ cibus, & credentiũ potus. Cũ ergo fiticulosos, ad bibendũ inuitat, vtiq; ad se bibendũ inuitat. Tunc autẽ Christũ bibimus, nõ solũ quando eius sanguinem sacramẽto Eucharistiæ conditũ potamus, sed quando proluimur ex baptismali fonte, aut per pœnitentiæ sacramentũ Christo reconciliamur. Est autẽ summopere consi derãdũ, non omnẽ sitim esse verã sitim, & ideo nonnullos sitientes non bibere Christum: quia nõ vere sitiunt. Vt enim in sensibilibus non omnis sitis, est vera sitis: est nanque sitis vera, quę ex natiuo naturæ desiderio proficiscitur: est verò sitis ficta, quæ ex alijs causis, scilicet, vel ex morbo, vel ex cibo, vel aliâs originẽ ducit: in hunc quoque modũ in spiritualibus, est sitis nanque vera, desiderium efficax, quod homo concipit se se vnien di Christo per fidẽ, & charitatẽ. Est sitis non vera, desiderium cœlestiũ bonorũ inefficax tamen. Talis erat illorum sitis, quibus Dominus per Esaiam loquitur dicens. 58. Me etenim die, in diẽ quęrunt, & scire vias volunt, quasi gens, quę iustitiã fecerit, & iudiciũ Dei sui non dereliquerit. Et paucis interiectis declarat horũ sitim non esse verã dicens, Ecce in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra. Sunt nanq; multi hoc genus homines, qui se sitientes diuinorũ profitentur: & hæc summis exoptare votis semper testantur, at vero inefficaciter. Nunquam enim cessant à peccatis, quibus tenentur, quibus dicitur, Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorũ longe est à me. Tales erunt illi, qui dicent supremo iudici, Nõne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes fecimus multas? Et Dominus cõtinuo respondebit illis, Recedite à me operarij iniquitatis, &c. Tales sunt illæ virgines fatuæ, quæ nõ sum pserunt oleum in lampadibus suis. Huiusmodi enim sunt, qui credebant se veram sitim habuisse diuinorum, & præstitisse omnia necessaria, vt Christum biberent, cum tamen non præstiterint,

Sitis vera & sitis nõ vera.

Vere fiticulosos Christus potat, non vere fiticulosos vacuos relinquit.

terint, sed mens ipsorum adhuc grauata erat iniquitate. Ideo etsi venerunt per fidē ad Christū, hæc autē fides mortua iacebat, ideoque non biberunt de spirituali petra, quæ Christus est. 1. Cor. 10. Oportet igitur non fictam gerere sitim, qualis est hypocritarum, sed veram habere cœlestiū sitim. Fictam enim sitim Dominus non explebit, at veram sitim ipse satiabit. Ideoque subdit, Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina fluēt de ventre eius aquę viuæ. En tibi, vt Dominus tollit sitim, donando flumina, quæ fluant ex ventre sitiētium. Fieri autem non potest, eum sitire qui intra se gerit aquæ fontem, aut eum sitire, qui intra se flumina defluentia, etiam foris continet. Nanque si tanta est flumiūm vbertas, vt etiam extra fontē se prodāt, & extra dimanent nulla prorsus sitis extabit, non solum in habente, sed neque in alijs, ad quos flumina perueniēt, sed summa ex potu satietas. Miratu est hoc quam dignissimum: nō sat est Christo, sitim explere nostram, sed etiam tāta vbertate explet, vt flumina fluant de ventre eius, qui sitierat antequam ex flumine diuino potaretur. ¶Omne datum optimum & omne donum perfectum descendere à patre luminum, qui dat omnibus affluenter & non improperat, testatur Iacobus. 1. Quamobrē, sitiē tibus affluenter donat potum: quippe ex eorū ventre flumina fluere facit aquę viuæ. ¶Euangelista Ioannes cap. 4. cōmemorat alia Domini verba quæ fere, idem sapiunt, Aqua, quā ego dabo fiet in eo fons aquæ salientis in vitā æternā. Aqua igitur, ex qua Christus suos potat sitientes, fit in potante fons aquæ viuæ salientis in vitam ęternam. Nūc verò nō fontis meminit, sed fluminum aquæ viuæ defluentiū ex ventre potati. Vtrobique sermo est de aqua viua, at nō vtrobique fontis. Sanè vtrobique sermo habetur aquæ viuæ, quia Christus est fons viuus, ideo suos potat aqua viua, non aqua mortua. Aqua siquidem materialis dicitur viua, ex ebullitione & motu suo, quia iugiter sursum versus salit. At verò instar huius, aqua, ex qua Deus potat suos sitientes charitas est, quæ semper cœlum versus bullit, hoc est iugiter mouet habentes, ad vitam parandā ęternam. Hæc autem charitas fons est cœlestis nobis infusus, at studio sanctorū fit vberior fons, quia continuis meritis illā augent, vt sit exuberans velut fons copiosissimus vitalis aquæ, scilicet, optimorum meritorum. Et quo maior est charitas, tanto est minor sitis terrenorū. Quippe charitas hanc terrenam extinguit sitim. Verum quo ipsa maior est, eò flammantiora accendit desideria vitæ æternæ. Horum igitur cœlestium bonorum sitim auget charitas, tantum abest, vt extinguat. Vnde dicebat ille, Cupio dissolui & esse cum Christo. Si vis autē scire qua nā ratione flumina fluunt ex ventre credentis in Christum, disces ex Paulo. 1. Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperā, &c. Tot ergo flumina fluunt ex volū tate habentis charitatē, quot sunt virtutes à Paulo denarratæ, quę à charitate dimanant. Est enim benignitas, flumē alterū patientia, alterū non æmulari, sed candidum gerere animū. Et ita de reliquis, quæ sacer apostolus ibidē prosequitur. Est igitur fons charitas, ab hoc fonte flumina defluunt viuentis aquæ. Vniuersę nanque virtutes, vel virtutum operationes, vt Deo gratæ sint ex hoc fonte dimanant. Ioan. autem. 4. ad ipsam charitatē, quam Spiritus sanctus infundit in cordibus iustorum Dominus respexit. Nunc verò ad virtutum opera viuentia, quæ ex ipsa proficiscuntur. Ideò ex ventre credentiū in Christū flumina fluent aquæ viuentis. Vtique ex ventre, quia voluntas est tāquā venter spiritualis quidam, vnde omnia opera, & affectus animi deriuantur. Ab hoc ventre si naturā ventris spectes non flumina aquæ viuæ possunt defluere: quandoquidē volūtas sola sine opitulante Dei gratia Deo placere non potest. Destituta enim à charitatis contubernio, Deo inimica est. Porro si charitate infundatur, iam ab illa flumina procedere possunt sanctorum operū. A charitate enim fluxerūt sancti martyres, confessores, doctores sancti, continentes, atq; virgines: & omnes denique quos cœlestis admittit curia, ab hac fluxerūt. Ista sunt flumina illa, quorū impetus, vt inquit psalmographus, lætificat ciuitatē Dei. Hæc flumina nostri animi in sanctitate, & iustitia cōseruāt virorē,

Charitas est fons in volū tate à Deo in fusus bullies cœlum versus, ex quo fonte omnia merita proce dunt.

Flumina ex charitate defluentia.

Charitas fons vndeme ritum dimanat in opera nostra.

& integritatem. Nãque flumina ea, quæ aluunt virentia faciunt. Vbi enim deſiderantur aquæ ſiccitatis damna ſentiuntur. Iuxta hæc flumina ſunt ſancti Dei omnes plantati, Pſalm. 1. Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Crearat Deus in exordio naſcentiũ ſeculorũ paradiſum, & in paradiſo fontẽ, vnde originẽ ducebant quatuor flumina celeberrima mundi. Sic quoque in anima iuſti, quæ eſt velut paradiſus quidam Domini creat Deus fontem charitatis, quæ vniuerſam irrigat animam rationalem. Et ab hoc fonte non quatuor flumina, ſed innumera ſanctorum operum flumina progrediũtur. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura flumina, &c.* Collige tria à Domino tradi, ſitire, venire, & bibere. Hæc tria tres actiones noſtri arbitrij denotant. Nam ſitire voluntatis noſtræ operatio eſt, vt venire ad Chriſtum, vt denique bibere. Cur igitur inſanit Lutherus cum ſuis clientulis, dicens, liberum arbitrium eſſe titulotenus liberum, re tamen ipſa ſeruum? Nõ latet catholicos ſitire, & venire, & bibere cœleſtis eſſe gratiæ, at verò nec catholicos fugit eſſe actiones noſtri arbitrij. Hæc enim ſibi conſentiunt, in vnaque ſede morantur, & gratia Dei, & arbitrij libertas, vt etiam non pugnat, Dei concurſus cum naturalibus actionibus. Natura nanque ſuas non abſolueret functiones, niſi diuinus concurſus cooperaretur, vt etiam neque liberum arbitrium ſuas voluntarias actiones, quas ex natura ſua habet, poteſt exequi, niſi diuina coeunte opera. Quid igitur mirum eſt, ſi actiones ſupernaturales alioqui voluntarias, non poſsit præſtare, niſi Deo ſpecialiter opitulante. Vt enim ad ſibi familiaria, familiari eget Dei concurſu: ita ad ea, quæ non ſibi familiaria ſunt, ſed excedentia potius ſunt ſuam vim, eget ſpeciali Dei adiutorio.

Lutherus refellitur.

Liberum arbitriũ & gratia Dei conueniunt.

Liberum arbitriũ ad ſupernaturales actiones, indiget ſuper naturali adiutorio.

¶Eſt autem ſitis hæc, de qua loquitur Chriſtus, ſupra naturam noſtri arbitrij, vt & venire ad Chriſtum, & eundem bibere. Nanque ſitire hoc eſt, efficaciter deſiderare Dei inire amicitiam, & in ſanctitate, & iuſtitia viuere cunctis diebus vitæ noſtræ, vt inde ad regni æterni hæreditatem perueniamus. At vero hoc deſiderium quanuis vt prídem dicebamus in generali non ſit ſupra naturam liberi arbitrij deſiderantis ex natura ſua bonum, quia omnia naturaliter appetunt bonum. At in vero ita in particulari vt expreſsimus excedit naturam noſtram, quippe huiuſmodi efficax excedit proportionem noſtram. Quocirca liberum arbitrium indiget iuuante, & excitante vt ad tantum habendum deſiderium leuetur.

¶Sunt porrò tres hominum conditiones, quidã ſunt infideles, alij fideles peccatores tamen, alij fideles iuſti. Infideles igitur ſitire poſſunt, & ſitiunt ſæpe Euãgelicam diſcere veritatem, Chriſto vniri, & ſacramẽtis eiuſdem imbui. Et iſtis Chriſtus ait, ſi vos me ſititis venite ad me, per baptiſmi ſacramentum, & tunc bibetis veritatem Euangelicam: & mihi incorporabimini, & eritis mihi populus, & ego veſter Deus. Fideles autem peccatores, ſitiunt non diſcere Euangelicam: quam iam per fidem hauſerunt veritatem, ſed ſitiunt gratiã, quam amiſerunt reſtaurare baptiſmalem, & iſtis Chriſtus loquitur, ſi vos ſitim habetis, venite ad me per ſacramentum pœnitentiæ, quod eſt ſecũda tabula poſt naufragium, & bibetis gratiam meã, à qua excidiſtis. Iuſti autem fideles etiam ſitiunt perſeuerantiam in bono & hæreditatem ſanctorũ, quibus dicitur quod vadant ad Chriſtum, & bibent: ſiquidem ipſe qui eis dedit ſanctæ vitæ exordia is ipſe dabit complementum. Vitam autem ęternam bibere non poſſumus ſub hoc exilio. ſed certos facit ſuos fideles Chriſtus, quod eos tandem potabit torrente voluptatis ſuæ, & quod non ſitient amplius, neque eſurient, Apoc. 7. Et implebitur Eſaiæ verbum. 65. Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Reprobi enim ſitient ſempiterno: quippe beatitudine quam deſiderant perpetuò erant priuati. Electi vero nunquam ſitient tunc, quando diuino conſortio gaudebunt: & cœleſtis agnus, deducet eos ad vitæ fontes ęternarum aquarũ: quę erũt ſanctorũ ęterna gaudia. Erat quõdã Dei populus ſitiẽs, præ aquæ penuria, agens in vaſta Ægypti eremo: & diuina opera percutiente Moſe petrã, fluxerunt aquę abundantes, vnde populus ſiticuloſus ſuam

Tres hominum conditiones ſitientium ſpiritualia bona.

Pſal. 35.

Apoc. 7. Eſa. 49.

ſuam extinxit ſitim. Exo. 17. Neque in loco ſiticuloſo erat vnde leuaſſet populus ſitim ſuam, niſi ex petra ſciſſa, diuinitus ſcarutirent fontes aquarum, vt Pſalmus cecinit, Qui conuertit petram, in ſtagna aquarum, & rupes in fontes aquarum. Pſal. 77. Electi autem, qui in hac vaſta mundi eremo exulant, (electis nãque mundus hic eremus eſt, qui reprobis eſt ſolatium) Sitiunt Dei habere iuſtificationem, ſitiunt eripi à poteſtate Sathanæ, ſitiunt ęternas tandem habere coronas. At verò quis putas poterit, hãc leuare ſitim? Quis ſiticuloſis iſtis pocula exhibere vitalis aquæ? Niſi verbũ Dei, quod eſt fons ſapientiæ in excelſis? Sapien. 1. Hoc autem verbum Dei, eſt verbum caro factum, Ioan. 1. Hoc verbum. 1. Cor. 10. eſt petra à Deo patre percuſſa, propter ſcelus populi ſui, Eſa. 53. Hãc petram Iudæi degentes ſub lege Moſaica clauis, ſciderunt, & lancea, itẽque flagellis. Et ex ſciſſuris fluxerũt fontes ſanguinis, fontesque aquæ, nam ex latere Chriſti pendẽtis in cruce exiuit ſanguis & aqua. Hæc igitur ſunt pocula diuina electorum Dei, hæc cum potant ſitim ſuam leuant. Ad hæc fluxerunt ab hac petra, eccleſiæ ſacramenta, quæ qui volet ſuæ ſuccurrere ſiti bibat eſt neceſſe. Si infidelis eſt & fidem ſitit, currat ad baptiſmi fontem, & donabitur fide, & charitate Dei. Si fidelis peccator eſt, currat ad fontem lachrymarum, ſub pœnitentiæ ſacramento, & ſedabit ſitim ſuam, recõciliandi ſe Deo. Si iuſtus eſt, & ſitit æternam vitam, modicum ſperet quia veniens, veniet, & non tardabit Aba. 2. & interim, properet ad fontem Chriſtũ, vnde hauriet quod poſsit bonum cœptum, perficere ad Philip. 1. Et cum vate canat Pſal. 39. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. O Domine libera animam, & cætera quę ſequuntur. Et rurſum Pſal. 26. Expecta Dominum, viriliter agens. Omnes denique qui pietatẽ ſitiunt, hauriant eſt neceſſe aquas de fontibus iſtis Saluatoris.

Chriſtus petra ſciſſa ex cuius ſciſſurismanãt fontes vitæ vnde potantur omnes electi Dei.

¶ Ad hanc rationẽ potat ſuos Chriſtus, at verò, non ſic potat diabolus ſuos. Ille enim ad vitã potat, hic verò ad mortem. Legimus nãque in Iudicũ hiſtoria cap. 4. Siſara vt ſitim leuaret vtre lactis potatus interijt. Lacte ergo voluptatũ huius ſeculi, lacte diuitiarũ, lacteq; vanarum pomparum ſuos diabolus potat ad mortem. Chriſtus verò ablactatos ab hoc lacte, auulſos ab mundi vberibus, aqua ſapientiæ ſuæ, aquaque vitæ ęternæ ſuos potat. Ad quam bibendam ipſe inuitat aquam dicens. *Qui ſitit, veniat ad me & bibat.* Et per vatem ſuũ Eſaiam. 55. iam pridem inuitarat, dicens, Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argẽtum properate, emite, venite & emite & comedite, abſq; argento, & abſque vlla commutatione. Qui bibit igitur has ſaluberrimas aquas, & bibit, & comedit, ſiquidem qui eſt mentis ſaluberrimus potus idem item eſt, & mentis præſtantiſsimus cibus: ideò primo dicens, Sitientes venite ad aquas, nihil meminit potẽ, non enim ait, Venite, & bibite, ſed venite & comedite. Vt enim mentis ſitire, eſt etiam eſurire, ita mentis ferculũ, idẽ eſt mentis & poculum. At forſan ſciſcitaris, Qui non habetis argentum emite abſque argento, & vlla commutatione. Quî ergo emendum eſt ſi nullũ eſt pretium, nullaque cõmutatio tractãda eſt? Et rurſus ſi prima gratia, quæ eſt gratia iuſtificans, gratis donatur, quo venit pacto emenda. Nanque quod emitur, ſi rectè emitur iuſto pretio emitur. Verum ſcriptura, hæc duo, his verbis nos docere voluit: alterum eſt ſtudij eſſe noſtri, atq; laboris parare gratiã Dei nobis, alterum eſt eandemque non tam tribuendã eſſe noſtro ſtudio, quam diuinę miſerationi. Ideo, & emimus gratiã Dei, & non emimus. Emimus, quia ad illã aſſequẽdam præſtamus quod valemus. Non emimus: quia non ſumus ſufficientes ex nobis, quaſi ex nobis ad illam parandã: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Cor. 3.

Differenter potat ſiticuloſos Chriſtus, atque diabolus.

Idẽ eſt mentis ferculum atque mentis poculum.

¶ Potat autẽ Chriſtus ſuos ſitientes affatim. Vnde ſubdit. *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura flumina fluent de ventre eius, &c.* Vt iam nobis oblatrare ſinat Lutherus, debacchans vt eſt illi moris, omnia opera noſtra eſſe peccata. Sed proh Deum immortalem, qui conſtabit dogma hoc, cũ dogmate Chriſti. Fluent flumina de ventre eius aquæ viuæ? Obſecro, ſi ex volũtate habẽtis Chriſti fidẽ, & charitatẽ fiuunt flumina vitæ, quomodo tu aſſeris fluere flumina mortis? Quomodo ſunt peccata opera ſanctorum, ſi flumi-

Lutherus explodituꝛ.

na à Domino traduntur esse vitæ? Nunquid alicubi scriptura peccata vocat esse flumina vitæ? Imo contra Paulus peccata vocat opera mortua ad Hebræos. 9. Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Accedit eodem, quia à fonte viuo flumina nõ deriuãtur mortua. Iam verò si inuitamur à Deo ad saluberrimas has potãdas aquas, quis tam deses, quis tam iners, qui non properet, vt has ebibat aquas. Quod si ex socordia non sinimus, cœlestem hunc potũ, abijciamus à nobis socordiã: & sitiamus has vitales aquas, & festinemus ad Christũ, & bibamus: quippe ipse ait, Qui sitit veniat ad me, & bibat.

ENARRATIO. I.
In caput octauum.

¶ Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo venit in templum: & omnis populus venit ad eum, & sedens, docebat eos.

RETVLERAT Euangelista Dominum clamantẽ prædicasse in nouissimo scenopegię die, & quod ex Domini sublimi prædicatione, turbarũ Iudaicarum & Pharisæorum scissæ sunt sententiæ. Quidã enim rectè sentiebãt de Christo, alij verò non rectè, adeo, vt dissensio sit exorta inter turbas, & furor succenderit Pharisaica corda. Dominus ergo cedẽs furori Pharisaico, seruat morẽ suũ. Moris autẽ erat Domino interdiu prædicare in templo, sub nocte discedere in mõtem Oliuarũ, appellatus ob eam causam Oliueti mõs, quia multis oleis consitus erat. Distabat autẽ à Hierusalem itinere sabbati vnius. Acto. 1. discessit autem à Hierosolymis, & vt cederet furori Iudęorum. Quippe, vt ęcinit ille, dum furor est in cursu currenti cede furori. Et vt subductus à solicitudine irruentium turbarum, & strepitu malignantium Pharisęorum liberius vacaret orationi. Exemplum exhibens prædicatoribus, quãdo vacauerint à prędicatione & ab officijs impendendis fraternæ necessitati, vt orationi intendant, precando, vt Dominus adaperiat aures auditorum, vt, scilicet, Dei sermo fructificet in cordibus eorũ: itemque, vt Dominus sit in corde & ore ipsorũ vt dignè, & competenter annuntient sanctũ Christi Euangeliũ. ¶ Et demũ illò concesit, quia prope montẽ hunc Oliueti erat domus Marthæ, & Magdalenę, apud quas hospitabatur Dominus. Nã Hierosolymis non facile concedebatur hospitium, ob metũ procerum populi, & Pharisæorum. ¶ Ob has igitur causas perrexit in montẽ Oliuarum. ¶ In hoc sanè monte, libenter diuersatur Dominus: quandoquidẽ, mons hic erat mons Oliuarũ: vnde exprimitur oleum. Commode igitur Christus, qui vnctus erat oleo lętitię prę participibus suis venit modo ad mõtem olei, vt vnctionis suæ ex oleo mystico nos commonefaciat. Christus montes amat, in monte hoc orat, in mõte prędicat, in mõte transfiguratur, ex mõte sidera petit, vt illi congruat quod in Canti. traditur, Ecce est, iste venit saliens in mõtibus, & transiliens colles? Montes enim Christi celsitudinẽ significabant. Oleũ autẽ diuinã in scripturis significare misericordiã perspicuum est. Aptè misericors & miserator Dominus ad montem misericordiæ concedit. Oleũ porrò ex multis misericordiæ confertur, & quia oleum superfertur cęteris liquoribus, & quia oleum sedat vulnerum dolores, atque cruciatus, & quia oleum nutrit lucernas, & quia oleum vngens palęstritas eos reddit victores. Vtique misericordia cæteris præfertur moralibus virtutibus. Nanque dignior adhuc est quam ipsa iustitia, quippe misericordia superexaltat iudicium. Misericordia rursus vulnera animi nostri sanat. Etenim misericordia est, ex qua Deus relaxat, nostra peccata. Misericordiæ enim Dei est quod non sumus consumpti. Ad hæc misericordia Dei seruat fidei in nobis lucernã, & charitatis amorem. Enimuerò nisi Dominus custodiret nos sua misericordia frustra esset nostra vigilia, atque conatus. Imo quia quotidie insurgunt aduersus nos tentationes iã torrentes huius seculi absorbuissent nos nisi Dei misericordia Dei nobis adfuisset. Et demũ Dei misericordia nos armat, & Dei vnctio pręstantes nos facit pugiles aduersus aduersarios nostros dæmones. Nos plura diximus de diuina misericordia in declamatione de eadẽ ad Esaiã tu legito si libet.

¶ Conce-

1. Causa.
2. Causa.
3. Causa.

Psalm. 44. Matth. 5. Matth. 17. Acto. 1. Cant. 2.

Misericordia dignior quã iustitia.

¶ Concedit igitur misericors Dominus ad montem misericordiæ, ibi oraturus pro toto genere humano. Hoc enim sum mæ misericordiæ ibidē exercebat opus. Namque in diebus carnis suę preces sup plicationesque ad eum qui posset eum saluum facere à morte cum clamore vali do & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerētia ad Hebræ. 5. Neq; pro se solum preces fundebat ad panem, sed etiam pro omnibus hominibus, qui erāt crediturí in Christum Ioan. 17.

¶ Venit autem diluculo ad templum re licto monte, prædicaturus verbum Dei. Ioan. 6. Quamuis enim multi Dominum insectabantur, dicentes, dæmonium habet, Ioan. 7. alij verò ex discipulis eum reliquerant, obijcientes Domino. Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire. Alij verò opponentes eum Galilæum esse. Et demum principes Iudæorum & Pharisæi conspirantes contra ipsum, hostili animo eundem persequebantur: nihilominus Christus prædicationi iugiter incumbit. Matth. 13. Enim vero sator ille euangelicus sciens ex semine iaciendo in terram, quartam solam partem esse seruandam, reliquis tribus pereuntibus, non obid à seminando destitit. Vnde, & Deus ipse, qui est beatus hic sator, tametsi sciat maiorem partem hominum perdendā non ideo desinit homines multiplicare, quia nouit electos suos non esse perdendos: sed seruādos. Quia iustum esse decernit, si detrimenta, quæ experditis partibus sentiuntur: ex lucro seruatæ partis resarciantur. Quam ob rem etiam si Dominus, aduertebat satis, pleroſque ex prædicatione sua non iuuandos, sed sua culpa perdendos, aduertebatque dissensionem Iudæorum exortam ex suo euangelio, cæterum, quia alij erant qui lucrabantur ex sermone Domini, ex quorum persona Petrus, Quo ibimus, ait, Domine quia verba vitæ æternæ habes? quibus concinebant, alij de Christo dicentes, hic verè est Christus, hic vere est propheta, propterea contempsit blasphemantes, vt iuuaret credentes.

Detrimenta ex semine perdito, re compensat Deus ex fructu seminis seruati.

¶ Vnde Paulus. 2. Cor. 2. de prædicatione sua loquēs ait, Alijs sumus odor mortis, in mortem: alijs autem odor vitę in vitam. Propter eos igitur, quibus euangelium odor erat vitæ in vitam, Dominus prædicare non desistebat, & si Pharisæis erat odor mortis in mortem, ideo venit diluculo in templū prædicaturus.

¶ Vnde concionatores diuini verbi, ex hoc instruuntur exemplo, si prodest prę dicatio ipsorum, quia prædicant sanam, & incorruptam doctrinam, obmurmurantes contemnere. Maior namque est habenda iustorum ratio quibus prodest Dei sermo, quam contumacium, quos offendit.

¶ Venit autem diluculo, quippe iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo Eccle. 39. Proditur autem cap. 31. Hierem. Verterunt ad me terga, & non faciem cum docerem, & erudirem eos diluculo, & noluerunt audire, vt acciperēt disciplinam. Hoc igitur Dominus Hieremiæ vaticinium modo impleuit. Quoniam venit diluculo ad templum, vt doceret Iudæos, disciplinam, & erudiret eos in via veritatis, & ipsi noluerunt disciplinam audire, Quandoquidem sicut Dominus à docendo non cessabat, ita ipsi à calumnijs texendis non desistebāt

Documētum pro prædicatoribus.

Et omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Supra cap proximo stans, Dominus docebat populum illum, nunc verò sedens. Etenim pro ratione temporis, & loci, & auditorum, iam Dominus sedendo, iam vero stando, docebat. Vnde episcopi nostri sedendo prædicant, vt referant Christum sedendo docuisse. At verò cæteri proclamatores diuini verbi, stando pro suggestu plebes docent, vt referant Dominum etiam stando euangelizasse. *Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei, Magister, hæc mulier deprehensa est modo in adulterio: in lege autem Moses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent eum accusare.* Quem cap. proximo ex iniquitate, vituperabāt vocantes seductorem, modo ex fraude scribæ & Pharisæi laudant. Et quem aperto marte superare nequibant, vel occulto tentant vincere modo. Multo nocentiores ex fraude laudantes, quam ex iniquitate vituperantes: etiam si essent vtrobique nocentissimi: si quidem simulata iustitia, est duplex iniquitas. Igitur Domino offerunt pacem verbo, & contra Dominum bellum gerunt cor

Christus aliquando docebat sedens, aliquando verò stans.

de, & eum laudant sermone, quē animo occidere cupiunt: sub laudibusque verbalibus exitiale venenum condunt. Blādus sane sermo ouis est Magister, at summa horum est cordis prauitas, & intestini asperitas contra Magistrum odij. Vt de illis rectè dictum putes, quod egregius cecinit psaltes, Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Psal. 54. Quippe oleo laudis mulcere sperabant Dominum, quem ex responso iaculis configere suis confidebāt. Ore enim bene dicebant & corde maledicebant. Hic mos est hypocritarum, & fallacium hominum, aliud promittere verbis, aliud opere exequi. Difficile sanè malum est cordis odium: quia simulatq; obsederit cordis sedem in omnia flagitia habentem præcipitat.

Quatuor modi vnde deprehendi poterat adulterium.

¶ At verò consideratione non est indignum, quomodo hæc mulier deprehensa est in adulterio, siquidem deprehendi poterat, aut quia est confessa crimen suum, aut quia per idoneos erat conuicta testes, aut per legem Zelotypiæ, aut denique quia ex facti euidentia deprehensa erat. At vero inter hos modos videtur eum esse eligendum, quem postremò recensuimus. Nanque dicunt, Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. ¶ At verò obstrepet quispiam, si deprehensio erat ex facti euidentia, quomodo virum adulterum deprehensum non adduxerunt in medium? Nisi quis dicat, virum fuisse elapsum ex manibus deprehendentium, vt sæpe accidit. Aut quod Pharisæi mulierem solum protulerunt, vt Dominus magis inclinaretur propter sexum ad clementiam, eā mandans non lapidandam.

¶ Quod verò dicunt, Moses mandauit nobis, vt huiusmodi lapidaretur, vtique in lege. Leui. 20. adulteros occidendos fore iubetur, non tamen lapidandos. At verò quod Deute. 22. mandatur spōsam adulteram lapidandam, de puella virgine ibi agitur, non de muliere corrupta, vt videtur hæc fuisse. Nisi dicamus hāc virginem spōsatam fuisse. At verò quia corrupta erat ab adultero: ideo vocant eam mulierem. Obserua autem, vt mundani homines Christum odio habent, siquidem Principes, Pharisæi, & Scribæ conspirauerunt contra Dominum Iesum in principibus fulgebat seculi potestas, in Pharisæis pompatica sanctitas, in scribis legis eruditio micabat. Hęc igitur seculi potestas, seculi religio, & doctrina contra Dei potestatem cōtra Dei sanctitatem, contra Dei sapientiam quę Christus est se armat, quæ est hominum petulantia. *Tu ergo quid dicis?* Dominum iudicem constituunt, non quod hunc honorem iudicij Christo tribuere amabant, sed, vt ex iudicio eum caperent retibus suis atque tendiculis. Enimuerò hanc Domino, tendiculam ex iudicio parabant, id quod erat veluti dilemma quoddam, quod apud se concipiebant, videlicet, vel iste iudicabit hanc adulteram secundum legem, aut contra legē, si secundum legem mandabit adulteram lapidibus obruendam, si contra legem mandabit absoluendam. Si primum iudicauerit crudelem eum populus existimabit, & eum odio protinus habebit. Vnde illi non suffragabitur vt solet, & nos sine impedimento turbarum poterimus eum capere. Si verò contra legem iudicauerit ceu iniustum iudicem agentem contra legem Dei, poterimus eum accusare: & accusatio nostra erit legitima. Talia impij intra se cogitantes, narrauerunt, vt absconderent laqueos ideo dicunt. *Tu ergo quid dicis?* Habebant, sanè ordinarios iudices, apud quos mulieris huius causa erat resoluenda. At verò, vt Domino pararent laqueos, non ad ordinarios se conferunt iudices, sed ad Christum. Porrò autem, Christus, qui suas tendiculas callebat egregiè, scribens in terra peccata accusantium, & testium, illos submouit, ab accusatione, & testificatione. Et fecit causam mulieris desertam. Sublatis verò accusantibus, & testificantibus non extantibus, absoluit ream secundum legem. Etenim lex non damnabat, quam nullus accusabat: si enim probatio legitima non erat contra reum, absoluendum iubebat. Et hoc est quod Dominus insinuat dicens, *Mulier vbi sunt, qui te accusabant?* Vulgo interpretes aliter locum hunc exponunt, videlicet, Dominum temperasse sententiam, neque absoluendo contra legem, neque damnando secundum legem, vt ex nulla parte Pharisæis esset occasio mali implendi desiderij. Verum mihi magis arridet,

Dilēma Pharisæorum & Scribarum.

Psal. 63.

Mirabilis industria Christi in absoluenda adultera secundum legem.

ridet, locum elucidare, ad rationem prętactă. Dominus enim verè absoluit mulierem secundum legem mirabili vtens industria, abigendo, scilicet, accusantes, & testes, etiam si de testibus nihil hic memoretur euangelista sed necesse est intelligere adfuisse testes, quos secum adduxerunt Iudæi, ad promouendum suam accusationem, quia non poterat esse accusator, qui testis. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseuerarent interrogantes, erexit se & dixit eis. Qui sine peccato est vestrum, primum in illam lapidem mittat.* Nō legimus alibi scriptum, scripsisse quicquam nisi modo neque vnquam scripsisse in chartis, sed modo legimus scripsisse in terra. Fertur autem scripsisse Agabaro, verum euāgelistæ huius scripturæ non meminerunt. Rectè autē in terra scripsit, in terra, quia peccata accusantium & testificantium scribebat. Peccata enim in terra aptè scribuntur. Hieremia testante. 17. Recedentes à te in terra scribentur: at verò per peccata homines à Deo recedunt. Peccata enim, quia indigna sunt, quæ memorentur: ideo apte in terra scribētur: quippe quæ in terra scribuntur vel leuissimo vento abraduntur, & scriptura perit. Ita quoq; peribunt peccatores: quia ecce omnes qui elongant se à te peribunt. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te Psal. 72. Quia igitur peccatorum gloria in puluerem est redigenda psal. 7. Et ipsi sunt cōminuendi tanquam puluis Psal. 17. idcirco, peccata eorum Dominus in puluere terræ descripsit. Scripturus porro peccata inclinat se Dominus deorsum, quippe verbum Dei, in maiestate prętermissi mus absconditum, humiliauit se, & inclinauit se deorsum. Carnem humanam accipiens, & mortem patiens crucis, vt nos à peccato redimeret. Peccata igitur nostra Deum inclinauerunt deorsum, vt illis sublatis, nos deferret sursum. Quod si forsan sciscitaris qua nam ratione, fieri potuit, vt tot accusantium, & testificantium contra adulteram peccata Dominus tam citò scriberet, & in exiguo pauimento quæ circunstabat pedes eius? Et quidem hoc tribuendum est miraculo, si quidem non scribebat singulatim peccata eorum, itaque seorsum scriberentur: sed potius in scriptura peccati vnius, omnes intellexerunt propria peccata. Sicut enim multis collibuit, apostolos idiomate Hebræo prædicantes, audientes propriam linguā capiebant & manna, quod erat vnus simplex cibus, sapiebat vnicuique quod volebat, quia omnis saporis continebat suauitatem, ita & vnica simplex scriptura, descripta à Christo vnicuique Pharisæorum & Scribarum repræsentabat sua peccata. Nisi velis omnes illos innodari ex eisdem delictis, ideò, repræsentando vnius, omnium repræsentabat delicta. Quod si quæsieris, cur euangelista non expresit, quid scribebat Christus? Et forte scribebat occultissima Pharisæorum crimina. Ideoque cum Christus occulta scriptura ea propalasset solum criminosis illis, Ioannes noluit ea pādere publica euangelij scriptura. Verumtamen quod Dominus scripserit tunc peccata Pharisæorum, & Scribarum, vel hinc patere poterit, quod Pharisæi, & Scribæ suffusi ex scriptura pudore, recesserunt à Christo, & destiterunt ab accusatione mulieris, id quod, vt videtur, non fecissent, nisi Domini scriptura eos ad pudorem magnum conuerteret, propter peccata, quæ aduertebant ex scriptura Christi.

¶ Eodem accedat, quia postquam Dominus dixit Pharisæis. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidē mittat*, singulatim vel vtritim, recesserunt, quod interpres inquit vnus, post vnum. Vnde videtur eosdem aduertisse sua delicta ex Domini scriptura. At verò bis scripsit Dominus, & ad primam scripturam, non recesserunt Pharisæi, sed insistebant interrogantes Dominum, quia forsan primo scribebat Dominus leuiora: ideo ex illis non pudebat Pharisæos, quæ erat eorum contumacia. Ideo secundo scripsit, alia grauiora vnde penitus eos puduit accusare mulierem, ex qua accusatione restabat ipsos fore similiter damnandos. Et enim cum conscientia sit mille testes, se reos esse aduertentes ex multis, propter Domini scripturā non ausi sunt punire, quod in eis etiam erat puniendum. Nullus enim se damnare amat, sed potius absoluere. Quod verò Dominus ait. *Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat*, non sit occasio errandi, vt inde colligas, solum

incul-

Peccatores possunt vti potestate iudiciaria.

inculpatos posse aliorum culpas punire. Enimuerò etiam peccatores possunt potestate iudiciaria vti, non solum temporali, sed etiam spirituali. Nanque confessarij, iudicant pœnitentes, absoluendo, vel peccata retinendo, etiam si ipsi innodati sint criminibus multis. Et iudices seculares similiter.

¶ At verò verba Domini decentiam iudicij docent, non necessitatem. Decet nanque eum, qui alios carpit, ipsum sine crimine esse, & eum, qui alios punit, nihil in se gerat puniendum, vel punitione dignum: ideò expediens valde est sermo Domini.

¶ Porrò insultabis adhuc. Si ergo qui non est sine peccato, alium punire non expedit, cum omnes homines simus peccatores, nam si dixerimus, quod peccatũ non habemus ipsi nos seducimus, nõ expedit ergo iudices esse puniẽtes alios. Respondebis, Græcè, est ἀναμαρτητος, quæ dictio potest significare impeccabilem: & hæc significatio huic loco non congruit, etiam si Erasmus illam vertat, Qui immunis est à peccato. At rectius noster interpres trãstulisse videtur, Qui sine peccato est. Etenim immunitas à peccato plenam libertatẽ à peccato præ se fert, id quod proximum est impeccabilitati. At verò Christus nihil modo tractabat, si Pharisęi erant impeccabiles, aut plene liberi à peccato, sed solum ex cõtextu hoc insinuasse videtur. Qui ex vobis Pharisæi, & Scribæ, est sine adulterij labe, de qua accusatis mulierẽ hanc, aut sine alicuius alterius grauioris criminis noxa, primus in illam lapidem iaciat: sermones enim sunt iuxta subiectam materiam sumendi. Dominus autem ideo scripsit illorum crimina, vt retunderet eorum petulantem audaciam accusandi mulierem, ex crimine, cui vel maiori erant ipsi obnoxij. *Audientes autem hæc vnus post vnum exibant: incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Audientes Pharisæi verbũ Domini commemoratum, *Qui sine peccato est, &c.* non ferentes propriæ conscientiæ accusationem, & Domini vultũ formidantes antequam Dominus se erigeret secundo ab scribendo, deseruerunt Dominum. Et primi exierunt seniores, quos delicti magis pudebat, & Domini scriptura magis confundebat, propter ætatem enim grauiorem, grauiores eos decebant mores. Mansitque Iesus solus cum discipulis intellige suis. Dicitur enim solus ab extraneis, qui aderant, nõ solus à contubernalibus. Mulier igitur, cum accusatoribus non aufugit, sed stat perseuerans coram Domino. Facile opinari possumus mulierem stetisse coram Domino tunc trepidam satis expectantem sententiam Domini, verum miscebat cum trepidatione spem obtinendæ à Domino misericordiæ, quia viderat accusatores profligatos esse â Domino: ideo vehementem sub suo timore misericordiæ spem concipiebat. Quamobrẽ perseuerat in medio stando. *Erigens autẽ se Iesus dixit ei, Mulier vbi sunt, qui te accusabant: nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo Domine. Dixit autem ei Iesus, Nec ego te condemnabo: vade & iam noli amplius peccare.* Sciebat Iesus optime accusatores recessisse, & scientia diuina, quatenus Dei filius, & scientia infusa, quatenus homo, ideò non interrõgat ipse mulierem, vt instruatur de facti veritate, sed solum, vt sua allocutione mulierem cõsoletur formidantem suum iudicium. Respondit mulier, Nemo me condemnauit, & Dominus pronuntiat continuo absolutionis sententiam, neque ego te condemnabo, Græcè, condemno. Et ne videretur fautor culpæ, demonstrat, se absoluere, non fauendo culpæ, sed compatiẽdo fragilitati naturæ: ideo subdit, Noli amplius peccare: Græcè, ne pecces amplius. Quæ omnia ex prioribus claram habẽt expositionem. Circa historiam hanc vetus fuit olim quæstio, si Euangelica est, quæ etiam noua nunc est apud Anabaptistas, contendentes Euangelij Ioannis authoritatẽ labefactare ex historia hac, quam ducunt non esse authenticam ex Papia, quem refert Euseb. lib. 3. Eccles. historiæ. cap. 39. vbi indicat Papiã hanc historiam adulteræ commemorasse, repertam esse in Euangelio Hebræorum. Vnde videtur non fuisse olim in Euangelio Ioannis, sed esse in Euangelio Hebręorum. Idem videtur insinuasse Hiero. libr. 2. contra Pelagianos, docens in multis codicibus Græcorum, & Latinorum historiam hanc non extare. ¶ Rursus quia Græci authores, vt Chrysosto. Theo-

Authoritas historiæ mulieris adulteræ vẽtilatur.

Theophi. Euthimius, hanc euãgelij partẽ, quæ hiſtoriã hãc continet, ipſi neque exponunt, neque legunt. Verum hæc argumenta, non peſſundãt hiſtoriæ huius autoritatem: ſiquidem, quanuis illam legerit Papias in euangelio Hebræorũ, potuit etiam legi in euangelio Ioannis, vt multa alia ſunt in vtroque euãgelio. Eſt autẽ autentica, nõ quia extat in euangelio Hebræorũ, ſed quia extat apud Ioánem. Et ſeducuntur Anabaptiſtæ cõfundentes euangeliũ Hebræorum, & Tatianorum, quod Tatianus cõpoſuit hæreticus. Quia iſtud euangelium eſt, quo vtebantur Tatiani hæretici, Hebræorũ verò eſt, quo aliquando vſi ſunt fideles Hebræi. Hieronymo verò dices ſi in multis codicibus non extabat, ergo in multis alijs hiſtoria hæc extabat. Neq; inde colligitur non eſſe autenticã, quia in multo pluribus extabat, quã non extabat: etſi Caie. putet ex Hiero. verbis monſtrari non eſſe autenticã, ſed nunquid Hiero. potuit legere codices omnes? ¶ Tertio dices ſi Chryſoſtomus, & Theophil. nõ habent hanc euangelij partẽ, habet Cyrillus Græcus, qui eandẽ expoſuit ſuo cõmentario. Et demũ quia Eccleſiæ autoritas eſt tanquã coticula quædã, ad quã probantur euangelia, Eccleſia hanc probat hiſtoriã, vt euangelicã, ideo illã oportet tanquã talem venerari. ¶ *Neque ego te condemnabo.* Forſan ex verbis iſtis ſibi gratulabuntur adulteri, adulteriũ parui pẽdentes, quod Dominus tam facile abſoluit. Neq; enim legimus mulieris huius lacrymas, aut pœnitentiæ verba, ſed ſolũ verba illa protulit, nemo, ſubaudi condẽnauit. Quod ſi dixerit aliquis, ſolum eſſe abſolutã in foro exteriori, quia accuſatores cauſam deſeruerunt, vtique verba Domini illam abſoluiſſe in vtroq; foro ſubindicant, dicentes, Vade noli amplius peccare. Etenim ſi adhuc peccato tenebatur, quòattinebat dicere, Noli amplius peccare, ſi adhuc erat ſub peccati noxa ſuppreſſa? Porro ſi rem bene pẽdimus non ſignificabat Dominus ex hoc geſto, ſe fauere adulterijs, ſed clemẽtem eſſe erga adulteros, vt eſt etiã in alios peccatores, & quod ipſe venerat in mundũ, non vt damnaret noxios, vt lex illa vetus damnabat ad Heb. 2. ſed vt eos à noxis ſuis abſolueret. Et ſubdocere voluit iudices omnes, clementiam ab eis eſſe amplectendã in iudicandis reis, magis quã iuſtitiæ rigorẽ. At forſan occinet nobis ex hac hiſtoria Lutherus, obijciẽs nobis quod ipſe prædicat, Optimam pœnitẽtiã eſſe nouam vitam: ſi quidem hanc abſoluens mulierẽ Dominus, ſolum ei iniunxit, Noli peccare: igitur abſtinentia à peccato ſat eſt homini ad ſuã iuſtificationẽ. ¶ Verum etiam occinam Luthero hoc loco, nullã eſſe mentionem fidei. Ergo ſi firmum eſt quod ipſe colligit cõtra catholicos quod alioqui eſt infirmũ firmum eſſet quoq; quod colligam contra eum, videlicet, multa eſſe nõ expreſſa in ſcripturis, quæ alioqui ſunt credenda. Namque credendum eſt, mulierem hanc non fuiſſe abſolutam à Domino ſine actu fidei, quia ſine fide nulla eſt iuſtificatio, etiam ſi non exprimatur hoc loco mulieris fides, vt exprimitur apud Lucam Magdalenæ fides cap. 7. Itemque quamuis non exprimatur mulieris dolor, vel reſipiſcentia, eſt tamen credẽda. Neque enim hæc diffiteri poſſumus mulieri accidiſſe: ſi tamen in foro interiori abſoluta eſt à Domino, quod mihi certum videtur, indignum namq; erat Dominum ſolum abſoluere mulierem in foro exteriori. Et D. Auguſt. huius mulieris timorem, quem habebat de diuina Chriſti iuſtitia explicat, & ſpem de eiuſdem clementia concepiſſe non dubito, quæ tamen concernunt peccatorum pœnitentiam.

¶ Hæſitat quiſpiam cur Dominus Lucæ. 12. iudicium ferre de diuidenda hæreditate inter fratres illos ſpreuit litigantes? At verò hoc iudicium non ſpreuit, neque repulit à ſe, ſed libenter admiſit? Reſpondetur illud iudicium eſſe ad iuſtitiam exercendam inter fratres illos, hoc verò ad miſericordiam impendendam mulieri adulteræ: Chriſtus autem magis amat miſericordiam impendere quam iuſtitiam, & vltionem.

¶ Vel ſecundo, illud iudicium erat putè de temporali ſubſtantia, quam Dominus monebat relinquendam propter euangelium: hoc vero iudicium erat de animæ ſalute, ideo fratribus dixit, Quis me conſtituit iudicem inter vos? Mulieri vero, Neque ego te condemnabo, quippe Matth. 18. venerat ſaluum facere

re

Euangelium Hebræorum non eſt euangeliũ Tatianorum.

Eccleſiæ autoritas eſt tãquam coticula ad quã examinantur codices facti.

Chriſtus clementiſsimus in omnes peccatores.

Lutherus explodituꝛ.

Non expreſſa in ſcripturis etiam ſunt credẽda quãdo ſcripturæ conſonant.

Matth. 18. Lucæ. 9. Ioan. 3.

re quod perierat. ¶ *Iterum ergo eis locutus est Iesus, dicens, Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Hic textus videtur quibusdam contexendus, cum finalibus cap. 7. verbis. Etenim Dominus se vocarat fontē vitalem, vnde fluunt flumina vitalis aquæ in credentes: ex quo sermone offensi sunt multi: ideoque adiecit hęc verba, quæ modo Dominus profert, quæ videntur ad maiorem esse adiecta declarationem priorum. Quasi dixisset, Cur offendit vos sermo meus docens me esse fontem vitæ, vnde credentes bibentes, fortiuntur esse scaturigines fluuiorum vitalium. At sermo hic non vos offendat, siquidem ego sum lux mundi: & qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitę. Si enim credentes in me, donabuntur lumine vitæ, quia ego, qui sum lux mundi imbuam adeo eos luce mea, vt ipsi illustrentur quoque lumine vitali, quid mirum est, si credentes in me ea dote ornentur, vt ex ventre ipsorum scaturiant flumina aquæ viuæ? Et qui hanc contexturam amant, fatentur hinc constare, hanc historiam adulteræ esse adiectam Euangelio Ioānis, quia verba hæc Domini, Ego sum lux mundi, non conueniunt cum hac historia: ideò credunt esse adiectam Euangelio Ioannis, quanuis recipiendā ex ecclesiæ authoritate. Adiecit autem illam siue Papias Ioannis discipulus, aut quiuis alter.

Opinio quorundam historiam adulteræ esse testantium adiectam Euangelio Ioannis, quam amat Iansenius & alij.

¶ Verumtamen, si contexturam volumus horum verborum cum historia à Ioanne denarrata, non erit difficile contexere. Enimuerò quia Dominus absoluebat adulteram, nihil mulctæ eidem imponendo, sed ex plenaria sua potestate dicens, Neque ego te condemnabo, vade & iam amplius noli peccare, forsan subiret aut subiuit cogitatio Iudæos offendens, Dominum vsurpare sibi diuinam potestatem, cuius solius erat præstare, quod ipse mulieri adulteræ præstitit. Ideoque verbis illis, Ego sum lux mundi demonstrat se non vsurpare diuinitatis potentiam, quam ipse ex natura quatenus Deus habebat. Tametsi enim hominis verba erant, Neque ego te condemnabo, at etiam erant Dei, ideo verba verissima erant. Quocirca adiecit modo. Ego sum lux mundi ideſt, Non vos turbet quod facile, & sine multa absoluerim mulierē, est enim in me diuinitas, ex qua hoc facere possum. Hinc autem discetis me esse Deū, quia ego sum lux mundi, & qui sequitur me non ambulat in tenebris.

¶ Esse nanque lucem mundi, diuinitatis est, cuius est illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Et hoc verum est, Moses nanque fuit lux populi Iudaici & nō totius mundi, hoc est omnium hominum: & prophetę, nō omnium fuerunt lux, sed particularis nationis suæ: & philosophi non fuerunt lux mundi, quia multi non possunt asse qui philosophiæ arcana, atque subtilitates. At verò solus Christus est lux vniuersalis omnium hominum, id quod solius est diuinitatis ex natura sua illuminare omnes homines. Contingit autem illuminare bifariam, exterius, aut interius. Quippe is, qui docet alium verbo, vel scripto illuminat mentem eius exterius, dumtaxat, quia interius lumen doctrinæ non potest homo vel angelus in alium intellectum infundere: id quod est illuminare interius, id quod vnius Dei est. Christus autem quatenus Deus est, lux est mentis humanæ, in eam infundēs lumē scientiæ, & doctrinæ spiritualis: quatenus homo vero docet quidē exterius per Euangeliū suū, & per mortē suā hominibus promeruit illuminationē interiorem, à se faciēdā ab eo secundū quod Deus erat. ¶ Est autē obseruandū, à propheris proditū esse Christū futurū esse lucē totius mūdi. Vnde Esaias de Christo prædixerat. Dedite in lucē gentiū, cap. 49. & rursus, cap. 60. Tenebræ operient terra, & caligo populos, super te autē orietur Dominus: & lux eius in te videbitur. Et rursus, Habitantibus in regione vmbrę mortis lux orta est, capit. 9. Id quod Matt. 4. testatur proditū fuisse de Christo, & Esa. 30. Si faciet auolare vltra doctorem tuum à te: quod vaticiniū fuit ab Esa. de Christo prolatū: quippe qui erat futurus tunc orbis doctor. ¶ Et ideo Ioan. supra cap. 1. secūdū scripturas, appellauit Christū. Erat lux vera quę illuminat omnē hominē veniē tē in hunc mundū. ¶ Porrò autem annotandū est, quod per lucē hoc loco, nō lu-

Prophetę & philosophi nō fuerūt lux mundi, sed solus Christus.

Christus illuminat exterius docendo, & interius lumē infundendo.

Lege *diluciadationes* authoris in Esaiam.

cem sensibilem oportet subaudire, sed intellectualem. Non enim est Christus lux mundi, quia oculos exteriores nostros, vt sol iste sensibilis illuminat, id quod fuit Manichæorum deliriũ: quandoquidem hic sol visibilis, illuminat, & homines, & bruta, & animata, & inanimata sua luce perfundit: at Christus, nõ illuminat bestias neque virgulta, neque lapides quæ non sunt capaces huius luminis. ¶ Rursus sol ab exordio creaturæ fuit, & nõ ante: at vero Christus, vt Deus ante secula erat verbum Dei apud Deũ, & quatenus homo in nouissimis temporibus, fuit à Maria editus virgine. Cum autem Christus ait, Ego sum lux mundi, per mundum intelligas, omnes homines, vt supra annotatum est. Philosophi igitur illuminabant homines, quo ad naturalia omnia per naturalia intelligo etiã astronomica musicalia, geometricalia, & reliqua omnia quę humana indagine consequi possumus. Prophetæ verò altius se erexerũt, Deo reuelãte, quia quæ humanam superabant indaginem homines docebant. Inter quæ hoc vnum docuerunt, Christum lucem vniuersalem esse venturum. Lex quoque Mosayca hoc idem est protestata, at sub vmbris, & typis, & sub multo ænigmate, Christi adumbrarunt mysteria. Porrò Christus veniens in orbem clarè se declarauit esse filium Dei, & esse Christum quem prophetæ Dei afflati spiritu prædixerunt. Docuitque mysteria gratiæ omnia quæ superabant rationẽ naturalem omnem: ideoque est doctor omnium hominum. Quippe, quãuis philosophi rerum naturalium fuerunt scientissimi, at verò supernaturaliũ erant ignarissimi, & quo ad harum rerum notitiam, erant in tenebris: siquidẽ, vt lux modo refertur, ad lucem illuminantem mentem, ita tenebrę ad tenebras mẽtis. Quę omnia metaphoricôs dicuntur. Vt enim qui in tenebris existit, nihil videt, ita qui ignorans est, in tenebris est quia veritatem intelligit. Philosophi autẽ has supremas diuinasq; veritates, quas Christus docuit, non docuerunt, neque nouerunt: vnde egent tã philosophi, quam omnes alij non philosophi Christi magisterio vt has veritates intelligant, quæ sunt Christi mysteria. Prophetæ etiam sunt illuminati à Christo. Namq; Matth. 17. Moses legislator eximiusque propheta, & Elias insignis legis zelator, atque Domini vates assistunt in Tabor Christo, & ab eodem de mysterijs gratiæ docentur. Hoc enim sibi vult, quod Euangelistæ denarrant, & loquebantur dę excessu, quem erat completurus in Hierusalẽ. Quamquã enim spiritus Dei hos imbuerat iam olim, at verò tunc plenè fuerunt imbuti in mysterijs Christi, quãdo ex ore Christi acceperunt, quod ipsi vaticinati fuerant. Et in persona horum duorum vatum, cæteri omnes alios sanctos prophetas edoctos fuisse dicas, vt iã verè dicamus Christum esse lucem mundi, in cuius lumine & doctrina videmus lumen Dei, id est, mysteria cognoscimus euangelicæ gratiæ. Illuminat autem Christus non solũ docendo, & lumen fidei infundẽdo, sed & confortando mentem, vt perseueret in doctrina Dei, & sanctorum. Et quia non solum depellit à credentibus mẽtis ignorantiam, quam de cælestibus sacramentis habet, sed etiam depellit peccatorum tenebras, quippe peccata, affectus nostri etiam dicuntur tenebræ, ideò subditur, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Vtique qui sub luce solari agit, sæpe ambulat in tenebris mentis. Quia lux hæc mentem non illustrat, sed solum visus carnalis aspectum. At verò, qui Christũ sequitur non ambulat in tenebris errorũ aut peccatorum: imo sub tenebris delitescens exterioribus, in luce versatur interiori. Vt enim olim Ægyptios premebant tenebræ, vbicunq; autem habitabant filij Israel lux erat, Exodi. 10. Ita omnes qui non sequuntur Christi euangelium, & fide, & operibus, sunt in tenebris errorum, & falsitatum, circa diuina, & obcęcati peccatis sunt suis. Qui autem sequuntur euangelium Christi, isti soli habitant in luce diuinæ veritatis. Vnde Sap. 18. Sanctis tuis maxima erat lux. Enim vero, vt Dominus deduxit filios Israel per vastissimam Ægypti eremum, columnæ igneæ ducatu, quæ illis splendebat noctu, vt non deuiarent à via recta, quæ ducebat ad terram promissam illis à Deo: ita etiam & fideles Christus tanquam columna firmissima, & splendidissima illuminat, vt in hoc seculo agentes non deuient â recto tramite

Christus lux spiritualis.

Christus solus est lux vniuersalis.

Christus doctor omniũ hominum.

tramite veritatis. Et ideo iustorum semita vocatur splendida tanquam lux. Prouer. 4. Et quemadmodum Deus nouit in tenebris constituta, quia lux cum eo est Dani. 2. ita quoq; fideles ex Christi magisterio edocti nouerunt quę sunt in tenebris delitescentia, quia lux Christi cum illis est. Quandoquidem mysteria gratiæ sunt sub maximis tenebris, sunt enim occultissima, & sensui, & naturę rationi. Testante sapientia. 9. Quæ autem, inquit, in cœlis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapiētiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? Qua enim ratione Deus sit à nobis assequendus, & quæ illi opera grata sunt, & quæ non grata, qua quoque ratione peccata à nobis admissa à nobis sunt expianda, & alia hoc genus sacramenta, quis potuit docere nisi Deus ipse? Quia ergo Christus hæc exactè docuit homines, referans nobis, quæ esset voluntas Dei, & quid à nobis exigeret, vt nos ęterna salute donaret, ideo rectè se vocat lucem, & rectè se sequentem docet non esse in tenebris, insinuās, contra non sequentes Christum esse in tenebris: siquidem si opertum est Euangelium in ijs, qui pereunt opertum est. 2. Corin. 4. Græca lectio habet, Non ambulabit, & Augusti. similiter legit. Verum Hebraismus est vsurpans tempus pro tempore: ideo noster interpres transtulit per verbum præsentis temporis. Augustinus hæc retulit ad futurum, quem sequitur glossa interlinealis, vt sequentia etiam insinuant. *Sed habebit lumen vitæ.* Id quod videtur referendum ad vitam cœlestem, quam donabit Christus fidelibus suis, quibus lux ęterna lucebit cum sanctis Dei. At verò lumen hoc spirituale, vocatur lumen vitale, quia per lumē hoc viuificatur mēs. Christus enim illuminando mentē eandem viuificat vita gratię. Qui ergo Christi fidem profitetur, & iussa Christi exequitur hic sanè, dū in mortali corpore viuit, habet lumen vitæ: quia habebit Dei fidem dirigentem eum ad vitam consequendam ęternam. Fides nanque catholica, est lumen vitæ, & quia citra eā nulla verè speratur ęterna vita, & quia ea sola docet viam ęternæ consequendę vitæ: non tamen est lumen vitæ, quia ipsa sola sufficiat, ad spiritualem vitā, vt malè censuit hæresiarcha Lutherus.

Mysteria gratiæ sunt occulta sensui & naturali rationi.

Fides quomodo est lumen vitæ.

¶ Quoniā ij, qui nō sequuntur Christū, tenebris afficiuntur ignorantiæ, & peccatorum, quos psalmus notans. 81. inquit, Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, & alibi necessitatem huius luminis ostēdens, lucerna pedibus meis ait, verbum tuum, & lumen semitis meis, Psal. 118. ideo, quibus non luxit lucerna hæc diuini verbi, tenebris multis obducti nesciunt quò vadant, Ioan. 12. vadunt enim ad inferna loca, & ad ęterna properant supplicia etiā si hoc lateat eos. Si ergo hoc maximo ex tenebris suis detrimento afficiētur isti, quid tu putas de illis, qui non solum non sequuntur Christum, verum etiam contra Christum agunt? vt Pharisæi, isti erant, & scribæ qui nunquam non calumniabantur Christū & acuebāt linguas suas, sicut serpentes, venenumque aspidum sub labijs eorum erat, vt Christi obscurarent gloriam? Tales sunt etiā omnes, qui Christianam inuadunt ecclesiam, & Christi fideles à Christi fide eradicare contendunt. *Dixerunt ergo Pharisæi, Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Quia magnifica audierunt à Christo, de semetipso encomia, videlicet, se esse panem vitæ de cœlo descendentem, se esse fontem vitæ, se esse lucem mundi, omnesque deniq; tenebris esse obuolutos, nisi suos sequaces, prorumpunt in verba blasphemiæ, Christi, scilicet, testimonium de se ipso non esse verum. ¶ Homines enim quādo de alijs ferunt testimonium, credibile ferunt testimonium, at si se ipsos commendant, iactabundos, & glorioſulos esse eos alij reputant, sibique arrogantes gloriam. Et hoc sibi volebant modo Pharisæi, Christum suam venditare apud homines gloriam, & ideo de arrogantia, & inani fastu, eum temere modo notant.

Lutherus deſpuitur.

Psal. 139.

¶ Et nihil formidant summam Dei veritatem, conuiciari tanquam fallacem. Inuidia nanque & odium quando mentem hominis occupant, adeo eādem obtenebrant, vt lucē dicat esse tenebras, & tenebras lucē Esa. 5. Nāq; oculis lippis, vniuersa repręsentātur aliter quā sunt. Isti autē erāt lippientibus mētibus, quæ est turpissima lippitudo, ideo reputabāt Chri-

Lippitudo mentis turpissima est lippitudo.

Christum esse fallacem, qui alioqui est veritas. *Respondit Iesus, & dixit eis, Etsi ego testimoniū perhibeo de me ipso verum est testimoniū meum.* Vt credendum sit testimoniū tria exigit, & q procedat ex sciētia rei: ignarus enim rei quā testatur non potest credē dum exhibere testimoniū. Et quod procedat ex iustitiæ affectu: quoniam si ex affectu cōmodi, vel consanguinitatis, vel amicitiæ feratur non est credendum testimoniū, nam suspectū redditur continuo. Tertium, quod procedat secundum ordinē iuris: vnde exigitur in teste ætas, & iusiurādum, & iudicis autoritas, indicens ferendū testimoniū. Christi igitur testimoniū, vn decunq; spectetur abhorrebat ab omni falsitatis suspicione. Et quia procedebat ex sciētia summa, & quia procedebat ex affectu iustitiæ, & veritatis, & deniq; quia ex autoritate Dei iubentis testimonium proficiscebatur. Et hæc tria prosequitur Christus in verbis subdendis.

Tria exigit testimonium vt non sit respuendum.

¶ Est autem obseruandū duplex esse testimonium, aliud ad litem dirimendā, quæ initur inter litigantes, aliud verò extra litem. Testimoniū litigiosum oportet, vt sit ab alio latū, quia proprium testimonium in causa propria, suspectū est de falsitate, homines enim se proprios nimis amant, ideò ad resoluendā litem, non est audiendum proprium testimoniū. Porrò super virtute propria, de verbis fidē faciunt opera. Vnde Dñi testimonium de sua excellentia, erat probandum, & autenticū erat testimonium: quandoquidem non erant verba nuda Christi, sed sociata operibus miraculosis, quæ attestabantur propriorū verborū veritati. Vnde aiebat, Si mihi nō creditis, operibus credite, Ioan. 10. Et rursus, Opera, quæ ego facio ipsa testimoniū perhibēt de me, Io. 14. & 15. Vt si quispiā coram omni populo eleemosynas facit, si dixerit se eleemosynariū esse verum profert de se testimoniū, & credendum testimoniū, quia q oculis patet, alienis testimonijs nō eget. Secus autē si obscura esset virtus alicuius, tunc sanè, qui se cōmendaret ex illa virtute, testimonio egebat alieno, quia propriū arrogans videretur. Christus ergo fulgebat miraculis insignib⁹, qualibus nullus aliorum prophetarū fulsit, & docebat mirabiliter turbas quali doctrina nullus vatū populos docuerat, Ioā. 7. & 6 Id circò q se diceret lucē mūdi, vera & credēda, quia fide dignissima testabatur. Vtique si solē istū visibilē, fingamus se dicere esse lucē mūdi visibilē, verissimū ipse de se protulisset testimoniū: lux namq; non eget alienis testimonijs, ipsa enim statim sese manifestat. Et Chr̄us, qui est tanquā iustitiæ quidā sol micātissimus ante aduē tum suū, instar solis vibrabat præcursores quosdā sui aduētus radios. Nā quid aliud putas fuisse prophetas proclamātes Christi aduentū in orbē, nisi radios quosdā vibratos ab hoc sole nondū orbi terrarū pre senti? Et nouissimè Ioannes Baptista, dignissimus vatū, radius fuit huius solis splē didissimus: quia solē aduētare iustitiæ clara terris voce nūtiauit. Quapropter Pharisæi accusantes dominū, tanquā fallacē, ipsi suo gladio se cōfodiunt, & quā obijciūt accusationē, in eos planè est retorquenda. Quādoquidē planè mētiūtur Dñm de se ipso tulisse solū testimonium: siquidē prophetæ omnes Christo testimoniū perhibent, pater voce delapsa à nube, Hic est filius meus dilectus ipsum audite, testimoniū tulit de Christo. Opera Christi, etiā idē testātur quā maximè. Recens natū, angelorū chor⁹, eidē attestatur, quippe luce sua cœlestis militia aera illustrat, & voce angelica illa gloria in excelsis Deo, pastores lætātur, & veniētes ad prēsepe angelorum testimonium de Christo puero nato re ipsa verum esse cōprobarunt. Magi ab Oriente veniētes itidē illi attestātur. Anna, & Simeon idem testificantur. Ioannes in deserto vox est clamans & contestans, quoniā hic est Agnus Dei, qui tollit peccata mūdi. Fallūtur ergo Pharisæi dicētes Christi testimoniū de se ipso solitariū esse. *Quia scio vnde venio, & quo vado.* Nō possumus eleuare testimoniū Christi, tāquā hominis ignari: siquidē optimè cognoscebat patrē, vnde procedebat, & cognoscendo patrem cognoscebat omnia, quia æqualem sapientiam habet atq; pater. Rursus sciebat quod missus erat à patre in mundum, & quorsum mittebatur, nempe, vt ipse per sanguinem suum reseraret ianuas regni cœlestis. Ideò ait, *Scio vnde venio.* Sensus igitur est hic, Ego dixi me esse lucem mundi, & quod qui sequitur me nō ambulat in tenebris. Hoc verò dixi: scio enim, quod processi ab æterna illa luce, quæ Deus est, & quia processi à luce, sum ipse lux mundi. Et scio vitam æternam solum esse conferendam credentibus, & amantibus istā lucē, ideoq; dixi verba, ve

Prophetæ omnes radij sunt vibrati à sole iustitiæ Christo.

Plurimatestātur Christum esse verum Deum & hominem.

ra sunt verba. *Vos autem nescitis, vnde venio, aut quo vado.* Vos temerè culpatis meũ testimoniũ, quia nescitis meã æternã à patre processionẽ, neque temporalem ex patre missionem in mundũ, neq; quorsum veni in orbem: ideò tanquam ignari culpatis temerè veracissimũ meum testimoniũ. Et quod modo ait, non pugnat cũ verbis illis Ioann. 7. Et me scitis, & vnde sim scitis. Enimuero, illa verba referenda sunt ad naturã humanã Christi. Quippe Iudæi vultum Christi humanum & figurã benè cognoscebant, & locum naturalẽ, & locũ nutritionis, &c. hoc verò loco, non est sermo de huiusmodi. Nam dicens Dñs, Vos autẽ nescitis, vnde venio, aut quo vado suam processionẽ à patre æternã denotat, & in mundũ missionem tẽporalem, & deniq; ascensionem futurã in cælũ præsignabat verbis istis, quæ latebant prorsus Iudæos. Hoc enim docet eos nescire, q̃ ipse Dñs paulò antè testatur se scire. *Ego* inquit, *scio vnde venio, & quo vado*, videlicet, venio ex patre, & vado ad patrẽ vnde venio. Quare c. 7. dixit, Est verus, qui misit me, quẽ vos nescitis: quoniã Iudei ignorabãt Deũ esse Christi patrem secundũ naturam diuinã, quã illi ab æterno cõmunicarat. *Vos secũdũ carnẽ iudicatis, ego nõ iudico quẽquã, etsi iudico ego, iudiciũ meũ verũ est.* Hoc erat secundum necessariũ vt testimonium, atq; iudicium sit liberum à suspicione falsitatis, q̃ procedat ex affectu iustitiæ, & nõ ex affectu carnali. Christus autẽ, cũ de testimonio fuisset sermo ad iudicium se transtulit modo, vt doceret sinistrè culpasse Pharisæos testimonium suũ, quia sinistrum de Christo ferebant iudiciũ. Iudæi namq; iudicabant secundũ exteriora: & quia videbant Christum, humana operari opera, iudicabant esse purum hominem. Vnde non credebant testimonium Christi esse dignius testimonium, quam cuiusuis alterius hominis: ideoque fallebantur.

Primo culpauit ignorãtiã Pharisæorũ nũc affectum

¶ Præter hæc iudicabant de Christo secũdum carnẽ quia secundũ inuidiã, est enim inuidia carnis opus. Christo enim inuidẽtes, & eundem odio habentes iniustè, iudicabant falsum esse Christi testimonium: ideò ait, *Vos secundũ carnem iudicatis*, hoc est instar carnalium hominum iudicatis, qui non sapiunt quæ Dei sunt.

Ad Gala. 6.

¶ Vel secundum carnem iudicatis, idest, secundum hominem, qui foris est, qui corrumpitur, non secundũ interiorem, qui renouatur de die in diem. Et demum nomẽ hoc caro multifariam vsurpatur in scripturis, vt. 1. c. tradebamus, propterea varium sortiuntur sensum verba hæc Domini. *Ego non iudico quemquam*, Tu subaudi secundum carnem. Christus enim iudicat secũdum intima, quæ intuetur hominis, & nõ secundum extima: quoniam intuetur cor. Christus, non secundum affectum carnis iudicat, sed secundũ libramen iustitiæ, & ideò ait, *Et si iudico ego iudicium meũ verũ est.* Siquidẽ Christus iudicat ex sciẽtia infallibili, & secundum rectitudinem iustitiæ.

2. Corint. 4.

¶ Est autem iudicium duplex annotante Cyrillo, & discretionis, vnde discernitur iustus ab iniusto, & discussionis vnde discutiuntur singulorum merita, vel ad coronas, vel ad supplicia. Christus igitur, tunc iudicabat & nunc iudicat omnes homines iudicio discretionis, quia nouit qui iusti, quive iniusti, qui coronandi, qui ve torquendi. At verò in die nouissimo iudicabit iudicio discussionis omnes homines, quando dicet quibusdam, Quia esuriui, & dedistis mihi manducare, venite benedicti patris mei percipite regnum, &c. Alijs verò cõtra loquetur, Esuriui & non dedistis mihi manducare, Ite maledicti in ignem æternũ. Subdit tamen rationẽ, quare iudiciũ suũ verum est. *Quia solus nõ sum, sed ego & qui misit me Pater.* Nõ potest esse filius solus, quippe qui est semper in sinu patris: vnde iudicium filij, est etiam iudiciũ patris, quia pater est in filio, & filius in patre. Quare necessũ est, vt iudiciũ filij sit verũ, quia hoc etiã est iudicium patris. Est ergo Christi iudicium verum ex triplici causa, & quia ex sciẽtia infallibili, & quia ex amore iustitiæ, & quia à patre probatur. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominũ testimoniũ verum est. Ego sum qui testimoniũ perhibeo de me ipso, & testimoniũ perhibet de me qui misit me Pater.* Iudicium suum fuisse verũ dudũ docuerat, qa à patre erat cõprobatũ, idem modo de testimonio suo testatur esse verũ, quia q̃ ipse de se testabatur, patri erat probatum. Et tria quæ dicebamus testimoniũ reddere autenticum, illa omnia, cõgruunt testimonio Christi, vt iam de iudicio etiam expressimus. Vnde colligit Dñs si duorũ hominũ testimoniũ est recipiendũ, vt lex Deut. 17. præscripsit multo magis meũ & patris mei testimoniũ est recipiẽdũ: quãdoquidẽ duo homines fallere, & falli possunt, at neq; ego, neque

Iudicium duplex discretionis & discussionis.

Ioann. 1. Ioann. 14.

Tres causæ quare tã testimoniũ, quam iudiciũ Christi sit verũ

Deut. 17. 19. Matth. 18. 2. Cor. 13. Hebræ. 10.

que pater meus, aut fallere, aut falli possumus. Vt sit collectio hæc, si id quod videbatur minus recipiendum testimonium recipitur, quale est humanũ testimoniũ, quia etsi fallibile est, nihilominus recipitur, meum testimonium, quod etsi hominis est testimonium, est alioqui diuinũ testimonium, multo magis recipiendũ est.

Dan 13. 3. Reg. 21. ¶Est autem prima hæsitatio, qua ratione ait, duorum testimonium esse recipiendũ. Siquidem duo homines sæpè mentiũtur, Matth. 26. Nouissimè venerunt duo falsi testes: & Susannã accusant duo falsi testes vt Naboth. Secunda hæsitatio hæc est, nã dicet aliquis in ore duorũ testiũ, verũ erit testimonium: si tamen, alter testiũ horum non testetur in negocio proprio: at verò Christus testabatur in re propria, siquidem de se ipso testabatur. Tertia hæsitatio, pater & filius sunt vnum essentia, etsi duo sint personaliter, igitur pater & filius vt sunt vnus Deus, ita & vnus testis essentialiter sunt, etsi sint duo testantes, personaliter, quomodo ergo erant duo testes? Quod si dixeris Christum, vt hominẽ esse alium testẽ, vtiq; occinã tibi, quia si Christus, vt homo est testis non est alius à filio Dei, quia in Christo, nõ est alius, & alius, sed solum aliud, & aliud: est nãq; persona vna, duabus constans naturis.

Verba Deut. explicatur. ¶Primæ respõdebis, verba hæc Deut. 19. in ore duorũ, vel triũ stabit omne verbũ, aut peribit, omnis qui interficietur, Deut. 17. non sunt sumẽda, vt subinde intelligamus testimoniũ procedens, à duobus, vel tribus, esse infallibile testimoniũ. Etenim sicut vnus testis potest esse falsus testis in iudicio, Deut. 19. ita ambo esse falsos, nemo hæsitat fieri posse, quandoquidem est Deus verax, omnis autem homo mẽdax. ¶Quod igitur verba illa docent, hoc est, videlicet, ius præsumere verũ esse testimoniũ, & non suspectum de falsitate si à duobus procedat testibus dignis fide. Tametsi fieri potest, quod hæc iuris præsumptio iudicem fallat. Nihilominus iudex tenetur secundum horum testimonium ferre sententiam, neque etiamsi fallatur, iniustus est iudex, qui secundum legitimam probationem processit: neque enim tenebatur scire falsos fuisse testes, quorum testimonia legitima reputantur secundũ legẽ.

Quædã testamenta egent 7. testibus. Quamobrẽ in quibusdam testamentis, & in quibusdam alijs rebus vbi maximè imminet periculũ falsitatis duorum, vel triũ testium, leges statuerunt plures quã duos, aut tres esse vocandos in testes, quia statuerunt septem: quandoquidem si duo, aut tres tantum essent, multa incommoda accidere potuissent, vt quod institueretur in hæredem, qui non est institutus conspirãtibus tribus testibus infauorem alicuius alterius. Quanuis cap. cum esses. de testamẽtis. hanc ciuilem legem putat non esse iustam, quia pugnantem esse tradit cũ diuina, de qua re alibi. Dominus ergo ex suis verbis non docet duorũ hominum testimonium esse infallibile, sed potius colligit si testimonium duorum hominũ percipitur, alioqui fallibile, recipitur tamen, quia reputatur verum, vt pote quod duorum testium autoritate stabilitum, quid quod testimoniũ Christi, & patris sui sit recipiẽdum, quod est infallibile? Hoc dubium fuit motum à beato Aug. lib. cõtra Faustum, quod nos clarè absoluimus.

¶Secũdo respondebis Christum nõ egisse rem suam, testãdo de se ipso sed nostrã. Testimonia namque, quæ de se tulit, non propter sua cõmoda sed propter nostra tulit, ideoq; cessat hæsitatio. Aliter soluitur dubium ab alijs Christum perhibuisse testimonium de se homine, quatenus patri erat consubstantialis, hoc est, quatenus Deus, ac proinde quodammodo alius à se homine. Hæc solutio arrisit Iansenio, mihi non probatur, quippe, vt aiebã, in Christo nõ est alius, & alius, sed aliud, & aliud, vt Basilius, & Damascenus imò ipsa fides tradit. Nam alius denotat personæ distinctionem, aliud verò essentiæ diuersitatem. Christus verò, etsi Deus est & homo, non est homo alius, quam ipse Deus, imò ipse qui est Deus, est etiã homo vnitate personæ, etiamsi aliud est esse Deũ, atq; esse hominem. Quamobrem tu dicito quod dudum dicebam Christũ tulisse testimoniũ de se, sed non ad suam, sed nostram vtilitatem, ideò ferre testimonium de se, non erat ex re Christi, sed ex re nra. Quapropter nõ ideo, quia de se, ideò suspectũ testimoniũ reddebatur: imò fidele testimoniũ sapientiam præstans paruulis, nõ tumidis pharisæis. Et solutum habes hoc dubium quod excitauit Ioannes Chrysostomus, nihilominus lucide non soluit.

In Christo non est alius & alius, sed aliud, & aliud

¶Tertiæ dubitationi respõdebis, Christũ ex diuinitate fuisse testẽ propriæ diuinita-

tis & ex humanitate propter scietiã sibi infusam, etiã fuisse testẽ proprię diuinitatis, etsi ex humanitate nõ erat persona, sed ex proprietate diuinę personalitatis. Erat igitur testis de se ipso ex diuina & humana natura, nõ tamen est persona ex humana natura. ¶ Christi igitur erat testis pater, & hic homo filius Dei, demonstrato Christo. Et hic homo Christus, est alius testis quã pater, etiãsi quatenus Deus sit patri consubstãtialis, & vnus Deus cũ patre, at quatenus homo nõ est patri cõsubstantialis, sed diuersam habẽs à patre substantiã, quippe humanitas, non est diuinitas.

Christus ratione humanitatis nõ est persona, sed ex proprietate diuina.

Dicebant ergo ei, Vbi est pater tuus? Respõdit Iesus, Neq; me scitis, neq; patrẽ meũ scitis. Collegerant iã Pharisæi ex verbis Dñi superioribus. c. 5. se testari patrẽ habere Deũ, ideò hæc verba modo nõ procedũt exignorantia, sed ex inuidia. Vt enim Christus clarius diceret se patrem habere Deũ, & inde apertũ haberent accusandi ostium, ideò interrogant modo, Vbi est pater tuus? Christus animi peruersitatem eorũ optimè callens nõ respõdit clare ad interrogationẽ, sed neq; diffitetur quod supra fassus fuerat esse se filiũ Dei: ideò respondit, Neq; me scitis, neq; patrem meũ: hoc est, neq; me cognoscitis, neq, patrem meum nouistis. Quæ verba nõ pugnant cũ prioribus. c. 7. verbis, *Me scitis.* Etenim ibi erat sermo, Me scitis secũdum rationem humanæ naturæ. Et modo ait, Me nescitis, secundũ rationem diuinæ naturæ. Et quia ait, Neq; me scitis, neq; patrẽ meũ, facilè docet Ioseph non esse patrẽ suum: siquidẽ Ioseph, benè cognoscebant Iudæi. Dicens igitur, & me nescitis, diuitatem suam ostendit, si quidem humanitas Christi, omnibus illis nota erat. Et dicens, Neq; patrem meũ, patrem suũ non esse Ioseph, sed Deũ esse insinuat. *Si me sciretis, forsitan, & patrem meũ sciretis.* c. 14. Philippo ait Dñs, Philippe, qui videt me, videt & patrẽ meũ. Id quod non est intelligẽdum, Qui videt meũ humanum vultũ, aut meã humanitatem, videt patrem meũ. Quãdoquidẽ cum ex visibilibus, manuducamur, ad cognoscendũ Deũ, patrẽ omniũ ad Rom. 1. Et visis operibus Christi plurimũ promouebatur humanus intellectus, ad notitiam insignem diuinitatis, plusquam ex cunctis aliis creaturis: quãdoquidem opera Christi, & verba summopere docebant Dei omnipotẽtiam, & sapientiam. Rursusq; ex verbis & operibus Christi, non solum Dei maiestas ostendebatur, quin etiam mysterium sacerrimum Trinitatis pandebatur, quod ex visibili creatura non patescebat. Porrò nõ loquitur Christus de visione exteriori sed de visione fidei. Cęterum hęc visio nõ erat clara, sed ænigmatica, quippe quæ erat visio fidei, & non claræ notitiæ, qua potiuntur beati fruentes in cœlestibus regnis diuinitate. Si ergo verba Dñi ad claram visionem beatorum referas verissima sunt: necessum enim est, vt beatus videns filium videat patrem. Si aliud tamẽ subsit diuinæ potestati, non est dissererehuius instituti: quia in. 1. lib. Sent. disserui mus. Verum non solum tunc, verum est, qui videt me, videt & patrem meum, sed, & cõtra, qui videt patrem meũ, videt me. Quamobrem Christus sermone isto, hoc videtur docuisse, cognitionem filij esse viam, & medium ad cognoscendum patrem. Itaque qui volet cognoscere, aut videre fidei visione patrem, necessum est vt prius cognoscat Christũ. Nam Christus est solus, qui ducit homines ad patris veram notitiã. Vnde sensus hic videtur germanus, si me sciretis, credendo, & amãdo me, forsan, & patrem meum crederetis, & amaretis. Namque in scriptura cognoscere, vel scire sæpè vsurpatur pro amore, vt nouit Deus, qui sunt eius. Docere igitur, intendit Christus sermone isto eum, qui volet verè colere patrem syncera fide, & pura charitate, necesse esse vt colat filium eisdem. Qui enim non colit filiũ, neque patrem colere potest. Pharisæi autem putabãt se esse eximios cultores Dei patris suis freti legalibus cæremonijs: at demonstrat illis nunc Christus, eos non vere colere patrem, quia non colebant ipsum Christum. Vnde satis liquet se ostendere esse Deum verum, vt pater est verus Deus, quia poscit eundem cultum, sibi exhibendum quem ipsi Deo patri exhibebant. *Et ideo ait, si me sciretis, &c.* Notã dubitationis, forsitã, Augustinus etiam legit, & increpatiuè docet, nõ dubitatiuè esse accipiendam. Vnde ait, Hoc autem verbum, forsitan, increpatiuè dicitur, quod videtur esse verbum dubitationis. Homines enim de rebus, quas certas habent, aliquando verbum dubitationis ponunt: velut si indigneris seruo tuo & dicas,

Christus est via ad cognoscendũ patrẽ.

dicas, Contemnis me? Considera forsan Dominus tuus sum? Sic & Dominus dubitando increpat infideles, dum dicit, Et panem meum forsan sciretis. Porrò Græca dictio, est καὶ, quæ vel, vtique significat, aut, &. Vnde Theophilactus legit, Si me nouisſetis, & patrem meum nouisſetis.

Paternitas in Deo duplex alia essentialis, cõmunis tribus personis, alia notionalis quæ vnius tãtum est personæ.

¶ Obseruabis ad hæc verba præhabita Christi, aut posse referri, ad Deum, vt patrem vniuersalẽ omnium rerum: aut possunt referri ad Deum, vt est pater Christi solum, id quod pertinet ad proprietatem personalem. Nam prior paternitas essentialis est, communis toti Triadi: vnde omnis paternitas nominatur, ad Ephesi. 3. Vel potest referri ad vtranque paternitatem, vt sit sensus iste, Si me nouisſetis, vtique nouisſetis Deum patrẽ vniuersalem omnium, qui est pater naturalis meus. At verò quia me non cognoscitis, credendo me, & amando me, neque patrem cognoscitis, quanquam patris mei cultum & amorem iactatis, sed, inaniter. Quippe ego sum via, per quam vobis est eundum ad patrem, at si me viam non cognoscitis necesse est, vt finem huius viæ, etiam ignoretis. Per Christum enim habemus accessum ad patrem, autore Paulo ad Ephes. 2. Quo fit, vt recedentes à Christo, non possint accedere ad patrem. *Hæc verba locutus est Iesus, in Gazophylacio, docens in templo. Et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.* Gazophylacium locus erat receptaculum ve, vbi cõdebantur munera, quæ referebantur ad templi cultum, & ornatum, vt ex Marco. 12. Et ex Luca. 21. insinuatur. Et. 4. Regum. 12. fit mentio huius Gazophylacij. Traxit nomen à Gaza, quod significat diuitias, & phylacto, quod est custodio, quia mihi asseruabantur, donaria Salomonici templi. Erat autem hoc Gazophylacium iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini. 4. Reg. 12. Vnde videtur fuisse ad ingressum fere tẽpli Salomonis, vt ingredientes templum ibi reponerent pecuniam quam offerre volunt: instar receptaculorum, quæ modo sunt in Ecclesijs nostris, quæ Hispanũ idioma vocat *cepos*.

¶ Erat ergo iuxta hoc Gazophylacium, Dominus prædicans. Hoc enim sibi vult Ioan. dicẽs. Hæc locutus est in Gazophylacio, quia totus circunstans locus Gazophylacium, appellabatur Gazophylaciũ. Atqui cum Dominus esset in loco admodum publico, qualis erat descriptus locus iuxta Gazophylacium, nemo ausus est in Dominum inijcere manus, quia tempus mortis patiendæ ab ipso diffinitum nondum accesserat.

Christi verba nõ omnia retulit Ioannes sed ea solum quibus cõtra dicebant Iudæi.

¶ Significat autem Euãgelista multa alia verba Dominum tum locutum fuisse ad doctrinam populi, siquidẽ ait, verba præfata dixisse, dum doceret in templo. Porrò Euangelista Ioannes non omnium verborum Christi facit mentionem, sed eorũ maximè, cum quibus pugnatum est à Iudæis: quæ sunt verba Christi insinuantia diuinitatem, aut alia grãdia mysteria, qualia sunt verba, cap. 6. Ego sum panis viuus, &c. *Dixit ergo iterum eis Iesus, Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado vos non potestis venire.* Rectè ait, Dixit iterum, nam iam semel. 7. c. dixerat, Vado ad eum, qui misit me, Quæretis me, & non inuenietis. Hunc igitur eundem modo replicat sermonem. Et forsan hæc verba dicta sunt à Domino annotante Beda in alio tempore, aut in eodem, quo priora: ex Euangelio enim nõ constat, quo tempore præciso fuerint dicta. *Quo ego vado.* Familiare est Domino vti præsenti pro futuro, vt rei venturæ certitudinem demõstret: ideò ait, Vado, pro vadam, vel pro abiturus sum. Et significat gloriam resurrectionis post crucis mortẽ, quam transitum vocat, & abitionem. Filius, inquit, hominis vadit, sicut scriptum est de eo. Et Ioan. 13. Sciens Iesus, quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem. De morte ergo sua, quam erat passurus, intellexit, dicens, *Ego vado.* Et equidẽ de Christo verè dictum est, quod ipse ibat ad passionem mortis, nos enim potius trahimur ad mortem, quia inuiti & repugnãtes morimur, ideò nõ vadimus, sed impellimur potius ex naturę necessitate ad mortem: Christus verò spõte ibat. Cæterum, quia ex morte sua triũphator euasit, quia inde resurgens, conscendit ad dexteram Dei patris, propterea ait, Ego vado, & quo ego vado, vos non potestis venire, hoc est, Ego cito morituus sum secundum carnem, at mors mihi non dominatur, illam conculcabo pedibus, resurgens incorruptus ex mortuis, & ascendẽs

triumphator cum viuis in cœleſtem patriam, quo vos non poteſtis venire.

¶Non intelligas ſimpliciter verbũ Dñi, quod Iudæi nõ poterant ſaluari, ſed ex hypotheſi, *Quo vos non poteſtis venire*, Suppoſita veſtra infidelitate, quam tenaciter aſſeritis. Et eſt ſimilis phraſis vſitata ſatis in ſcripturis. Propterea, inquit Ioan. 12. nõ poterant credere: & rurſus, Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, Matth. 18. *Et quæretis me.* Locus patitur variam intelligentiam, vt capit. 7. annotatum eſt. Aut poſtquam aſcendero in cælũ quæretis me ex pœnitentia ſuaſi malè vos feciſſe, me occidentes, & ideò quæretis me dolẽtes quod præſentem contempſiſtis me, ideò deſiderabitis rurſum me eſſe præſentem, vt meo cõſpectu gauderetis. Aut quæretis me ex odio, nam contumaces ſemper eritis cõtra me, & in perfidia veſtra perſeuerantes, deſiderabitis habere me rurſus præſentem, vt denuo contra me veſtram inſaniam acueratis. Aut denique quando vos afflixerint Romana bella, deſiderabitis me præſentem, vt eruerem vos à ſummis quę circunſtabunt malis.

¶At verò non inuenietis: non enim dabitur iã vobis, frui mea præſentia corporali. *Et in peccato veſtro moriemini.* Quia geminus eſt quærendi Chriſti modus: & ad perdẽdum Chriſtũ, vt Herodes quærebat Chriſtum, Matt. 2. aut adhabendum Chriſtũ, vt Maria inquit, Ego & pater tuus dolentes quęrebamus te. Et qui quærunt primo modo, quęrunt ad ſuam perditionem, qui verò ſecundo modo quærunt ad ſalutem. Secundo modo rurſus quærẽtes inueniũt Chriſtum ad ſuũ bonum, & profectum. Secũdo verò modo quærentes inueniunt Chriſtũ ad ſuum ipſorum exitium. Cum ergo Dñs dicat modo, *Et in peccato veſtro moriemini*. Videtur inſinuaſſe primũ modũ quærendi Chriſti, qui eſt mala quæſitio Chriſti: quaſi dicat, Quæretis me, ad perdendum me: at verò inuenietis me ad perdendum vos, quia in peccato, ſubaudi infidelitatis veſtræ moriemini. Infidelitas enim antonomaticè dicitur peccatum: quia infidelitas eſt tanquã radix vniuerſorum peccatorum. Siquidem qui fidem habet lapſus ſuos alios in lege Dei reparare poteſt, at ſublata fide lapſus omnis eſt irreparabilis. Nõ inuenerunt igitur Chriſtum Iudæi malè quærentes Chriſtum. Non inuenerunt in quã ad ſalutẽ, non inuenerunt pro ſuo malo deſiderio nocendi Chriſto explendo: at inuenerunt ad ſuam perditionẽ. Quippe obſtinati ſunt in ſua infidelitate, & ſub obſtinatione diẽ clauſerunt extremũ: ideoq; non ingreſſi ſunt in requiem illam, quam Dñs benè quærẽtibus ſe concedit. *Dicebant ergo Iudæi, Nunquid interficiet ſeipſum, quia dicit, Quo ego vado vos non poteſtis venire.* cap. 7. aiebant Iudæi, Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt? Modo vero, non hoc, ſed, Nunquid interficiet ſe ipſum? Et mirabilis eſt horum væſania, niſi aliud intellexiſſent quam verba ſonant, & forte erãt iam alij, quam qui in. 7. cap. aiebant, Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt & doctu rus gentes? Verum hæc verba Iudæorum ſunt temeraria. Vnde enim colligebant, Dñm ſe interfecturum? Enimuerò ex verbis Dñi, Quo ego vado vos non poteſtis venire, non colligitur, ſuicidium, quippe, etiam Iudæi poterant occidere. Eſt porrò exponendus locus ad hanc rationem, Iudæos ex vaticinio Eſaiæ. 53. Tradidit in mortem animam ſuam. Et quia fortè audierant quod Ioan. 10. Dñs ait, Animam meam nemo tollet à me ego pono eam à me ipſo: Meſsiam credidiſſe voluntariè eſſe moriturum. Et ideò deriſoriè obijciũt Chriſto, nunquid interficiet ſeipſum, ſiue tolles à te animam tuam. Itaque quaſi alludentes, & illudentes verba Domini: dixerint, Nunquid interficiet ſe? vel, Nunquid tu Chriſtus es, vt poſsis ſi velis per mortẽ te ſubtrahere à manibus noſtris? Ita que nos nõ poterimus te occidere, ſed tu te ſolũ poteris occidere? Verũ locus Eſaiæ ſiniſtre intelligebatur ab iſtis, & locus indicatus Ioannis. Nõ enim Eſaias vaticinatus eſt Chriſtũ ſibi illaturũ manus funeſtas, quando ipſe voluiſſet, ſed quod ſponte erat ceſſurus ſibi inferentibus mortem. *Et dicebat eis, Vos deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum.* Græcè, De deorſum eſtis. Apollinarius corrũpens ſyncerã intelligentiã loci, eum detorſit ad ſuũ dogma credens corpꝰ Chriſti, nõ acceptũ ex virgine Maria, ſed cœleſtẽ habere materiã, & de cælo deſcendiſſe. Id ꝙ iniquũ eſt, dogma: qui cæleſte fuiſſet tũc corpus, impaſsibileq; fuiſſet, & mori nequiuiſſet: & totũ redẽptionis negocium inane eſſet. Dñs ergo, de ſupernis eſſe ſe teſtatur, quia ſi diuinã cõſideras ei?

Gemina eſt quęſtio Chriſti.

eſſe ſe

naturam à patre cœlesti exiuit, & venit in mundum. Si humanam, etsi in mundo secundum illam erat & in mundo conuersabatur, Ioan.1. nihilominus anima Dñi in carne existens mortali immortaliũ spirituũ beatitudine fruebatur, ideoq; de supernis erat, quatenus infra existens, cœlestia contuebatur, vt Paulus etiam de se testabatur. Couersatio, inquit, nostra in cęlis est. Et Domini præcursor, cap.1. Qui de terra est, terra est, & de terra loquitur, Qui de cælo venit, super omnes est. Qui locum præsentẽ explicat: homines enim terreni sumus, & terrenam habemus originem, ideò terrenus est sermo noster. At verò Christus secundum Deitatem supra omnes cælos, & ante mundi constitutionem est. Secundum verò corpulentam hominis substantiã. Spiritus sancti opera nõ ex virili fuit cõceptus semine: ideò sermones Christi, erant diuini, & planè cœlestes. Nos verò, quia terrenã habemus originem, & in peccatis sumus cõcepti, id ò loquimur terrena, terrenaq́ue sapimus. Si tamen quando contingit sublimia cœlestiaq́ue loqui ex diuino afflatu donatur. Iudæos ergo maledicos Dominus increpat dicens. Vos de deorsum estis, id est, terreni prorsus, & terrena cõcupiscentes, & terrena sapientes, ideò aduersamini mihi, loquenti cœlestia, quia caro concupiscit aduersus spiritum. Et hoc idem per verba sequentia apertius exponitur. *Vos de mundo hoc estis ego non sum de hoc mundo.* Vos mundani estis, & mundana concupiscitis, ego vero neque sum mundanus, neque mundana doceo, imò despicienda esse, semper prædico. Idem de suis dixit Apostolis, Vos de mundo non estis. Significat autem Dominus prẽter hunc mũdum sensibilem, quem oculis videmus carneis, esse alium inuisibilem mundum, vbi ipse videtur in sua maiestate, & regnat secundum suam potentiã. Ait, enim, Ego non sum de hoc mundo. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris.* Primo dixerat, Moriemini in peccato vestro, in singulari: nunc verò in plurali, in peccatis. Aut quia infidelitas, est peccatorum progenitrix, aut quia vsus est primo syllepsi sub singulari, subaudiẽs plurale numerum, qui tropus est familiaris Hebræis, atque Latinis. Quia ergo Christus est de supernis, & Iudæi de infernis, & quia Christus, non est de hoc mũdo visibili, & Iudæi erant immersi in mũdanis rebus: ideò Christus sine peccato existẽs, pronuntiat Iudæos peccatores esse, & in peccatis suis obituros. *Si enim non creditis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Quod dixerat Iudæos morituros in peccatis suis exponit modo, ne Iudæis incuteret desperationem, Moriemini, si non credideritis in peccatis vestris, si tamen non credideritis, quia pro quod ego sum. Glossa latere putat in sermone hoc mysteriũ. Enimuerò solus Deus est qui verè est. Exod.3. Qui est misit me ad vos. Ideò q́ue Christus dicens, Si nõ creditis, quia, pro quod, ego sum, subdenotat, se esse verum Deum. Vniuersa enim creata quia sunt annihilabilia, ideò non absolute sunt dicenda entia, sed creata entia, subiecta ad non esse.

¶ Vel oportebit explicare, si nõn creditis, quia ego sum ille propheta verus, quem vos expectabatis venturum. Et vtraq́ue expositio germana est textui: & in secunda comprehenditur prima. Quia Messias expectatus, ab illis Deus creditur à nobis. *Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Iesus, Principium, qui & loquor vobis.* Quia Dominus dudum dixerat, Nisi credideritis, quod ego sum, in peccato vestro moriemini. Ideò Iudæi interrogant, Tu quis es? Quasi dicant, Si credendum nobis est, quod tu es, oportebit te explicare quis tu es. Et equidem vbilibet suam obstinationem in non credendo isti demonstrant. Quandoquidem si superiorem Christi sermonem, ipsi obseruare voluissent, & miracula expendere Dñi, satis liquebat, quis esset Dominus Dixerat enim se esse panem vitalem de cælo descendentem, dixerat se fontem vitæ, se esse lucem mũdi, multaq́; prę stiterat miracula, vnde sibi cõciliaret illorum fidem. Verũ isti sese vltro obcęcãtes, & aures suas oppilantes, oculis videbant miracula, & mẽte illa spernebãt. Auribus corporis audiebant Christi doctrinã, & auribus mentis eam nõ percipiebant, ideoq; inquirũt modo, Tu quis es? Quibus Christus respõdit, *Principium, qui & loquor vobis.* Verba sanè difficilia, quia variant valde expositores. Et Greca lectio itẽ difficilis, & ambigua, vt Latina editio. Siquidem Aug. lib. de ciui. Dei. c.23. locũ hunc colli-

gere putat Christi diuinitatem: siquidem Dominus se vocat principium, id quod est diuinitatis, quæ sola est principium simpliciter omnium. Namque pater, est principium, & filius, & Spiritus sanctus, non tamen tria, sed vnum creaturæ principium. Et Ambrosius consonat Augustino libr. Exameron. 1. cap. 2. Dei filius, ait, dicentibus sibi, Tu quis es? respondit, Initium, qui & loquor vobis. At cap. 4. legit, Initium, quod loquor vobis: vbi non legit, qui, vt prius, sed, quod. At libr. 3. de fide, cap. 4. Nec de principio, inquit, aliquid resident quæstionis, cum interrogatus in carne, Tu quis es? responderit principium, qui & loquor vobis. Cyrillus quoque hunc enarrans locum eandem est amplexus lectionem. Demonstrans ex istis Domini verbis Christum esse verè principium, quia per ipsum facta sunt omnia. Pater autem etiam est principium, & Spiritus sanctus item est principium. Verū, inquit, differenter: Paternamq; est principium sine principio, & filius principiū de principio, quia à patre procedit, quanuis non duo, sed vnum sunt principium. Rursus Spiritus sanctus est principium creaturæ, at non est principiū interioris diuinæque emanationis: siquidem ab Spiritu sancto alia persona non potest procedere: quia solum tres sunt personæ diuinæ. Procedit tamen ipse à patre & filio, vt ab vno principio. Itaq; si sermo sit de processione vniuersitatis rerum creatarum à Deo, Spiritus sanctus quippe qui Deus est, est verè principium huius processionis. Verum si de origine diuina personali, Spiritus sanctus non est principium, sed emanās ab vno principio, scilicet, ab vno Deo qui est pater, & filius: ad hancq; rationem theologizat Cyrillus.

Variæ expositiones.

¶ August. verò hunc tractans locū homil. ad Ioannē, sic inquit, Dixit eis Iesus, principium, qui & loquor vobis, non tanquā diceret, principium sum, sed tanquā diceret principiū me esse credite, quod in pronomine Græco, euidenter apparet: vbi principium fœminini generis est. Principiū ergo me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Principiū enim mutari nō potest, in se manet, & innouat omnia. Et paulò pòst, Credite ergo me esse principium, quia vt hoc credatis non solū sum principium, sed loquor vobis. & reliqua.

¶ Beda verò, inquit, sanè in quibusdam exemplaribus inuenitur, qui & loquor vobis, sed congruentius esse probatur si, quia legatur, vt iste sit sensus, principiū me esse credite, quia propter vos ad hæc verba descendi. Porrò autē Chrysostomus videtur non nominaliter secundū veterem translationē, legisse principiū. Græcè τὴν ἀρχὴν, sed aduerbialiter, ait enim, cōsideranda est amentia Iudæorum, qui post tēpus tantū, & signa, & doctrinam, interrogant, Tu quis est? Quid igitur Christ⁹? A principio loquor vobis. Quasi diceret, sermones meos indigni estis audire, nō solum vt dicā vobis, quis ego sum. Vos enim omnia tentantes loquimini. Et hæc omnia possum arguere, & vos punire. Ex noua trāslatione Chrysostomi non colligitur quid legerit Chrysostomus. At verò suus breuiator Theophilactus, aduerbialiter legit hunc locum, & exponit, secundum eam, quam habet interpretationem. Namque sic legit. Dicebant ergo ei, Tu quis es, &c. & dicit eis Iesus, In primis, ϕ & loquor vobis. Quæ explicans Theophil. subdit, Post tantum tempus post tantorum mirabilium ostensionem, interrogant eum, Tu quis es? Ita fuerunt insipientes irrisores. At Dñs inquit, In primis, quod & loquor vobis. Vos, inquit, indigni estis, vt audiatis à me sermones, & discatis qui sim. Omnia enim tentantes dicitis, & nihil ex his quæ loquor auditis. Et in hanc sententiam sunt pleriq; multi autores, quibus admodum arridet principium hoc loco, non vsurpari nominaliter, sed aduerbialiter. Et enim idem est principium atque si dixisset principio, seu primum, vel in primis, vel primo, vt etiam τελως Græcis est idem quod finaliter, aut deniq;. Et enim quod sit nominatiui, vel accusatiui casus, vt Augustino placuit, non videtur Laurentio, neque Erasmo, neque Ludouico Viuis scholijs ad Augu. commemoratis, neque Caietano, neque Iansenio. Laurentius inde probat, quia ad quæstionem illam, Tu quis es? non potest responderi per accusatiuum. Verū Augustinus idcirco defectū supplet dicens, vos credite me esse principiū. Et rursum Græcè non legitur, ὃς, sed ὅτι, quod exponitur per, quia vel, quod. Et auget huius rei ambiguitatem, quia Græcè non legitur in nominatiuo, sed in accusatiuo, si nominaliter

vsur

vsurpetur. τὴν ἀρχὴν ὅτι. καὶ λαλῶ. Vnde videtur non posse capi tanquam nomen, principium, quod trāstulit interpres quippe neque in nominatiuo potest legi, quia non est nominatiuus ἀρχὴν, neque accusatiuo, nisi suppleas quicquam quod non videtur supplendum.

¶Obstat nihilominus si vsurpetur aduerbialiter, pro primum, vel in primis, quia sermo hic denotat ordinem dicendorum, at non videmus à Domino seriatim esse modo cōposita verba sua, vt quædam primo diceret, dein secundo alia adderet. Porrò istud obstat nihil', diceret namque à Domino tria esse seriatim dicta. Primo se futurum esse Iudæorum iudicem, dum ait, Multa habeo, &c. Secundo se esse missum à patre quando subdit, Pater qui me misit verax est. Tertio quibusdam interiectis addit se per mortem crucis exaltandum. Et refert nihil si hæc non numeret, dicens primo, secundo, tertio, satis fuit ea retulisse.

¶Vnde sensus esset verborum horum, In primis quia loquor vobis, multa habeo de vobis loqui & iudicare. Ideſt, quia hoc primo dixerim vobis, quod quia vobis loquor, ideò multa habeo de vobis, loqui & iudicare, & hoc est quod alibi Dominus docet. Si non venissem, & locutus eis nō fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent.

¶Euthimius vero putat τὴν ἀρχὴν aduerbialiter esse accipiēdum apud Chrysostomum, verum nō, vt significet idem quod in primis: aut primum, sed vt significet idem quod omnino. Nam vsurpatur etiā Græcis τὴν ἀρχὴν sæpe ad confirmandū, vt significet idem quod prorsus, vel omnino, vt Gregori. Nazianzenus in sermone de paschate σὺδὲ οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ὀμν. Tu vero ne iuraueris omnino. Et Galenus de optimo dicēdi genere, quem indicat Erasmus ἀλλὰ διδασκαλὴν τὴν ἀρχὴν, verum nulla prorsus eruditione. Et iuxta hanc significantiam, sensus esset omnino id sum, quod locutus sum me esse. Et loquor, & Hebraismo vsurpatur, etiam pro locutus sum. Siquidem dixerat Dominus se esse iudicem vēturum omnium cap. 5. & modo inquit. Ego sum omnino is ipse, quē supra dixi me esse. Porrò Nonius Græcus, non legit qui, vel quia, sed quod vt sit relatiuum, & non coniunctio. Vnde exponit hoc modo, Et Christus respondit. Quod vobis ab initio dixi habēs innumera iudicare, & loqui. Nāque cap. 5 Dominus docuit Patrem omne iudicium dedisse filio. Ideoque modo Dominus se interrogantibus Iudæis refert ad id quod initio dixerat.

Euthimij sensus.

Nonius Græcus.

¶Porrò autem si hoc placet interpretandi genus, vt per principium subaudiamus, In principio, vel à principio, vt multis placuisse monstrauimus, ego nollem referre, ad ordinem narrationis, vt Nonius retulit, & alij cōmemorati retulerunt, sed dicerē referendum esse ad significandam æternitatem Christi, quam vt exponeret Ioannes dixit, In principio erat verbum. Et sapiens diuinæ sapientię æternitatem declarans ait, Ab initio tecum erat sapientia. Et Proue. 8. Ab ęterno ordinata sum, &c. Sensus igitur est hic, Ego sum ille, qui erā in principio ante seculi constitutionem, qui tamen feci me temporalē accepta carne, vt carne tectus æternus cū sim, in propria persona, non per angelos internuntios, neque per prophetas intermedios, sed per me ipsum loquor vobis. Et si hic sensus probatur, optime eidem congruit lectio nostra. Principium qui loquor vobis, vt perinde sit atque, In principio, qui & loquor vobis. Et quod principium, in scriptura vsurpetur nonnunquam pro in principio, vel à principio, locus ille regij vatis indicat. Principium verborum tuorum veritas in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ. Nāque sensus est ab initio verba tua vera sunt, & in æternum verba tua, quæ sunt iudicia iustitiæ tuæ, vera erunt: hoc est, ab initio tu verus es, & semper verus eris. Scisitantibus igitur Iudæis, Tu quis es? Respōdit Dominus principium, hoc est, is ipse sum, qui eram in principio apud patrem meum, qui & loquor vobis, ideſt, dignatus sum nihilominus accepta humanitate vobis loqui personaliter. Locus sanè difficilis, tibi erit optio eligendi quod magis arriserit. Vnde ne te terreat. Ambrosius Catharinus, qui vehementer pro more suo, obiurgat Caietanum in hoc commentario, quod legat aduerbialiter, Principium, cum ante Caietanum plerique aduerbialiter legerint, & post Caietanum, alij probauerunt lectionem, vt didicisti ex præmonitis. Quare etiā non mihi

Sapien. 9.

Psalm. 118.

Ambrosi⁹ Catari. & Eduardus obiurgantur.

probatur damnatio Eraſmi, quam intentat contra ipſum, Eduardus Læus in annotationibus & cenſuris contra ipſum in articulo hoc. Quamuis mihi magis probatur intelligentia, quam vltimo appoſui, quia exiſtimo ex verbis cõmemoratis voluiſſe Dominum ſuam ex patre originem æternam inſinuare. Namque Euangeliſta paulo poſt ſubdit, & non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, ſed qui me miſit verax eſt, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Mihi eſt cõcreditum munus de vobis loqui vos arguendo, & reprehẽdendo, & vos iudicandi, vos damnando. Neque ſi modo vos non condẽno, ideò me fallacem putate, vt male putatis, ſiquidem certiſsimè vos ſum damnaturus ob veſtram quam non deponetis infidelitatem, & ob alia peccata veſtra. Hinc autem diſcetis hoc eſſe futurum, quia pater meus, qui me ad hoc miſit, vt tandem ſit iudex veſter, & omnium hominũ verax eſt, neque pœnitebit eum vnquam quod me miſerit, vt habeam poteſtatem vniuerſalem iudicandi vos, & vniuerſum genus humanum.

Intelligentia autoris.

¶ Obſerua Dñm dicere, *Multa habeo*, ſignificans ſermone hoc, non ſolum dãnandos Iudæos ex infidelitate, ſed etiã ob alia delicta. Ait enim, *Multa habeo*, Chriſtus autẽ multa reprehendit Iudæorũ crimina vt lectio euãgelica demõſtrat. Carpit enim eorũ hypochriſim, carpit auaritiã, & malitiã & non ſolum infidelitatẽ. At verò in primo aduentu non exercuit munus iudicis vniuerſalis eos damnando, & omnes peccatores, qui in peccatis ſuis moriẽtur, exercituras in nouiſsimo aduentu. Habebat igitur Chriſtus ex munere iudiciario, multa, quæ carperet in Phariſæis, & ſcribis, & principibus Iudæorum, & multa, quæ dãnaret: at verò multa carpſit crimina, non tamen eos tunc ſententia finali damnauit donec in peccatis ſuis mortui ſunt. *Et non cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum.* Corrupta eſt lectio pro eiusenim lege eis. Græca lectio diuerſa eſt à noſtra, habet enim. *Et non cognouerunt, quod de patre eis locutus eſſet.* Noſter autem interpres ſenſum expreſsit verborum. Quia re vera, non de alio patre loquebatur Chriſtus, quam de patre Deo, vt ſub hæc patentius aperiet. Mox enim inculcabit, quæ cap. quinto prædixerat ſe eſſe conſonum, & non aduerſarium cæleſti patri. Et ſolum ea præſtare opere, & docere verbo quæ cæleſtis pater, docenda, operanda volebat. *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me miſit me cum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Phariſæi, & ſcribæ, & principes Iudæorum ardenter ſitiebant ſanguinem Domini fundere, eum cruci affigendo. Hac enim ratione arbitrabantur, actum fore de Chriſto. Dehortatur igitur Chriſtus latenter eos ab hoc ſcelere patrando, docens crucem, quam intẽtabant ad perdendum Dominum, eſſe futuram gloriæ Chriſti incremẽta. Quippe poſt crucis ignominiã, futuram docet ſuã clariſsimam gloriã. Siquidem Lucæ. 23. quidã videntes mirabilia, quæ geſta ſunt à Deo ſub Chriſti morte, dixerunt, Vere filius Dei erat iſte. Et Acto. 2. Multi Iudæorum conuerſi ſunt ad fidem Chriſti: & quem non cognouerunt ante mortem, poſt mortem ſunt confeſsi dicentes. Viri fratres quid faciemus. Ioan. 12. Mors Domini exaltatio appellatur: nobis enim mori eſt depreſsio, & humiliatio, quia ſtipendium peccati noſtri, eſt mors noſtra. Propter peccatũ enim introiuit mors in hunc mundũ, ad Rom. 6. At vero, Chriſti mors non fuit propter peccatum Chriſti, qui innocens erat: ſed ad delẽdum peccatum noſtrũ. Quam ob rem, quia per mortẽ Chriſti, Deo viuificamur, diabolus opprimitur, cæli aperiuntur, infernus clauditur, Chriſtus glorificatur ex corporis gloria: ideo rectè exaltatio eſt mors Chriſti. Non ergo ſolũ vocatur exaltatio mors Chriſti, quia leuatus in cruce fuit, & ibi leuatus mortuus eſt: ſed etiam ob cauſas commemoratas.

Iudæi non ſolum damnati ſunt ob infidelitatẽ, ſed etiã ob alia crimina.

Mors Chriſti multis nominibus exaltatio Chriſti, & noſtra eſt.

¶ Ad hanc igitur rationẽ continuabis hæc cum præcedentibus. Sciſcitamini, à me ò Iudæi dicentes, Tu quis es? Ego dico vobis, quod multi ex his, qui nunc præſentes eſtis, & me auditis, poſt quam leuatus fuero in cruce, cognoſcent vere quis ego ſum: quippe cognoſcent me tunc eſſe filium Dei.

¶ Quamuis iam modo poteratis ante meã exaltationẽ cognoſcere ex verbis meis, & factis, quis ego ſum, at obſtinatio veſtri cordis vobis obſiſtit, quominus credatis. Tunc vero mors mea emolliet multorum

rum vestrorum cordâ, vt tandem credant. Nam si sub morte mea lapides scindentur, quid mirum erit, si corda vestra lapidea tunc emolliantur? *Cognoscetis.* Tunc cognouerunt Iudæi Christum esse filium Dei, & quod falsa erant quæ Domino obijciebantur, scilicet, violasse legem Dei, Sabbata violando. Imo cognouerunt Dominum esse Deo in omnibus consonum. Et quod Christi opera erãt, secundũ Dei voluntatem & procedere ex beneplacito diuino. Item cognouerũt doctrinam Domini esse à Deo instillatam, & non excogitatam humano artificio. Cognouerunt denique Christum esse verum Messiam, & ideò in omnibus & secundum omnia Deo consonum, siue ex opere, siue ex doctrina. *Et qui misit me mecum est.* Deus pater erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Pater ergo erat in filio, quia diuinitas patris est eadem, quæ in filio: ideo Christus non erat solum homo, sed homo & Deus. Et secundum humanitatem nunquam fuit Christus à Dei gubernatione destitutus: at sanctissimi quique ad tempus fuerũt, vt promptum est, in Abrahã, Mose, Dauid, & reliquis patribus, qui aliquando succubuerunt peccatis: at Christus, etiam secũdum quod homo nunquã fuit relictus.

Christi doctrina nõ fuit ex humano artificio.

1. Cor. 5.

¶ At obijcies, quid ergo est, quod apud Matth. 27. legimus Christum conquerentem, Deus Deus meus, cur dereliquisti me? Accedit eodem, quod Hylarius cano ne. 33. in Matthæum videtur sentire diuinitatem sub morte Christi fuisse diuisam ab humanitate. Clamor, inquit, ad Deum corporis vox est, recedentis à se verbi contestata disidium. In eandem videtur iuisse Ambrosius sententiam, lib. 10. in Lucã, Ego, inquit, non erubescam fateri, quod Christus non erubuit voce magna profiteri, contestatus secessionem diuinitatis & corporis, sic enim habet: Clamauit Iesus voce magna dicẽs, Deus, Deus meus, respice in me quare dereliquisti me. Et tandem docet Christum non potuisse mori, vt hominem, nisi vita diuinitatis discederet.

An diuinitas vnquam reliquerit Christi humanitatem.

¶ Hanc sententiam quidam scriptor huius qui, credẽs, docuit tũc discessisse diuinitatẽ ab humana natura sub Christi morte.

¶ At vero Magister senten. lib. 3. dist. 21. elucidat horum patrum sententias dicens esse intelligendas, discessisse diuinitatem à corpore Christi, non secundum vnionẽ personalem, sed secundum patrocinium. Fuit namque Christi humanitas deserta à diuinitate, quia sibi derelicta, vt pareretur & moreretur.

Sentẽtiæ difficiles sancto rum exponũtur.

¶ Et quidem verba sanctorum horum, nisi redigãtur ad bonum sensum, non essent recipiẽda, vt sonant. Siquidem consequẽs esset, hanc esse negandam, Deus est mortuus, quæ alioqui catholica & de fide concedenda est. Enim vero, si in instanti mortis diuinitas reliquit hominem Christũ, ergo tũc quãdo hæc erat vera, Christus moritur, hæc esset vera Deus non erat in Christo. Si non erat in Christo, igitur Deus nõ est mortuus, Quia mori dicitur de Deo ex vnione ad humanitatem: si tum non erat diuinitas vnita Christo homini ergo neque mortuus poterat prædicari de Deo. Contra vero scripsit Cyrillus super hunc locum. Ipse in patre, & pater in eo indimobiliter, & indigressibiliter. Quamobrẽ cũ moriebatur homo Christus, Deus erat in Christo, & non fuit tunc dissociata diuinitas secundum vnionem personalem, ab humana natura Christi. Verum postquã mortua est Christi caro, quia iam tum nõ erat homo Christus dissoluta vnione animæ, & corporis, idcirco id temporis in triduo verum nõ erat quod Deus erat homo, vel quod homo erat Deus. Cæterum quã quam homo in triduo non erat, partes tamen hominis diuisæ manebant, scilicet, corpus, & anima, quibus diuinitas copulata persistebat. At in primo instanti mortis Christi, nondum dereliquerat diuinitas, humanam naturam Christi, quantum ad personalem vnionem, & ideo tunc verum fuit, Deus mortuus est, quippe in primo instanti mortis Christi, Deus erat homo, & homo Deus, non tamen immediate post illud instans, quando dissoluta erat animæ & corporis naturalis compago. Et demum quod Dominus modo ait, non reliquit me solum, nihil pugnat cum verbo altero, Deus, Deus meus cur reliquisti me. Quippe, etiam si sub passionis tempore fuit relictus à patre, quoad protectionẽ exteriorem, at verò quo ad vnionem non fuit relictus: quippe quod semel assumpsit nũquam dimisit. Nam, vt dicebam diuinitati vnita anima Christi, infera penetrauit. Et corpus eiusdem vnitum eidem

Apparens collisio scripturæ soluitur.

diui-

diuinitati iacuit in sepulchro, fuit nãque separata diuinitas à tota humanitate: non tamen à partibus eius. Et caue ne tibi sit occasio errandi Ambrosij verbum, dicentis, Non poterat mori, nisi ab eo separaretur diuinitas quæ erat vita Corporis Christi, vt hinc colligas, diuinitatem esse vitam formalem Corporis Christi, & labaris in hæresim credentem, diuinitatem esse animam carnis Christi: id quod fuit delirium Apollinarij. Non enim hoc voluit Ambrosius: sed quod separata fuit diuinitas, à tota humanitate, quando hæc non erat tota, sed solum partes eius essentiales persistebant diuisæ tamen seorsum. Hæc vberius tibi dabit diserta tertius noster Sententiarum liber.

Diuinitas partes humanæ naturæ Christi nunquam dereliquit.

ENARRATIO II.
In caput octauum.

¶ *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus, ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos.*

Sectio. 2.

LEGIMVS in Esai. 55. Sic erit verbum meum, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Quãuis igitur verbum Christi quibusdam peruicacibus non proficiebat, at vero non reuertebatur vacuum: quippe alijs proficiebat. Et profectum demonstrat modo euangelista dicens, Hæc illo loquente multi crediderunt ei, crediderunt, videlicet, Iesum esse verũ Messiam, missum à Deo patre. Imo quia verbũ Dei prædicatum non credentes damnat, & credentes, liberat, ideò nunquã reuertitur vacuum. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Ioan. 6. Domini discipulos quosdam fuisse, qui retro abierũt didicimus. Isti enim offensi ex verbis Domini discipulatũ deseruerunt diuinæ Christi scholæ. Quibus non profuit, sed nocuit, accepta Christi fides. Quippe testante Petro, Melius erat illis non cognoscere iustitiæ viam, quam post agnitionem retrorsum cõuerti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato. 2. Pet. 2. Ne ergo istis alijs nouè credentibus in Christum, itidem contingeret, Dominus perseuerantiã in fide sua docet. Enim vero prodest nihil si cum hoste congredia ris cui cedas tandem. Itidem vanum est tẽ diosum subire cum vicijs certamen, si tandem eisdem succumbimus. Namque nõ bene incipientes, sed perseuerantes coronantur. Etenim qui domus fundamenta iacit pulcherrimẽ si ad culmẽ eam non deducit, vanè ædificat. Vt etiam qui deducit ad pelagus nauẽ, & profunda maris nauigando sulcat, si tempestate suborta, in medio mergitur pelago, infelicem duxit nauigationem.

Verbum Dei nunquam reuertitur vacuum.

Non bene incipientes, sed perseuerãtes coronantur.

¶ In quem modum, qui bene inchoat viã Dei, si immobilis vsque ad finem nõ persistit, melius fuisset non inchoasse, quam à bene cœptis destitisse. Quare Paulus, ad Hebræ. 12. In disciplina ait perseuerate. Et Deut. 27. Maledictus, qui non perseuerauerit in sermonibus legis, vt eos opere impleat. Et ad Philip. 4. State ait, in Domino charissimi. Et 1. Corin. 15. monet, vt stabiles simus & immobiles in via Dei. Et scriptura vbique docet, vt perseuerantiam in bene cœptis habeamus. Namque qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.

¶ Quamobrem modo Dominus recenter plantatis in fide sua inquit, si vos manseritis in obedientia sermonis mei, verè discipuli mei eritis. Non eritis discipuli desciscentes ab optimo magistro, vt fuerunt illi, qui territi ex duritia sermonis mei, quam ipsi putabant, deseruerunt meam disciplinam, & ad suum redierunt vomitum. Sed eritis veri & perfecti discipuli mei, si semel ebibitam disciplinam meam, non vomueritis, sed tenaciter illam intra viscera vestra seruaueritis. Duoq; erunt vobis ex hac perseuerantia emolumẽta prouenientia, non modica. Alterum quod veritatẽ, quam modo sub nube cõtemplamini, clarius discetis. Alterũ est, quod à peccatis vestris, quibus hactenus seruistis liberabimini. Enim vero si non credentes morientur in peccatis suis, vos credentes & perseuerantes in obedientia mea, eruemini à peccatorum vestrorum grauissima seruitute. *Si manseritis in sermone.* Chrysost. & Theophilactus hos credẽtes in Christum superficiariam, & non perfectam habuisse tum fidem docent. Siquidẽ Dominus eos hortatur, vt persistant in fide, vt cognoscant tandem veritatem, id est, vt absolutiorem assequantur fidem. Cyrillus autem cõtra

Veri discipuli Christi ij soli qui vsque in finem perseuerant in obedientia Christi.

videtur

videtur sapere hos veram habuisse fidē, at Dominum monuisse nunc eosdem, vt in suscepta fide sint stabiles.

¶Verum nulla est dissonantia, quippe isti veram assecuti sunt fidem, quod Christus erat verè Christus, & quod erat à Deo missus. Porro alia mysteria fidei, videlicet, Christum esse verum Deum, genitū à vero Deo, tum non callebant. Et ideo imperfectā conceperant fidem, quia nondum profunda fidei sacramenta tenebant: ideoque Theo. horum vocat superficiariā fuisse fidem, non quod esset falsa fides, sed quia nō erat perfecta fides. Quo circa Dominus hos monet, vt persistant in fide suscepta, quod si perstiterint, perducentur à Deo ad profundiora fidei callenda mysteria, & ex fide denique imperfecta deducētur ad fidem consummatam.

¶Augustinus verò alio retulit verba hæc. *Cognoscetis veritatem*, hoc est, depulsis legis vmbris, cognoscetis euangelicam lucem. Nam veritas Christus est, hæc autem veritas, erat obuelata velaminibus sacris, hoc est, typis veteris legis, hos autem typos Dominus complens aperuit, vt reuelata facie intellectus, submotisque veteribus vmbris, Christum ex fide perfecta contemplemur. *Et veritas liberabit vos.* Annotat Augustinus liberare secundum cōsuetudinem linguæ latinæ designare, idem quod eripere, aut aliquo periculo eximere. Hic vero (vt sequens indicat sermo, & Iudæorum cauillatio) non in eo accipitur significatu, sed liberum effi cere, & in libertatem adserere denotat.

¶Vtique maximum est hoc emolumentum libertatis: quia non bene pro toto libertas venditur auro, quod si liberari a seruitute corporali, pluris sit, quam totum mundi aurum: & Paulo monente, si potes fieri liber magis vtere, quid tu putas, de libertate à peccati seruitute? Etenim si malum est corpus hominis seruū alterius hominis habere, quid quod si geras animum diaboli seruum: qualis est quiuis animus peccato obnoxius? nam qui facit peccatum seruus est peccati. Si ergo pluri mi fit libertas à corporali seruitute, quę est velut mors quędā ciuilis, quid quod pluris fiat libertas à seruitute diabolica quę mors quædam spiritualis est, & peior est quam grauissima quælibet seruitus? Dñs tamen hanc libertatem spiritus pollicetur sibi credentibus. Cōtrariorum nāque vna est disciplina. Si igitur non credentes seruitute hac non liberabūtur, quia in peccatis suis morientur, credentes ab hac sunt liberādi. Neque tamen ex his tibi imponant argutię Lutheranæ. Nāque applaudet sibi forsan, ex hoc loco, *Veritas vos liberabit* colligens hinc fidem solam sufficere ad salutem, siquidem per veritatem fidem oportet intelligere, *Cognoscetis, inquit, veritatē, & veritas vos liberabit.* Si fides nos liberat à peccati seruitute colliget forte ille, igitur alia non sunt necessaria saluti parandæ. Hinc quoque dilatāt disputationum suarum contra catholicos fimbrias: Ecclesiæ enim iura contemnunt, quia hæc captiuant (vt aiunt) fideles, & demunt libertatem à fidelibus, quam Christus illis donauit.

Peccati seruitus mors spiritualis.

Lutheri dogma confoditur.

¶Porrò autem isti desipiunt, nāque fides nos liberat, vt fides nos mundat, vt fides nos purificat testante Petro, purificās per fidem corda eorū, Acto. 15. Et vt fides nos iustificat, Paulo docēte. Rom. 5. Hæc nāque fidei attribuūtur omnia, non quod vel sola fides nos à peccati iugo vetusto soluat, aut quod sola fides purificet, aut iustificet, sed quia fundamentum libertatis, & initium nostræ puritatis, & iustificationis in ipsa collocatur fide. Namque fidem si tollas, nullam prorsus sperabis purificationem animi, aut libertatem. Ideo Paulus ait ad Roma. 11. Tu autem ex fide stas. Non quia sola facit hoc fides, quod stemus in via Dei, sed quia initium omnium bonorum spiritualium fides est. Et vanum est, dogma ex eo docens nos non esse liberos, quia præceptis ecclesiæ oneramur. Siquidem Christus de libertate loquitur à peccati seruitute: at vero ecclesia, hoc intendit ex suis præceptis nos in virtutis operibus exercere, & vegetos nos reddere contra peccatorum machinam. Ideo, non intendit nos sub peccato captiuare, sed potius liberare vehementius à peccati iugo, quando nos premit multitudine præceptorum suorum. Verum est tamen, quod in ferendis præceptis, obseruanda est subditorum cōditio, aliter enim agendum cum contumacibus, aliter cum morigeris. Considerandum quoque, quid ferre valeant subditorum humeri, quidque ferre recusent. Enim vero multitudo præceptorum, sæpe parit in subditis fasti-

Quomodo fides liberat à peccato.

fastidium obseruandi. Quia tot obseruare vires recusant, & vt graue onus à se excutere tentant. Et plerunque accidit vt ita multitudine, vt difficultate præceptorum grauati subditi, præcepta vertantur eis in laqueum, & in ruinam: ideoque tunc præcepta sunt admodum probanda, quando sunt suauia, & leuia. Nam si iugum quod nobis imposuit Christus ferendum suaue est, & onus, quod imposuit portandum leue est, cur multitudine, & difficultate præceptorum nostrorum insuauia, & grauia faciemus euangelica præcepta? Cæterum si quando hoc acciderit salubrius est huiusmodi præcepta vel cũ tædio portare, quam cum contemptu excutere, vt Lutherus facit: non obseruans id quod scriptum est. Qui vos audit, me audit & qui vos spernit me spernit. *Responderunt ei, semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquã, quomodo tu dicis liberi eritis.* Semen in scriptura sæpe vsurpatur pro ipsa progenie, vt apud Paulum Christus factus scribitur ex semine Dauid secũdum carnem, non quia ex semine Dauid Christus fuerit genitus, vt Salomon, sed quia ex progenie Dauid secundum carnem, Christus deriuat suum genus. Iudæi igitur se esse ex progenie Abrahæ modo iactitant, semperque fuisse ingenuos, seu liberos. Et equidem aperte nugantur: siquidem seruierant Ægyptijs, & Chaldæis septuagin ta annis sub Babylonica captiuitate, & Assyrijs sub Salmanasar, & Teglatphalasar qui decem tribus abegit in Syriam: & demum sub Christo premebantur Romana seruitute, ipsis testantibus non habemus regem nisi Cesarem. Dominus autem, qui poterat illis obijcere hanc seruitutem non obiecit, quia de hac seruitute quæ est corporalis seruitus ipse non loquebatur, sed de animorum fædiore seruitute. Ideoque, *Respondit Iesus, Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in domo in æternum.* Homo ex duabus partibus constat, & corpore visibili, & anima inuisibili: ita & duabus premi potest seruitutibus, & duabus frui libertatibus. Verum cum corpus sit longe inferius, quam sit animus, qui est multo superior corpore, ideo & seruitus corporalis, multo leuior est quam seruitus animi, & libertas corporis multo indignior, quam animi libertas: corporalia enim viliora sunt, quam spiritualia.

¶Sumus autem omnes homines libertate arbitrij donati: quamuis non omnes libertate corporis fruamur. Verum libertas arbitrij animi seruitutem admittit. Imo ex ipsa libertate arbitrij, hæc animi seruitus paratur. Ex corporum autem seruitute, animorum seruitutem in quibusdam colligere non erit difficile, vt ex libertate corporis exteriori, ipsam animi libertatem ad facienda quæ volet promptũ est coniectare. *Seruitus animi peior est quã seruitus corporis & libertas animi nobilior est, quã libertas corporis.*

¶Tunc autem seruilem habet corpus conditionem, quando, vel superatur homo bello, & transit in victoris seruitutem, aut quando precio quispiam venundatus in ementis Domini transfertur potestatem.

¶Porrô quando peccamus, seu crimina admittimus, vtique à Satana superamur, qui est hostis nostri animi, quare insuperantis ditionem redigimur. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 2. Petri. 2. Præter hæc, qui admittit peccatum, venundat se peccato. Vnde ad Romanos septimo. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Et Esaias. 55. Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Atqui hæc venditio, ex qua vendimur peccato, non ex auro fit, vel argento, at ex solo animi consensu celebratur. Consentiendo enim peccato, iam illi venundamur: quippe sub potestate peccati redigimur, à qua eximi non possumus, etiam cessando à peccato, nisi illius condignam præstiterimus pœnitentiam. *Solus animi consensus in peccatũ, nos venundat peccato.* Quia ergo Iudæi peccato infidelitatis erant infecti, & alijs peccatis tenebantur, ideo eos Dominus nunc seruos peccati appellat. Obserua autem hos cauillatores, non esse putandum esse eos quos dudum Euangelista commemorarat, dicens. *Hæc eo loquente multi crediderunt in eum*: siquidem non ad hos Dominus hunc dirigit sermonem, sed ad alios, qui in eadem turba credentium, immixti erant non credentes. Insinuat autem Dominus hoc sermone, Iudæos esse expellendos à regno Dei: id quod alibi clarius edocuit, dicens. Dico autem vobis, quod multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac

& Iacob

& Iacob, in regno cælorum, filij autem regni eijcientur foras, Matthæi octauo, & vndecimo. Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructum. Hoc est, quod Dominus ait, seruus non manet in domo in æternum. Iudæi enim acceperunt spiritum seruitutis in timore, ideoque tanquam serui reputantur. Quãuis autem eorum erat adoptio filiorum, & gloria testamentum, & legislatio, & apud illos vigebat Dei cultus, quia fruebantur diuina lege, & sacrificijs à Deo institutis vtebantur, & erant Iudæorum synagoga tunc domus Dei, apud Iudæos enim solum id temporis erat vera diuinitatis religio: cæterum quia seruilem spiritum habebant, & infideles fuerunt Christo, idcirco ablatum est ab eis regnum Dei, nam eiecti sunt à Domino, abrogante veteres cæremonias: & qui Dei erant veri cultores, iam non veri, sed falsi sunt Dei cultores: & obstinatissimi in sua superstitione perseuerant. Quod vero ait, Filius manet in domo in æternum, oportebit intelligere secundum eam rationem secundum quam, & ille alter sermo, Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis qui est in cælo, venit audiendus. Dicet enim aliquis, Quid ergo si nemo ascendit in cælum, nisi Christus, cur nos laboramus in legis Dei obseruantia, ascensum in cælũ sperantes? Vtique Christi membra sunt fideles omnes, & ascendens Christus, membris donauit spem ascendendi, quia ipse precatus est patrem. Ioan. 17. dicens, Volo pater, vt vbi sum ego illic sit & minister meus. Itaque vere dixeris, nemo ascendit in cælum, nisi Christus, quia quando Christiani ascendunt virtute Christi ascendunt, & propter ascendentem Christum ascendunt & ipsi, & nisi ipse ascendisset, nemo ascenderet. Ad eundem sane modum, hæc accipe verba, *Filius manet in domo in æternum*, quia Christus manet in æternum in domo patris sui. At vero quia ipse qui est naturalis filius æterno ex se manet, adoptiui vero filij, etiam per ipsum manent, ab ipso namque habent quod ibi maneant.

Ad Roma. 9.

Iudæi tanquã serui abiecti sunt de domo Dei.

Ioan. 3.

¶ Notandum est autem, verba præhabita esse sic accipienda, filius ex iure filiationis manet in æternum: At seruus, ex ratione seruitutis non manet in æternum. Gene. vigesimo primo, extat exemplum de Ismaele, & Isaac, Seruus namque potest diuendi à Domino, aut potest Dominus eum expellere à sua domo, vt fuit Ismael expulsus, siquidem seruitus non parat ius ad permanentiam perpetuam. At vero filius ex iure filiationis habet quod sit hæres paternæ domus, ideo ex filiatione habet quod maneat in domo semper. Semper quidem, quia eo defuncto ius eius transit in filios suos. Aduerte Christum per antonomasiam vocari filium Dei, quia est filius naturalis Dei patris: alij vero omnes sunt filij ex adoptionis, non ex naturæ necessitate. Vnde ad Hebræos tertio. Moses vocatur seruus Christus filius. Porro D. Chrysostomus, & suus copilatur Theophila. ad alium sensum traxerunt hæc verba, per domum intelligentes potestatẽ remittendorum peccatorum, & quia Iudæi non habuerunt hanc potestatem remittendorum peccatorum, ideo non manserunt in domo, sed sunt expulsi tanquam serui. At filius Dei Christus potens est donare peccata, quare ipse gaudet hoc principatu, & ipse est qui manet æterno in domo patris, & Sacerdotes in Ecclesia Dei ab eodem deriuantes suam hanc potestatem. Verum coactior videtur interpretatio. *Si ergo Vos filius liberauerit, Verè liberi eritis.* Erant sanè Iudæi liberi secundum natalia, quia ex parentibus liberis descendebant, ex Abraham & Sarra, tametsi serui fuerant ex violentia hostilis belli, vt tunc quoque erant violenter redacti in seruitutem à Romanis. At verò quamuis libertatem, quam sua illis concedebant vetusta natalia obtinuissent, & nulli alienigenæ principi inseruissent, vt seruiebant, non gaudebant nihilominus vera libertate, quæ libertas est à peccato. Et ideo Dominus ait. *Si filius Vos liberauerit Verè liberi eritis.* A captiuitate quidẽ humana homines liberare possunt, at à diabolica captiuitate, quæ est peccati captiuitas solus filius, liberare potest. Ipse enim fundens sanguinem suũ, deleuit Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Erat autem hoc Chirographum, damnatio qua tenebatur constrictum humanum genus. Omnes enim homines culpa sumus infecti, & pœnis æternis addicti, nisi per sanguinem Christi hæc damnatio soluatur. Lex igitur suis sacrificijs, & cæremoniarum pompa neminem

Ismael ex Agar ancilla expulsus à domo Abrahæ fuit.

Lex vetus nõ liberabat à pœna æterna vel purgatoria tẽporali.

neminem liberabat vel à culpa, vel à pœna æterna illi debita, imo neque à temporali purgatoria pœna, nisi à pœnis quibusdam legalibus: ideo Iudæi non erant verè liberi. Quanquam enim in circuncisione originalis contagio soluebatur verum non manebant etiam num verè liberi à peccato, siquidem non dabatur defunctis frui visione cælestis regni: sed quãlibet iusti fuissent tenebantur quodammodo vincti in limbo sanctorum patrum, Malach.3. Christus igitur per sanguinem suum verè liberat, donans simul per baptismum, & culpam & pœnam. Et quanquam tantisperdum in hoc exilio agitur, non fruantur fideles plena libertate filiorum Dei, quia vanitati subiecta est omnis creatura non volens, & ideo ingemiscunt sancti redemptionem, hoc est, plenam libertatem, quam habent beati, expectantes, cæterum, si te vexat forte cur primo dixerit Dominus, Veritas vos liberabit, nunc verè vos liberabit, dixerim tibi, quia filius est veritas, ipso autore, Ego sum veritas. Liberat igitur Christus nos à peccatis nostris effectiuè tanquam Deus, at meritoriè vt homo: instrumentaliter vero nos liberat Christus per fidei veritatem, & per sacramenta sua, quæ ipse exercenda voluit in sua ecclesia. Filius igitur nos liberat vera libertate, & tanquam filius Dei, quia vt Deus parcit peccatis, & vt filius hominis meritoriè. Meruit enim hoc fidelibus, vt donentur eis peccata, per sanguinem eius, cuius sanguinis meritum hominibus impartitur per sacramentorum participium. Et hoc sane est summę largitatis, quod verè liberat suos Christus, quia eos eximit modo à criminibus omnibus, & ab obligatione, æterni cruciatus: tametsi in præsentia non fruantur perfecta libertate filiorum Dei. Nam adhuc clamant, dicentes cum Paulo, Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius: adhucque secum expostulant gementes, se aliam legem sentire in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Vtique igitur vera est libertas fidelium iustorum: quamuis non est perfecta libertas, quandiu viatores sunt. Habent nihilominus hanc libertatem perfectam in spe, quia ea donabuntur, tandem quando absoluta cum vicijs pugna, coronam suorum laborum reportabunt: siquidem propter hoc, non eximuntur in præsenti seculo prorsus à seruitute peccatorum, vt scilicet, pugnantes cum vicijs, & concupiscentijs suis mercedem multam accipiant. Et vt clarius rem habeas, semel accipe, iusti fideles liberantur modo verè à Christo à primitiua labe, & à peccatis mortalibus, quorum est seruitus noxia, & grauissima: at à venialibus nõ eximuntur etiam istis premi est adhuc seruire peccato, secundum quandam rationem, at non est omnino peccato seruire. Quippe venialia non tollunt Dei amicitiam, neque ius ad hæreditatem cælestem subripiunt vt mortalia.

¶ Est autem nonnulla hæc peccati seruitus, cui subdũtur sanctissimi quique. Quoniam si dixerimus quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus. *Scio quod filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Quia gloriabãtur Iudæi ex patria nobilitate, quia progenies erant Abrahæ, hoc Dominus eisdem donat, vt ex hoc ipso magis eos confundat: siquidem æquum erat, ne degenerarent à nobilitate parentum, at Iudæi degenerabant. Non enim tales se præstabant, qualem Abraham se præstitit, vnde gloriabãtur. Quandoquidem Abraham iustus, misericors, & hospitalis fuit, & Iudæi crudeles, & iniusti volentes Dominum innocentem occidere. Hoc igitur insinuat dicens. Filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere. Quærebant autẽ Christũ occidere, offensi, ex eiusdẽ sermonibus, quos cum non intelligerent, ex sublimitate sermonũ scandalizati, necẽ parabãt Christo. Audierant enim Christũ, se nominantem panẽ de cælo descendentẽ, seque esse lucẽ mundi, patrẽque habere Deum, &c. Hæc autẽ verba superabant eorũ captum, ideo credebãt læsiua esse diuini numinis, vnde diuinæ quã putabant læsionis, se accingebant ad vltionem, curabãt proinde interficere loquentem Dñm cælestia mysteria. Quod si sciscitaris, cur Dñs, ea docebat, quæ Iudæorũ aures offensura esse aduertebat? respõdimus iam supra, Iudæos nõ ex verbis Dñi cepisse occasionẽ offensę suæ, sed ex iniquitate sua. Odium enim, & inuidia, obcæcabãt mentes Iudaicas, vt nollent intelligere Dñi verba, ad suam dãnationẽ, quæ multi alij intellexerunt ad suã salutem: quippe eorum multi crediderũt in

Roma.8.

Multifariam nos liberat Christus.

Ad Roma.7.

Fideles dum agunt in hac peregrinatione veram sed non perfectã à peccato asseq̃untur libertatem.

Iudæi odientes Christum à patria nobilitate degenerarunt.

in Iesum Christum. Ideo Dominus ait, Sermo meus non capit in vobis, Græcè. Sermo meus non habet locum in vobis. Sermo nanque Christi purus & sine labe erat: corda autē Iudaica impura erāt ex liuore & odio contra Christum temerè conceptis: ideo purus Christi sermo non habet locum incontaminatis visceribus Iudæorum. Sublimis erat sanè Christi sermo, qualis nusquam ante more prophetarum fuerat. at vero considerare oportebat, Christum sibi decentem sermonem docuisse, quia cum vere esset Dei filius verba sua erant plena veritate. Nam Dominus se esse Dei filium testimonio Ioan. prophetarum vaticinijs, & insignibus miraculis probatum habebat. Ideo Iudęi debuissent adorare Christum, & sermonem eius summa pietate colere, & non ex eo offendi: aut saltem non contemnere Christi sermonem, sed Deum precari toto corde, vt intelligentiam ipsis tribueret, penetrandi eius mysteriū. Ideò subdit, *Ego quod vidi apud patrem loquor, & vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis.* Testis oculatus, qui ea narrat, quæ vidit authēticus testis est. Christus ergo se authenticum testem declaraturus exponit, se ea docere, quæ vidit apud patrem. Ex duobus suam commendans doctrinam, & quia ea docet, quæ vidit, & quia ea, quæ vidit, non vidit apud homines, apud quos sæpe est error, & fallentia, sed quæ vidit apud patrem vidit, penes quem nihil erroris, aut fallentiæ est, aut potest esse, excellentiam suæ item doctrinæ ex istis duobus nunc commendans. Sanè prophetæ ea docuerunt, quæ ex quadam obscura reuelatione Dei acceperunt. Ea verissima sane erant, quia reuelante Deo, acceperunt, cæterum Christus ea, quæ vidit apud patrem loquebatur: non ea, quæ acceperat ex reuelatione obscura, sed quæ clara cernebat apud Deum patrem notitia illa docebat.

Corda impura non excipiunt sermonem purum.

Christus est authenticus testis.

¶ Obserua Christum secundum quod Deus erat, ea ipsa videbat, visione clarissima, quæ pater videbat. Et non duplex est visio, alia patris alia filij, sed vnica est visio omnium rerum trium beatarū personarum. Ideo ea docebat Christus, vt Deus, quæ ipse vt Deus videbat: vt homo vero, etiam ea docebat, quę apud patrem videbat. Nam scientia visionis omnia præterita, præsentia, futura videt, quę pater videt. Capite .5. dixerat Dominus, Amen, amen dico vobis, Nō potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Et rursus, Sicut audio iudico, vt ex omnibus nos doceret, se rectissimè, & docere, & operari: siquidem ea docebat solum, quæ videbat apud patrem esse docenda, & ea solum operabatur quæ videbat apud patrem esse operanda: & quod ipse pater operabatur. Vt hinc colligamus, quod Christus docebat Deꝰ docebat, vt quod Christus operabatur, Deus operabatur. At verò quod Deus docet, verissimum est, quia Deus falli nequit, & quod Deus operatur, inculpatissimū est, imo nobis necessarium est, ergo quod Christus docuit verissimū est, & quod Christus operabatur, inculpatum opus erat, & necessariū nobis erat. Quod vero aliquādo Dominus dicit, se ea docere, quæ audiuit à patre, nihil obturbat sermonē præsentem, Quod vidi apud patrem loquor. Nanque, vt sæpe annotabā supra in corporalibus animæ functionibus, aliud est videre aliud audire, sunt enim diuersæ sensiones, at verò in mente vbi hæc transferuntur à sensibus, idem sunt vtrunque. Christi igitur vt Dei notitia est sanè visio, quia clara est omnium rerum notio, est auditio autē quatenus, à à patrem originem habet. A patre nanque Christus diuinū habet esse, & quia esse & sapere in Deo sunt idem, à patre, item habet sapere. Quatenus vero homo est, notio ex scientia infusa animæ Christi est visio, quia clarissimè cernit omnia in verbo, vt diximus, & est auditio, quatenus à Deo patre est accepta. ¶ Græca lectio addit meum, scilicet, quod vidi apud patrem meum loquor: & tunc est correspondentia clarior, ad verba sequētia, Vós quę vidistis apud patrem vestrū facitis: alia lectio habet, non facitis, sed facite: & indicatiuum vsurpat pro imperatiuo: vt sit sensus, Ego solum quod vidi apud patrem meum loquor, & facio. Vobis igitur, qui gloriamini ex nobilitate patris vestri Abrahæ, expedit vt nobilitatem, quam iactatis, ex patrio genere, eandem referatis ex vestro opere. Igitur sicut Abrahā non fuit homici

Visio, & auditio non habitum scientiæ, sed actū significant.

Chrysosto.

da sed misericors, & hospitalis, ita vos nolite me interficere, cum autem vester sit animus ad effundendum meum sanguinem, vtique degeneres estis à patre vestro, cuius semper vos originem iactatis. Et Chrysostomus hoc idem videtur sapere, itemque Theophilactus expressius. Chrysostomus enim vt indicat catena. S. Thomæ. lectionem hanc sequitur. Et interpretatur dicens, Quemadmodum ego re, & verbis ostendo patrem meum ita & vos.

¶ Ioannes porro Baptista Iudæorum, hanc ex genere Abrahæ gloriam, esse illis inutilem ad vitam æternam demonstrat dicens, Et ne velitis dicere intra vos patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Reuocat enim istis verbis Iudæos, à falsa quam credebant sententia, videlicet, sat sibi esse patrium genus, vt Dei amicitiam conciliarent. Et Dominus modo ad filiationem spiritualem nititur transferre Iudæos, ex filiatione carnali Abrahæ eos commonefaciens, vt Abrahæ opera præstent. Nam qui claros se habere gloriantur maiores, opus est vt claritudinem natalium ex sanctis operibus referant, vt Paulus ex circuncisione carnali eosdem leuat ad circuncisionem spiritualem. Vnde Ioannes Baptista filiationem hanc insinuans spiritualem inquit, Potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, scilicet, quia per Christi fidem gentes, sunt traductæ ad filiationem spiritualem Abrahæ, qui ob hanc causam appellatur credentium pater, quia ipse primus post lapsum in idololatriam credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

Ad Rom. 5. Phil. 3. Colo. 2. Iere. 4.

¶ Porrò vulgatior sensus est referens hæc verba, non in Abraham, sed in diabolum, & sunt obiurgantia verba hæc Iudæos, *Vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis*. Vocatur autem diabolus pater Iudæorum, non natura, sed imitatione. Diabolus enim nullius rei pater est secundum naturale, aut gratiæ esse: sed est pater secundum peccati imitationem. Primus nanque peccator qui fuit in vniuerso, fuit diabolus, primusque, qui decesit à Dei gratia, & amore: vnde omnes peccatores, quia referunt diabolum, à Deo se diuertentes ob hoc æquo nomine cognominantur filij diaboli, ob eandem causam, & membra Sathanæ, & Sathanas eorum caput. Iudæorum igitur diabolus pater, rectè dicitur propter supercilium eorum, & inuidiam, & sanguinarium animum circa Christum. Dominus ergo ait, Quæ vidistis apud patrem vestrum facitis: hoc est, quæ didicistis ex magisterio patris vestri facitis. Ab ipso nanque didicistis inuidos, superbos, homicidasque esse, hoc enim vobis occulta suggestione suggerit, & vos illi morem gerentes non coacti, sed spontanei: quæ suggerit facitis. *Responderunt ergo ei, & dixerunt, Pater noster Abraham est.* Quasi responderent, nostra opera tu culpas, dicens, quæ vidimus, apud patrem nostrum, ea nos præstare opera, vtique quæ vidimus apud patrem nostrum bona sunt, quia pater noster Abraham est, qui bonus fuit, ideo non possumus videre apud ipsum opera mala. *Dicit eis Iesus, Si filij Abrahæ estis opera Abrahæ facite*. Admonuit Origenes Christum dixisse opera, & non opus: quippe non sat est fidem in Deum habere, nisi operibus fides signetur. Habuit sanè Abraham fidem at non solam fidem, sed & opera egregia habuisse legimus. Ideoque ait opera, & non opus. Opera igitur cuncta Abrahæ sunt imitanda. Vocatur autem fides opus, Ioannis. 6. verum non simpliciter, opus, sed opus Dei. Hoc, inquit, est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Cæterum etsi fides, quæ est habitus infusus, est solius Dei opus, cæterum fidei actus, est quidem Dei, & nostri arbitrij opus: vt ibidem annotabamus. Hinc tu perspice secundum Origenem quem Thom. indicat in cathena, non sat esse fidem habere, nisi & opera addas. Tametsi Origenes in dubium reuocat hoc loco, an fides sit opus nostrum, & connumerat fidem inter opera Abrahę donando eam esse opus nostrum. Cęterum res est extra controuersiam, habitū, scilicet, fidei infusæ, non esse opus nostrum, sed Dei donum, at verò actus fidei nostræ mentis est actus postquā donata fuerit

infusa

Gene. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

infusa fide. Præclara porro legimus quædam fuisse opera Abrahæ, alia vero non præclara, vt quod polygamus fuerit, viuente nanque Sara, habuit Agar in vxorem de præclaris autem modo est sermo, quale fuit opus illud obedientiæ singularissimæ erga Deum præcipientem immolationem Isaac. Præterea & obedientiam, quam præstitit Deo præcipienti, vt exiret de terra sua, & cognatione sua, in terram, quã ipse Deus erat demonstraturus. Et quidem summæ obedientiæ etiam fuit, quod annos natus. 99. circuncidit carnem præputij sui, & hospitalem se esse demonstrauit angelos hospitio receptis. Pacificum se exhibuit, cum consanguineo Loth, nolens contendere sed pacto pacis inito se ab illo separauit, ne iurgia inter eos suborirentur, aut inter famulos suos, subiecit se quoque sacerdoti Dei altissimi Melchisedech, illi offerens decimas ex omni substantia sua. Viriliter quoque egit asserens consanguineum suũ Loth ab hostibus suis. Misericordem quoque fuisse in proximos suos, instans illa precatio, quam Deo fundit, ad eripiendum Sodomæos, & Gomorrhęos, facile indicat. Et demum ipse custodiuit omnia Dei præcepta, & dedit operam, vt soboles sua eadem custodiret. Quam obrem Dominus hæc insinuans præclara Abrahæ opera Iudęis ait, si filij Abrahæ estis opera Abrahę facite, Græcè, essetis pro estis, & faceretis, pro facite, quasi colligens, sed opera Abrahæ non facitis, igitur filij Abrahæ non estis. Nõ inficiatur Christus, quod supra fuerat professus. Scio, ait, quod filij Abrahæ estis. Verum quod modo ait. Si filij Abrahæ estis, non est quia Dominus, hoc negare volebat, sed vsurpatur, si, pro quia, hoc est, quia filij Abrahæ estis, &c. vel quia indigni erant filiatione hac: quippe degeneres erant, & non veri filij Abrahæ, secundum integritatem morum, quam corruperant ipsi. Ideò ait, Si filij Abrahæ estis. Origenes legit non filij, sed semen Abrahæ: at phrasis Hebraica semen vsurpat sæpe pro filijs, vt supra est dictum.

Præclara Abrahæ opera denatrãtur.

Fides nõ sufficit contra Lutherum.

¶ Obserua contra Lutherum, Dominum commendare modo Abraham ex operibus suis præclaris, quæ gessit: & monere Iudæos, vt eadem præstent, quæ pater eorum Abraham exhibuit, vbi nulla mentio est de fide Abrahæ: neque enim dixit credite, vt Abraham credidit, sed facite opera Abrahæ. Neque tamen scriptura siluit Abrahæ fidem, sed ipsam valde cõmendans ait, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, vt hinc colligamus, & fidem egere operibus & opera indigere fide. Vnde Iacobus. 2. docet Abraham, ex operibus esse iustificatum. Commendatur nanque sanctitas Abrahæ in scriptura, propter insignia eius opera, quæ in cultum Dei exhibuit. Fides igitur iustificat, quia exordium præbet ad iustificationem, at verò opera perficiunt hanc iustificationem: ideo Iacobus ait, Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est, idest, consummatè iustificat, si cum fide adsit obedientia diuinorum mandatorum: de qua re alibi. *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui Veritatem Vobis locutus sum, quam audiui à Deo, hoc Abraham non fecit.* Degeneres esse Abrahæ filios Iudæos modo ostendit, quia ea faciebant, quæ Abraham non fecit, scilicet, quærere innocentem interficere, quod omnino abhorret à virtute iustitiæ, qua fulsit Abraham colens Deum, & nihil iniuriæ inferens proximis. Iudæi autem summam iniuriam inferebant Christo, quem docentem veritatem, quam à Deo docendam acceperat, odio habebant capitali. Tenebantur autem Iudæi Christi doctrinam audire & colere, quia erat Dei doctrina, & Christum doctorem maximè venerari, vt doctorem à Deo missum, at verò contra se gesserunt quia studebant doctorem tantum interimere, tantum abest vt eum summopere venerarentur. *Vos facitis opera patris Vestri.* Iam his verbis istis apertius demonstrat, quod supra insinuarat, Iudæos nõ esse imitatores Abrahæ summi Patriarchę sed diaboli teterrimi Dei hostis. *Dixerunt que ei, nos ex fornicatione non sumus nati Vnum patrem habemus Deum.* Intellexerunt Iudæi iam ex verbis Domini culpari, quod essent filij diaboli imita

tione morum, & non filij Abrahæ secundum opera. Vnde vt excludant hanc sibi obiectam à Domino culpam, testantur se non esse filios diaboli quia filij diaboli sunt idololatræ, diabolum colentes, tanquam Deum. Vnde aiunt, *Nos ex fornicatione nati non sumus.* Hoc est non sumus filij idololatrarum, qui plures colunt Deos, sed sumus filij vnius Dei, quem vnum veneramur, in patrem nostrum, & vniuersorum. Fornicatio enim, vt supra dicebamus, idololatriam in scriptura sæpe significat. Ad hanc rationem Augustin. exposuit. Verum Theophilactus, non mysticam, sed veram interpretatus est, fornicationem, vt sit verborum sensus iste, Nos non sumus ex adulterio nati, vt inde colligas, nos esse peccatores, quia ex peccatoribus parentibus in peccato conceptos fuisse. Verum neque hoc verè affirmabant Iudæi, vt neque quod supra dixerant se esse liberos, & nunquam fuisse seruos: siquidem sæpe commiscebantur cum gentibus vt historia Esdræ satis indicat.

¶ At Dominus, non respondit huic verbo, Ex fornicatione nati non sumus, sed solum obuertit illis falso se dicere vnum Deum habere in patrem, vt mox subditur. Inter has interpretationes, prior est vulgatior: quia Iudæi continuo postquã dixerunt, Ex fornicatione nati non sumus, adiecerunt, sed vnum patrem habemus Deum. Vnde videtur se velle eximere à crimine idololatriæ. Porrò secunda expositio non est inconcinna: quippe ad commendationem suam Iudæi, & vt se purgarent à crimine à Domino obiecto, quod erant filij diaboli, ideo postquam dixerunt, se non esse natos in peccato subdunt se vnum patrem habere Deum. Quasi dicant, Entu ais, nos esse filios diaboli, & non Abrahæ, nos contra dicimus nos non esse filios diaboli, sed filios Abrahæ: & non solum ex hac filiatione gloriamur, quæ est secundum carnem, sed etiam filiatione diuina quæ est spiritualis filiatio, quia Deus est pater noster. Quam vsurpatam iniustè filiationis spiritualis laudem, vt Dominus diluat, ait, *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me, ego enim ex Deo processi, & veni. Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Necessaria est illatio, quod diligẽs Deũ, diligat legatum missum â Deo. Christus igitur optimè colligit, si Deus pater esset vester me ab ipso missum diligeretis: at verò non diligitis me missum à Deo, igitur neque mittentem diligitis. *Non veni, inquit, à me ipso.* Christus enim non est sicut Antichristus, & pseudoprophetæ, qui testabantur se esse à Deo missos: at verò, mentiebantur. Quippe diuinam non gerebant functionem, sed propria authoritate se ingerebant, vt ea docerent, quæ Deus non mandauit docenda. Quamobrem Antichristus vere veniet in nomine suo, quia ex propria authoritate se eriget contra Deum. Christus verò ex Dei authoritate venit in mundum, vt Ioannes Baptista, & cæteri sancti prophetæ, ideo ait, *Ex Deo processi & veni.* Processit sanè ex Deo ab æterno secundum æternam generationem, quæ est naturalis processio, & secundum temporalem missionem, accepta carne humana, sub qua hominibus prædicauit Dei doctrinam. Si ergo ex Christi doctrina conceperunt odium Iudæi in Christum, aduertere eos oportebat hanc doctrinam à Deo contestatam esse miraculis diuinis, vnde erant persuadendi Iudæi, esse doctrinam veracem, tametsi ratione humana incomprehensibilis. At verò quia sermo Domini erat incomprehensibilis ex humano intellectu, ideirco Christus doctrinam suam, non rationibus fundauit humanis, sed testimonijs diuinis, quæ erant prophetica vaticinia, & propria miracula. Cane tamen ne tibi imponant verba Origenis hunc locum differentis tomo. 20. in Ioannem. Qui exponit. *Ex Deo veni.* Quia anima Christi apud patrem erat perfecta, antequam mundus conderetur, & venit in corpus, acceptum ex Maria virgine, secus animæ nostrę, quæ non fuerunt hoc modo. Hoc autem dogma falsum esse alibi ostendimus in 3. Sentent. Iam vero facile colliges Deũ, à Christo, negari esse patrem Iudæorum, non quidem secundum creationem, & gubernationem, quippe hac ratione etiam est Deus pater diaboli, quid quod sit pater etiam hominum impiorum? At vero, negatur

esse

esse pater impiorum, quia impij non verè diligunt Deum. Est autem filiorum diligere parentes iuxta illud, Si ego pater vbi est amor meus? Qui ergo non diligunt Deum, non sunt verè filij Dei, sed Dei inimici, ideò rectè negatur esse horum pater. Alterius autem filiationis, quæ generalis est omnibus creatis rebus Christus in præsentia non habet rationem, sed huius specialis, secundum quã sunt homines pij filij adoptiui Dei. Ab hac ergo filiatione excludit Christus Iudæos. Enimuero non diligebant Deum patrem, quia non diligebant filiũ à Deo missum. Quo fit si non diligebant Deũ, igitur odio habebant. Etenim fieri ne quit, vt homo statũ obtineat mediũ ex præscripta Dei lege, aut enim est, Deo amicus, aut inimicus, aut diligit Deum actu vel habitu, aut odit actu vel habitu. Dominus autem hoc insinuat, Iudæos esse inimicos Dei, quia erant inimici filij Dei qui erat ipse, inimici autem nõ sunt filij, sed aduersarij. *Quare loquelam meam non agnoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.* Agnoscere hoc loco refertur ad affectum, hoc est cur loquelam meã non approbatis? Et subdit rationem, cur non approbant, quia non potestis audire sermonem meum: id quod supra dixerat, Sermo meus non capit in vobis. Quasi dicat, potestis audire sermonem meum, quia me odio habetis, ideo cum impuri sitis, odiosi, inuidi, & fastidiosi, non potestis audire sermonem meum. Hoc est, intolerabilis est vobis meus sermo ad audiendum, & ęgerrimè illum sustinetis. Non poterant audire sermonẽ Christi, nõ quia liberi nõ erãt, vt audirent vel non audirent, at vero ex sua petulantia & cordis elatione non poterant: vt oculus ęger non potest videre solem, qui alioqui purgato morbo videre poterit. Quare autem non poterant audire sermonem Christi, euidentius ostendit, subdens, *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Hoc est, causa cur sermonem Christi ne quibant audire, erat quia diaboli erant filij. Et ea ratione modo dicuntur filij diaboli, à Domino, qua Ezech. 16. vocantur Cethæi, & Amorrhæi. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethęa. Diaboli non natura, sed imitatione. Repugnant autem hæc duo & diabolica, & diuina filiatio, quare Iudæi cum essent diaboli filij, non poterant audire, sermonem Domini, id quod filiorum Dei est, quia qui ex Deo est verba Dei audit. Quod ergo verbis superioribus insinuarat Christus, modo exprimit clarè docens Iudæos non esse filios Dei neque filios Abrahæ, sed potius diaboli filios. Et quia filiorum est, explere paterna desideria, hoc tribuit Iudæis, quod ipsi obsequebantur diabolo, explendo diaboli desideria. Non ait autem opera eius facitis, sed desideria, vt miram affectionem ad impietatem eos habere ostendat. Nam filij quando sunt obsequentissimi parentum, pręueniunt parentum præcepta, & quod obseruant esse in paternis votis, illa continuo etiam non iussi explent: ita Iudæi, amantes admodum impietatem, desideria non iussa diaboli, absoluunt. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo.* Diaboli vitia duo demonstrat modo Dominus, & quod erat homicida ab initio, & quod mendacium amat. Homicidium, autem quod ipse patrauit fuit protoplastorum. Nanque inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Inuidens enim diabolus hominis beatitudini, illum traxit ad peccatum, non cogendo, sed alliciendo. Nam fœminam decipiens, per hanc virum in peccato inuoluit. Vnde, & humana anima mortua spirituali morte est, & corpus, quod immortale fuerat conditum, quia poterat non mori, morti est addictum. Quod si vnius homicidium hominis miserabile est, quid quod homicidium totius generis humani calamitosissimum sit. Ex quo & anima & corpus vita sunt orbata. Quia per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors ad Roman. 6. Et hoc ipsum quod tunc diabolus machinatus est mali in mundi exordio, quotidie explere desiderat. Nanque hoc est diaboli desiderium omnes homines trahere ad animæ mortem spiritualem. Nam testante Petro, Aduersarius noster diabolus nos circuit semper quærens, quem deuoret. Quid enim aliud est circuire, nisi summopere desiderare, & miris

ſtudere technis, in conſummationem mortis humani generis? Quam enim ipſe fecit in exordio mundi in protoplaſtis, in ſobole conſummare quoque ardẽtibus efflagitat votis. Et quia hęc deſideria per ſe non poteſt operi mandare, per impios homines, illa complere deſiderat. Vnde diabolus hoc ſummopere cupiebat Chriſtum è medio tollere, at hoc deſiderium per Phariſæos, & Scribas expleuit. Propterea Dominus Iudæos appellat diaboli filios, quippe qui ſanguinarij erant. Vnde Matth. 23. Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris. Et paulo poſt, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ, &c. Et Acto. 7. idem traditur, Et occiderunt eos, qui prophetabant, de aduentu iuſti. Et ſæpe alias Iudæis hoc homicidij refricatur in ſcriptura crimen, vt Eſa. 1. Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine.

¶ At vero vt implerent Iudæi menſurã homicidiorum ſuorum, Dominum prophetarũ Chriſtũ in ligno ſuſpenderunt. Id quod Dominus inſinuat illis dicens, Et vos implete menſuram patrũ veſtrorum Matth. 23. Implete, imperatiuum, pro indicatiuo more Hebraico, ideſt, implebitis. Quaſi dixiſſet, Patres veſtri fuerunt truces, & ſanguinarij occidentes prophetas â Deo miſſos, vos ipſi me Dominum prophetarum occidetis etiam, & conſummabitis paterna flagitia. Vt quorum deducebatis genus ſecundum carnem, deducatis mores ſecundum tanti facinoris exemplum. Neque ſolum diabolus eſt homicida verum etiã mendax eſt, & veritatis hoſtis. Vnde etiam in exordio mundi inſigne protulit mendacium: Nequaquã moriemini, inquit, Et rurſus eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. Continuo igitur à ſua creatione diuinam voluit ſuo mendacio peruertere veritatem. *In veritate non ſtetit.* Forte aliqui non fuiſſe diabolum creatum in gratia, & angelos eius ex hoc loco argutabuntur, quiá in veritate non ſtetit. At verò Auguſt. 11. de Ciuitate Dei cap. 13. hanc elidit opinionem, ſiquidẽ ſcriptura non ait, ab initio non fuit in veritate, ſed in veritate non ſtetit: igitur à veritate, in qua fuerat creatus fuit lapſus. Primò ergo fuit creatus bonus, & gratia Dei exornatus, & ex ſuo arbitrio ſe fecit malum. Et ſi creatus eſſet, vt aiebat Manichęus malus, nõ eſſet creatus, quia vniuerſa quæ fecit Deus ſunt valde bona. Et propterea diabolus malus eſt, quia viciauit naturam bonam, quam habet. Omne nanque culpæ vitium contra naturam eſt. Et vtique quod ait in veritate non ſtetit, manifeſtè docet in veritate creatum fuiſſe, vt ſi dixeris hæc mulier non ſtetit in ſua pulchritudine ſignificas eam pulchram fuiſſe. Quod ſi rogitas, quæ nam hæc veritas eſt: ſiquidem ſi de veritate naturæ agitur, adhuc diabolus in ea perſeuerat? Nanque diaboli natura non eſt immutata propter peccatum, vt noſtra immutationẽ grandem paſſa eſt: lapſa enim eſt in mortalitatem, & in ignorantiam rerum agendarum, & in alias calamitates varias. At verò angelus ſtetit in ſua immortalitate perinde malus, atque bonus, & omni ſapientia, in qua fuit conditus in ea perſeuerat: ſecundum quam omnes veritates naturales, ſiue phyſicas, ſiue metaphyſicas, ſiue mathematicas, &c. apertè cognoſcit. Non ergo de huiuſmodi veritatibus ſermo Chriſti eſt audiendus. Verum diuina ſcriptura per veritatem ſæpè denotat vitæ veritatem, iuxta illud Sapien. 5. Errauimus à via veritatis, Et Eſa. 26. Aperite portas, & ingredietur gens iuſta: cuſtodiens veritatem. Et ſcriptura ſcatet hoc genus teſtimonijs.

¶ Eſt ergo veritas hæc, conſonantia voluntatis creaturæ rationalis, ad voluntatem ſui creatoris. Angelus autem malus fuerat à Deo conditus in hac conſonantia ad Dei voluntatem, quippe qui in gratia & amore & fide fuerat à Deo conditus: & in hac conſonantia & concordia ad Dei voluntatem non ſtetit, quia ab ea ſponte ex ſua elatione fuit lapſus: modicoq; tempore, exiguaue morula, fuit Deo conſonus: ideo quam citiſsimè reliquit domicilium cœleſte & rudentibus detractus eſt ad barathri teterrimas ſedes. De qua re, ſi libet noſtris frui laboribus, conſule quæ prodita ſunt à nobis, 2. libr. Sententiarum.

Et

Et veritas in eo nō est. Videbatur dicendum connexum priori sermoni, *Et veritas in eo non fuit*. At Dominus non hoc dixit, sed veritas in eo non est, vt denotetur nobis diabolica obstinatio, & pertinax mali propositum, quia diabolus nunquam resipiscit à sua elatione, sed semper persistit Deo inimicus. *Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur.* Contingit aliquando diabolum verum proferre. Enimuero non posset hominibus imponere, nisi hoc stratagemate vteretur miscendo vera falsis. Cæterum cum verum loquitur, non ex proprio loquitur, quia non intendit verum loqui, videlicet, quia est inimicus veritatis, sed verum loquitur, vt tegumento, vel larua veritatis mendacium tegat, ex quo possit facilius homines fallere. Mendacium ergo ex proprijs loquitur, quia ex propria malitia procedit, quod mentiatur. Aut mendacium ex proprijs loquitur, hoc est non loquitur mendacium ratione creationis quam habet à Deo. Creatio enim bona est, & ad malum non instigat. At vero mendacium loquitur diabolus, ex sua libertate volente malum & spernente bonum. Non ergo ex creatione sua, sed ex malitia sua, quæ est illi propria, quia est à seipso, non à Deo mendacium loquitur. Itemque peccatores omnes quando peccant ex proprijs peccant, nempe, quia ex sua libertate, propria ve libidine peccant. Deus enim non est author peccati nostri. Quod si dixeris, Libertas hæc à Deo est, vtique libertas arbitrij à Deo est, at vero quod ea abutamur ad peccandum, ex nobis est. *Quia mendax est, & pater eius.* Subaudi, mendacij. Pater mendacij vocatur, idest, omnium mendacium pater diabolus est. Quotquot enim fallunt alios mentiendo, imitantur diabolum, qui fefellit Heuam suo mendacio. Est ergo pater diabolus omnium seducentium alios, vnde & pater est hæresiarcharum & eorum omnium, qui doctrinis falsis tenant fideles seducere. Primus nanque, qui fuit in orbe seductor fuit, diabolus ideoque omnes seductores, diabolum imitantes, iusto nomine dicuntur diaboli filij, & diabolus ipsorum pater. Forsan te solicitat dubium, cur non vocatur etiam pater homicidarum aut homicidij, vt vocatur pater mendacij? Nanque primus homicida fuit diabolus, & omnes homicidæ qui sequuntur exemplum diaboli occidendo, sunt eius filij germana appellatione appellandi. Respondebis, non solum homicidarum, sed in vniuersum diabolus est omnium impiorum pater: est enim diabolus caput omnium peccatorum. Primus nanque qui peccauit, fuit diabolus, & ideo omnes quotquot peccant, auertendo se à Deo diabolum imitantur, vnde sunt ob hoc diaboli membra, & eius filij.

Diabolus est pater omniū seductorum.

Omne peccatum est mendacium.

¶ Cæterum Christus, solum vocat diabolum patrem mendacij, & non homicidij vel peccati, siquidem omne peccatum est quodammodo mendacium est nanque contra vitæ veritatem. Idcircò sat fuit dicere diabolum esse patrem mendacij, nanque sub hoc verbo comprehenditur, & illud aliud diabolum esse patrem peccati. Vnde. 1. Ioā. 3. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Quem locum Augustinus. 11. de Ciuita. loco prænotato exposuit dicens, Hoc est, Ex quo creatus est, iustitiā recusauit quam nisi pia, Deoque subdita voluntas, habere non potest. At verò adhuc insultabit quispiam, si ab initio diabolus peccat, igitur ab initio malus est, nō potuit creari à bono principio, quippe â bono bona prodeunt, vt à malo mala.

Manichęi deliriū confoditur.

¶ Verumtamen temeritas hæc fuit Manichæa, quam elidit Christi verbū, in veritate non stetit: igitur in veritate fuit creatus gratiæ & non in mendacio culpæ. Quod autem Ioannes ait, ab initio peccat, est sanè verum quia modico post creationem suam se contaminauit. Ideo Dominus ait, Homicida erat ab initio, & Ioannes idem sapit, cum ait ab initio peccat. Non ergo sensus est, quod simul atque creatus est succubuerit peccato, quanuis hoc fuisse possibile Theologi quidam decernunt, vt nos in. 2. Sententiarum tradebamus. Sed quia modico tempore conseruauit Dei gratiam, in qua Deus eum condiderat, ideò ait, ab initio peccat. Quippe quod modicum est pro nullo computatur, vel quia primo die mundanæ creationis peccauit. Quod

vero creauerit Deus eum in gratia, vulgatioris est placiti theologici. Et locus iste Ioannis admonet. In veritate non stetit, igitur fuit in veritate. Per veritatem autem oportet vitæ veritatem subaudire, quæ nulli accidere poterit, nisi gratia Dei fuerit affectus.

¶At verò dicet aliquis sicut diabolus mendax est, ita homo mendax est. Ego, ait psaltes, dixi in excessu meo omnis homo mendax: cur ergo diabolus pater mendacij appellatur & non homo? Etenim is pater dicendus est, qui mendacium primo genuit, non qui ab altero accepit. Diabolus autem à nullo accepit mendacium, sed ex proprijs locutus est mendacium: nullo nanque suggerente, aut instigante locutus est mendacium. At verò homo alio instigante, scilicet, dæmone, mendacium loquitur: ideo homo est sanè mendax at non pater mendacij, vt neque peccati pater ob eandem rationem dicendus. Diabolus igitur mendax est, & mendacij pater: homo mendax, & non pater mendacij: Deus autem verax & veritatis vniuersæ pater.

¶Sunt autem, qui verba hæc, Vos ex patre diabolo estis referant in Caim, qui vocatur ex imitatione pater Iudæorum, quippe Caim occidit fratrem suum, & Iudæi Dominum Iesum, qui erat ex carnali cognatione frater Iudæorum. Caim autem appellatur diabolus, quippe diabolus non est nomen naturæ, sed officij. Est enim idem, quod calumniator, vt supra dicebamus. Et quia Caim est imitatus diabolum, ideo diabolus dicitur, & diabolum habuit in patrem. Verum hæc expositio, quam insinuat Augusti. de quæ. veteris, & noui testamenti videtur aliquãtulum coactior ideo prior videtur germanior. *Quia in eo veritas non est.* Scrupus continuò ex verbis istis suboritur. Quid est quod exhibet in causam Dominus, quod re vera est affectus. Enimuero hæc duo, si conferas, In veritate non stetit, & non est veritas in eo, primum videtur causa secundi: ex eo enim non est in diabolo veritas, quia ipse in veritate non stetit, hoc est, quia lapsus est à veritate. Porro. D. Augustin. scrupum resoluit. 11. de Ciuitate Dei. ca- Ca. 90. & 98.

pit. 14. docens, coniunctionem causalem, hoc loco non significare causam, sed signum. Hoc est signum quod diabolus in veritate non stetit, quia huc vsque in veritate non est. Aut dicito, coniunctionem, quia, significare hoc loco causam, non à priori, sed à posteriori. Hoc est quo ad nos causa est, quia colligendo à posteriori, rectè colligimus, in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Est igitur causa, quo ad notitiam nostram, non quo ad rem ipsam. *Mendax est, & pater eius.* Manichæi hinc insigne commenti sunt mendacium diabolum habere patrem. Etenim Dominus ait diabolum esse mendacem, & patrem eius, videlicet, patrem diaboli, hoc enim aiunt, sibi vult. Pater eius, scilicet, diaboli. Verum ex loco isto de falsitate conuincitur dogma hoc insanum. Nanque si diabolus haberet patrem, vtique pater est mendax, & filius mendax. Iam ergo diabolus filius non ex proprijs loqueretur mendacium, quia mendacium acciperet à patre. Et rursus diabolus si haberet filium vel illum generaret, aut crearet, Si generaret, ergo ex corpulenta materia, vt omnia alia genita genitus est, & ex semine deciso, vt animalia generant generatur. At verò diabolus, spiritualis substantiæ est: non ergo semine gaudet animalis. Si verò ex nihilo, non ex materia generatur diabolus igitur esset creator quod est impium nedum hæreticum. Adde si generabilis est diabolus, ergo & corruptibilis. Quocirca verba Domini verum subeunt sensum hunc, quem supra indicabamus. Quia mendax est diabolus, & pater eius, hoc est, & pater mendacij. In adiectiuo enim illo mendax includitur substantiuum, mendacium quod refert pronomen eius. Neque hic loquendi modus est inconsuetus autoribus: nam apud Plinium lib. 28. cap. 9. est eadem locutionis forma. Loquens enim de lacte ait. Stomacho accõmodatissimum caprinum: quoniã fronde magis quam herba vescuntur subaudi capræ. Vbi in adiectiuo caprinum includitur substantiuum capra. Porrò obsistent etiamnum Manichæi, patrem diaboli non esse nisi principium omniũ malo-

Stultitia Manichæa.

Diabolus nõ habet patrẽ secũdũ quod diabolus, tametsi natura diaboli à Deo est.

Manichęorũ delirium.

malorum: si quidem duo statuerãt principia, & malum, vnde diabolus & peccata, & bonum, vnde bona. Vnde nostra argumenta deludent: fatebuntur enim hoc principium esse spirituale, & creatorẽ esse. At verò hinc magis panditur delirium eorum, quia duos testantur esse creatores. Erasmus putat interpretationi supradictæ obstare nõnihil Græcum articulum, ὁ πατηρ ille pater, significatur certus pater mendacij. Verum, vt supra aiebamus, articulus iste, non semper apud Græcos emphaticus est. At verò forsan quispiam obijciet præhabitis locum illum psal. 103. Draco iste, quẽ formasti, ad illudendum ei. Et illud quod in Iob legimus, Ecce Behemot, quem feci tecum cap. 40. qui loci de diabolo intelliguntur. Si ergo diabolus à Deo factus est. Simulatque creatus est malus fuit: non ergo fuit creatus in diuina gratia, & amicitia neque ab hac lapsus est. Vt ergo stabunt verba Domini, In veritate non stetit? Verumtamen inconcussæ est veritatis dogma diabolum, & angelos eius bonos fuisse à Deo conditos: siquidem vidit Deus cuncta quę fecerat & erant valde bona sicut homo simulatque creatus non malus, sed bonus erat, & sua culpa se post modum deprauauit. Et hoc sonãt verba illa apud Lucam, Videbam satanam, de cælo tanquam fulgur cadentem. Si enim satanas in cælo fuit conditus, aliquandiu ibi substitit innocens, & quando se contaminauit, & noluit resipiscere, statim eiectus est à cælo: vnde subito cecidit, instar fulguris. Quia sicut nihil coinquinatum introibit in regnum Dei, ità nihil coinquinatum sustinet. Itidem hoc idem insinuat Esa. de lucifero loquens sub persona Nabuchodonosor. cap. 14. Quomodo, ait, cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Vnde colligit August. 11. de ciuitate, bonos esse creatos omnes angelos, diuinaque gratia exornatos. Hoc enim denotat sermo iste, Qui mane oriebaris. Itidem Ezech. 28. sub typo regis Tyri, magna prædicãtur de Lucifero: & inter alia hoc vnum commemoratur, quod in delicijs paradisi fuerit, vt insinuetur, non quod beatitudine fruitus fuerit, quæ accidit sanctis ex claritate diuinæ visionis, sed quod mirum in modum fuerit à Deo exornatus, virtutibus, & charismatibus. Quinimo quod in Apocalyp. legimus. 12. draconem illum magnum esse proiectum à cælo, non significat, quod Deus fecerit eum esse draconem, sed quod postquam ipse Lucifer se fecit draconem ex suo arbitrio proiectus fuerit à cælo. Vt enim nõ sustinet mare cadauera, ita neque cęlum fert peccatores. Vnde quod subdit draconem traxisse secum tertiam partẽ stellarum facile docet ex nomine stellæ, angelos malos creatos à Deo mundos vt stellæ mundæ, & splendidæ sunt: qui tamen, quia hæserunt draconi iam non lucent, vt stellæ, sed obscurati sunt instar carbonum. Testimonia verò præinducta vera sunt si naturam spectes diaboli, quæ bona est: ideoque creata est ab optimo Deo. Fuit ergo diabolus à Deo conditus, non quatenus diabolus, sed quatenus naturam est sortitus angelicam. At verò ipse diabolus se fecit diabolum: vt neque Deus creat peccatorem, vt est peccator, sed quatenus homo est. *Ego autem si veritatem dico vobis non creditis mihi*. Consentientibus exemplaribus Græcis, & Latinis correctioribus, non legitur si, sed quia. Seminarium enim odij, pharisaici circa Christum fuit sermo Christi, vt ex superioribus liquet. Ideo ait, Quia veritatem dico, non creditis mihi. Quasi dixisset. Si mẽdaciũ dixissem, vos qui estis filij diaboli, qui mendax est & pater mẽdacij, mihi crederetis, quia mendacia vobis grata essent: nunc quia veritatem dico, me esse filium Dei, & verum messiam, ideo non creditis. Vnum quodque amat sibi simile: amatores falsitatis amant mendacia, amatores vero veritatis amant veracia. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Græcè, arguit, de præsenti, non arguet, Et arguere hoc loco non significat accusare culpam, sed conuincere de culpa, hoc enim significat ελεγχω, refellere & conuincere argumẽtis. Soliùs Christi verè hæc sunt verba. Ipse enim solus est sine peccato: & non solum hoc, sed est inculpabilis, quippe qui est impeccabilis. Quanuis enim angelos sanctos nemo potest iam arguere de peccato, at nihilominus, vt angeli mali peccauerunt, & sunt arguendi de peccato, ita quoque & boni potuerunt, in

Testimoniorum sacrorũ collatio & explanatio.

Solus Christus nõ potest argui de peccato.

eandem redargutionem incidere: quippe peccabiles sunt ex natura sui arbitrij. Homines vero, non solum sumus peccabiles, sed omnes in Adam peccauimus, adeo vt nullus sit innocens, vel infans vnius diei. Ideo, multa possunt nos conuincere de peccato, vel originali vel actuali. Quia si dixerimus, quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Christus igitur verissimè ait, Quis ex vobis arguet, pro, poterit me arguere, vel, potest me conuincere de peccato? quasi dicat, nullus. Accusauerunt sanè Dominum Iudæi de multis, & quod legis erat transgressor, & quod filium Dei se constituebat, & de alijs: at vero hæc accusatio erat iniustissima. Neque potuerunt vnquã Dominum de quouis, vel minimo peccato conuincere. Sermo igitur Christi inculpatus erat, & facta Christi inculpata erant: quare ex hoc fundamento, vel hypothesi Iudæos Dominus subdit iustissimæ reprehensioni. Etenim cũ sermo Christi, esset extra redargutionem, itemque Christi opera, necessum erat, hæc esse veracissima, ideoque Iudæi nõ credentes, erant valde culpabiles, non acquiescentes veritati, sed potius mendacio. Vnde filios diaboli eos esse ex hac hypothesi verissima, eos esse haud dubium conuincit. Græcè autem sic legitur hæc clausula, Ego autem quia veritatem dico non creditis mihi. Quasi dicat, Vos mendaces estis, ex patre procedentes mendacij, Ego autem verax, & filius veritatis, & quia veritatem dico, ideo non creditis mihi. *Si veritatem dico vobis, cur non creditis mihi?* Ex eo quod se inculpatum in omnibus prædixerat colligit, sibi esse exhibendam fidem. Et perinde est ac si dixisset, si de mendacio nemo potest me conuincere, aut de quouis alio peccato necessũ est sermones meos esse veros, Si veri sunt sermones mei, cur non creditis mihi? *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Prima Ioan. 4. eadem scribuntur fere verba. Qui nouit Deum audit vos: qui non est ex Deo, non audit vos. Est autem audire hoc loco, non solum aure corporis sonantia exterius sentire verba, sed aure cordis, illa suscipere. Fide credendo, & opere complendo. Omnis ergo qui ex Deo est verba Dei audit. Sumus porrò omnes ex Deo, & iusti, & peccatores & audiẽtes verba Dei, & illis repugnantes. Quî ergo inquit, Qui ex Deo est verba Dei audit? Vtiq; hoc loco esse ex Deo non significat originem, sed electionem. Idest, qui sunt Dei, vel qui eligunt Deũ habere in Dominum, isti verba Dei audient. Electi enim sunt ex parte Dei, vt reprobi ex parte diaboli. Vnde Paulus ait, Nouit Deus, qui sunt eius. 2. Timo. 2. Isti ergo qui Dei sunt, amantes diuina, isti verba Dei audient, eisdem obtemperãdo. Vnde subdit. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Hæc est causa quod vos non obtemperatis sermonibus meis, quia nõ estis Dei filij, neque colentes eius præcepta, sed potius estis filij diaboli. Diabolus enim ex sua obstinatione non audit diuinum sermonem, sed illi planè repugnat: & vos tales estis. Sensus igitur est, qui Deo verè nituntur obsequi, Dei verba audiunt, qui vero non Dei, sed diaboli curant obsequia non audiunt verbum Dei. At forsan quęres à me, ex verbis istis consequens esse reprobationẽ æternã esse causam nostri peccati. Ait enim, Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Non audire autem verbũ Dei peccatum est, & non esse ex Deo, est esse reprobum. Porrò hoc loco non significat reprobationem ęternam, vt diximus, sed solum diuina non curare, vel negligere quæ Dei sunt, vt paulo ante tradebamus. Reprobatio ergo illa æterna nulli est causa peccati, sed ipse sibi sui sceleris quilibet author est. Non enim quia Deus ab ęterno reprobauit Iudam, ideò Iudas Christũ vẽdidit, sed ex eo vẽdidit, quia fur erat, & loculos habebat, & diabolicæ suggestioni consensit, Ioan. 13. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Superati verborum Christi veritate Iudæi, ad conuicia confugiunt. Et quem non poterant superare ęquitate, iniquitate conuitiorum saragunt irritare: ideoque dicentes dęmonium Christum habere blasphemant. Est autem horum verborum sensus multiplex. Etenim Chrysostomus, itemque Origenes, putant sensum esse, Dæmonium habes, hoc est, insanis. Verba enim Iudæi Domini non ferentes, vi delicet, ea quę testabantur eos esse filios diaboli,

Omnes homines possũt argui de peccato.

Qui sunt qui audiunt verbum Dei.

Electi à Deo audiunt Euãgelium, reprobi non audiunt.

Reprobatio ęterna nulli est causa peccati lege authorem. in. 1. lib. Senten.

diaboli, & non esse ex Deo, quibus euertebat eorum tumorem, & supercilium: aiebant enim se esse filios Dei. Et nõ potentes Iudæi hæc verba de falsitate conuincere, curant alia via verborum horũ obscurare autoritatem, dicendo esse verba stulta. Theophilactus verò, sensum credit esse, quem Iudæi alibi produxerunt, in Beelzebub principe eijcit dæmonia Lucæ. 11. Aut quia Dominus manifestabat occulta, hoc putabant ex magisterio occulto diaboli fieri, ideò aiebant, Dæmonium habes.

¶ Duo autem Domino obijciunt isti, & esse Samaritanum, & dæmoniacum esse. Horum duorum obiectorum primũ non diluit, sed solum soluit secundum. Quia primum vt ait Augusti. Secũdum sensum mysticum Christo congruebat. Etenim Samaritanus interpretatur custos, Christus autem, qui est redemptor omnium, hominum, idem est eorundem custos. Aut secundo quia esse Samaritanum non aduersabatur veritati doctrinę Christi: at vero habere dæmonium erat contrarium doctrinæ Saluatoris, namq; detrahebat fidei exhibendæ doctrinæ Christi, quod dicerent esse dæmoniacã, quæ alioqui diuina erat. Ideoque Christus negligens conuicium, quod erat aduersus suum honorẽ, videlicet, quod vocaretur Samaritanus, quia Samaritæ erant odiosi Iudæis, quia illi ex parte recipiebant Iudaicum cultum, & ex parte reijciebãt, solum diluit obiectum, quod erat contra veritatẽ suę doctrinę. Quippe pluris facienda est gloria Dei: quam nostra. Quanuis reuera conuitium contra Christum, erat contra Deum, quia ipse erat verus Deus. Cæterum quia Iudæi opinabantur eum esse purum hominem, ideo suam interim dissimulat iniuriam, & diuinam non ferens, ait, *Ego dæmonium non habeo.* ¶ Vel tertio Dominus non respondit primo obiecto: Si quidẽ prompta erat responsio ex accusatione Iudæorum quando quidem Dominum accusabant, quod Sabbatum violabat: vnde accusatio erat, quod legem Mosayca non custodiebat. At vero Samaritæ Mosayca seruabant, vt supra aiebamus: ideo ex accusatione Iudaica si vera esset sequebatur Dominum non esse similẽ Samaritis, sed illis absimilem. Quare ex verbis Iudæorum sequebatur Christum non habere mores Samaritanorum: idcirco sibi ipsis contradicebant. Ideoque Dominus prætermisit hoc eorum obiectum, & respondit secundo. At forsan quærit aliquis cur cum cap. 7. Quidam de turba Christo dixissent. Dęmonium habes: quis te quærit interficere? & Dominus nihil respondit huic opprobrio. Et rursum cap. decimo. Dæmonium habet & insanit dicebant quidam Iudæi, alij verò, verba hæc non sunt dæmoniũ habentis. Et tamen Dominus tunc nihil respondit istis exprobrãtibus, modo verò respondit dicens, Ego dæmoniũ non habeo. Vtique quando cap. 10. Christo obijcitur dæmonium habere ipse non respondit, quia Iudæorum quidã respõderunt dicentes, Verba hæc non sunt dęmonium habentis. Et vnico verbo reijciunt duo, quæ Christo temere obijciebantur, scilicet, dæmonium habet, & insanit: ipsi autem respondent, verba hæc nõ sunt dęmoniũ habentis, & de insania nihil commemorantur. Vnde videtur, hæc duo illis fuisse idem, dæmonium habere, & insanire.

¶ Porrò quando cap. 7. Christo dicunt, dæmonium habes, quis te quærit interficere? nõ agebatur de doctrina, sed solum vituperabat Dominus studium nequã ipsorum ad interficiendum ipsum Dominum. Nunc verò agitur de doctrina, ideò duo Iudæi iaciũt scomata in Christum Samaritanum esse, & dæmonium habere, hinc insinuantes, dominum esse peccatorem, instar Samaritanorũ, quos ducebant esse Iudæi graues peccatores. Et idem obtrudebant dicentes, Dæmonium habet, credentes ex pacto inito cũ dæmone dominum habuisse dæmoniũ familiare, quod erat summi sceleris. Vnde conabantur ex istis falsis accusationibus Domini maculare personam. Vnde resultabat macula in doctrina apud plebes. Quia vt ait Gregorius, Necesse est, vt cuius vita despicitur, prædicatio quoque contemnatur. *Respõdit Iesus, Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me.* In cunctis sermonibus, & operibus suis Christus, intendebat patris sui gloriam, vt discursus euangelicus nobis est testimonio. Quare, cũ diabolus ex hostili, quem gerit aduersus Deum

Expẽde scrutiniũ sanctæ scripturæ.

Dæmonium habere & insanire idẽ aliquãdo in euãgelicis literis

Iudæi studebant maculare falsissimis scomatibus personã Christi vt inde eleuarent eiusdẽ doctrinam.

Deum animo, in vniuersis, siue quæ loquitur, siue quæ operatur hoc vnum habet studium, vt Dei gloriam obscuret Christus autem contra, prorsus se gesserit, necesse est, Christum hostem esse diaboli: tantum abest, vt dæmoniacum pactũ cum illo habuerit. *Et vos me inhonorastis*. Vnde intellectum esse voluit quia Christum ignominia afficiebant, & ipsum patrem ignominia affeciſſe Iudęos. Vnde sequitur conclusio primo intenta, vanam esse Iudæorum gloriam, ex qua iactabant se patrem habere Deum: siquidem dehonestando vnigenitum filium dehonestabant patrem cœlestem, ideoque filij non erant Dei, sed diaboli, cuius gerebant mores. At fortè rogitas. Vbi nam ante hac dixerunt Iudæi, Christum esse Samaritanum? Et quidem quod dicunt modo, dæmonium habet. 7. capit. commemoratur: quod verò dixerint esse Samaritanum non commemoratur. At verò constat ex hoc loco ante hac dixisse hæc duo relata. Aiunt enim, Nõne benedicimus nos, &c. Approbant enim quod olim dixerant de Christo. Nimirum, quia pleraque alia sunt, & dicta, & facta à Christo, quę Euãgelia silent. *Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.* Quia dixerat dudũ, Vos me inhonoratis, ne putarent Iudæi audientes, hoc dixisse, quia auidus erat proprij honoris, corrigit eorum falsam opinionem, nam ita opinabantur (vt supra monebam) dicens, Nõ quæro gloriam meam, est qui quęrat, & iudicet subaudi, pater Christus quatenus homo non quæsiuit gloriam suam omnem nanque gloriam tribuebat Deo excunctis quæ glorioſè operabatur. At Deus pater ipsum exaltauit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et quamquam Deus non est vltus continuo iniuriam maximam illatam Christo à Iudæis, at vero post ascensum Christi super ęthera, est illam etiam temporaliter acerrimè vltus per Titum, & Vespasianum. Et demum si quidam non dederunt pœnas tanti facinoris in seculo hoc, in altero saltem seculo dederunt. Et quia omnes infideles inhonorãt Christum ideo de illis tandem grauissimas sumet Deus pœnas. Et ideo ait, est qui quærat, & iudicet. Christus quidem est iudex viuorum, & mortuorum, quia pater omne iudicium dedit filio, cæterum non ob hoc excluditur pater à iudiciaria potestate. Nanque prima iudicandi authoritas penes S. Triadem est. Cæterum sub forma sensibili solus filius iudicandi generalẽ habet potestatẽ ideoque nulla est collisio in Euangelicis literis. Quomodo autẽ Deus quærat, qui alioqui omnia nouit supra diſſeruim⁹. Quãuis igitur modo multas iniurias Deum patienter ferre, aduertamus vt hæreticorum, & infidelium omnium, atque prauorum fidelium, cæterum si modo videtur Deus eas negligere, est tamen qui quærat, & iudicet aliquando, quando opportunitas se dederit. *Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit mortem non videbit in æternum.* Quia offendiculum Iudæorum erant ex sublimitate sermonum Christi. Vnde dicebat, Sermo meus non capit in vobis. Ideo ostendit, nunc quantus sit fructus credentiũ, & seruantium suum sermonem, siquidem fructus est vita æterna. Quem quo que fructum supra cap. 6. concesit manducantibus carnem suam, & bibentibus sanguinem suum. *Dixerunt ergo Iudæi, nũc cognouimus, quia dæmonium habes, Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum?* Iudæi maleuoli torquent verba Domini, in alium sensum quem Dominus non intendebat. Enimuerò Dominus non de morte corporis verba faciebat, sed de morte alia grauiori, quæ est damnatio sempiterna. Vt etiam quãdo, de esu carnis suæ, & potu sanguinis sui meminerat non de morte hac sensibili cap. 6. intelligebat, sed de ea morte, de qua modo. Prophetæ igitur, & Abraham, omnesque iusti, qui præcesserunt Christi aduentum, Christi sermonem seruauerunt, ideo erepti sunt à damnatione ęterna. Tametsi Abraham, & prophetæ, & iusti, qui fuerant ex Hebræo genere explicatiorẽ fidem habuerũt de Christo, quam iusti alij, quos ipsa tulit gentilitas: cæterum omnes isti, pro sua quisque ratione, fidem Christi habuerunt, & sermonem seruauerunt. Porro Iudæi carnales nullam aliam mortem intelli-

Ad Phil. 2.

telligentes nisi carnis, & non mortem spiritus acerbiorem, dicunt modo, Nunc cognouimus quod Dæmonium habes, siue ratum habemus, quod dudum & ante hac diximus te insanire: quia hæc verba sunt insani: seruantem, scilicet tuũ sermonem, immortalitate esse donandum: Apostoli quoque docentes Christi sermones reputati sunt insani, Nos, inquit, stulti propter Christum. 1. Cor. 4. ideo Paulus. 1. Cor. 1. Quia in Dei sapiẽtia non cognouit mundus per sapientiã Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes. At forsan quæret aliquis, Cur Dominus augebat Iudæorum vt videtur offendiculum ex sermone suo: siquidem obscuritati, addit obscuritatem, & difficultati, difficultatem? Cur ergo modo non referat arcanum sui sermonis dicens se non facere verba de morte carnis, sed de damnatione spiritus? Respondetur, Ex cap. 5. 6. & 7. Satis patet Dominum secundum sensum spiritualem verba facere: etiam hoc nouerant Iudęi qui frequenter audiebãt sermonem Domini. Et si maleuoli non fuissent exquisissent, de qua morte intelligebat Dominus hæc verba. Sciebant eum dixisse, Verba, quæ ego loquor, spiritus, & vita sunt: quam ob rem debuissent scisciatari à Domino, prædicti verbi profundi intelligentiam. Porrò quia prę cordia fatuorum semper eructant pestilens virus, non sciscitantur veram spiritualem verborum Domini intelligentiam, sed ad cauillationes se conuertunt, dicentes, *Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit. non gustabit mortem, &c. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et prophetæ mortui sunt, quẽ te ipsum facis?* O portuisset ex miraculis à Christo editis, quę neque Abraham, neque prophetarum quispiam ediderat, Christi autoritatem superare omnes priscos patres persuasum habere Iudæos, at verò odium, & inuidia Iudæos tenebant, ne veritatem agnoscerent. Ideo aiunt, *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham.* Non considerabãt etiam, quod dudum admonuerat Dominus dicens, Si filij Abrahæ essetis opera Abrahæ faceretis, aut vos ex patre diabolo estis, sed tursus, vt hoc Domini verbum infringant, replicant se esse filios Abrahæ. Et sanè Christus non se fecit, vt isti calumniantur, nam Paulus ait, nõ rapinã arbitratus est esse se ęqualẽ Deo. Christus enim ex homine non habuit quod esset Deus. Vnde non se extulit sibi rapiens diuinos honores: sed Deus exaltauit illum à quo habuit quod homo cum esset, esset itẽ Deus, & dedit illi nomen &c. Antichristus autem, se faciet Deum extollens se supra omne quod dicitur Deus, aut quod loquitur. 2. ad Thess. 2. Et miratu dignum, cum Christus in omnibus Deo tribuisset gloriam, cur isti dicunt modo. *Quem te ipsum facis? quos tamen, vt absolueret Christus, inquit, Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est. Est pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis quia noster Deus est.* Scripsit Paulus, non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. 2. Cor. 10. Hoc idem Dominus ait modo, Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Subaudi coram Deo: imo etiam coram hominibus. Qui enim se glorificat, & laudes suas iactat nihili fit. Vnde sapiens Prouer. 27. laudet te alienus, & nõ os tuum. Christum autem laudauit Ioannes baptista & diuina de cælo sonans vox, vt supra tradebamus, & demum opera sua, ipsum summopere commẽdabant: ideò Dominus ait, *Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est.* At dicet aliquis, an nõ Christus se glorificabat dicens, se esse lucem mundi, panemque de cælo descendentem, & alia hoc genus non pauca de se ipso testabatur. Veruntamen locus hic eandem intelligẽtiam poscit, quam ille, Si ego testimoniũ perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verũ. Alius est, qui testimoniũ perhibet de me ipso. & cap. 8. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum. Et paucis interpositis, & si iudico quemquam iudicium meum verum est, quia non sum ego solus. Quocirca Christus si propria autoritate humana, & non diuina se glorificaret, vt glorificabitur Antichristus, & omnes pseudoprophetæ, & hæretici, se glorificant ex magisterio, quod temere iactant diuino, vtique gloria Christi nihil esset. Hoc est, labilis hæc esset gloria, quia gloria vana esset, vt labefactata est gloria pseudoprophetarum, & hæreticorum præteritorum

Christus non rapuit diuinos honores dicens enim se esse Deum verum dicebat.

2. Cor. 10.

Cap. 5. supra.

Christi verba omnia, & facta fundata erant in diuina authoritate.

torum, sicut fumus euanuit gloria, & præsentium, itidem euanesçet. Quippe isti se propria authoritate glorificant, pollicentes populis vana & sibi vanè arrogantes scientiam sanctarum scripturarum, quam synceram non habent. Christus autem se glorificans, non humana solum, sed diuina authoritate gloriam habebat: vnde propter hanc causam gloria Christi, & gloriatio lausque de semetipso solida erant, quia ex diuina descendebant authoritate. Vt etiam Christi testimonium firmissimæ erat veritatis, ob eandem rationem. Græca habent, *Quem vos dicitis patrem vestrum esse.* Gloriabantur sanè, sed temerè, se esse populũ Dei, & primogenitũ Dei filiũ. Nam sic vocat Iudęorum populum Dominus Exodi. 4. Primogenitus meus Israel. Dicebant quidem esse se filios Dei: at verò factis negabant, diuina mandata non exequentes. Ideò Dominus ait, Quem vos dicitis, pater noster est. Tales erant ij, quos memoratur apostolus, confitentur se nosse Deum factis autem negant ad Titum. 1. *Et non cognouistis eum, ego autem noui eum.* Ad vituperationem Iudæorum hoc dixit Dominus, quod cum gloriarentur se habere Deum in patrem, & esse Dei primogenitum filium, at suum patrẽ non cognoscebant, Quasi dicat, Vana est hæc vestra gloriatio, quia non cognoscitis Deum, qua ergo ratione confitemini esse patrem vestrũ? Vbi cernis fidem Iudæos habuisse de vnitate diuinitatis, & quod ipse erat omnipotens, &c. Cæterum quia hæc fides erat mortua, ait Dominus, & non cognouistis eum. Cognoscebant sanè ex fide mortua, at non cognoscebant ex fide viua, quæ operibus fulget. Vbi tu aspicere poteris, Cognoscere Deum, in scriptura significare non solum fidẽ in Deum mortuam, sed etiam viuam per opera, vt supra non semel est annotatum. Ex verbis autem dudum commemoratis refellitur facile error eorum, qui asserebant Deum testamenti veteris, non eundem esse qui & noui, reclamante hoc loco. Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, &c. Idem ergo erat Deus Iudæorum, qui pater Christi. Arrius tamen ex hoc loco fouebat suam hæresim. Si pater aiebat glorificat filium, superior autem est glorificans, quam glorificatus, igitur pater & filius non sunt homousion. At verò filius glorificatur à patre, vt filius est hominis: siquidem vt homo est minor est patre. Nanque glorificare est facere clarum & glorioſum in conspectu hominum. Pater autem non facit filium clarum, vt filius Deus est, quia vt Deus, non est factibilis, & est apud patrẽ sempiterna claritate clarus: fecit autem eum glorioſum quatenus homo erat, testatus enim est hunc hominem Christum esse filium suum naturalem, vt in die baptismi, & in transfiguratione. Quid quod Matth. 9. viso signo Christi, quidam glorificauerunt Deum, nunquid esset idonea collectio: igitur homines glorificantes Deum superiores sunt Deo glorificato? Qua propter scito quod glorificare ambiguam habet significationem. Aut enim significat verè facere glorioſum, aut significat non simpliciter facere glorioſum, sed propalare alterius gloriam. Hacque secunda ratione homines glorificamus Deum: priori vero Deus solum glorificat, exhibendo gloriã homini. Deus igitur glorificauit filium hominis vtroque modo, & exhibendo illi suam diuinitatem, quãdo verbum caro factum est, & item manifestãdo diuinitatem eius hominibus. *Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo.* Christus, vt Deus erat nouit patrẽ suum æterna scientia & amore æterno diligit, vt homo vero nouit eum scientia infusa, & dilexit eum summa infusa charitate, & diligit: & ideo ait, Et sermonem eius seruo: hoc est, mandata patris custodio. Mendaces autem vocat Iudęos. Etenim mendacium dixerant, illud relatum dudum Dominum esse dæmoniacum, & quod asserebant se cognoscere Deum, quem factis negabant. Nam qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est. 1. Ioan. 2. Græca habent. Et si dixero, quod non nouerim eum, &c. Fieri autem non potest, Christum esse mendacem: cæterum ex impossibili antecedenti intulit, impossibile consequens. *Abraham pater exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* D. Augusti. hunc enarrans locum

Fides mortua, & fides viua, mortua nõ habet meritum coram Deo.

Manichęorũ error elliditur.

Arrianorum error refellitur.

Glorifico, habet ambiguã significationem.

cum inquit, Incertum potest esse, vtrum dixerit temporalem diem Domini, quo erat venturus in carne, an diem Domini, qui nescit ortum, qui nescit occasum. Sed ego non dubito patrem Abraham totum sciuisse. Ait enim seruo suo, quem mittebat. Pone manum sub fæmore meo, & iura mihi per Deum cæli: ergo quæ fuit illa iuratio, nisi quia significabat de genere Abrahæ venturum in carne Deum? Vnde secundum Augustinum locus hic potest referri ad duo, aut Abraham vidisse æternitatem Christi, scilicet, quia nouit per reuelationem filium Dei esse futurum hominem ex genere suo: itaque per diem intellexit diem æternitatis Christi, vel diem incarnationis, quando, scilicet, Dei verbum carnem humanam erat accepturus. Chrysostomus autem ad diem passionis dominicæ retulit, quam vidit Abraham, quando immolaturus Isaac, aries est substitutus Genes. 22. Gregorius verò retulit ad æternitatem Christi secundum diuinitatem, quam vidit ex reuelatione, quando tres vidit, & vnum adorauit. Et omnia hæc putant completa fuisse quando Abraham degens in corpore hoc donatus est munere diuino, vt Christi hoc tantum cerneret mysterium. Alijs arrisit hæc vidisse Abraham, non quandiu viuebat in carne, sed quando erat anima eius in receptaculo animarum sanctarũ. Angelis enim tunc nuntiantibus cognouit ipse Domini incarnationem, & passionis diem, vel Simeone iusto, vel Ioanne Baptista referentibus, quando ex vita mortali illò cõmigrarunt. Verumtamen me latet vtra harum expositionum sit textui congruentior, mihi tamen magis placet referendum locum ad id tempus quando Abraham mortaliter viuebat. Quia Dominus vult excludere opinionem Iudaicam existimantem Abraham esse maiorem Christo, & Dominus, vt hoc dissuadeat ait, Abraham exultasse, vt videret diem suum. Hoc est desiderasse exultanter videre diem Christi. Si ergo Abraham videns ex reuelatione Deum venturum in carne desiderauit vehementissimè & gaudentissimè, vt videret iam completa, quæ ex reuelatione videbat: igitur Christus desideratus ab Abraham, maior erat quam ipse Abraham. Namque si desiderabat Christi aduentum, ob salutem suam desiderabat. Vnde videtur, quod viuenti in carne Abrahæ hæc fuit exultatio hæc spes, hocque desiderium. Quanuis quis inficiabitur maiori gaudio fuisse perfusum, quando per nuntios angelos, vel per nuntias animas sanctas Christum præsentem in carne resciuerit. Neque tamen hæc exultatio, aut exultans desiderium fuit solius Abrahæ, sed etiam fuit omnium prophetarum, qui præuiderant propheticò spiritu diem aduentus Christi.

Gene. 24.

Genes. 18.

¶ Cæterum de exultatione Abrahæ fit solum à Domino mentio, quippe Abraham fuit primus, qui explicitam de Christo venturo suo ex semine, concepit spem. Et etiam quia Iudæi propagationis ex Abraham summam ducebant rationem. Et quidem hanc spem de venturo Christo ex semine suo dum ageret ipse apud homines concepit ex verbo Dei hoc ipsum pollicente. At vero, quod vidit & gauisus fuerit forsan ad animam Abrahæ agentem in limbo referendum erit, quando ex nuntio angelico, vel aliâs nouit Christum iam esse apud mortales agentem.

Abraham primus habuit explicitam ndẽ de venturo Christo ex semine suo.

¶ Aut fortè per diem hoc loco oportet accipere celsitudinem, & maiestatem Christi. Namque & hoc inuenimus in sanctis scripturis diem significare, vt apud Hieremiam. 17. diem hominis non desideraui, hoc est, humanam sublimitatem non affectaui.

¶ Abraham igitur primo nouit Deo reuelante Christum ex semine suo venturum. At verò exultans ex futuro quem didicerat aduentu, desiderabat Christi in particulari maiestatem futuram à Deo discere: ideoque exultans hoc affectabat ex propheticò discere spiritu. Deus autem illum instruxit Christum esse futurum Deum & hominem, & esse ascensurum super omnes cælos, post passionis ignominiam, & mortis tormentum: & hæc videns in spiritu gauisus est. Nempe quod tam præclarissimo donabatur à Deo munere, quod semen suum siue prolem descendentem ab ipsõ, esset Deus sibi copulaturus ad diuinitatis honores. Et quanuis locus non extet hoc docens

docens in veteri instrumento sat sit hic.
¶Et perinde est ac si Dominus dixisset Iudæis, Vos me despicitis: at verò Abraham pater vester, qui â vobis in summo habetur honore, tanti me fecit, vt ante aduentum meum iam desideraret anxiè videre meam maiestatem, & excellentiam quam habiturus eram super omnes: & vidit, & gauisus est. Ille ergo me absentem summopere coluit, & desiderauit habere præsentem, & ex spe concepta meæ futuræ secundum carnẽ præsentiæ, exultauit, & illam cernens prophetico spiritu gauisus est. At vos quòd ille summopere absentem coluit, summopere præsentem despicitis: non ergo illius refertis mores, & vanè gloriamini vos esse filios Abrahæ, Caietanus porro non de futuro aduentu, voluit locum intelligere, sed prẹsenti ẹternitatis die: verum vt dixit Augusti. locus vtranque capit intelligentiam.

¶*Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Carnales Iudæi carnaliter sapiebant verba Domini. Etenim cum Dominus de visione prophetica intelligeret verba sua, non de visione carnali Iudæi detorserunt verba in sensum carnalem. Ideoque dixerunt, quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Est autem consueta phrasis scripturæ propheticam intelligentiã vocare visionem, vt visio Esaiæ Prophetæ, &c. Quocirca Iudæi cum essent periti in lege & prophetis, debuissent saltem exquirere sensum horũ verborum, Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, de qua, scilicet, visione esset sermo. Enimuero de visione spirituali si erat, vt erat sermo, male respondebant, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti. Siquidem Abraham poterat videre prophetico intuitu diem Domini, antequam Dominus nasceretur secundum carnem, vt & cæteri prophetæ. Quid quod respõsio vel obiectio hæc fuit inepta. Quandoquidem Dominus non dixit se vidisse Abraham, sed quod Abraham viderat diem Domini. Et hæc duo lato discernũtur interuallo, Dominum esse visum, ab Abraham, aut quod Dominus vidisset Abraham. Ideo Iudæi, inferunt sinistrè Christum vidisse Abraham, dicentes, Quinquaginta annos, &c. Cæterum ex verbis istis accepit occasionem errandi Irenæus, qui Dominum testatur hac ẹtate prædicasse. Alij verò ex Chrysostomo legunt quadraginta annos nondum habes. Erasmus verò vitio librariorum hoc putat adiectum Chrysostomo: siquidem Theophil. Quinquaginta legit. At Eusebi. lib. 3. cap. 39. commemorat Papiam discipulum Ioannis Euangelistæ, quædam tradidisse, vnde alijs exhibita fuit occasio in re hac errandi. Verum, vt diximus, Dominus in exordio anni tricesimi cœpit prædicare: & tres annos nondum consummatos Euangelizauit. Quod verò Iudæi modo dicunt, Quinquaginta annos nondum habes, non dicunt, vt annos Domini numerent: sed perinde est ac si dixissent, Tu hesternus es, & Abraham, qui ab hoc seculo longissimè distat vidisti? Hocque solum intendebant, Domini sermonem ostendere esse impossibilem: nihil curantes si quadraginta vel quinquaginta haberet annos. Quippe idem sequebatur, si centum, aut quingentos dixissent. Ideo non est necesse dicere ex vultu pendentes ætatem Domini, Iudẹos dixisse, Quinquaginta annos, &c. Quippe quidam opinantur vultum ex laboribus prẹtulisse Christum senilem, & hoc dogma tribuunt isti Chrysostomo, sed temerè. Verum non arbitror Dominum respersum esse canis, vt vultum demonstraret senilem. Quippe complexio Domini erat mirabilis, ideò egregiè ferebat labores omnes. Alij suspicantur Iudæos in recordationem iubilei, quinquaginta memorasse annos. At verò mihi videor hẹc non esse necessaria dictu, sed hoc solũ Iudẹos voluisse per hæc verba, Quinquaginta, &c. idest, nondum peruenisti ad ætatem senilem, & Abraham vidisti? quinquagesimus enim annus, prima computatur senectus. *Dixit eis Iesus, Amen, amen dico vobis antequam Abraham fieret ego sum.* Eternitatem suæ diuinitatis aperto sermone demonstrat verbis istis, quæ Arrius corrumpebat, dicens Christum non esse coæternum patri, at verò præcessisse omnem creaturam.

Iudæi carnales carnaliter intelligebãt verba Domini.

Lib. 2. cap. 39

Erratum fuit ab Irenæo in ætate Domini.

Cæterum

Arrius refelli tur

Origenis placitum nó probatur.

Cæterum diuinitatem Christi ostendunt hæc verba, Ego sum, solus enim Deus est, qui vere est. Neque de anima Christi verba sunt intelligenda hæc, vt supra annotabam referendo Origenem sentientem animam Christi fuisse ante secula conditam, non tamen animas alias. Verum neque hoc verum: siquidem anima Christi quo ad suam creationem fuit similis animabus alijs, quæ simul cum corpore cæperunt esse. Quod ergo Dominus ait, Ego sum, ad personam diuinam refertur, non ad animam Christi. Ego, enim demonstrat hanc personã diuinam & humanam, quæ est Christus, qui vt diuina persona erat antequam Abrahã fuisset, imo ante omnia secula, quia Patri est coæternus. Alijs placuit trãsferre priusquam Abraham esset, ego sum. Erasmus transtulit, Antequam Abraham nasceretur. Verum sensus idẽ est, quacũque ratione transferas. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se: & exiuit de templo.* Græca lectio, Tollebant habet.

¶Furorem præcipitem describit Euangelista Iudæorum, qui inaudita causa Christi, mulctare eum legis pœna conabantur. Leuiti. 24. Namque erat hæc pœna blasphemantiũ, eos lapidibus obruere. Cæterum reis dabatur defensio aduersus accusatores Iudæi vero nulla expectata defensione ad lapides iaciendos in Dominum se conuertunt. At vero Iesus se abscondit se faciens inuisibilem, vt furorem hostium declinaret. Theophilactus legit quædam alia, scilicet, Transiens per medium ipsorum & præterijt sic. Quippe Dominus inuisibilis factus ex sua diuina potestate, per medium ipsorum transibat, & præterit sic, inuisibiliter, scilicet, Verum, hoc legimus factum apud Lucam. cap. 4. Quando conantibus Iudæis Dominum ex supercilio deijcere montis, ipse transiens illæsus per medium eorum ibat. Cæterum, hic transitus alius fuit ab hoc, quem commemorat Ioannes. Et mirari subit, quanta dementia furoris isti agebantur, qui non parcẽtes templo, neque eius autoritatem colentes in templo volebant Dominum lapidare. Verum Dominus exiuit de templo, vt subnotaret, sacrificia, sacerdotium, & cæremonias templi illius esse tandem delendas: & vt rursum insinuaret, diuino auxilio esse destituendũ templum illud, & gloriam illius ad gentes esse transferendam. Vt re vera accidit, siquidem deustũ est illud à Tito, & Vespasiano. Et demũ quia Dominus nõ dispoſuerat mori, morte illa ex lapidatione, sed crucis morte. Ad hanc autem subeundam nondum aduenerat opportunitas: ideo exiuit de templo. Et quia lux est Christus simul atque Christus exiuit de templo illo, lux Dei recessit ab illo, & obscurata est gloria eius, & versa est in tenebras, quas hactenus Iudæi sustinent sua culpa.

MORALIA.

¶*Amen, amen dico vobis, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, seruus autem non manet in domo in æternum.*

PAVLVS Apostolus in quã scripsit Romanis epistola, cap. 6. Humanũ dico, ait, propter infirmitatem carnis vestræ sicuti exhibuistis membra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationẽ. Quæ verba facilè contemplanti insinuãt, duplicem esse seruitutem, aliam quidem studiosam Deoque gratam, aliam verò iniquam Deoque ingratam. Seruitus enim ex qua iustitiæ seruimus studiosa seruitus est, Deoque placida est. At seruitus, ex qua seruimus iniquitati, vtique iniqua seruitus est, Deoque odiosa. Duplex est seruitus animæ nostræ.

¶Omnes ergo quotquot sunt rationales creaturæ altera harum afficiuntur seruitute. Namque siue angeli sint siue homines, vel Deo seruiunt, & seruitutem habẽt iustitiæ, vel seruiunt peccato, & seruitutem habent iniquitatis. Est autem seruitus iustitiæ, duplex, aut seruire iustitiæ ciuili virtuti, aut seruire iustitiæ Christianæ. Et sane prima seruitus nos non liberat à peccato. Quippe gentes sub sua idololatria iustitiam impense coluerunt. Romani sunt nobis exemplo, qui ob egregium iustitiæ huius cultum, imperio vniuersali totius orbis sunt potiti. Seruitus iustitiæ duplex.

¶Porrò hæc seruitus, nõ est illa, cuius meminit Paulus, sed seruitus, iustitiæ Christianæ, quam, vt Paulus insinuaret ait, seruire iustitiæ in sanctificationem. Huius namque iustitiæ seruitus nos à peccato li-

berat, quippe nos sanctificat. Est porro hæc christiana iustitia, euangelica iustitia, Euangelica autem iustitia est euangelij obedientia. Qui namque obediens est euangelicis institutis, hic coram Deo iustus est. Vt enim apud homines iustus reputatur qui humanas leges seruat, ita apud Deum is iustus est, qui euangelicã seruat. Euangelium enim docet fidem habendã, charitatem Dei & proximi, spemque cælestium bonorum, sacramentorumque obseruantiam, peccatorumque pœnitentiã. Atqui vniuersa hæc custodierit, hic verè seruit euangelicæ iustitiæ. Inter has autem duas seruitutes, maximum est discrimen. Enim vero, etiam si vtraque vocetur seruitus, at verò seruitus euangelicæ iustitiæ est libertas: seruitus vero peccati est captiuitas. Vnde etsi serui sint omnes homines, tam iusti, qui appellantur serui Dei, quam iniusti, qui sunt serui diaboli. At verò serui Dei liberi sunt coram Deo, serui vero diaboli, sunt eiusdẽ mancipia. Quanquam enim sæpe accidat seruos iustitiæ esse aliorũ seruos, & apud homines non esse liberos, quia non sunt sui iuris, & contra seruos peccati, esse sui iuris, & nulli hominum seruire, imo alijs dominari, cæterum benè subducta ratione, qui peccato opprimũtur, non sunt liberi: quando quidem subduntur diabolo, qui habet potestatẽ in eos. Supplicijs nãque æternis sunt deputati, quæ subire cogentur, nisi resipuerint: & nisi celerem pœnitentiam habuerint, ad alia peccata declinabũt: vnde magis illaqueabuntur vinculis peccatorum. Et hęc seruitus durissima est, à qua nisi Dei gratia opituletur, liberum arbitrium non poterit se extricare. Enim vero vnum si admittas crimẽ, iam te subdidisti huic seruituti. Et si omnia sus deq; cõuoluas, nisi Dei præsidio leueris, seruitutem hanc non depones. Solus namque Deus hanc poterit soluere seruitutẽ: solius namque Dei est peccata dimittere: sponte sanè nos tradimus huic seruituti. Et vt sic efficiamur serui sola voluntas sat est: at vt hanc seruitutem peccati decutiamus, non sufficit nostra voluntas, nisi Dei gratia comitetur. Ego inquit, sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Rectè ait, propter me, quia seruitus hęc omnia pessundat merita nostra, ideo non ex meritis nostris Deus nos ab hac seruitute liberat, sed ex gratia sua. Seruitus porrò iustitiæ, est vera libertas, quia à durissima peccati seruitute nos eripit. Eruimur enim per hanc seruitutem iustitiæ, à tyrannide diaboli, à supplicijs liberamur æternis, à peccatorũque maculis abstergimur. Et demum inter Dei filios computamur, & æterni regni constituimur hæredes. Vnde etiam si seruitus vocetur, at vero maxima est animi libertas. Animi dixerim,, quippe hæc seruitus iustitiæ, quæ est vera hominis libertas, non eripit corpus à seruitute ciuili, sed animum asserit à seruitute occulta peccati.

¶ Cæterum, quia homo ex duabus constat partibus, ex anima, scilicet, & corpore, ideo animi seruitus est maxima seruitus, quia seruam sub diabolo tenet optimã hominis partem: & animi libertas, est maxima libertas ob eandem causam.

¶ Porrò autẽ, corporalis seruitus, etsi non peccati seruitus, at verò à peccati seruitute traxit originem. Siquidem si primus non fuisset in culpa parens seruitus corporalis, quæ est ciuilis seruitus nulla esset. Quare Gene. 9. Maledictũ legimus Chanaam, & constitutum seruum fratrum suorum, ob culpam, ex qua nudauerat Noetica verenda. Et Ioseph item legimus dixisse, Genesis. 44. Qui furatus est scyphum meum, ipse sit seruus meus, imponens mulctam seruitutis, propter furti delictum.

¶ Atqui, vt exploratam habeamus huius seruitutis peccati malitiam, oportebit seruitutis visibilis singulatim conditiones exponere, vt ex visibili seruitute attollentes mentis oculos, ad inuisibilem seruitutem, qualis est peccati seruitus, turpitudinem huius facilius odio habere possimus. Est autem seruorũ hæc vilis conditio prima, quod seruus est vilis, & abiecta persona, ideo arcetur à dignitatibus assequendis. Non enim potest esse iudex, de rescriptis. cap. scisitatus. Et sententia ab ipso probata, orbatur robore autoritatis, nisi errore publico censeatur liber. Rursus arcentur ab ordinibus ecclesiasticis. De seruis non ordinandis. in principio. Et 54. distinctio. Quicunque, nisi enim plene sint asserti à seruitute, ab ordinibus arcentur. Secundo seruus, vilibus vescitur, vt Lucæ. 15. ille prodigus filius siliquis vescebatur. Tertiò, & vilibus quoque adigitur

Christiana iustitia est euangelica iustitia

ad Roma. 8.

Seruitus omnis exterior ab ipsa animę interna ex peccato seruitutetraxit originem.

Seruitus peccati durissima.

A seruitute peccati solus Deus liberare potest.

Conditiones seruorum vilitatem indicãtes.

tur officijs, vt filij Israel, pressi seruitute. Ægyptiaca, vilibus sunt mancipati ministerijs, vt paleas colligerent, & lateres coquerent. Quartò. Viliter, & fœditer tractãtur: probris nãque afficiuntur à Domi nis suis, & fustibus onerantur sæpe. Quin tò sunt serui sibi inutiles, quia quæ acqui runt non sibi, sed Dño acquirũt, iuxta illud Oseæ. 8. Germen non faciet farinam, quod si fecerit, alieni comedent eam. Sextò. Alienus est seruus à Domini fami liaritate. Ioan. 15. Seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Septimò. Seruus est contumeliosum vocabulum, & cunctis odiosum. Octauò. Seruus nõ manet in do mo in æternum, vt sacra euangelij lectio docuit. Per hæc igitur, quę in sensibili seruitute extant, non erit difficile inuestigare mala, quæ secum conuehit inuisibilis seruitus. Et equidem, vt primam conditio nem, seruituti peccati tribuamus, nihil vilius, nihil ve abiectius coram Deo est, quã homo seruiẽs peccato. Vnde. 1. Regum. 2. Qui autem contẽnunt me ignobiles erũt: vt cõtra, qui seruiũt iustitiæ, multa nobili tate apud Deũ fulgent. Canẽte vate illo hymnidico. Nimis honorati sunt amici tui Deus, & nimis confortatus est principatus eorum. Et ad Rom. 2. Gloria, honor & pax omni homini operanti bonum: & tribulatio, & angustia, in omnem animã hominis operantis iniquitatem. Seruitus igitur hæc peccati hominem priuat honore coram Deo, quia quanquam coram hominibus sæpè peccatores multis fruantur honoribus, cæterum quandiu sub peccati seruitute iacuerint inhabiles sunt ad diuinos honores capiendos. Non enim possunt esse consortes ęterni regni in futuro: in pręsentia vero ad dignitatẽ diuinæ ami citiæ cõscendere nequeũt. Quia serui pec cati quandiu subsistunt sub peccato, nequeũt esse participes amicitiæ Dei: tamet si simpliciter possunt iugũ seruitutis peccati excutere, & Deo reconciliari. Nõ po testis. Matth. 6. ait Dominus seruire Deo, & Mãmonæ. Sunt namque contraria hæc duo Deus, & peccatũ: qui seruit Deo, odio habet peccatũ, & qui seruit peccato, à Deo est alienus. Ad hæc seruitus hæc iustitiæ, quæ diuina est, est vera animæ libertas, at seruit⁹ peccati est animi captiuitas, vt resi piscãt, ait Pau. 2. Tim. 2. à laqueis diaboli quo captiui tenẽtur. At captiuitas animi, & animi libertas, inuicẽ pugnãt: vt corporis, captiuitas, atq; libertas inuicẽ dissidẽt.

Psalm. 138.

Seruitus iustitiæ à Deo honoratur.

Seruitus iustitiæ & seruitus peccati admodũ pugnant.

¶ Cæterum filij scelerati, hominesue impij, hanc seruitutem diuinam cẽsent esse, captiuitatem, & seruitutem peccati insignẽ ducũt esse libertatẽ. Quo circa iustitię seruire summopere detrectant, & illius cõ stringi vinculis admodũ fastidiunt. Tales erãt illi, qui dicebãt apud Psal. Psal. 2. Dirũpamus vincula eorũ, & proijciamus à nobis iugũ ipsorũ. Enim vero vincula iustitię, sunt vincula sanctorũ: & iugũ iustitiæ huius, quę est sanctificãtis nos, est iugũ pio rum. Hęc autẽ vincula despiciũt impij: huius seruitutis iugũ durissimũ esse credunt, ideoq; proijciendum apud se cõstituunt. Quod vero amãt est, libidini proprię inseruire, & in legẽ habere, quod propria libido suggesserit: id quod lex carnis est, nõ lex Dei. Seruitus igitur peccati, lege peccati regitur vt seruitus diuina Dei lege tota gubernatur. Et quidẽ seruitus peccati liberta tis illecebra nobis imponit, vt illã appetamus. Nõ enim suũ venenum cõtinuo demõstrat, seruitus hæc, sicut neq; suũ honorẽ continuo, aperit diuina seruitus. Et ob hoc maxime nocet peccati seruitus, quia quantũ noceat, nõ refert, sed occultat suã noxã, & refert suã voluptatẽ. Et quia hominũ hoc est ingeniũ, sensibilia sũmopere affectare, at diuina seruitus à sensibilib⁹ bonis nos submouet, vt rapiat ad cælestia. Hac ratione, violẽta nobis hęc apparet seruitus ex qua necesse est, quod homo seipsum neget, & quę videt spernat, vt quę nõ videt arripiat. Idcirco ad seruitutẽ peccati praua est animi humani libido, ad diuinã vero ægerrime nos habemus, nisi diuina gratia opẽ ferat salutarẽ. Hæc enim Dei gratia seruitutẽ diuinã adeo mollefacit, vt iugũ Christi dicamus esse suaue, & onus leue. Quod tamẽ si vires nostras tantũpendimus, durissimũ & grauissimũ reputaretur. Suauiatur autẽ & leue fit, Deo cõfortãte, in quo Pau. 2. Timo. 2. se omnia posse testabatur. ¶ Viles igitur & abiectos, nos cõstituit seruitus hæc peccati, vt cõtra seruitus diuina nobilitat Dei seruos. Enim vero, per seruitutẽ peccati anima humana, quę nobilior est, sensibilibus bonis, se miscet vilib⁹ & se abstrahit à diuinis, quę sunt suprema bona: se enim miscet carni, & submouet se ab spiritu, ideo à sua natura degenerat. Animus enim noster spiritus est,

Peccatores nolũt cõstringi vinculis iustitiæ.

Vnde ad seruitutẽ peccati sumus proni, & ad seruitutẽ iustitiæ difficiles.

& non caro, & spiritus dignior est, quam caro. Quando ergo spiritus noster supremo spiritui Deo se iungit, tunc nobilitatur, quia optimo spiritui se copulat: quando vero carnalibus se immiscet tunc ignobilis redditur, quia vilioribus se vnit.

Diabolus est seruus peccati primus atque teterrimus.

¶ Et re vera si esse seruum, ignobilitatis esse ducitur, esse seruum serui maioris est ignobilitatis. At vero, per seruitutem peccati, nos mancipamur diabolo, at vero diabolus seruus est etiam peccati, & primus seruus peccati. Etenim si omnis qui facit peccatū seruus est peccati, qui grauissimū admisit peccatū, grauissima peccati tenetur seruitute. Talis autem diabolus est quippe qui diuinos ambit honores.

¶ Seruitus autem iustitiæ nos emancipat, ab hoc teterrimo primóque peccati seruo diabolo, & nos traducit in legitimum Dominum vniuersorum Deum: ideóque nos in libertatem asserit, & à diabolica captiuitate nos liberat. Quo circa naturalis est nobis hæc seruitus, quia est secundum legitimum & syncerum naturæ ordinem.

Seruitus diuina est naturalis.

¶ Secundum malum iam prosequamur. Dicebamus enim vilitatē seruitutis hinc etiam esse colligendam, quia serui vilibus vescuntur. Non enim seruis delicata à Dominis offeruntur edulia, sed rudia, & vilia. Vnde pane ordaceo, aut siligineo, aut furfuraceo, cæpis, allijs, & id genus obsonijs obsonantur. Verum multo viliora sunt cibaria eorum, qui peccato seruiunt. Vt enim corpus habet corporalia cibaria, ex quibus alitur, ita etiā animus proprias habet spirituales escas, vnde vegetatur. Quod si sibi germanis vescitur cibis, vtique verè alitur, & viuit, sin vero non germanis, sed nociuis vescatur, non viuit ex cibis, sed potius moritur. Sunt sane alimoniæ menti germanæ panis vitæ, & intellectus, vtique est illi potus accommodatissimus, aqua sapientiæ. Hæc enim sunt, quibus serui iustitiæ cibantur, atque potātur, & dignissima sanè sunt, pro humanæ mentis alimento. Cæterum serui peccati hæc, quæ delicatissima, & multi precij sunt alimenta fastidiunt, & rudia amant cibaria instar illorum, qui per vastas discurrentes eremos, manna cibum cælestem, quē Dominus miraculo donauerat in eorum pastum fastidio habuerunt, & cæpas porra, & allia Ægypti, olla sq; carnium illi prætulerunt. An non rude est alimentum

Exodi. 16. Num. 11.

hæresis, ex qua hæretici vescūtur auaritia, vnde aluntur auari, quæ est idolorum seruitus, inuidia, vnde pascuntur inuidi, luxuria, fraternū odium, gulla, & omnia alia: vnde solatiū capiunt peccatores: quę mentem absorbent, & eius vires spirituales pessundant, & à cælestibus bonis, ad quæ posidenda humana mens fuit creata, abducunt? Offeruntur escæ visibiles Angelo Raphaeli, & illas reijcit, dicens. Et inuisibili cibo vti. Cur hoc. Nempe quia spiritualis substantiæ erat, ideo visibiles spernebat escas. Mens igitur nostra cum spiritualis sit, cur ex visibilibus delectationibus nutrimentum petit.

¶ Afferūt discipuli Christo, alimēta Ioā. 4 & dicūt ei, Rabbi māduca: at ille respōdit illis, Ego cibū habeo manducare, quē vos nescitis. Cibus igitur animi nostri, ex quo vescēdus est, nō est petēdus ex visibilibus istis, quia animi cibus mysticus, & occultus est: ideo ait, Cibum habeo māducare, quē vos nescitis. Equidē cibus hic trascendit humanas, imo totius creatæ naturæ vires. Quippe cibus hic est fidei cibus, charitatis cibus, spei in Deū cibus, aliorū q; diuinorū charismatū. Hic cibus est cibus, qui non perit Ioā. 6. Operamini cibū, qui nō perit, sed qui permanet in vitā æternam istis nāque cibis vegetatis patet vita æterna. Serui igitur peccati istis sublimibus cibis, permāsuris in vitam æternā non alūtur, sed temporalibus seculi delectationibus, mox defecturis, In Leuitico. c. 11. mirabilē Dei curā legimus in discretione ciborū. Namque maximū iubebat dilectū habendū circa animaliū esum. Quædam enim animalia permisit edēda Iudęis, alia vero prohibuit. Et in omni animaliū genere hūc delectū habendū iubebat, siue in animalibus terrestribus, siue in volucribus aeris, siue in aquatilib⁹. Quocirca animalia terrestria indiuisis vngulis, aut nō ruminātia immūda docet esse habēda. Ideoq; à camelo, & sue abstinendū Iudæis tūc præcepit. Rursus à miluorū item, aquilarū, accipitrum, & aliorum hoc genus esu, itidem voluit abstinendum, vt à piscibus non pinnulatis, & non scamatis. ¶ At vero, nihil horum si ederetur tūc ex se coinquinabat mentē comedentis. Matt. 15. Nō quod intrat per os, coinquinat hominē, sed quod exit de corde. ¶ Porrò cibi immundi reputabantur propter mysticas rationes, quas

Sub animalibus immūdis prohibentur mores.

adum-

adūbrabant animalia hæc. Enim vero, in camelo superbia denotabatur, ex tumore, quē in dorso gestat, & in sue luxuria, quia immundo cæno obuolutatur. In aquila vero, accipitre, atque miluo, quæ aues rapaces sunt, rapina denotatur. In piscibus vero nō squamatis, mollities: pisces namque huiusmodi molliſsimi sunt, vt mugiles, & pollipus, &c. Prohibens igitur Dominus supradicta animalia ne Iudæi ex illis vescerentur, admonitos nos voluit, vt non sit cibus animæ nostræ, vel superbia, vel luxuria, vel rapina, vel mollities mentis: & ita de reliquis vicijs, quæ sub typo horum animalium, vel aliorum consimilium adumbrantur.

¶Serui igitur peccati, quippequi huiusmodi vescuntur, vilisimis vescuntur cibarijs, vt conditionem vilem suæ seruitutis custodiant. Vt ille prodigus filius, qui relicto filiationis honore seruum se constituit peccati, siliquis porcorum nutriebatur, quousque aduertens suæ seruitutis vilitatem, in paternam domum regreditur, vt adepta paterna, quam amiserat gratia, delicatioribus cibis iam nutriretur.

3. conditio seruorum.

¶At vero quam vilia sint horum seruorum ministeria, quibus obeundis se adigunt. Si cupimus scire audiamus Dauidē dicentem, Psal. 32. De præparato habitaculo suo respexit Deus, super filios hominū, vt videat si est intelligēs, aut requirēs Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et de istis filijs hominū alibi inquit filij hominū vsquequo graui corde. Quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Ēn tibi filiorum hominum studia, & filij hominum, non alij vocantur modo, quam serui peccati. Horum igitur studium est diligere vanitatē, & quærere mendacium, non requirere Deum, sed proprias sectari voluptates: vt filiorum Dei diuersa sunt studia, scilicet, odio habere vanitatem, & veritatem diligere, & mendacium respuere. Vnde hoc. Vtique quia serui sunt iustitiæ euangelicæ: in cunctis enim obediunt euangelio. At vero filij hominum, quia serui sunt peccati, ideo peccata sectantur, & eisdem patrādis studeant: ideo abominabiles sunt in studijs suis. Psal. 13.

Variasunt studia seruorum peccati, & seruorum Dei.

¶Est sanè abominabile studere superbię, & fratrem despicere, quem creauit Deus ad imaginem suam, & redemit Deus sanguine suo. Est sane abominabile studere auaritiæ, & pluris facere pecuniam tuam, quam fratrem tuum, quem ne exhaurias marsupium fame perire sinis. Ita tu de reliquis seruorum peccati, studijs differere poteris.

¶Quod autem viriliter tractentur isti serui peccati, manifestat euāgelica doctrina. Ligatis, ait, manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Quāuis enim dum huius vitæ delabitur cursus, serui peccati honorifice à Deo sæpè tractentur, filios, inquit enutriui, & exaltaui, & ipsi spreuerunt me. Cæterum hoc peracto vitæ cursu, non honorifice, sed pro sua vili, quam amarunt peccati seruitute à Deo viliter tractabuntur, dicente eis. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: Namque dignū satis est, siquidem diabolus fuit primus peccati seruus, testante euangelio. Ioā. 8. Ille erat homicida ab initio, vt omnes, serui peccati, societatem teneant cum primo seruo peccati: vt qualem principem elegerunt, quem in culpis sequerentur, talem quoque in suppliciorum societate imitentur.

4. conditio. Matthæ. 22. Esaiæ. 1. Matthæ. 25.

¶Porrò quam inutilia sint horum seruorum opera me tacente scriptura clamat. Telas araneæ texuerunt. Telæ eorum nō erunt in vestimentum, neque operiantur operibus suis. Opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum, Esai. 59. En tibi quam inutilis est hæc seruitus peccati. Confertur enim telis aranearum. Telæ autem aranearum, sunt inutilis texturæ. Quippe ex huiusmodi telis vestimenta fieri nequeunt, nā minimo negotio soluuntur. Neque solum seruitus peccati est inutilis, sed opera, quæ sub ipsa fiunt, quamlibet fingas ea esse præclarissima ipsa seruitus peccati efficit illa quoad meritum condigni inutilia. Tametsi opera præstare bona sub peccati seruitute nō est inutile, imo quādo necesse est. Seruitus enim peccati non tollit obligationem ad opera præstanda, quæ sunt in præceptis vt præstentur, vt sunt eleemosyna, ieiunium quando ad illa exhibenda præceptum vrget, vt neque tollit eadē præstare, quando in consilijs sunt. Enerūat tamē ea peccati seruitus, vt nō fruantur vi merēdi

5. conditio. Seruitus peccati facit opera bona inutilia quo ad meritum.

secundum condignitatem, quam habuissent si seruitus abesset peccati.

Seruitus peccati eneruat opera bona ne promereã tur vitã æternam.

¶Seruitus adhęc peccati nociua est tamet si eius nocumentũ tantisperdũ viuitur nõ sentiatur: sentietur tamen tandẽ, sub ipso Dei iudicio. Ideoq; ab Esaię loco prænotato, ouis aspidũ confertur hæc peccati seruitus. Oua, inquit, aspidũ ruperũt. Sane in ouo aspidis latẽs virus non est conspicuũ, quãdiu non frãgitur, fractũ tamen aspidis venenũ ostendit. In quã sanerationem dũ viuitur sub peccati seruitute venenũ seruitutis huius latet: quia peccati dãnatio non dũ constat: at vero fracta vita, ipsa seruitus peccati pariet aspidẽ, quam occultabat.

¶Porrò, quamuis ipsa sit admodũ noxia, opera bona, quæ sub ipsa exhibent peccatores, nõ sunt noxia, sed non nihil habent vtilitatis: qualia sunt ieiunia, preces, eleemosynę, quę interim peccatores exhibẽt.

¶Rursus liber diuinæ sapientiæ cap. 5. demonstrat noxiã esse hanc peccati seruitutem, & inutilem seruis peccati. Lassati ait, sub persona seruorũ sumus in via iniquitatis, & perditionis: & ambulauimus vias difficiles, viã autem Dñi ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? Aut diuitiarum iactantia quid cõtulit nobis? Vtique quandiu viuũt serui isti peccati in superbia sua confidebãt, & in diuitijs suis collocabant spem suã. Quia sapiẽtiæ. 4. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. Hoc est, seculi fallacia, & nugacitas sensibiliũ bonorum imponit istis peccatoribus, ne vera bona, quę sunt ęterna bona intelligant. At vero post mortẽ corporis, quando anima ipsa à ponere corporis liberabitur, tũc oculos, quos clauserat culpa, aperiet pœna. Et aduertẽt peccatores suã fascinationẽ: & clare videbunt, se fidisse in nihilũ. Esa. 59. Cõfidũt in nihilũ & loquuntur vanitatẽ. Seruitus autẽ iustitiæ lõge diuerso se habet modo. Opera enim, quæ alioqui exigui momẽti erant, adeò exaltat vt dignificet ea ad meritum vitæ ęternæ. Nimirũ exigui est momenti opus, calicẽ aquæ frigidæ exhibere sitienti, at verò, si ab hac iustitiæ seruitute procedat, pondus habet vitæ æternæ.

Matthæi. 10.

6. conditio.

¶Erat conditio seruitutis sexta, arcere seruum à familiaritate Dñi sui, quod si seruitus ciuilis arcet, multo magis peccati seruitus. Vnde Paulus. 2. Cor. 6. Quæ participatio iustitiæ cũ iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem cõuentio Christi ad Belial? Nulla igitur familiaritas seruorũ peccati, qui tenebris seruiunt, & iniquitatem colunt, ad Christum, qui est lux, & sanctitatis autor. Quondã tentauit ex istis seruis peccati quidã familiaritatem hanc in Dño suo habere ingerẽs se in conuiuiũ nuptiale cælestis sponsi, suo hoc tentauit dãno. Siquidem Dñs eum à familiaritate iussit ignominiosẽ repellendum, quia nõ erat exornatus veste decora, quã tantum poscebat pro sua dignitate conuiuiũ. Dixit ergo rex ministris, ligatis manibus, & pedibus eius, mittite enim in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Matth. 22.

¶Et obserua nõ solum hũc peccati seruũ, passum fuisse repulsam à conuiuij familiaritate, sed pœnas grauissimas dedisse, quia indignũ se fecit tanto cõuiuio. Serui autẽ ciuiliter, & si repellãtur à dominorũ familiaritate, at non ob hoc exoluũt pœnas: secus in peccati seruitute. Tãta enim est, benignitas Dei, vt velit omnes saluos fieri, & ideo indigne fert eos, qui familiaritatẽ diuinam negligunt, ideoque eos acerrime puniendos decreuit.

Deus punit eos qui se indignos præbent ad diuinam familiaritatem obtinendam.

¶Septima erat seruitutis conditio, quod ipsa dehonestat habentem, quia contumeliosa est serui appellatio. Omnes nãq; ingenuitatẽ amant, & seruitutẽ maximè refugiunt. Vnde vt libertas seruetur incolumis, bella conserũt durissima mortales: & omnia pati mala, etiã mortẽ ipsam æquum esse existimãt, ne in seruitutẽ aliorũ hominũ redigãtur. Et causa quidẽ est, quia creatus est homo ingenuus, & nullius hominis aut angeli, sed solius Dei seruus. Qua propter libertatẽ vt hominibus natiuã, maximopere cupiunt homines. Neq; homines solũ, sed & bestię, & cęli aues, si illos enim caueis incluseris, aut si illas ligaueris, aut stabulo cõieceris mirũ est visu, quãgestiãt: vt vincula soluãt, & carcerẽ euadant. Peccatores vero libertatis huius illecebra delusi, se subdunt peccato, & tunc maiori tenẽtur seruitute, quam si suam captiuarent libertatem in obsequium Christi: vt serui Dei faciunt. Quorum ob hoc nomẽ est honorabile corã Deo nomẽ, quia cum liberi essent ad peccandũ, se seruos nihilominus fecerunt iustitiæ. Seruorum vero peccati, vituperabile est nomẽ coram Deo. Nam nomen impiorum delebitur. Eccles. 41. & in Prouerbio. 10. Nomen impiorum putre-

Nomina peccatorum Deo sunt vituperabilia.

putrescet. Vt enim iusti, qui iustitiæ diuinæ seruiunt, in memoria æterna erunt coram Deo, ità iniusti, qui iniustitiæ deseruiũt, erũt in æterna obliuione, quia Deus damnatorum nunquam miserebitur: ideo Hieremi. 17. Recedentes à te in terra scribentur, vt significet, ita eos habendos in obliuione, vt literæ quæ terræ mandantur quæ à vento continuo delentur.

¶ Deus autem nihil obliuiscitur, omnia namque sunt Deo quam præsentissima. Veruntamen obliuiscidicitur ea, quę non amat, vt memorari ea, quæ diligit.

¶ Sunt autẽ varia nomina horum, qui iniustitiæ seruiunt, quidam enim vocantur auari, alij superbi, alij adulteri: & hoc genus alia innumera peccatorum sunt nomina. Deus autem hæc odio habet nomina: fumet nãque pœnas acerbissimas, de peccatoribus omnibus: ideo vituperabilia sunt hæc nomina coram Deo. Vt contra sanctorum nomina, Deo sunt quã gratissima, vocantur enim iusti, misericordes, casti, beneuoli, grati & alia hoc genus nomina, quæ vniuersa Deus impendio amat.

¶ Grauissimam igitur si dixeris esse peccati seruitutem, terreumque esse peccati iugum, nihil errabis: leuissimamque esse iustitiæ seruitutem, & suauissimam, si affirmaueris, certam sententiam pronuntiabis. Vtraque tamen seruitus, quod intrinsecus continet, in hoc seculo non propalat, sed in venturo propalabit. Diximus enim venenum seruitutis peccati, non demonstrari iniustismodo, quantum sit, donec mors frangat corpuscula ipsorum. Etenim venenum hoc non est sensibile venenum, sed spirituale venenum. Ideo post mortẽ corporis, quando anima obtinebit statum spirituales substantiæ, quia exuta erit tunc à corpore, ideò tunc sentiet venenum hoc spirituale, quantum sit. Simili modo, quãta sit salus, in seruitute diuina, quantusque in ea condatur thesaurus, non patet modo, iustis ob eandem causam. Quippe hæc spiritualia cognoscere, ad statũ spiritualem animarũ spectat. Post mortem igitur corporis hæc clare cognoscẽtur, quæ modo sub vmbra fidei, vtcunque iudicantur. Quo circa scite admonuit apostolus. 2. Cor. 4. Habemus thesaurum istum abscõditum in vasis fictilibus. Frangentur sane lagenæ istæ corporũ nostrorum à morte, & tunc lucebit thesaurus reconditus sub diuina hac seruitute, vt accidit militibus Gedeonis. Vnde ad Colo. 3. vita vestra in Christo. Nunc quidem abscondita est: at vero tunc patefiet quando creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem filiorũ Dei. ad Roma. 8. Seruitus enim diuina liberabit iustos, à seruitute corruptionis. Est autẽ hæc seruitus, quòd omnes morimur, & sicut aqua dilabimur super terram. Hanc autem corruptionis seruitutem, contraximus ex seruitute iniustitiæ. Quippe primus parens, quia peccato se subiecit, audiuit contra se sententiam iudicantis Dei, Puluis es, & in puluerem reuerteris.

Iudi. 7.

¶ Porrò si vita iustorum abscondita est à iustis, qui dicere ausi sunt ex Theologis quidam iustis constare posse se esse in gratia, & charitate Dei, secundum communem cursum diuinæ operationis. Vtique si constaret, vita iustorum in præsenti seculo non esset abscondita in Christo, neque thesaurus diuinus esset iustis absconditus reclamãte Paulo. Neque est dicere, alijs, non tamen habentibus esse absconditum: namque si ita esset qua ratione diceret Paulus vitam iustorũ esse absconditam in Christo, & idẽ saperet de thesauro?

Secundum cõmunẽ cursum diuinæ operationis nullus scit se esse Deo gratum.

¶ Octauum autẽ quod proposuimus esse seruorum, non est difficilis indagationis in seruitute spirituali, si obseruamus in exordio nascentis mundi, Deum angelos condidisse. At vero quos seruos inuenit se fecisse peccati, vt diabolum Luciferum, & angelos eius, à domo sua repulit, & in barathrum coniecit. Cælum enim domus Dei est, & tam sancta est domus hæc, vt continuo immundos angelos à se proiecerit: vt verum sit, seruus non manet in domo in æternum. Quandiu enim angeli isti Deo grati fuerunt, in domo Dei subsistebant: at vero postquam se fecerunt seruos peccati proiecti sunt à domo Dei cælesti.

Cælum Dei domus, & habitatio nõ ferens iniquitatem.

¶ Et si ad inferiora oculos deijcimus, non abhorret ab hoc, quod Dominus eiecit primos parẽtes: à paradiso terrestri. Erat nam que paradisus ille terrena quædã domus, Deo consecrata, ab ipso Deo sibi dicata vbi homo, quem formauerat, cõditori gratias ageret, ideoque erat quam sacerrima Dei habitatio, Quam simul atque primi violarunt parentes, se subdentes peccati

Mors reteget venenum peccati peccatoribus & salutẽ iustitię, iustis.

seruituti, sunt ab ea cum contumelia electi: quia seruus peccati, non manere potest in domo Dei in æternum.

¶ Quod si dixeris, Quid ergo nonne ecclesia multos cõtinet seruos peccati? Vtique multos: at vero Ecclesia etiã est domꝰ Dei, & habitatio eius. Respõdetur Ecclesiã nõ iudicare de occultis, sed de sibi manifestis per legitimã probationem. Continet ergo plærosque multos, peccati seruos, & hos tolerat, quia reputat non esse peccati seruos, quandiu hæc seruitus ecclesiam latet. Enim vero quilibet præsumitur innocens, dum non probatur nocens. Peccatorum enim priuatorum iudicium Deo reseruatur, qui solus nouit abyssi profunda, & scrutatur cor hominis, & renes eius intuetur. Hæreticos autem etiam occultos, modo non sint solum mentales, Ecclesia non fert, sed eos proijcit à domo Dei: eos namque excõmunicat. Excõmunicatio autem est quædam electio seruorum peccati à domo Dei quæ est ecclesia. Sunt nã qua hæretici serui peccati pestilentissimi, & nocentissimi: nã hæresis, vt cancer serpit. Propterea in hos, vt in seruos maxime noxios, ecclesia animaduertit eos eijciendo à seipsa per censuram excõmunicationis. In alios vero seruos peccati, si etiam noxij sint, vt sunt quando peccata eorum fætent valde, & malo exẽplo alios inficiunt, etiam vtitur eodem electionis ab ecclesia remedio. De qua re nos plura in. 4. senten. tradidimus, ideo parcendũ est modo abundantiori horum tractatui.

Ecclesia tolerat seruos peccati.

Quid sit excõmunicatio.

¶ *Omnis qui facit peccatũ. &c.* Tria esse peccatorum genera probatissimum est theologis. Est enim originale peccatum, mortale, & veniale. At vero non tot sunt seruitutes peccati, sed duæ duntaxat. Est nãque seruitus peccati originalis culpa, at verò hæc seruitus est habitualis dũtaxat seruitus. Non enim hæc seruitus ex propria habentis voluntate dimanat, sed ex origine propagatur. Peccati autem mortalis seruitus est actualis seruitus. Quod si dixeris, Pueri non faciunt peccatum, qua ergo ratione sunt serui peccati. At eodem modo sunt peccati serui, quomodo peccant. Peccant autem habitualiter, & hoc modo habitualem tantum habent peccati seruitutem. Et equidẽ inficiari nequimus hãc seruitutem: non possunt enim pueri videre regnum Dei, nisi lustrentur regenerato rio lauacro. Porro mortale peccatum, est actualis seruitus quippe propria autoris contrahitur voluntate. Veniale vero peccatum, non est seruitus peccati, quandoquidem si seruitus esset, serui iustitiæ essent serui peccati, id quod est implicatio contradictionis: siquidem serui iustitiæ, siue Dei amici peccata venialia habent, sine quibus vita hæc mortalis duci non potest. Cæterũ quale est peccatum talis erit seruitus. Cum ergo veniale peccatum leuis sit culpa, leuis erit seruitus peccati huius: si quis contenderit venialia nonnihil habere seruitutis, siquidem non permittitur cælestis regni participatio, quando venialis culpa non expiatur, non erit inepta contentio. Grauissima autem seruitus est ex mortali culpa, quam in grauitate sequitur originalis seruitus. Hæ namque seruitutes, nos æterno priuant Dei amicitia nisi mundentur.

Originale peccatum est seruitus habitualis peccati.

Quale est peccatũ talis est seruitus.

¶ At vero peccati venialis, leuissima est seruitus, quæ nos non orbat Dei amicitia. Vnde Theologis venialis culpa, est secundum quid non simpliciter culpa: & talis etiam erit seruitus huius peccati secũdum quid non simpliciter seruitus.

¶ Porro autem omnes istę seruitutes egẽt Christo liberante: solus enim ipse poterit nos asserere à seruitutibus istis. Quo circa ait ipse, si filius vos liberauerit verè liberi eritis. Ioan. 8. Hanc enim Christus veram putat libertatẽ, liberos nos esse à peccati seruitute. Vnde per lauacrum baptismale nos liberat à seruitute originalis peccati vt per pœnitentiam à seruitute mortalis peccati. A seruitute vero venialis si eã velis vocare seruitutẽ modo suprascripto liberat, etiam per pœnitentiam vel formalem, vel virtualẽ, quæ est diuini amoris operatio ex charitate procedens: vt in 4. senten. abunde diximus.

Omnis seruitus peccati eget Christo liberante.

¶ Hanc donaturus libertatem Christus in mundum venit, & duxit operæpretiũ esse sanguinem suum fundere. Ob hanc ipse legitimo vocatur nomine redemptor orbis: siquidem redemptio, est captiuorũ in libertatem assertio. Eramus autem pressi iugo captiuitatis diabolicæ, & huius cõstricti seruitute tenebamur, & duabus noxis succũbebamus, & quod latebat nos tã misera seruitus, & quod illam decutere à nobis post cognitam nequibamus. Accessit vero Christus, & illam docuit, & nobis demon-

Christus cur magister, & vniuersi redẽptor.

demonstrauit, ex illa nos esse illaqueatos: vnde ob hoc magister vocatur orbis. Et non solum illam docuit nos, sed ab eadem suo sanguine nos eripuit: quia venit saluũ facere quod perierat: vnde redemptoris vniuersalis nomenclatione rectissimè potitur. *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati. &c.* Dicet aliquis, si omnis qui facit peccatum seruus est peccati, igitur qui nõ facit, sed patitur peccatum, nõ erit seruus peccati. Exempli causa, mulier, quæ pàtitur adulterium, aut alij, qui cogũtur ad peccandum, qui potius patiuntur peccatum, quam faciant. Ecquid obmurmuratores, & contumelioſi non faciunt peccatum, quippe sermo non est factum, vt neque cogitatio, igitur neque cogitantes mala erunt serui peccati, siquidem isti non faciunt malum, aut peccatum.

¶ Ad hæc cum peccatum sit nihil, vt August. est autor, qui fiet obsecro, seruum habere, quod nihil est.

¶ Porrò autem qui patitur peccatum, aut omnino patitur inuitus, & tunc sanè peccatum non facit, sed solum violenter patitur: siquidem violentum est, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim. Si verò passum hoc vult, quod patitur, vtique etiamsi patiatur peccatum passio est voluntaria, & volendo passionẽ, fit passio culpabilis: vt martyrij passio redditur meritoria, quia martyri est grata. Et quia amatur martyrium fit meritũ bonum æternæ coronæ: & quia amatur stuprum, fit meritum malum æterni supplicij. Hoc igitur est facere peccatum, peccato consentire: quo fit, vt siue consensu, siue loquela, peccetur, peccatum fit. Quãuis enim consensus & sermo, distinguantur à facto, at male loquens, aut male consentiens peccatum facit, tametsi peccatũ hoc non ex facto, sed ex consensu, vel verbo censetur. Omnis ergo qui facit peccatum, vel ex facto malo, vel ex consensu, vel ex verbo seruus, est peccati. Imò facta, vel verba mala alioqui si cõsensus verus, vel interpretatiuus abest, nõ faciunt nos seruos peccati. Qui enim non consentit, peccatum nõ facit. Quod verò peccatum nihil est, magis deturpat peccatores, quia nihilo, seu vanitati seruiunt. Nisi velis per peccatum in secundo loco intelligere diabolum nõ diabolo peccatores seruiũt. Iam verò si peccati seruitus ea est, quæ hactenus est à me descripta, videlicet, si abiectissima & vilissima est, si hominẽ vilissimis occupat, si noxia est nedũ inutilis. Si contumelioſa est, & vituperabilis, si indignos nos diuina facit familiaritate, si digna, quæ repellatur à domo Dei, quia Deus liberos domi tenet non peccati seruos, liberos, inquam, à peccato, seu rectius liberatos à peccato, & seruos factos Dei, qui habent fructum in sanctificationem. Quod si seruitus hęc tot grauatur damnis, non est cur illam appetamus, sed potius est cur illam summopere fugiamus, & cõtrariam huius seruitutis impensissimè expetamus, quæ est libertas à peccato. Sanè nullus est captiuorum, qui absentem non expetat libertatem, & præsentem nõ amplexetur. Cum ergo iam nobis sit libertas à peccato præsens, per Christum qui illam hominibus comparauit sanguine suo cur libertatem hanc non auiditsimè, amplexabimur? Quondam erat absens hæc libertas, idcirco summo desiderio desiderabatur, vt præsens fieret. Vnde dicebat ille, In ẽde animæ meæ, & libera eam propter inimicos meos. Psal. 7. Et istud erat commune sanctorum votum ante Christi aduentum, vt Christus liberator adesset. Modo autem adest liberator, à teterrima peccati captiuitate. Incertissimi igitur, & nostræ libertatis obliuioſi erimus. Si hanc summo studio non curamus habere.

¶ Parta equidem est hæc libertas in Christo, qui est redemptio nostra: at si desides fumus perinde proderit hæc libertas, ac si non fuisset: quia vigilantibus, & non dormientibus iura subueniunt. At verò, scio obijciet mihi aliquis, quomodo liberatos nos esse à peccati seruitute Paulus affirmat, qui se captiuũ esse clamat, ad Rom. 7. dicens se venundatum esse peccato, & se sentire legem in membris suis repugnãtem legi mentis suæ. Et rursus, quis me liberabit de corpore mortis huius, & ad Roman. 8. omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc, & paulò infrà sed nos ipsi, intra nos gemimus, redemptionem filiorum expectantes: si expectamus redemptionem, vbi quæso libertas?

¶ Porrò inconcussæ fidei est veritas, adeptam esse hominibus libertatem à peccato per Iesum Christum. Namque Petrus 2. Petr. 1. ait, Non corruptibilibus auro, & argento nos esse redemptos à vana nostra con-

Ad Roma. 6.

Christus contulit hominibus libertatem à seruitute peccati.

Testimonia quę videntur sibi diffidere.

Diabolus est peccatũ dicitur quia primus peccati autor.

conuersatione, ideſt, à peccatis noſtris, ſed precioſo ſanguine immaculati agni Chriſti. Et ad Galat. 4. Qua libertate Chriſtus nos liberauit. Namque liberando nos à iugo legis Moſaicæ, nos etiam liberat à peccatis, vnde Eccleſiaſt. 47. Ab omnibus peccatis liberauit eos. Verum, vt dicebam, liberat à peccato, non omnes, ſed ſolum rectè diſpoſitos, ad hoc vt libertate fruantur. Namque ſacramenta, quæ ſunt huius libertatis cõciliandæ inſtrumẽta exigunt congruentem diſpoſitionem in ſuſcipientibus, vt fructuoſa ſint: ſingula tamen pro ſua ratione. Namq; baptiſmus minorem poſcit in ſuſcipiente diſpoſitionem, quam pœnitentia. Porrò autẽ eſt obſeruandum hanc libertatem ab hac ſeruitute gradus habere, quibus diſtinguitur: paulatim enim ſerui Dei in hac proficiunt libertate. Profectum autem hunc vt rectè teneas memorare primam hominis captiuitatem, fuiſſe crimen quod admiſit contra Deum, Tranſgrediens Dei mandatum protoplaſtus. Et ex hac tranſgreſſione ſubiecit ſe culpæ mortiferæ, à qua non ſe potuit explicare, niſi diuina opera adiuuante. Ex hac autem prima captiuitate ſecuta eſt alia pœnæ captiuitas. Ait enim Deus in quacunque hora comederis morte morieris. Mors namque corporis conſequitur culpam. Stipendia enim peccati mors. Eſt enim ſubiectio ad pœnam captiuitas quædam. Et non ſolum mors corporis fuit conſecuta, ſed alia longe peior captiuitas eſt conſecuta, ſcilicet, obligatio ad æterna ſupplicia ferenda.

Sacramenta ſunt libertatis à peccato conciliandæ inſtrumenta

¶ Quia tamen ex culpæ captiuitate relictus fuit homo corruptioni ferendæ ſuæ naturæ ſublato beneficio originalis iuſtitiæ, ideò cõſecuta inclinatio etiam eſt ad peccatum. Et caro & ſpiritus, concupiſcẽtiaue, & ratio recta, manſerunt diſidentes adeò, vt caro concupiſcat contra ſpiritum, & ſpiritus cõtra carnis ſenſualitatẽ.

¶ Ex culpæ igitur captiuitate iſtæ fuerũt conſequiæ captiuitates memoratæ. Chriſtus ergo harum captiuitatum captiuator, & libertatis humanæ ſpiritualis aſſertor. Ante omnia per ſacramẽta ſua eripit nos à captiuitatibus nocentioribus. Enimuerò eripit nos à culpis, & à pœna æterna. Hæc namque eſt maxima, & lugenda in primis captiuitas. Quæ nos tenet captiuos diaboli.

¶ Prima proinde libertas eſt reſtaurare nos, in gratiam & amicitiam Dei. Porrò, relinquitur etiamnum corpus captiuum temporalis mortis, relinquimur etiam ſecundum quid captiui, quãtum ad pugnã, quam patimur, & rebellionẽ noſtræ ſenſualitatis, quam Paulus ægrè ferens aiebat, Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod odio malum. Has namque captiuitates nobis reliquit Deus, vt eſſent nobis ad ſpiritualem profectum. Pugiles namque ſtrenui ſi euaſerimus fulgidis ditabimur coronis. Vt ergo nobis ſint materia virtutis exercendæ, ideò iſtis pœnalitatibus nos ſubiecit, aut potius dimiſit ſubiectos Deus.

Prima libertas eſt à peccato cõſequitur libertas ſecunda à pœna æterna peccato mortali connexa.

¶ Equidem ſi baptiſmus, nos redderet immortales, & expiando captiuitatem culpæ, profligaret mortalitatem, fidei non eſſet locus: quia euidens eſſet baptiſmum eſſe rem diuinam, quæ homines reddebat immortales. Quapropter, vt eſſet locus virtutibus varijs, iſtæ pœnalitates ſuperſtites ſunt, quæ ſecundum quid captiuitates ſunt ex peccato procedentes.

¶ Propter haſce igitur Paulus ſe venunda tum peccato fatetur & replicat dicens, ſe eſſe infœlicem, &c. Et ingemiſcit expectans donec veniat filiorum Dei redẽptio in die nouiſsimo, hoc eſt libertas plena ab iſtis captiuitatibus. Dum ergo viatores ſumus, plena libertate non fruimur, ſed ſemiplena. Eſt enim plena libertas, quæ nos liberat, à culpa omni, & pœna vniuerſa: qua ſanè potiuntur beati: ſiquidem animæ beatæ, nihil habent, aut habere poſſunt culpæ, aut pœnæ: nullo namque vrgentur malo, neque bono priuantur. Neque enim deſiderium reſumendorum corporum, eas vexat, aut pœnale eſt illis deſiderium hoc neque retardat eas à gloria eſſentiali, maiori fruenda. Siquidem ea reſumere ſolum habent in votis, quando Deus iudicauerit opportunum tempus eſſe reſumendis corporibus, vt in. 4. diſtin. 49. nos opulentius deſeruimus. Cæterũ, quanuis gloria eſſentialis ipſarũ iam perfecta eſt, neque incrementa ſuſcipere valeat, gloriam tamen accidentariam augebunt reſumptis corporibus beatis, & tum nihil illis deerit ad conſummationem ſuę beatitudinis.

Deſiderium corporũ non minuit eſſentialẽ gloriã.

¶ Quamobrem reſurrectionem ſanctorũ Paulus vocat redemptionem ad Rom. 8.

& Do-

& Dominus, Lucæ. 21. scitote, quia appropinquat redemptio vestra. Tunc enim prorsus soluetur tota captiuitas. Animæ quidem soluta est iam adepta essentiali beatitudine. At corporis, quod adhuc tenetur sub mortis captiuitate, quia in puluere iacent corpora sanctorum, id temporis soluetur captiuitas, quando surrexerit incorruptum, & summa claritate donatũ. Sub resurrectione iustorũ plenissima redẽptio, atque libertas.

¶ Liberat igitur Christus fideles suos, à captiuitate animæ, quæ est captiuitas culpę, donans illis per sua sacramenta gratiã, & abluens eorum crimina. Liberabit etiã captiuitatem corporis, non modo, sed in die nouissimo. Excitabit enim tunc corpora sanctorum ad summam eorum gloriam. Quod si dixeris, iusti semper sunt peccato subiecti, quia subduntur fomiti: respondetur fomitem nõ esse propriè peccatum iuxta doctrinã Concilij Trident. ideò etiamsi vrgeantur iusti fomite, non proinde captiui sunt peccati simpliciter, sed solum secundum quid: siquidem fomes ex originali peccato quod est verè peccatum originem trahit: est namq; pœna consequens primitiuam culpam.

Animæ purgatorij non vrgentur fomite contra Lutherum.

¶ Porrò animæ iustorum fomitem exuũt simulatque corpora deponunt, etiãsi quædam earum non statim coronentur. Quippe animæ, quas lustrat purgatorius ignis, non vrgentur fomite, vt malè docuit Lutherus. Etenim iã non incitantur ad peccatum, quæ peccare non possunt, vt neque mereri. Idcircò animæ istæ, etiamsi captiuæ tenentur ex pœna peccati temporali, non tamẽ captiuæ sunt ex aliqua culpa, vel fomite ad culpam.

¶ Ista omnia si libratè penderis, videbis protinus quam vani sunt sensus hæreticorum huius æui credentium libertatem fidelium concessam à Christo, non solum esse libertatem à culpis, & pœnis, sed etiã esse libertatem ab obediẽtia prælatorum Ecclesiæ. Enimuerò obedire inlicitis, honestis, & expedientibus, non est peccatum, sed virtutis opus. Quid ergo Christus nos liberat à virtute? Absit imò nos subdit omnium virtutum necessariarum studio. Et obedientia non est virtutum minima, quapropter absit, vt cum istis de sipiamus fidem Christi nos liberasse ab obedientia nostrorum superiorum.

Libertas christiana neminem liberat à virtutis studio.

¶ Christus ergo non ad hanc, quam isti putant libertatẽ vocat nos, sed vocat ad libertatẽ gratiæ peccatores omnes, vocat ad libertatem gloriæ iustos omnes. Quod si nos vocat, dicens, Venite ad me omnes, qui laborati, & egeni estis, & ego reficiã vos, cur nos obturabimus aures nostras? cur vocanti non morem geremus? Imò hodie si vocem eius audierimus non obduremus corda nostra. Vnde opus facto est, vt peccator se accingat ad pœnitentiam, per quam dimissa mala seruitute culpæ, bonam sibi conquirat gratiæ libertatem. Iustus verò, curet persistere in parta per gratiam Dei, & studium suum gratiæ libertate, quæ etsi imperfecta est libertas, quandiu, cum vicijs, & concupiscentijs conserenda sunt bella. At verò, parabit sibi in bonis perseuerando, perfectam filiorum Dei libertatem, quando exuens mortale corpus induet vestimentum vitæ æternæ. Matth. 11. Psalm. 94. Christus omnes vocat ad pileũ, ideſt, ad libertatẽ.

ENARRATIO PRIMA,
In caput nonum.

¶ *Et prætereiens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate.*

Capite proximo memoratũ est, Dominũ declinasse furorem Iudęorũ. Solus enim refertur exisse de tẽplo: vnde hoc miraculum fuit celebratum post quam Dominus de templo exiuit. Si autem continuo celebrauerit illud ab exitu, vel aliquando elapso tempore, non declaratur. Poterat autem fieri, vel hoc, vel illud. Nam quod quidam aiunt non fuisse continuo, ab exitu de tẽplo, quia Dominus exiuit solus de tẽplo, at discipuli modo referuntur esse cum Domino: vtique non obstat: poterat enim accidere discipulos mox ab exitu de templo, Domino astitisse. Verum quale qua le hoc fuerit incerta res est hæc. Expressit autem Ioãnes hunc cæcum, esse natiuũ cæcum, vt miraculi magnitudo, magis pateſcat. Quia cæcitatis natiuæ superat naturæ facultatem curatio, secus de cæcitate ab extrinseco, & non ex natura illata. Ferũt hunc cæcum fuisse sanctum Chelidoniũ martyrẽ qui sub persecutione Stephani protomartyris fuit exul à patria vna cum Lazaro fratre Mariæ & Marthæ, & Massiliam concesit cum eisdem. Lege Petrũ à Na-

à Natalibus. 1. libr. cap. 72. Porrò ad textũ Euangelicũ referamus stylum. *Et interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit: hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Hæc interrogatio videtur insinuare opinionẽ eorum, qui credunt, animas ob sua scelera fuisse delapsas in corpora, luituras in corporibus, vt in ergastulis mala, quæ ante copulationem corporum admiserunt: id quod Platoni tribuitur dogma.

¶ At verò discipuli cum ex piscatione ad apostolatum fuerint assumpti, non nouerant hæc Platonis dogmata, neq; illorum mentem subibant huiusmodi doctrinæ. Vnde videtur, non asserendo hanc propo fuisse interrogationem, sed dubitando, ad hanc rationem. Cum Christum enim vidissent intuentem cæcũ, rogitant, vel hæsitant, quæ fuerit cæco natiuæ cæcitatis causa? Enimuerò, vel causa fuisset quod ante natiuitatem peccasset: & hoc non, quia ante natiuitatem non poterat peccare. Vel causa fuisset parentum crimina: sed neque hoc, quia filius non portabit iniquitatem patris. Ideoque hæc duo proponunt, vel quod cæcus ipse peccauit, aut q parentes eius, non credendo tamen, vel vnum, vel alterum, vel ambo esse causam cæcitatis natiuæ: sed vt existis duob⁹ propositis à magistro veritatem quæstionis discant. Et hoc modo ferè Theophilactus locum hunc disserit. Nisi forte discipuli propter peccatum originale quæstionem hanc proposuerunt, quo ad membrũ primum, Nunquid peccauit, ideſt, peccatũ originale huius cæci fuit causa suæ cæcitatis? (hoc enim peccatum antequam homo nascatur contrahitur) aut peccatum actuale suorum parentũ. Enimuerò Exodi. 34. habetur, Qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus, in tertiam, & quartam progeniem. Forsan igitur discipuli apud se hoc cogitabant, mala omnia, quæ patiuntur homines, ex peccatorum malis meritis originem trahere. Cum vidissent ergo hominem cæcum à natiuitate, cæcitatem illam ex peccato descendisse credebant. Ideò exquirunt, ex quo peccato, originem illam traxisset. Et forte augebat eorum hæsitationẽ, quia Deut. 24. scriptum est. Non occidetis patres pro filijs, neque filios pro patribus. Et Ezech. 18. Filius nõ portabit iniquitatem patris. Est autem obseruandum, passionem pœnæ ob multas deriuari causas, & non esse solam culpam patientis. Est quidẽ quandoque causa culpæ reatus: vt Maria soror Moysi, percussa fuit lepra, Nu. 12. ob culpam murmuris. Et Giezi ob symoniam. 4. Reg. 15. Verum non semper reatus culpæ, passionis malorum causa est: siquidẽ aliquando patiuntur iustissimi quique mala, vt Deus ostendat ex passionis tolerantia, quanta sit seruorum suorum virtus. vt Iob. 1. & Tobiæ. 12. legimus. Nonnunquam sustinent etiam iustissimi mala ad virtutis conseruationem: vt Paulus. 2. Corinth. 12. sustinuit angelum Satanæ ipsum collaphizantem, nã virtus Pauli, in infirmitate perficiebatur.

Causæ cur patimur mala.

Pati mala nõ semper est ob patientis culpam.

¶ Rursus hoc accedit ex diuini consilij dispensatione: vt Dominus noster Iesus Christus, passus est, cum esset sine vllo peccato, imò impeccabilis. At verò ex diuina dispensatione oportebat sic Christum pati & ita intrare in gloriam suam, Lucæ. 24.

¶ Præter hæc cæcus hic, cuius Euãgelium hoc meminit, passus est cæcitatem natiuam, ad Christi gloriam, & vt suam diuinitatem ex curatione miraculosa cæcitatis credentibus ostenderet.

¶ Veruntamen, quanuis sæpè accidat malorum passio, citra culpam patientium, vt dudum diebamus, nunquam tamen mala introducerentur in orbem, nisi peccatum ad fuisset protoplasti. Per vnum enim hominem, ait Paulus, peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors. Et quia secuta est mors ad peccatum, omnia etiã mala quæ hanc præcedunt, vel sequuntur ad peccatum tãquam ad principium sunt referenda: quia si peccatum non admitteret homo primus, expertes essemus omnium malorum. Et quanuis originale peccatum non fuit causa adæquata cæcitatis natiuæ commemorati cæci, quia multi nascuntur videntes, & cum infectione peccati originalis nascuntur nihilominus: at verò, est causa secundum negationẽ, quia si infectio culpæ primitiuæ non adfuisset, nullus nasceretur cæcus. Namque in paradiso si perstitissent homines, neque cæcitas, neque alia mala hominem vexarẽt. Quia tamen non est causa secundum affirmationem, ideò Dominus ait, Neque hic peccauit, neque parentes eius, vt cæcus nasceretur. Hoc est, non est causa affirmatiua

Rom. 16.

Peccatum primum quãuis remota est causa omniũ malorũ quæ patiuntur.

matiua cæcitatis huius, vel peccatũ huius cæci, aut parentum eius. Sed causa est, manifestatio meæ diuinitatis, propterea natus est cæcus. Porrò nulla est collisio inter locum Deut. 24. & locum Exod. 34. Lex enim Deut. 24. sanciuit, parentes, non esse occidendos pro filijs, neque contra. Et Ezechiel idem videtur decernere dicens, Anima quæ peccauerit ipsa morietur.

Conciliatio locorum sacrorum.

Quibus videtur obuiam ire Exodi locus prȩcitatus. Etenim de peccatis actualibus loquitur lex Deut. itẽque Ezechiel: non autẽ de originali culpa sermo est. Etenim propter vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors. Roman. 6. vnde ob peccatum primi parẽtis damnantur infantuli omnes, qui non lustrati aqua baptismali moriuntur, aut qui incircuncisi vita ante Christi aduentum defungebantur. Actuale enim peccatum nullum admiserunt, sed ex originali solum damnationis detrimentum æternum patiuntur. Verum est tamen, originale peccatum, esse habituale peccatum ipsorum puerorum. Et ideò propter prorium peccatum damnantur. Quia originale est infectio ipsius paruuli. Nisi quod hæc infectio, non fuit conciliata ex cõsensu infantulorum, sed ex parẽtibus contracta. Quod ergo in Exodo legimus Deum punire peccata parentum in filios. Intelle xit Augustinus quæst. ad Deute. 44. quando filij peccata parentum referunt. Tunc enim, vt sunt similes parentibus in peccatis item sunt similes in pœnis.

Peccatum originale est infectio habentis.

¶ Vnde, quod discipuli hæsitant modo, Nunquid hic peccauit, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? aut, vt Augustinus legit, An parẽtes ei? (nõ enim legit, aut, tamet si, ἢ, Græcis anceps, est, ad, aut, &, An:) si ad originale referas primum membrum sensus est, Nunquid originalis infectio ex qua iste fuit conceptus fuit causa quod cæcus nasceretur? Nasci enim hoc loco nõ conceptionem, sed exteriorem natiuitatẽ denotat. Secundi vero membri disiũctiuæ huius, hic est sensus. Nunquid parentum adulterium, aut incæstus, aut alias illegitimus concubitus in causa fuit, quod hic homo ex illo cõcubitu natus cæcus nasceretur? Et hoc idem videtur insinuari à Iudæis huic cæco natalium vitium exprobrantibus. In peccatis, inquiunt, totus natus es, & tu doces nos. De causa mali, nos alibi multa diximus in 1. Sentent. ideò supersedendum est hoc loco maiori disertioni: contendit Laurent. esse legendum, an, & non, aut, quia an hæsitantis est: sed, ἢ, anceps est, vt diximus. *Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed, Vt manifestentur opera Dei in illo.* Nõ docet Christus, vel cæcũ esse sine culpa, aut parẽtes eius, quia forte & ipse, & parentes peccatores erant, vt cæteri, sed hoc solum docet, neq; peccatum cæci fuisse causam cæcitatis, neque peccatum parentum cæci. Et hoc verum est, quia alij tum erant æque, aut magis peccatores, quam parentes huius cæci, qui non habebant filios cæcos, sed videntes. Et peccatum originale non erat causa præcisa cæcitatis, aliàs omnes homines nascerentur cæci, quia omnes sordidi sunt etiam ante natiuitatem suam originali sorde. Non ergo causa huius natiuę cæcitatis, erat peccatum habentis, aut parẽtum, sed manifestatio gloriæ Christi.

Theoph. etiã legit An, & non vt.

¶ Ab æterno igitur Deus disposuit, hunc nasciturum cæcũ, vt ipse Deus factus homo, illustrans cæcum hunc demonstraret se esse omnipotentem. *Vt manifestentur opera Dei.* Vsurpatur, vt, non vt significet causam sed euentum, vt Psal. 50. Vt iustificeris cum iudicaris, & sæpè alibi. Ita placuit Theophilact. mihi tamen magis arridet significari causam. At dices, solum manifestauit se esse illustratorem cæci, opus ergo vnum Dei manifestauit non opera. D. Irenæus libr. 5. istud retulit ad opera creationis. Manifestauit enim Christus se esse creatorem vniuersorum, scilicet, quia ex luto restauratvisum, quod tantundem erat acsi ex nihilo donaret visum. Lutum enim nõ donat, sed impedit visum. Vt ergo ex nihilo vniuersa condidit, ita ex nihilo nunc ex non potente videre, scilicet, cæco natiuo fecit clarissimè videntem. Sicut enim optimum fuit illud vinum quod miraculo fuit creatum in Cana Galilææ. Ioan. 4. ita etiam clarissimus fuit hic visus à Deo creatus: quia quę solum Deũ habent autorem, optima sunt quæque in suo genere. Nam vidit Deus vniuersa, quæ fecerat, & erant valde bona. ¶ Cæterum Christus non manifestauit omnem suam potentiam in sola illustratione huius cæci, sed vt huius cæci cæcitatem illuminare voluit, ad ostensionẽ suæ potentiæ, ità etiam paralysin illius qui

Vt, sæpè in scriptura nõ causam, sed euentum denotat.

Quæ Deus se solo facit optima facit.

Correctio Laurentij nostræ editionis vulgatæ non est certa.

qui.38.annos,illi ſuccubuerat,permiſit ad gloriam ſuam, & quod deficeret panis,& commeatus in deſerto.&c. Itaque mala, quæ ſecundum neceſsitatem naturalem, aut ſecundum noſtrã libertatem accidũt, vt eſt morbus, aut cæcitas, quæ ex indiſpoſitione materiæ, aut ex debilitate virtutis ſeminariæ accidunt, aut peccata quę ex noſtro prodeunt arbitrio. Vniuerſa denique mala, quæ natura, vel arbitrium noſtrum ſuppeditat, Deus rectificat ad gloriam ſuam. Imò etiam alia mala, quæ dicũtur naturæ errores,& contra intentionem naturæ, vt ſunt monſtra, non ſunt contra Dei intentionem, ſed vniuerſa continentur ſub certa Dei prouidentia, ad fines nobis aliquando ignotos, aliquando manifeſtatos à Deo. Quamobrem quod ait, vt manifeſtentur opera Dei in illo, ſignificat, in illo, cum alijs multis. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me donec dies eſt. Venit nox quando nemo poteſt operari, quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Chriſtus operabatur opera Dei, quia Deus erat ipſe,& idem cum patre ſecundum ſubſtãtiam diuinam. Et ideò operante Chriſto, idem operabatur pater. Opera namque Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Vnde illuminatio cæci erat opus patris, & idem opus erat Chriſti. Non ſic autem accipienda ſunt miracula ſanctorum. Enimuerò Petrus ſanabat,& Deus ſanabat. At ſanabat Deus efficienter donando ſanitatem. Petrus verò non efficiebat ſanitatem, illam producendo, ſed efficiebat precibus impetrando. Chriſtus verò efficiebat ſanitatẽ, vt Deus, quia Deus erat. Et ideò ait, Me oportet operari opera eius, qui miſit me, ſubaudi, patris. Hoc autem loco per opera, intelligere oportet miracula. Naturalia enim opera, natura operatur ſimulatq; Deus. Idem namque eſt opus naturæ, & Dei iuxta illud, opus naturæ eſt opus intelligentiæ. Verum non de iſtis operibus modo ſermo eſt. Hæc namque non demonſtrabant Chriſti diuinitatem, & ſapientiã, atque bonitatem, ſed de illis ſubaudire eſt neceſſe operibus, quæ naturæ facultatem tranſcendunt: quæ opera ſunt ſolius Dei opera. Hæc igitur eadem operabatur Chriſtus, ideò per illa manifeſtabat ſe eſſe Deum verum, & filium Dei veri. Hæc autem opera, quędam ſunt viſibilia, vt illuminatio cæci, ſuſcitatio mortuorũ & hoc genus alia. Alia inuiſibilia, vt illuminatio mentis per fidem, & ſuſcitatio eiuſdem per pœnitẽtiam,&c. Et hæc operatur Chriſtus donec dies eſt. Quia quanuis miracula viſibilia, iam non extent. At verò ſupernaturalia opera inuiſibilia ſemper operatur Chriſtus, donec dies eſt, ideſt, vſque ad conſummationem ſeculi. Semper enim Chriſtus per ſuos miniſtros illuminat fideles, & purgat eos à peccatis ſuis. At verò conſummato ſeculo, ceſſabunt huiuſmodi opera. Siquidem, iam tunc meritis non erit locus nouis. Vnuſquiſque enim recipiet, iuxta rationem factorum ſuorum. Donec dies eſt, eſt locus ſeminandi, quia dum curſus vitæ præſentis decurrit, operari poſſumus, quo finito, non eſt ſeminationi locus, ſed meſsioni. Quippe quæ quiſque ſeminauerit hæc & metet. Propterea igitur duratio ſeculi cõfertur diei, conſummatio verò nocti. Quippe ſicut dies eſt tempus negotijs aptum, at nox, ocia amat: ita quoque tanti ſperdum mundus durauerit, tempus eſt ac commodum meritis exercendis, at verò finito mundo, nullum erit meritum, vel bonum, vel malum. Vnde Eccleſiaſtes monet. capit.9. Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erit apud inferos, quo tu properas. *Quandiu ſum in mundo &c.* Chriſtus eſt vbiq; locorum ſecundum diuinitatem, at verò ſecundum humanitatem, in cælo reſidet clarè: in mundo vero eſt occultè ſub ſacramento ſynaxeos. Per fidem autem eſt in mundo, quatenus habitat in cordibus fidelium. Quandiu igitur eſt in mũdo, ſiue ſacramentaliter, ſiue per fidem, & charitatem fidelium, lux eſt mundi: illuminat enim fideles, in agendis & protegit eos, atque tutatur defendendo eos à peccatis. Durabit autem hæc exiſtentia Chriſti in mundo ſacramentalis, & per fidem, vſque ad mundi conſummationem. Nam conſummato ſeculo, ceſſabit hæc illuminatio, quia tum non erit neceſſaria fides, aut ſacramenta, aut ſacra ſcriptura. Quippe beati clara viſione cernent omnia quæ ad eos pertinent: damnati verò ſub perpetua caligine in ſuis peccatis deliteſcent. *Hoc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutũ ſuper oculos eius, & dixit ei.* Græcè, illeuit, pro liniuit.

Mala naturæ vel arbitrij noſtri Deus rectificat.

Chriſtus efficiebat miracula producẽdo effectũ miraculoſum. Sancti verò ſolũ impetrãdo.

Opera quæ naturæ facultatẽ ſuperant quędã ſunt viſibilia, alia intelligibilia, vel inuiſibilia.

Chriſtus eſt vbique quatenus Deus.

Ad salutem mentis interiorem ordinabat Christus miracula exteriora.

¶ Ex visibili operatione, quæ erat illuminatio cæci supra naturam, nos promouere studuit Christus, ad inuisibilem operationem intelligendam, quæ est illuminatio mentis. In cuius gratiam sensibilia miracula edebat Christus. Quapropter lutũ temperat ex terræ puluere, & ex saliua sua, vt inde concinnaret collyrium mirabile, illuminandis cæcis oculis. Vt etiam ex hac sensibili operatione, subindicaret, hominem formatum ex luto, reformandum etiam ex luto. Namque verbũ Dei, copulauit se nostro pulueri, quia puluis sumus, & in puluerem reuertendi. Et se faciens hominem, se fecit lutum, exinaniuit enim semetipsum faciẽs se mortalem, & infirmũ, & despectui obnoxium gratia nostri. Et tunc illinitur hoc lutum menti nostræ, quando per fidem, & charitatem Christus nobis hæret.

Sensus allegoricus.

¶ Fecit porrò lutum & illeuit supra oculos cæci, vt miraculi operatio manifestior esset. Etenim oculus obductus luto ineptior constituitur ad videndum. Contraria igitur visui, accepit in visus antidotũ, vt non naturæ viribus, sed diuinæ potestati cæci illuminatio attribueretur, *Vade lauain natatoria Siloe, quod interpretatur missus.*

κολυμβηθραν, piscinam natatoriam.

Cæco, inunctis iam ex luto oculis, præcepit Christus, vt eat ad fontem, qui vocabatur, Natatoria Siloe, vt ibi lauaret lutum inunctum, & continuo recipiat visum. Hoc Dominus ex diuina fecit industria, vt miraculi notitia irrefragabilius diffunderetur. Enimuerò multos erat necesse videre cæcum, oculis inunctis, petere Natatoria Siloe. Vnde postquam eum regredientem vidissent cum visu nõ erat locus dubitandi miraculi.

De Siloe natatorijs.

¶ Erat autem Siloe fons quidam, ex radice montis Sion scaturiens, & in exordio sui exortus appellabatur, Natatoria Siloe, dein progrediens per terræ concaua fons hic diuertit in piscinam ab eodem manantem fonte, quæ piscina vocabatur fons Siloe. Tandem fere ad finem huius fontis appellatur torrens Cedron, vt patet ex descriptione terræ sanctæ, per Bonauenturam, & Brocardum. Hieronymum verò secuta glossa Ordinaria, ait, fontem hunc non fuisse iugibus & perpetuis aquis, sed potius interruptis. Et per terrarum concaua, & antra saxi durissimi cum magno sonitu venire, affirmat. Sunt qui credant hunc fontẽ dictum Missi, quia potius imbuebatur, & exundabat ex aquis cœlestibus, quam ex propria vena. Et quia ex missis de cælo aquis turgebat, ideò dictus Missi. Iosephus quoque lib. 6. de Bello Iudaico. cap. 6. meminit huius fontis, tradens eum esse aquæ dulcis, & multæ. Hebraicè vocatur schiloah: Chaldaicè autem scilucha. Græci verò pro. Ψ. posuerunt. σ, & adiecto, μ, ad finem, dixere Siloam. Cuius mentio fit apud Esai. capitul. 8. Et. 2. Esdr. 3. de muris piscinæ Siloe, fit mentio.

Descriptio terræ sanctæ, per Bonauẽturam Brocardum.

¶ At dicit aliquis, Quomodo Dominus misit cæcum ad Siloam, cum esset cæcus, & eguisset ductore & tamen ductoris nõ fit mentio? Et rursus, quid est quod tam ieiune videtur Ioannes referre hoc gestum, nihil enim refert dixisse cæcũ Domino, vel petiuisse illustrationem oculorum, aut Dominum exquisiuisse à cæco, si vellet videre, aut inungi luto. Primo dices, cæcum non esse dubitandum habuisse ductorem ad Siloam, nempe eũdem quẽ habebat ductorẽ, ad alia loca. Cæci enim habent ductores videntes: ideò scriptura hoc tacuit. Secundo dices, esse credibile, Dominum exquisiuisse à cæco, si volebat videre: vt cæcos illos illuminatos à Domino proficiscenti à Hierico legimus, dixisse ad Domini interrogationem, se velle videre: quorum oculos vt tetigit Dominus confestim viderunt, Matth. 20. Mar. 10. & Lucæ. 18. Ita credi potest, hunc cæcum petiuisse misericordiam & Dominũ exegisse ab eo quid vellet: vt etiã accedẽs ad paralyticum Ioã. 4. dixit illi, vis sanus fieri. At verò Euangelista succincte, transcurrit hoc gestum, quãtum ad verba quæ inuicẽ locuti sunt cæcus & Dominus, ante illius curationem diuittens lectori intelligenda, & colligẽda ex curatione aliorum cæcorum memorata ab aliis Euangelistis. Et ideò hic cæcus etsi non videbat Dominum, at ex relatione aliorum poterat discere Dominum esse prætereuntem, vt peteret ab eo misericordiam, vt alij cæci petierunt.

Diuersa via visus Dñs in illuminando cæcos, quia non eadẽ via peccatores iustificat.

¶ Et tu considera alios cæcos à Domino illuminatos tactu sũæ manus solum, hunc verò non tactu solum, quia est sanatus cæcus iste vnctione vtens ex luto confecto ex saliua sua, & puluere, & dein aquæ Siloe lotione.

¶ Sanè

¶ Sanè qui potuit alios solo tactu illuminare, poterat & hūc, at noluit eadem via, sed alia diuersa hūc curare: vt subnotaret, diuersis vijs, iustificādos peccatores, vt aliter Magdalena, aliter Paulus, &c. & vt curatione huius cæci, vniuersalem illuminationē totius generis humani denotaret: quādoquidem omnes à natiuitate: imò ab ipsa conceptione cæci sumus, orbati diuinæ claritatis lumine. Quātumlibet enim perspicacissimi aliâs simus, in rerum naturalium notitia, in diuinis autem intuēdis cæci sumus à natiuitate. Expressit igitur Dominus illuminando hunc cæcum qua nam ratione illuminat genus humanum. Illuminat autem obliniendo nos luto, docendo, scilicet, nos esse peccatores & indigentes fide Christi, & postquam de fide hac nos instruxerit mittendo nos ad Natatoria Siloe, ideſt, ad Christi baptismum illuminationem nostram.

Aquæ Siloeticæ nullum cæcū ex se poterant illuminare.

¶ Cæterum caue ne credas hunc cæcum missum à Domino ad aquas Siloeticas, quia erat virtus condita in eis illuminādi cæcos. Etenim si hæc virtus in aquis illis esset, omnes cæcos illuminaret, & nullū illuminabant. At verò præceptum Dñi, mittēdi cæcum ad aquas, vt lauaret lutum in eis inunctum, illuminauit cæcum. Non ergo lotio sola sat fuisset, nisi ex præcepto Christi exerceretur, vt neq; lotio Naamā Syri ipsum mundaret à lepra, nisi ex mandato prophetico se ablueret in Iordanicis aquis. Vis ergo illuminatiua, non erat in aquis Siloe, sed in Domini sermone per aquam illuminante. Oblinitio verò ex sputo fuit quędam præuia dispositio, non ex natura rei, sed ex Domini volūtate ad oculorum illuminationem. Poterat autē Dominus per sputum solum suum illuminare, aut sine sputo, sed noluit per sputum solum, sed per aquæ ablutionem. Equidē maioris efficaciæ videbatur saliua Domini, quia erat saliua Dei, & hominis quam ablutio ex aqua elementaria. At verò dispossuit Christus per saliuam suam, mixtā pulueri nō confestim illuminare, sed oculum cæcum præparare ad illuminationē.

4. Reg. 5.

Christus per sputum oblinitum cæcis oculis dispossuit oculos, vt illuminarentur.

¶ Gloſſa hinc theologizat, symbolū hæc fuisse catechumenorū. Etenim catechumeni sunt velut cæcus iste inunctus, & nondum illuminatus, donec abluantur ex baptismi aqua: quę est aqua missi, vt aqua Siloe. Etenim est baptismus à Christo institutus, & Christum esse missum à patre, omnis scriptura testatur, & ipsemet Dominus se missum esse à patre semper confitetur.

¶ Non solum autem Dominus est vsus sputo ad illuminandum cęcum istum, sed etiam ad sanandum mutum, quendam, & surdum Marc. 7. Expuens, inquit, tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait, Epheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius.

Obseruanda dubitatio.

¶ At verò subit mirari, cur sputum Christi confestim sanauit, mutum istum & surdum, at cæcum non cōfestim illuminauit? Forsan, quia in muto isto, promptior erat fides, & animi deuotio ad Christum paratior erat, quam in cæco commemorato illuminando. Et ideò Dominus cæcum nō illuminauit statim quousque fides eius in itinere ad aquas Siloe solidior & perfectior esset, & animus eius in Christi deuotione vegetior redderetur.

¶ Itaque propter paratiorem dispositionem quosdam statim sanat Dominus, alios verò morosius. Quia solus ipse nouit abscondita cordis nostri. Sputum igitur Christi præsentaneum est antidotum, ad aperiens aures nostras, vt audiamus Christum, & soluens vinculum linguæ nostrę, vt laudemus Deum nostrum, & illuminans cæcitatem mentis nostræ. Est autem sputum mysticè Christi doctrina Euangelica, quæ ab ore Christi processit: ideóque aptè per sputū, quod ab ore liquatur denotatur. Simili modo legimus cæcū alium Dominum illuminasse morosè, & non confestim, quemadmodum & Dominus cæcum istum, sub mora temporis illustrauit. Marcus enim cap. 8. tradit Bethsaidę cum Dñs ageret, quendam cæcum illuminasse. Itē expuens in oculos eius: at verò, non statim clarè videbat. Ait enim video homines sicut arbores ambulātes: donec secundò appre hēsa manu illius à Domino, clarè videret omnia. Et causa huius quod non morosè reciperet visus claritatem, potuit esse ea, quæ dudum fuit à me indicata, vt sicut paulatim in eis augebatur mentis deuotio in Christū, ita paulatim visus claritas restauraretur. Et equidē miratu est dignissimum, quid est quod quosdā cæcos statim Christus illuminat, vt illos quos illuminauit in exitu à Hieri co, alios

Sputum Christi allegoricè qd significat.

Cur quosdā cæcos Dñs paulatim illustrauit alios sine mora.

co, alios non ſtatim, vt hunc de quo loquitur Marc.7. quem illuminat in Bethſaida. Et hunc eundem cum ſputo quidem, at ſine luto illuminat, ſed apprehenſa cæci manu, ſemel atque iterum iſtum vero alium, cuius Ioann. meminit illuminat, expuens non in oculos, vt in priorem, ſed expuens in terram, & temperato ex puluere, & ſaliua luto, obliniendo oculos, & mittendo eum ad natatoria Siloe, vt lauarentur oculi, & lutum extergeret. Et quidem is, qui confeſtim clarè vidit, quantæ deuotionis & fidei, geſſerit in Chriſtum, Marcus teſtatur: vt de alijs etiam commemorant alij Euangeliſtæ. Matth.20. & Luc. 14. aliorũ verò deuotio tacetur. Quæ diuerſitas nos admonet, Deum (quæ eſt multi formis ſapientia eius) diuerſis vti modis, pro humana illuminatione. Neque enim omnes qui vocantur à Deo eadem ratione, ſed multis & varijs vocantur. Vnde quoſdam Apoſtolos ex piſcatione, alios ex Teloneo vocauit Chriſtus, & Paulum, neque ex piſcatione, neque ex Teloneo, ſed mirabili Dei arte, eſt vocatus ad Chriſti fidem. Nam ſapiens medicus, ad omnes morbos non eiſdem vtitur pharmacis. Porrò quod Chriſtus facit modo illuminare cæcum, ſcilicet, & alias feciſſe eſt à me commemoratum, Eſaias ex ſuo multo ante prædixerat vaticinio, à Chriſto faciendum. Capit. enim. 29. oculi, inquit, cæcorum videbunt. Et rurſus aperientur oculi cæcorum. 35. &. 42. Educam cæcos in viam. Quæ omnia de cæcitate corporali eſſe intelligenda, non ſolum ſpirituali, Matthæ. 11. declaratur. Vbi Dominus ait, Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, &c. hincque Chriſtus probat ſe eſſe verum Meſſiam, qui ſecundum Eſaiam hæc ſuo tempore erat exhibiturus. *Abijt, ergo, & lauit, & venit videns.* Obediuit Chriſti mãdato cæcus hic, & obedientia non fuit illi infrugifera, ſed reportauit optatum videndi fructum. Et facilius geſsit morem hic cæcus Chriſto, quã ille Naaman Syrus, qui mandato prophetico, repugnans aiebat, Nonne meliores ſunt aquæ, &c. Cæcus verò iſte impoſitum ſibi mandatum citra cunctationem expleuit, ideò ait, Ioan. Abijt, & lauit: vnde conſecuta eſt viſio. Hinc collige, vt Domino placitum eſt, nos eſſe cooperatores ſeu cooperarios ſuos: voluit enim hunc cæcum cooperari ad miraculũ, abeundo, & oculos lauando: vt diſcas nos eſſe etiam cooperarios ad noſtrã iuſtificationem, quæ eſt quædã myſtica mentis illuminatio. Et ideo dicentibus liberum arbitrium ſe habere merè paſsinè, in ſua iuſtificatione, & nihil agere, aut coagere Deo, vt Lutherana caterua contendit ne credas: vt ſynodus Tridentina Seſsione definit. *Itaq; vicini, & qui viderant eum prius, quia mẽdicus erat, dicebant, Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Alij vero nequaquam, ſed ſimilis eſt ei.* Ex duobus voluit Dominus tantum miraculum illuſtre reddere, & ex magnitudine ſua, & quia irrefragabilitatem ſuam voluit in omnium notitia extendere. ¶Primum pauco, quia ex luto impoſito oculis cæcis, illuminãtur ſiquidem ſecundum Platonicam ſententiam oculus igneam habeat ſubſtantiam, quod ocularis ſplendor perſuadere videtur. At ſecundum Peripateticũ dogma, aqueam habet ſubſtantiam, id quod diaphanitas oculi, & illachrymatio demonſtrare videntur. At vtcunq; dogmatizetur, lutum eſt admodum viſui noxiũ. Si quidem igneam opprimit claritatem, & aqueam deturbat perſpicuitatem. Vnde oculum diſponere ad viſus claritatẽ per lutum, quod omnibus modis illam peruertit erat ſolum diuinæ potẽtiæ. Quod verò irrefragabile reddit miraculum, eſt quia cæcus hic erat mendicus, & ad portam templi mendicabat, & ideò erat cunctis nota hominis cæcitas, quare & viſus miraculo receptus fuit etiam omnibus notus. Et altercatio, contentioque ſuper miraculo hoc, miraculum fecit clarius multoque celebrius. Tantum autem erat miraculum, vt quibuſdam dicentibus, mẽdicum eſſe eum, quem Dominus illuminaret, alij refragarẽtur, quia videbatur eis impoſsibile, cæcum illum mendicum viſum recepiſſe. *Ille verò dicebat, quia ego ſum.* Cæcus igitur teſtatur ſe eſſe mẽdicus cæcũ quem Dñs illuminarat. Quidã codices nõ, mendicus habẽt, ſed, cæcus. Verum probabilior noſtra lectio. Etenim hoc faciebat cũ ad publici-

Marc.8. Ioan. 9.

Lutherus explooditur.

Plato & Ariſto. de ſubſtãtia oculi.

tatem, & euulgationem miraculi, quod mendicus cæcus illuminaretur omnibus notus, ex sua mendicitate, vt solēt ij, qui ad portas templi publicè exacturi eleemosynas sedent. Cæcus autem, iam illuminatis oculis non diffitetur fuisse cæcum, sed intrepide fatetur esse cæcum illum, quem Dominus illuminauit. Et acceptum beneficium non tacet, sed euulgat impauidè. Et nota Christum maiori ex parte exercuisse miracula erga pauperes, quã erga diuites. *Dicebant ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Respondit, *Ille homo, qui dicitur Iesus lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriã Siloe, & laua, & abij & laui, & video.* Diximus supra, quæ hæc fuerit natatoria Siloe. Et Græcè scribitur κολυμβηθραν, hoc est piscinam, vel natatoriam. Quippe fons hic diuertebat paulisper suum cursum, & faciebat piscinã quandam, quæ dicebatur fons Siloe, vt supra est commemoratum. Et idem vocabulum est Ioann. 4. quod transtulit interpres piscinam, modo vero natatoria. Laurentius contendit fuisse transferendum, Vade lotum, aut vade lauare in natatoria, vt non sit imperatiui modi. Verum laua, refertur ad lutum, scilicet, Vade & laua lutum, quod tibi imposui: ideò apte transfertur per laua. *Et dixerunt ei, Vbi est ille? Ait, Nescio. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus erat.* Postquam Dominus inunxerat cęcum, & miserat ad natatoriam Siloe, recesserat à loco, & quia aberat, ideò quærunt vbi est ille? Dominus autem abfuit, à loco, quia gloriam humanam non quærebat ex miraculo reportare, sed solum diuinam studebat hominibus impartire. Item fecit quando sanauit paralyticum, quia tum etiam recessit à sanato, Ioann. 4. Et quando pauit turbas in deserto, Ioann. 6. recessit à deserto loco: vnde etiam tum quærebant illum vt modo. Aliquando verò non recedebat, vt quando suscitauit Lazarum publicè coram omnibus. Demum aliquando recedebat, & hoc in plurimum aliquando eum non recessisse legimus, pro dispensatione sui æterni consilij. Quia ergo Dominus iam abscesserat, cum cæco illuminato vertitur de miraculo disputatio, si ipse erat, qui mendicus erat, & quomodo aperti sunt eius oculi? Erat autem occasio disputationis prioris, quia videbant eum iam apertos tenere oculos, quem prius viderant clausas habere palpebras: inde quia mutatam cernebant hominis figuram seu vultum. Hanc porrò disputationem soluit cæcus dicens, se esse eundem, qui prius fuerat mendicus, & cæcus. Ideò ex hac quæstione Iudæi profiliũt in secundam, quomodo aperti fuissent oculi cæci. Quam quæstionem nullus mortalium soluere potest. Omnes enim latet, qua nam ratione Deus donat visum non habenti: quippe modus hic est supra vires naturæ. At verò potuit cæcus, quod sensit tactu, & percepit auditu proferre. Tactu enim sensit, lutum sibi impositum, & auditu percepit verba Domini, Vade laua, &c. ideò hæc quæ sensit, hæc exposuit. Quanuis enim non viderat lutum senserat tamen luti impositionem. Et etiamsi non videbat Dominum inungentem, at ex relatu præsentium discipulorum, credebat esse eum Christum, vt alij etiam cæci non videndo Christum, ex strepitu turbæ comitantis Christum, & ex testimonio aliorum prætereuntem credebant esse Christum. Quia igitur dixerat cæcus autorem miraculi esse Iesum, ideò subdunt alteram quæstionem, vbi nam esset Iesus? Cui respondit dicens se nescire. Etenim postquam cæcum hunc miserat in piscinam, vel natatoriam Siloe, recesserat Iesus à cæco, ideò ait: Nescio. Et non ait, se nescire Iesum: sciebat enim & confessus fuerat ipsum fuisse autorem tanti miraculi. sed ait, se nescire locum vbi Iesus esset. Et potius interrogantes isti debuissent hoc scire, quam à cæco scisscitari: siquidem ipsi poterant videre quo recesserat Christus postquam inunxerat cæcum: cæcus autem cum fuisset adhuc cæcus quando recesserat à Domino, quomodo hoc scire potuisset? Adducũt ergo cæcum illuminatum ad Pharisæos, vel, vt tantum miraculum discerent, vel, vt haberent maiorẽ calumniandi occasionem. Et hoc secundũ videtur colligendum potius, siquidem miraculum

Christus maiori ex parte exercuit miracula erga pauperes quã erga diuites, quia vt plurimum sunt superbi Deus autem superbis resistit.

Duplex disputatio cum cæco texitur à Iudæis.

culum aduertebant Sabbato factum. Vnde, inquit Euangelista, *Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus.* Quia ergo erat Sabbatum, ideò contra Dominum calumnias antiquas de obseruantia Sabbati nouè texere parabant, vt supra dictum est. Duo ergo fecit Iesus in hoc Sabbato, referente Ioanne, & lutum, & aperire oculos clausos: & neutrum horum violabat Sabbatum. Etenim confectio luti, & inunctio cæci ex ipso opus erat maximè liberale, tantum aberat à seruili opere. Pharmaca enim admouere ad salutem infirmorum, opus necessarium est: ideò liberale est opus hoc in die etiam festo præstare. Quia Sabbatum est institutum propter hominem, & non homo propter Sabbatum. Facere igitur lutum in antidotum diuinum quæ oculorum collyrium, non detrahebat Sabbatino cultui, vel obseruantiæ festi. Illuminare autem oculos, quod erat opus summi beneficij, non detrahebat propter idem honori Sabbati. Quid quod cum hoc opus esset miraculosum, mira erat cæcitas horum, obiectare Domino violasse Sabbatum, quia tam insigne miraculum Sabbato demonstrasset. Enimuerò miracula solius Dei sunt opera, namque etsi per homines, vel per angelos illa operetur Deus, at primus autor eorum Deus solus est. Quanta ergo dementia erat Deum accusare quod Sabbatum violabat, quia in Sabbato, miracula operabatur, vt capitul. 4. vberius dicebamus. Deus namque cum sit causa prima, & vniuersalissima semper operatur in Sabbato, & extra Sabbatum. *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset.* Hactenus non legimus Pharisæos interrogasse quicquam cæcum. Quod ergo ait, Iterum interrogasse, ideò ait, quia postquam turbæ interrogauerunt secuta est interrogatio Pharisaica. Et non interrogant quod alij interrogabant, an esset hic cæcus is ipse qui cognoscebatur mendicus esse, sed relinquentes istud modo, in aliam se referunt quæstionem. Quomodo vidisset: *Ille autem dixit eis, Lutum mihi posuit super oculos, & laui & video.* Persistit in eadem confessione, & quod tactu senserat, & auditu perceperat iuncturanter confitetur etiam coram Pharisæis, qui videbantur maioris autoritatis, quam turba. Et ideò formidabiliores cæco: nihilominus coram eis constans est qui erat cæcus etiam in pristina confessione.

¶ *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Quidam Pharisæi, dicebant, vt insinuet Ioannes, non omnes Pharisæos hoc dixisse. Vnde subdit: *Alij autem dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere.* Græcè τοιαῦτα, hoc est, talia. Cæterum vnum sæpe pro altero vsurpatur. Prior dissensio fuit turbæ super quæstione prima, an cæcus hic ille erat qui mendicabat. Posterior dissensio, est Pharisæorum, super Sabbati violatione. Quidam enim affirmabant, Christum non à Deo missum, quia Sabbatum violabat, alijs inficiantibus persuasis ex magnitudine miraculorum. Notandum est autem neminem posse facere vera miracula, nisi in nomine Dei veri: siquidem miracula vera sunt, quæ superant totam facultatem naturæ, & ideò horum autor solus Deus potest esse, cui subiecta est vniuersa natura. Miracula porrò falsa diabolus, & præstigiosi homines faciunt, & Antichristus faciet, lusoria sunt tamen, & non vera. Et ideò miracula à nemine fieri possunt nisi ex Dei autoritate. Mirabilia autem quæ non sunt propriè miracula, quia non sunt supra naturam, sed eatenus dicuntur mirabilia secundum quod fiunt præter solitum cursum naturæ, vt quod petroselinum, aut aliud olus, nascatur modico postquam satum fuerit: & id genus alia. Quæ sanè ministri diaboli, exhibere possunt, vt Magi Pharaonis exhibuerunt, & exhibebit plærasque multa hoc genus mirabilia Antichristus. Quamobrem Pharisæi, non dicunt, si hic homo esset à Deo non faceret hoc miraculum. Esset enim repugnantia in adiecto, quod faciat miraculum, & non ex Deo. Etenim nemo potest facere miraculum propriè nisi sit à Deo habens authoritatem: sed ad calumniam se conuertunt, dicendo, Non est hic homo à Deo qui Sabbatum non custodit.

Deus solus est autor verorum miraculorum.

Diabolus mirabilia quædam potest operari.

Esse à Deo est oratio amphibologica.

¶ Esse autē à Deo amphibologicam habet significantiam, aut quod ex diuina autoritate faciat, & hoc est necessarium facienti vera miracula: aut quod Dei sit amicus, & hoc simpliciter non est necessarium. Namque legimus apud Matthæ. 25. quosdam operarios iniquitatis, in nouissimo die dicturos, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes fecimus multas? Quanquam locus hic nō colligit euidenter, peccatorem in sensu composito posse facere miracula. Dicet enim aliquis, sat esse ad intelligētiam loci eos, qui fecerunt miracula sub gratia fecisse, lapsos tamē post modum fuisse in peccatum, in quo defuncti tandem sunt. Et isti sunt, qui petent defensam ex suis miraculis, in die iudicij, quæ aliquando fecerunt. Cæterum siue euidenter colligat, vel non colligat, non est cur differatur modo, cum sit in confesso gratiam faciendorum miraculorum esse gratis datam, & non gratū facientem: ideoq; non pugnant hęc duo & quod sit in peccato quispiam, & quod sub suo peccato miraculum operetur. At verò miraculum huiusmodi Deus non operabitur tunc in testimonium sanctitatis facientis, sed in testimonium diuinæ doctrinæ, quam peccator iste docuit. In Christo vero, hæc duo erant simul, scilicet, quod miracula eius testificando veritatem doctrinæ testificabantur personæ sanctitatē. Enimuerò Christus docebat se esse verū Dei filium, & in testimonium huius doctrinæ miracula edebat verissima, quare necesse erat, quod Deus qui testabatur doctrinā Christi esse veram testaretur quoque personæ Christi sanctitatē. Etenim si Christum Deus testabatur esse filium Dei, consequenter necesse erat testari eū esse sanctū sanctorū. Rectè ergo aiebant Pharisæi quidam. Quomodo homo peccator potest hæc signa facere? subaudi, vt Christus faciebat. Quippe illa faciebat in doctrinæ suæ testimoniū. At verò doctrina erat de se ipso, quod ipse erat verus filius Dei, quapropter non solū peccator non poterat facere signa quæ faciebat Christus, imò neq; iustus eo modo, scilicet, quo Christus faciebat. Namque ipsa miracula quæ edebat Christus secūdum miraculi substantiam, equidem potuisset præstari à peccatore, vel iusto nō tamē eo modo, quo à Christo edebātur, scilicet, in testimonium quod ipse erat filius Dei. Alij aliter theologizant: mihi tamen, hac ratione placuit hunc locum exponere. Adductus, quod imperando, vt Deus Christus edebat miracula. Qua ratione, neque iusti, ñeque peccatores possunt facere. *Et schisma erat inter eos.* Hoc est dissensio opinātium. Nam schisma Græcis sonat Latinis diuisionem. Et sicut turbæ fuerant dissidentes, ità inter Pharisæos fuit dissidium. Tametsi turbæ non dissidebant, super re, super qua dissidebant Pharisæi. Namque ille de cæci persona, isti verò de Christo, vt supra diximus.

Miracula Christi testādo veritatem doctrinæ testabantur vitæ sanctitatē

Peccatores nō possunt facere miracula quæ Christus faciebat eo modo quo ipse faciebat, scilicet: in suę filiationis diuinæ testimoniū, imò hoc modo, neque iusti.

¶ *Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* Græcè, quia aperuit. Cæcum consulunt insipientem, sapientes in lege, vt promat sententiam de Christo. Et hoc factum est ex Pharisaica vafricie, aut quia ipse receperat visum, & ideò aiunt, Quia aperuit tibi oculos, quasi dicant, quia tu recepisti visum quid sentis de Christo. Opinabantur enim cæcum illum forsan ex timore Pharisæorum, dicturum aliquid contra Christum, vnde ipsi raperent occasionem liberius agendi contra Christum.

¶ *Ille autem dixit, Quia Propheta est.* Prophetam vocabat Dominum iste cæcus, significans eum esse virum magnum Deoquè amicum, non alta proferens de Christo, quia non dixit, Quia, pro quod, ille propheta est sublimis, quem sperabamus venturum, sed simpliciter vocat Dominum prophetam. Cæcus autem hoc dixit, vt dirimeret Pharisaicam controuersiam, quibusdam dicentibus, Dominum esse peccatorem, alijs contra dicentibus. Ipse autem vocatus in iudicem promit veram, etsi non integram sententiam dicentem Dominum esse prophetam. Cum alioqui debuisset dicere Christum Dominum esse prophetarum.

¶ *Non crediderunt ergo Iudæi, de illo, quod cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat, & interrogauerunt eos dicentes. Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt?* Sententiarum varietatem fuisse inter Iudæos super rece-

receptione visus, quem cæcus habebat dudum admonuerat Euangelista. Qui igitur tuebantur partes à veritate abhorrentes, vocant parentes, cæci, vt si forte ab illis possent extorquere nonnihil quod suæ infidelitati suffragaretur. Duo ergo à parentibus cæci suscitantur. Primum si cæcus iste erat filius eorum secundum, hoc confesso, quod esset filius eorum. Quomodo visum recepisset? Callide duas proponunt quæstiones, vt si non ex vna, ex altera saltem sua infidelitas assequeretur patrocinium. *Responderunt eis parentes eius, & dixerunt, scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est, quomodo autem nunc videat, nescimus, ipsum interrogate, ætatem habet ipse de se loquatur.* Primam propositarum quæstionum parentes soluunt, confitentes se cæcum illum genuisse, at verò secundam non soluunt, quia fatentur se ignorasse, vt cæcus filius suus visum recepisset, illam soluendam tamen referunt in filium suum, quia ætatem habebat, vt illam solueret, & hac ratione se exonerant ab hac quæstione, eiusdem solutionem filio imponentes. Græcè, loquetur, & non loquatur. Sunt autem transposita verba vltima: oportet enim legere ætatem habet, ipsum interrogate. *Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi. Vt si quis confiteretur eum esse Christum extra synagogam fieret.* Parentibus cæci notum erat lutum fuisse superpositum oculis filij cæci, vnde visum receperat, siquidem hoc vicinis etiam notum fuerat, vt supra dixerat Ioannes. At verò timentes Pharisæos, non ausi sunt propalare veritatem. Etenim sub excommunicatione pro modo suo prohibuerant Iudæi, nequis confiteretur Iesum esse Christum, hoc est, Messiam expectatũ ab illis. Hoc enim sibi vult quod ait, Ioann. extra synagogam fieri, hoc est, extra cõgregationem Iudæorum fieri, vel separandum à communione templi, & sacrificiorum fore, si quis Christum confiteretur. Notabis tamen, apud Iudæos non fuisse propriè excommunicationis censuram, sicut apud nos. Namque sacramenta, & sacrificia legalia, non habebant spiritualẽ vim ex opere operato, sed ex opere operantis. Vnde neq; claues habebat synagoga regni cœlestis. Verum excommunicatio apud illos hæc sola erat arcere excommunicatum à templi ingessu, & à sacrificiorum oblatione, vel participatione. Hæc autem excommunicatio fulminata erat contra confitentes Iesum esse Christum: & erat euidenter iusta, quia euidenter erat cõtra diuinam veritatem. Nihilominus parentes cõmorati cęci ex pusillanimitate, non ausi sunt veritatem pronunciare, hanc pœnã pertimescentes. *Propterea parentes eius dixerunt, quia ætatem habet, ipsum interrogate.* Habebat igitur ætatem cæcus iste ætatẽ maturam, vt posit informare Pharisęos de veritate. Quãobrem nihil necesse erat cæci vocare parentes. At verò Pharisæi, quia viderant cæcum intrepide confitentem veritatem, id quod ipsis displicebat, accersiri iubent parentes, vt omnem lapidem mouerent, in suæ infidelitatis præsidium. Hoc enim cupiebant Pharisæi audire ex cæco, illuminatũ ipsum esse à Deo mirabiliter, & non à Christo: aut quod fingeret forte ex aliquo collirio aliunde fuisse illuminatum. Quod si hæc dixisset cæcus non vocarent Pharisęi parentes illius, quia aderat eis quod ipsi desiderabant. Verum quia mendacia non quæsiuit cæcus, sed odiosam Pharisæis veritatem est testatus, ideò confugiunt ad parentes illius, si forsan mendacium aliquod in fauorem suæ perfidiæ ab illis pronuntiaretur. Verum rectè proditum est Prouerb. 18. Stultus nõ recipit verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ei⁹, ideò Pharisæis, neque grata fuerunt verba parentum cæci. Quapropter vexare tentant rursus illuminatum cæcum, vt si non alias, certè molestia ipsum pertraheret vt diffiteretur, quod iam fuerat confessus. *Vocauerunt ergo rursus hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.* Quia euidens iam erat Pharisæis hunc cæcum fuisse miraculo illuminatum, inuidentes ergo Christi gloriæ, aliunde curant Christi gloriam obscurare. Persuadent enim cæco vt det gloriam Deo: hoc est, vt dicat se esse mirabiliter à Deo illuminatum, & hoc verum erat, & non à Christo, & hoc falsum erat. Et causam,

Apud Iudęos non erat propriè excõmunicatio vt apud nos.

quam supra exposuerant nunc, rursus replicant, *Nos scimus quia hic homo est peccator*, insinuantes ex hac propositione, vt minori totum hunc syllogismũ, Deus per peccatores non facit miracula, sed hic est peccator, igitur per hunc Deus non facit miracula. At donata maiori minor erat impossibilis. *Dixit eis ille, Si peccator est nescio, vnũ scio, quia cæcus cũ essem, modo video.* Planum est mendacium dicentium Pharisæorum, Nos scimus quia homo peccator est. Siquidem si sciebant, vnde sciebant? aut ex sermone Christi, aut ex opere: sed ex neutro sciebant. Quandoquidem Dominus illis dixit, Quis ex vobis arguet me de peccato. Si autẽ vel ex sermone, vel ex opere potuissent Dominum arguere de peccato, quæ erat rabida mens ipsorum, dubio procul fecissent, non ergo fecerunt, quia non potuerunt. Mentiuntur igitur modo dicentes, Nos scimus, &c. Illuminatus autem cęcus, paulò pòst subdet Christum non esse peccatorem. Peccatores, inquit, Deus non exaudit, inde insinuans Christum non esse peccatorem, quia à Deo audiebatur impetrando miracula, quæ faciebat. Et ante hæc dixerat Christum esse prophetam. Modo ergo dicens, Si peccator est nescio, perinde est ac si dixisset. Modo de hac re nihil dico, vel, non me ingero modo in definienda Christi sanctitate. Quia cæcus iste illuminatus ex miraculi testimonio Christi sanctitatẽ persuasam esse Iudæis contendebat, non ex personali suo testimonio, & propter hoc ait, se nescire, idest, non diffinire si peccator est. Et non hoc dixit, ex timore Iudæorum, vt ex subiungendis liquidum est. Propterea factum Christi affirmat dicens hoc vnum scio, quia, pro quod, cum cæcus essem, modo video, pro cæcus cum fuissem, nunc videam. *Dixerunt ergo illi quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis, Dixi vobis iam & audistis, Quid iterum vultis audire?* Deest, rursus: vt sit lectio, Dixerunt ergo illi rursus. Insistunt Pharisæi interrogando, si forte ad varias interrogationes respondens illuminatus cæcus, variaret testimonia prolata de Christi miraculo: ideò iterum interrogant, Quid fecit tibi? *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* Si malignitatem Pharisaicam callebat iste illuminatus cæcus, eam dissimulat satis, & alio torquet interrogationum assiduitatem, dicens, Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? *Maledixerunt ergo ei: & dixerunt, Tu discipulus illius sis. Nos autem discipuli Moysi sumus.* Maledicere habet ambiguam significantiam: iam enim significat imprecari mala alicui, iam verò conuiciari. Et hac secunda ratione vsurpatur modo, quia cæcum istum affecerunt Iudæi conuicijs: & hoc reputarunt esse conuicium eum vocare discipulum Christi, quod summæ laudis præconium est. *Nos scimus quod Moysi locutus est Deus, hic autem nescimus vnde sit.* Stupenda hominum perfidia? Sciebant Christum esse à Nazareth, vt supra cap. 7. Nunquid à Galilæa venit Christus & nunc dicunt Pharisæi, Hunc nescimus, vnde sit. Et rursus in eodem capit. Hunc scimus vnde sit. Christus autem cum venerit nemo scit vnde sit. Hoc ergo quod modo confitentur se nescire vnde erat Christus, erat in testimonium, quod ipse erat Christus iuxta eorum sententiam. Et mentiti sunt ipsos esse discipulos Moysi: siquidem si discipuli veri essent Moysi, Christum non reiecissent. Quoniam Moyses de Christo scripsit. Quare Dominus, supra capitul. 7. Hoc docens, inquit, Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quapropter erant discipuli Moysi nomine tenus, non secundum opera. Ideò Dominus, Ioann. 5. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. Iactabant ergo Mosaicam disciplinam, vt genus Abrahæ: & sicut non erant verè filij Abrahæ, Ioann. 8. ita neque veri discipuli Moysi. Quocirca, Ioan. 5. Moysem traditur accusaturum Iudæos de tam peruicaci perfidia quod in Christum non crediderunt. Et equidem si rem expendissent exactè, disciplina Moysi trahebat ad Christum. Namque lex illa, quam Moyses tulit erat tanquam pædagogus erudiens Iudæos, vt paruulos, ad Galat. 4. Quia figurarum vmbris, illos adornabat ad lucem veram Christum excipiendum. *Respondit homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile*

rabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit hunc exaudit. Quia dudum dixerat si peccator est nescio, nunc aperit mẽtem suam quam habebat de Christi sanctitate: & interim occultarat dicens Christum esse cultorem Dei, & facere Dei voluntatem. Siquidem tam magnificum facere miraculum à Deo impetrauit, quod non impetrasset, nisi eximius Dei cultor esset, & nisi egregiè faceret Dei mandatum. Quod verò hic homo inquit tale est, Vtique mirabilis vestra perfidia ò Iudæi, quod cum versetis scripturas, lateat vos Christus contentus in eis, qui tantum ac tam gloriosum edidit miraculum. Namque huiusmodi miracula edẽda esse à Christo, scriptura clamat. Mirabilis igitur est vestra infidelitas, quod ex miraculo hoc offendamini, quod alioqui debuisset esse disciplina vestra, vt inde disceretis hunc illuminatorem cæcorum esse verè Christum. Quod verò ait, *Peccatores Deus non exaudit*, vtique peccatores si petunt à Deo remissionem suorum peccatorum, si verè petunt consequẽtur continuò, vt Dauid, est consecutus. Manasses, & innumeri alij. At verò peccatores pœnitentes, iam non sunt peccatores, quia pœnitẽtia lauat, & mũdat prioris errata vitæ. Neque de istis peccatoribus cæcus iste loquebatur. At verò si qui sub peccati põdere premuntur, & petũt à Deo temporalia bona, accidit aliquãdo exaudiri, vt si petant salutem, opes, filios, principatum, &c. Quia aliquando quædam Deus concedit iratus, quæ negaret placatus. Vnde filij Israel postularunt regem, & postulando peccant, & nihilominus impetrant. Hoc autem Deus donat peccatoribus, in suppliciũ sui peccati sæpè: aliquando verò ob alias causas nobis absconditas. Iusti verò etiam non semper impetrãt, quod petunt, si de tẽporalibus bonis oratio fundatur. Quia sæpè nesciunt quid petant vt Matth. 20. filij Zebedæi regni sedes proximas Christo poscebant, & cassa fuit postulatio. Et in monte Tabor Petrus, Matthæ. 17. petit mansionem in monte dicens, Bonum est nos hic esse faciamus hic tria tabernacula tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum. Et Petrus non impetrauit, quãuis bonum, hæc oratio spirituale sapiebat. Quod verò Dominus ait, Petite & accipietis, &c. Luc. 11. ad spiritualia bona necessaria, vt sunt gratia Dei, & vita ętèrna & quæ hęc duo cõcernũt sunt referẽda, aut si ad bona tẽporalia verba Dñi extẽdere volueris, ad ea bona tẽporalia sunt referẽda, quæ spiritualibus subseruiunt, vel augendis, vel conseruandis. Legimus porrò Iacobum dixisse. cap. 5. Multum valere orationẽ iusti assiduam, neq; dixit peccatoris orationem assiduam multum valere: sed iusti. Siquidem Psalm. 33. oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Iustus enim non solum sibi prodest ex oratione sua, sed & alijs prodesse poterit. Deus namque in seruis suis deprecabitur, Psalm. 134. hoc est, per seruos suos deprecandus est. Nam æquitas hoc suadet menti humanæ, non solum Deum, sed & homines amicorum preces gratas habere, vt inimicorum nõ gratas, id est, non dignas quæ exaudiantur. Nam dona impiorum non probat altissimus, Ecclesiast. 34. Si ergo contingat nõnunquam inimicorum preces à Deo exaudiri, erit sanè in suum malum, vel ob causas alias Deo notas, & nobis ignotas, &c. Verum in plurimum ordo seruatur in bonũ suum, & aliorum iustos potius impetrare precibus quæ postulãt, quam iniustos. Quid quod verba cæci huius, de miraculis faciendis intelligũtur, de qua re vertebatur sermo. At miracula etsi à peccatoribus edi valeant, & eduntur aliquando, Matth. 25. at vtitatius est, apud Deum ea, per iustos edere. Augustinus verò soluit hoc dubium, dicens, cæcum istum, hæc dixisse verba, Deus peccatores non exaudit, tanquam nondum plenè illuminatum: siquidem peccatores Deus exaudit, vt Publicanum tundentem pectus suum exaudiuit ad iustificationem. Et hoc verum est, vt supra aiebam. Cæterum, quia hic de miraculosa operatione agitur, & propter eam dixit cæcus, Peccatores Deus non exaudit, ad edendum, scilicet, miraculum videtur verba cæci sensum habere posse verum. Scilicet, ad faciendum miraculum in testimonium propriæ sancti-

Peccatores impetrãt quę petunt sæpe suo malo.

Bona spiritualia necessaria impetrant omnes rectè illa petentes.

Orationes iustorum & sibi, & alijs proficiunt.

tatis, Deus peccatores non exaudit: quia Deus non potest testari falsum. Esset autem testimonium falsum, testari per miraculum, quod non est, vt suprà annotabam.

Deus non potest testari falsum.

¶ At verò forsan exiges, Christus non fudit orationem edens hoc miraculum, quid ergo est quod ait, Peccatores Deus non exaudit? Dicito cæcũ istum intellexisse Christũ oratione secreta impetrasse tanti miraculi operationẽ, & ideò dixit Deus, peccatores non exaudit.

¶ Et obserua idem hoc loco esse verbum Græcum, ἀκούει, quod significat audit, & interpres vulgatus per duo verba transtulit, scilicet, audit, & exaudit. Cum tamen sit discrimen inter audio & exaudio. Nam audio est percipere verba loquentis, & exaudio est, illa implere.

A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Iam verbis istis magnitudinem miraculi propalat cæcus, vt ex magnitudine miraculi plurimum commendet apud Pharisæos Christum autorem. Contendebat bonus hic cæcus iniquos Pharisæos in fidem Christi, & amorem deducere. *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam.* Subaudi eorum, quæ facit mirabilia. Lege pro poterat, potuisset. *Responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Credebant Iudæi cæcitatem huius prouenisse suo peccato, ideò aiebant, In peccatis natus es totus: idest, à tua natiuitate habes peccatum & vis docere nos? Reputabant se isti ex suo Pharisaico supercilio, iustos, & sanctos, ideò dedignabantur erudiri de Christo, ab homine, quem credebant natum peccatorem. Vel dixerunt, In peccatis natus es totus, quia non solum secundum animam fuerat peccator, sed etiam secundum corpus: quia viderant eum esse cæcum clausis oculis. Et quanquam sciebant infectionem originalem esse communem & forsan credebant originalem maculam in quibusdam maiorem, quam in alijs, & inde credebant cæcum hunc ex natiuitate fuisse cæcum clausosve habere oculos: & idem dicerent de omnibus alijs vicijs, quæ ex natiuitate contingunt. Hoc autem falsum est dogma. Originalis namque infectio vna est omnibus hominibus, sicut & propagatio non est diuersa huius, & illius: vnus est introitus omnibus hominibus, & similis est exitus. Sapient. 7. Quod verò quidam nascantur cæci, alij claudi, alij cum alijs defectibus, hoc sanè non habet in causam ipsum originale piaculum, vt supra commemorabam, (Dominus enim non dixit Adæ, cæcus eris, aut claudus, sed morte morieris) sed ex vitiatis seminibus, vel ex vitiata commixtione ipsorum, quia forsan exũ dat materia ipsorum, aut deficit, aut male est affecta calore nimio, aut frigore, &c. contingere potest. *Et eiecerunt eum foras.* Quando hic cæcus sedebat ad portam templi, aut aliàs & mendicato petebat eleemosynam, non eijciebatur, sed eius miserebantur Iudæi porrigentes illi eleemosynam. At verò postquam est illuminatus à Christo, & Christum est confessus, armantur Iudæi in vltionem beatæ confessionis, & eijciunt foras. Ioann. non commemorat vnde eiectus fuerit forsan foras templum. Quia quãuis illuminatus fuit cæcus hic extra templum: at verò regressus à Siloe, forte est ingressus templum gratias acturus pro recepto visu. Et ideò in templo facta est disputatio Iudæorum cum ipso, iam commemorata. Eiecerunt ergo eum extra templum. Non videntem solem visibilem ferebant Iudæi cæcum, at videntem solem iustitiæ Christum non potuerunt ferre, ideò eijciunt eum à seipsis. Iniusti, eijciunt iustum. Quippe, quem Dominus sanabat exterius, item sanabat interius annotante Beda. Quia igitur nulla societas lucis ad tenebras, nullaque conuentio Christi ad Belial. 2. Corinth. 6. ideò cæcus, quia iam filius erat lucis, eijcitur â consortio tenebrarum, & quia Christi erat, ideò Belial non potuit in suam admittere amicitiam. Et demum quia fidelis, ideò non habuit partem in cætu infidelium: fecerant se Iudæi iam ex synagoga Dei, synagogam Satanæ. Dicunt se esse Iudæos, & nõ sunt, sed synagoga Satanæ. Apocalyps. 20. Idcirco, eijciunt à sua societate, cæcum hunc, quia iam erat de cõgregatione sanctorum. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum dixit ei. Tu credis in filium Dei? Respondit ille & dixit.* Quis est Domine, vt credã in eum? Et dixit ei Iesus, *Et vidisti eum, & qui*

Mors data est in pœnam originalis cul pæ non cæcitas, aut claudicatio seu surditas. &c.

Iniqui in suũ cætum nõ ferunt iustos.

& qui loquitur tecum ipse est. Samaritanæ mulieri manifestat se Dominus dicens, se esse Christum venturum in mũdum. Et huic cęco item se manifestat esse filiũ Dei. Habuerat quidem hic homo, ante quã Christũ videret fidẽ implicitam de Christo credens ipsum esse prophetam magnum, quia maximum miraculum ediderat, quod priores prophetæ non fecerant. Hoc enim sibi volebat quando aiebat, à seculo non est auditum quod quis aperuerit oculos cęci nati. Modo vero iam apertos tenens oculos proficit ad fidem explicitã, credens Iesum filiũ esse Dei. Paulatim enim voluit Dominus, & carnis oculos illuminare admoto, scilicet, diuino collirio, & lotione ex siloe iuncta: & paulatim quoque mẽtis huius hominis illuminat Dominus oculos. Humani quoque generis cæcitas non de repente fuit à Deo sanata, sed sensim. Nõ enim statim à cæcitate peccati Deus misit illuminatorẽ Christum, sed prius adumbrauit eius aduentũ sacrificijs quibusdam, & pollicitationibus de Christo venturo factis populum suum præparauit, vt expectarent auidissime suam lucem, & tandem in nouissimis diebus accessit Christus depulsurus à cordibus humanis, sibi tamẽ obtẽperantibus, hãc cęcitatem. Quanta autem sit Christi cura erga credentes in eum, & confitentes vere fidem, locus iste admonet, quia simul atque audiuit Dominus, eiectum fuisse cæcum à templo, quia partes Christi ducebat, illi astitit vt firmaret eum in professione, quam fecerat fidei in Christũ, vnde subditur. *At ille ait, Credo Domine.* Et non contentus voce confiteri, opere demonstrat fidem, vt oportet etiam nos facere, ad Roma. 10. quã profitebatur ore. *Et procidens adorauit eum.* Græce, non habetur procidens. *Et dixit ei Iesus, In iudicium ego in mundum veni, vt qui non vident, videãt, & qui vident cæci fiant.* Græcè, non legitur, ei, sed hoc modo. Et dixit Iesus, in communi, scilicet, non ad cæcum solum verba direxit. Etsi Erasmica editio legit vt vulgata, ei, vt sermo Domini habeatur ad cæcum illuminatum. Glossa interlinealis intellexit locum hunc de iudicio discretionis, nõ de iudicio retributionis. Nam hoc iudicium erit finale iudicium. Cæterum retributionis iudicium finale, erit publicum. Interim tamen est iudicium Dei occultæ retributionis: siquidem humiles ignorantes, Christus illustrat sua gratia, & sapientes superbos excæcat sua permissione. Cõfiteor, inquit, Lucæ. 10. tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, subaudi, hoc poscente ipsorũ superbia, & reuelasti ea paruulis, hoc exigente eorum humilitate. Istud igitur est quod ait, Vt qui non vident videant, & qui vident sua opinione se existimantes esse sapientissimos, cæci fiant, idest, non illustrentur fide Iesu Christi, insipiẽtibus tamen humilibus illuminatis. Et hoc est iustæ retributionis iudicium: siquidem digni sunt superbi, vt ex sua superbia non illustrentur ex fide. Et congruentiæ quædam est dignitas, vt humiles ignorantes, à Deo eruditantur. Nam Iaco. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem gratiam dat. *Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Supra cap. 8. Ioannes cõmemorarat de Domino dixisse Pharisæos, Dæmoniũ habere, vnde denotabant ipsum versum esse in furorem, vel in amentiam. Itaque Domini prædicationem stultitiam esse existimabant Iudæi, vt omnes non obedientes euangelio putant. 1. Cor. 1. Verbum crucis perẽtibus est stultitia. Pharisæi igitur non credẽdo, putabant se esse sapientes, & credentes existimabant esse stultos, & ignorantẽs subindeque cęcos. Vnde Dominus, Si cæci essetis, ait, hoc est, si ea, quam putatis esse cæcitatẽ, vos afficeret, non haberetis peccatum. Quasi dixisset apertius, Si fidem in me haberetis, quam vos existimatis esse cæcitatem, non haberetis peccatum: siquidem per fidem purificantur humana corda. Acto. 15. vel initialiter absente charitate, vel completiuè, si contubernio fides fruatur charitatis. At vero quia vos dicitis quod sapientes estis nõ credendo, & non estis stulti, aut cæci credẽdo, ideo peccatum vestrum manet. Hoc est perseuerãtes estis in vestra infidelitate, quæ est acerbissimum peccatorum, & radix eorum. Quandiu enim infidelitas mentem humanam occupat, semper peccatũ

Christus sensim deducit homines ad illuminationem.

Christus plurimum curat tuos fideles.

Corde creditur ad iustitiã ore autem fit cõfessio ad salutem.

Lucæ. 10.

Fides Christi infidelibus videtur cęcitas

Citra fidem nulli obtingere potest peccatorũ remissio.

eius manet: quia sine fide nulli potest obtingere peccatorum remissio. Huc locum alij aliter exponũt, mihi tamen magis arridet ad hanc, quam dixi, rationem exponere.

¶Quod verò ait, quosdam Pharisæos, qui erant cum Domino dixisse verba cõmemorata, intellige Pharisæos hos, falsos fuisse sectatores Christi, quia sectabantur, vt haberent ansam, vnde caperent eum in sermone.

¶Multa poterãt differi hoc loco de ignorantia, si excusat peccatum, quia Dominus ait, Si cæci essetis non haberetis peccatum: nam ignorantia est cæcitas quædam, quæ tamen nos in. 3. Sentẽtiarum disseruimus.

Quædam infidelitas inculpata, alia est culpata.

¶In præsentia vero sat sit dixisse, cæcitatem esse duplicem, alteram pœnam peccati, & non peccatũ, aliam vero esse peccatum. Et hic sermo est de cæcitate circa diuinorum cognitionem necessariam. Sicut enim infidelitas, quędam est culpabilis, alia inculpata: prior est infidelitas negatiua, seu nõ fidelitas. Quando enim quispiam non credit, non quia fidei repugnat, aut dissentit, sed quia doctorem non potest habere, hæc infidelitas inculpata est, inculpataque cæcitas, tametsi pœna est primitiui peccati. Cæterum, qui fidem propositam non recipit, aut proponendam respuit, huius infidelis cæcitas culpa sane est. Qui ergo sunt cæci primo modo, quia non habent fidem, citra culpam suam, isti peccatum non habẽt subaudi infidelitatis, quia per antonomasiã infidelitas appellatur peccatum iuxta illud, Si non venissem, & locutus eis non fuissem peccatum non haberent. Qui verò tumentes superbia putant se abundare sapientiam, & ideo non egere fide, vnde eam respuunt, horum peccatum manet, quia infidelitate sunt infecti, & sub infidelitate non gaudebunt peccatorum remissione. De quibus Paulus ait, scriptum esse, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentiũ reprobabo. Vbi sapiens. &c. 1. Corinthi. 1. Reprobatur eatenus horum sapientia à Deo, quia per humanam sapientiam, nulli contingit salus.

MORALIA.

¶Vade, laua in natatoria Siloe.

Diuina est methodus ex sensibilibus quæ videntur captare diuina quæ nõ videntur.

DIVINI esse magisterij per sensibilia, quæ sensibus nostris demonstrãtur, nos reducere ad intelligibilium veritatem cognoscẽdam nullus est, qui ambigat, qui vel tenuẽ diuinarum lectionum habuerit experientiam. Christus ergo hoc vtẽs magisterio, illuminauit hũc natiuum cæcum, vt ex illuminatione huius cæci exploratũ haberemus modũ quo ipse illuminat nostras cæcas ex peccato mẽtes.

¶Est sanè miserrima res cęcitas exterior quã ille deflebat, qui aiebat, Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli nõ video. Tob. 5. Porro multo miserabilior est mẽtis cæcitas, ex qua homo sedet in peccatorũ tenebris, & lumen vitæ ęternæ non videt. Quamobrẽ multa ratio est habenda huius spiritualis illuminationis, vt mala cæcitatis spiritualis euadamus.

¶Iam vero cæcum illuminatum à Deo proponamus in medium, & modum illuminationis eius inuestigemus, vt inde ad illuminationem internam animi promoueamur. Ait autem Euangelista, Prętereiens Iesus vidit cæcum à natiuitate. Ab æterno vidit Christus nostram cæcitatem, secundum suam diuinitatem, in qua nulla est prętéritio: quia æternitas est. At secundum humanitatem prætereiens vidit nostram, hoc est, totius naturæ humanæ cæcitatem, vt ille Samaritanus qui iter faciẽs, de cælesti, scilicet, patria, in nostrum tugurium vidit vulneratum, & spoliatum hominem à latronibus inferi, & misericordia motus, iacentis hominis vulnera ligauit, infundens oleum, & vinum. Namque hic homo sauciens ex vulnere, & nudus ex spoliõ, is ipse est, quem Dominus Iesus prætereiens, seu iter faciens vidit cæcum: & misertus eius, accessit ad eum illuminaturus eundem. Genus namque humanum, nõ sauciaretur, neque spoliaretur ab hoste suo immanissimo dæmone, nisi primum cęcitatis spiritualis detrimentum pateretur. Ante omnia enim hoc curauit sedulo diabolus mulierẽ illam excæcare primam Lucæ. 10.

mam, vt per illam excęcatã, virum quoque traheret in suam sententiam. Vnde saucij facti sunt ambo lethali inuisibili tamen vulnere. Et spoliati sunt ambo, à cælestibus, quibus induti erant charisma tibus: siquidẽ gratia Dei sunt priuati, iustitiaq; originali nuda & immortalitate. ¶Propter facinus igitur, quod admiserunt gustandi pomi à Deo prohibiti, mã sit natura humana cæca, saucia', & spoliata. Cæca sanè, quia lumen vitale amisit homo ex peccato. Nisi enim Deus illuminet mentem, dirigendo eam ad vitam æternã, ipsa in vmbra mortis sedet, & tenebris ignorantiæ densissimis tota occupatur. Vulnera autem hęc nostra sunt prorsus conclamata, quia lethifera sunt: quia nisi Deus illa demonstret homines latent: & nisi Deus illis medeatur insanabilia sunt: sicut spolium hoc, nullus est qui restituere possit nisi Deus. ¶Præteriens igitur Christus vidit hominem cæcitate, & alijs cõsequentibus noxis affectũ, & misertus eius accessit curaturus. Præteriens sanè, secundum humanitatem, vidit hominem & misertus est eius: siquidem accepta humanitate, misericordiam impendit cæco homini. Namque ad hoc Verbum caro factũ est, vt cæcitatem hanc, cæteraque appendicia mala ab homine depelleret. Videbat equidem semper humani generis Deus cæcitatem at disposuit videre & misereri præteriens, siue faciens iter, vel agens viam nostræ mortalitatis. Fecit enim se viatorem Deus, accepta carne humana mortalem se faciens, vt iter faciens, vt mater obuium cęcum hominem videret, & illuminaret, & illuminando sanaret, & sanãdo ditaret. Hoc sane est initium humanæ salutis, quod videat nos Christus & misereatur. Vidit Nathanaelẽ, Ioã. 1. & traxit eum ad discipulatum suum: vidit duos fratres Simonem & Andream. Matthę. 4. & traxit eos ad apostolatum suum: vidit Matthæum publicanum sedentem ad Telonæum, & fecit eum cælestis mensæ mensarium: Vidit Petrum peccantem, & fecit pœnitentem: vidit famelicas turbas Ioãnis sexto, & mirabiliter ad satietatem vsque pauit: vidit Lucæ. 10. saucium hominem, & sanauit, vidit cæcũ & illuminauit. Illuminatio igitur nostræ cæcitatis, sanatio nostrorum vulnerum restitutio nostri spolij à Christo vidente, & miserente exordium habet. Iustificamur enim gratis per gratiã ipsius. ad Rom. 3. Est autem hæc gratia ipsius, vt videat nostras miserias, & earũ misereatur. Nulla enim sunt merita nostra, ante nostram illuminationem, nulla operum ante sanationem condignitas nulla deniq; actionis nostrę ante restaurationem sufficientia. Quid enim habemus ante illuminationem, nisi cæcitatẽ? At hæc illuminari nõ meretur, quia spõtaneè homo se fecit cæcum, transgrediẽs diuina mãdata, vt neque etiam est quicquam quod Deo possumus offerre ante sanationem nostram, vt promereamur sanari. Quamuis enim peccatores quidã bona quædam referũt opera, at vero hęc quia cæcorum sunt opera, quia vulneratorum sunt actiones, Deum non possunt promereri, neque sufficiunt gratiam diuinam nobis conciliare, nisi prius Christus nos videat, & misereatur nostri. ¶Nos enim illuminare, nosq; sanare misericordiæ diuinæ est: non ergo iustitiæ nostræ. Si enim sub nostra Deus nos relinquat cæcitate agere, sub vulneribus nostris versari, sub nuditate nostra nudos esse iustitiæ esset planè diuinę. Quippe, digna est nostra cæcitas quæ non illuminetur digna nostra vulnera, quæ non sanentur, digna nostra nuditas, quæ non tegatur. Cæterum Christi misericordia superat nostram indignitatem: ideo non ex meritis nostris, sed secundum suam misericordiam nos illuminat, nos sanat, nos tegit. Antequam igitur cæcum luto obliniret Christus ipsum vidit, quia omnia merita nostra præuenit Dei misericordia. Ideo precabatur ille. Psalm. 78. Cito nos anticipẽt misericordiæ tuæ. & in Pal. 20. Præueniisti eum Domine in benedictionibus dulcedinis. Nulla siquidem benedictio dulcior, neque benedictio suauior cæco impendi potest, quam ipsum illuminare. Vt neque vulnerato, nihil dulcius, quam vulneris sui sanitas: vt nudo, nihil optabilius vestimẽto, quo tegatur, Vnde Psaltes has benedictiones sibi petebat. Illumina, dicens, oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, Psal. 12. Et rursus, Sana animam meam quia peccaui tibi. Psal. 40. Et ille exultabat se iam esse indutũ à Deo qui aiebat,

Induit

Homo excæcatus primũ fuit, & deinde vulneratus & spoliatus.

Verbum caro factum est, vt hominẽ in diuinis illuminaret, vt sanaret vt ditaret

Ante illuminationẽ & sanationem est meritorũ condignitas.

Induit me Dominus vestimento salutis, Esa. 61. At forsan te mouebit, quod apud Dauidem legimus. Psal. 33. Accedite ad Deũ, & illuminamini: vt iam hinc tecũ cogites prius nos accedere ad Deum illuminatorem, quam illuminemur. Nosq; præuenire Dei misericordiã, & non Dei misericordiã nos. Porrò si hoc asserueris desipies. Nõ enim nos anticipamus Dei gratiam illuminantem & iustificantem, ex condignis operibus nostris: quippe ante illuminantem, & iustificantem gratiam, nulla est in nobis cæcis, & vulneratis condignitas ad vitam, sed solum condignitas ad mortem. At vero, vt illuminemur & iustificemur necesse est, vt nos velimus illuminari à Christo, & iustificari. Deus enim neminem illuminat, nisi volentem illuminari: neminem iustificat, nisi amãtem iustificationẽ. Vt enim omnes vocat ad illuminationem suæ cæcitatis, & iustificationem suorum peccatorum, ita neminem cogit: non enim dignum est beneficia conferre inuitis. Hoc igitur est primum, quod velimus, quod optemus, quod consentiamus Deo illuminanti & iustificanti. Enim vero Christus lux est mundi, & ideo paratam habet per ipsum nostram illuminationem. Verum quod moratur sæpè, ne illuminemur, & iustificemur, nostri arbitrij est desidia, ne dicã dissensum. Sumus enim sæpè rebelles diuino lumini. Iob. 24. Et malumus nostras obuersare tenebras, quam in diuino lumine ambulare. Vt ergo excutiamus omnem desidiam, & promptũ offeramus illuminanti Christo consensum, Dauid iubet, vt accedamus ad Deũ per consensum efficacẽ vt illuminemur. Quia iuxta vulgatũ illud Augusti. Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.

Deus volentes illuminari illuminat repugnantes in cæcitate dimittit.

Deus paratus est ad illuminandum, desidia nostra facit ne illuminet.

Obserua autem tanta nos premi infirmitate mẽtis, vt consentire illuminanti nõ possumus, nisi ab eo iuuemur, & excitemur. In primis igitur accedẽdum est nobis ad Deum, vt illuminemur, at vero quod sic accedamus, est sane nostri arbitrij, sed non solum, sed diuini etiam adiutorij. Illuminatio nãque hæc est fidei donatio, aut diuinæ gratiæ infusio: at hæc cum sint supra naturam humanam, non possumus hæc efficaciter velle nisi super naturali auxilio excitemur ad illa volenda efficaciter. Superant nãque nimium facultatem nostræ naturæ: ideo ad illa assequenda ex nobis inertes sumus, nisi desuper excitemur. Vnde & cęcum istum, de quo agimus Christus excitauit ad illuminationẽ, quem nisi excitasset, in cæcitate sua diem clausisset extremum. Excitatus autem spõtaneus erat, & lutum sibi à Christo imponi consensit, & ex Domini mandato in Siloe iuit loturus lutum sibi impositum.

Quod volumus efficaciter illuminari nostri est arbitrij, & diuiniadiutorij

¶Porrò autem considerandum est Tobiam excæcatum fuisse ab stercoribus sibi ab hirundinibus ab alto demissis, hic vero cæcus ex luto sibi inuncto sibi parat visum. Stercora igitur sunt, quæ mentes nostras cæcant, at lutũ cæcitatem illustrat. Sunt autem stercora, quæ mentes nostras cæcant, nõ alia, quam illa de quibus Paulus, ad Phili. 3. meminit dicens, Omnia, vt stercora arbitratus sum, vt Christum lucrifaciã, nihil aliud per hæc intelligens verba, quam mundana vniuersa, siue honores, siue voluptates, siue opes, esse ceu stercora obcæcantia mũdanorum mentes. Quam autem obcæcent opes, scriptura docet Exodi. 18. Elige tibi viros timentes Deum, in quibus sit veritas, qui oderint auaritiã. Et quare auaritia sit odio habenda subditur. Exo. 20. Xenia & dona excæcant oculos iudicũ. Voluptates verò carnales item hoc cæcitatis malo nos afficiunt, id quod admonet typus ille, ex lib. Iudicum. 16. vbi refertur Dalilam excæcasse Sansonẽ. Per Dalilam enim blandientẽ Sansoni apte, voluptatis carnalis insultãtis nobis illecebra figuratur. Et sicut Dalilã tradidit excæcatum Sansonẽ in manus suorum hostium, ita voluptas blanda carnis, quem excæcauerit in potestate diaboli tradit: Nonne excæcauit etiam senes illos blanda cupido apud Danie. 13. qui inuaserũt castam Susannam, quam repugnantem falsis testimonijs detulerũt ad iudicem? Ideo de illis scriptura ait. Declinauerũt oculos, ne viderent cælum, neque recordarentur iudiciorũ iustorum. Denique honorum ambitio excæcat ambitiosos, & superbos: vnde Zacha. 12. Omnem superbũ percutiam cæcitate. Vnde & rex ille Iudææ Sedechias suæ superbiæ pœnas luens à rege Babylonis fuit excæcatus. 4. Reg. 25. & Apoca. 3. superborum hanc cum alijs descripsit esse pœnam superbi

Quæ excęcãr mentes mortalium.

Superbia valde excæcat hominem.

perbi cuiusdam. Tu dicis, inquit, Dives sum, & nullius egeo, & nescis quia miser es, pauper, & cæcus. Nihil sane tam decepit mentem humanam, quam superbia: vt illum decepit, cuius Abdias facit mentionem dicens, Superbia cordis tui extulit te, habitantem in sciſſuris petrarum, & exaltātem ſolium tuum. Et quā deceptus fuerit iſte declarat vates ſubdens. Si exaltatus fueris vt aquila, & inter ſidera poſueris nidum tuum inde detrahā te. Hæc igitur ſuperborum deceptio, ipſa eſt eorū cæcitas, vt & deceptio aliorum. Et hoc teſtatur Hiere. dicens. cap. 49. Arrogantia tua, & ſuperbia cordis tui decepit te. At commemorata alia vicia, vt auaritia, & luxuria, ſolum excęcant, ſeu decipiunt mortales, at ſuperbia latius ſerpit, quæ etiam dominatur immortalibus. Quandoquidem diabolum, & angelos eius ſuperbia excęcauit, atque ſeduxit, vt diuinos appeterent honores, qui vni Deo tribuendi erant. Hęc tria vicia, ſunt illa, quę Ioānes cōmemorat. 1. Ioan. 2. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcētia oculorum, & ſuperbia vitæ. Concupiſcentia carnis eſt, luxuria, & concupiſcentia oculorum, eſt auaritia: ſuperbia autem vitæ ipſa ſe prodit, quid ſit. Hæc ſunt ſtercora, quæ mortales excæcant, ea cæcitate, quæ à nullo, niſi à Deo tolli poteſt.

Superbia etiā immortales ſpiritus excęcat.

¶ Stercora ſanè ſunt excrementa animalium, quæ animalium natura, vt ſibi noxia curat expellere. Namque excrementorum retentio exitialis eſt, ideoque natura ſedulo hęc egerere ſatagit ſuæ ſaluti cōſulens. Itidem quoque voluptates nō neceſſariæ, vt opes ſuperfluæ, vt honores quibus homo non eſt dignus, ſuperflua quidem ſunt, quare hæc retinere noxiū eſt hominibus. Vtque voluptas carnis quædam eſt neceſſaria, vt ea quæ ex guſtu neceſſarij cibi, aut potus nobis accidit: aut ea quæ ex neceſſario coitu, qui eſt coniugalis coitus cōtingit. Sicut etiā ſunt opes quædam neceſſariæ, ſine quibus non viuitur: imo etiam ſpiritualia ſine temporalium præſidio ſubſiſtere nequeunt. Aliæ verò ſuperfluæ ſunt, eæ, inquam, quas homo ſibi parat ex turpi lucro, Demum ſunt honores quidā, quibus homo dignus eſt, & hos ſuſcipere aliquando eſt neceſſarium, ſi Eccleſiæ, aut reipublicæ poſcit vtilitas. Verum quando hęc cōmemorata ſunt ſuperfluā, tunc demum excæcāt hominem, quippe nō acquiruntur ſine peccato, aut non retinētur ſine peccato. Miſſam facio modo dubitationem illam, ſi teneamur ex præcepto diuino, ſuperflua iuſtè alias comparata erogare in eleemoſynas pauperum, quam in. 4. ſenten. diſſeruimus. Eſt autē obſeruandum duplicem eſſe cæcitatem, aliam intellectus, aliam vero affectus. Cæcitas intellectus, quæ maxima eſt, infidelitas eſt, & quæ ſub ipſa comprehenditur hæreſis. Hæc nāque cæcitas eſt deceptio contraria diuinę veritati reuelatę per ſcripturas, & propoſitæ per eccleſiæ catholicæ magiſterium: ideo infidelitas maxima & turpiſsima, & nocentiſsima deceptio eſt. Alia verò eſt cæcitas affectus. Quamuis enim voluntatis obiectū non ſit verum, ſed bonum, cæterū tranſfertur nomen cæcitatis in prauum affectum, qui vel eligit praua, vel refutat bona. Diximus enim ſupra veritatem vitæ eſſe mores noſtros, ſecūdum Dei componere regulam. Quando ergo non componimus ad hanc rationem, mendacium facimus, & ſeducimur: ideo huiuſmodi praua electio, cæcitas etiam nūcupatur. Omne igitur crimen ſecum habet cæcitatem: vel ipſum crimen eſt ipſa affectus excæcatio. Vnde Sopho. 1. Ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt.

Infidelitas eſt maxima & nocentiſsima cęcitas.

Cæcitas trāſfertur ad affectum.

¶ Cæterum tria cōmemorata peccatorū genera maiori nos afficiunt cæcitate, vt prædictum eſt.

¶ Reuocāt ſcholaſtici doctores an poſsit eſſe cæcitas affectus citra cæcitatem intellectus: id quod nobis non libet in præſentia diffinire, quia in diſputationibus Theologicis diffinimus, poſsibile eſſe hæc ſeparari, etſi in plurimū cęcitas affectus pediſſequa eſt cæcitatis intellectus. Quamobrem hac prætermiſſa diſputatione, poſtquā protulimus qualis ſit humana cæcitas, iam remedium eius exponamus. Et quidem Dominus tria tempe rauit incollirium tantæ cæcitatis. Puluerem terræ, ſaliuam cæli, & lotionem fontis Siloe. Namque expuēs in terrā Chriſtus ex puluere terræ, & ex ſaliua cæleſti ſua, ſcilicet lutum fecit oculare remedium, & miſit cæcum inunctum ad piſcinam,

Colliriū tria habet vt profliget noſtrā cæcitatem.

nam, quæ est fons Siloe, aut natatoria Siloe, dicebatur. Namque, vt in enarratione aiebam, pro eodem vsurpantur, piscina, & natatoria, quia ambo correspondent eidem vocabulo Græco.

¶Consideratio igitur quod nos ex puluere sumus facti, & in puluerem reuertēdi, prima est pars huius collirij. Memorare enim, dixit Sapiens ille, nouissima tua, & in æternum non peccabis. Si hūc igitur frequenter aspergimus, & imponimus mentibus nostris puluerem, exordium habet illuminatio nostra. At verò si puluis hic solus sit, potius iuuabit cæcitatem nostram, quam profligabit. Audi si non mihi credis, quosdam dicentes, Esa. 22. Comedamus, & bibamus cras, tina die moriemur. Vtique isti puluerem istum sibi imponebant, at excæcatiores inde euadebant. Tales etiam illi erant, qui dicebāt Sapi. 2. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum: & non est reuersio finis nostri, consignata est, & nemo reuertitur. Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuētute celeriter. Quo circa huic puueri, vt sit aptus collirio, miscere oportet saliuam cælestem. Est autem saliua hæc fides doctrinæ Christianę: fidei namque doctrina ab ore Christi processit, & ex sapientia eius defluxit, vt saliua nostra à capite nostro. Si ergo te consideras puluerem esse, misce Christi saliuā, vt illumineris, considera etiam, quod fides doceat Christū esse humani generis saluatorē, ipsumque futurū iudicem omnium hominum, & nisi pœnitentiam cito egeris, esse periturum æternō, & si hæc credideris, iam tibi paras illuminationem.

¶Porrò, neque hæc sat sunt tibi illuminando, & si iam in via constitutus es, vt illumineris. Etenim cæcus oculos habēs oblinitos luto ex puluere, & Christi saliua temperato, nondum illuminatos gerebat oculos, quousq; in fontē Siloe abijt, & lauit, & vidit. Non ergo paganis sufficit fides de doctrina euāgelica, nisi abeāt in baptismatis fontē, qui est Siloe fons, quoniam est Christi fons. Ito igitur pagane ad fontem hunc, lauaberis ex eo, & tunc clare videbis: fuge pessima dogmata docentium hoc æuo, baptismum non esse necessarium, sed solam fidem. At si sola fides sat est, cur cæco non sufficit fides, neque lutū, sed lotio ex fonte imperatur vt visum recipiat? Cur apud Matthæ. Surdo, & muto fides non sufficit, sed adhibitus fuit Domini tactus, & saliua, vnde depulsa est ab auribus surditas, & ab ore, loquelæ ligamentum? Quis enim dubitat hos fidem habuisse in Christum? alias eos nō curasset à morbis suis. Mar. enim. 6. nō poterat Christus in Nazareth virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum. Et in Tridenti. Cōcil. reprobātur hæretici isti. Sess. 6. can. 9.

¶Suscepta igitur fide Christi, petendus est fons Siloe, vt ibi lauentur pagani, ex qua lotione, mentis cæcitas, & affectus cæcitas profligabuntur. Mentis sanè cæcitas profligabitur per infusam fidem, affectus vero cæcitas per charitatis infusionem. Quia per baptismum omnia nobis donantur peccata.

¶Paralyticum autem illū, qui morosissimam passus fuerat infirmitatem, Christus sanaturus, non mittit in piscinā, sed verbo suo duntaxat sanat, dicēs illi, Tolle grabatum tuū & ambula. At verò cæcum hunc illustraturus, ad fontem Siloe iubet abire. Nunquid diminuta iam erat Christi potentia, quod paralyticum non lotum verbo sanat, & cæcum sine lotione non sanat? Non arbitror, sed potius gratia innuēdi mysterij factū esse ne dubita. Nempe, vt in priori gesto discamus, veteres illas purificationes fore à Domino abolendas, & ex posteriori nouas ex baptismo esse à Christo instituendas.

¶Hæc porrò illuminatio est illuminatio cæcitatis mentis, & affectus: quia baptismus vtrumque illustrat, & mentem fide & affectum charitate. At verò quia plærumque accidit vt à gratia baptismali excidamus, & illustrationē, quam ex Christi nobis impositio collirio suscepimus perdamus, quamuis enim illustratio mētis ex fide perseueret, illustratio tamen affectus aboletur, indeque cæci reddimur secundum affectum, quia seruata fide, charitatem amisimus: ideo Christus etiam aliud nobis collirium concinnauit, vt cæcitati affectus mederetur. Exibilandi namque sunt hæretici huius æui, qui contendunt, omne peccatum mortiferum, esse contra fidem, ad quos sequitur, cæcitatem affectus esse cæcitatē intellectus. Isti enim, quia semel desipuerunt

Ecclc. 7.

Infidelitas impedit miracula ne fiant.

Fides est saliua Christi.

Mt. 5. aperiens os suum docebat eos.

Sola fides nō sufficit ad iustificandum.

Baptism' purgat cæcitatē mentis, & voluntatis.

Hæretici ne otherici refelluntur.

runt dicentes solam fidē iustificare, processerunt, vt desiperent vehementius, omne peccatum tradentes esse contra fidem, quia sola fides apud eos iustificat. At verò si omne peccatum est contra fidem, omnis peccator est hæreticus, aut nullus est peccator, nisi infidelis, aut hæreticus. Porrò multi sunt peccatores qui fidem catholicam profitentur syncerè, quo modo ergo sunt hæretici? Et Iacobus docet aliam esse fidem mortuam, â fide viua, cap. 2. igitur potest esse fides in intellectu, & crimen in voluntate. & Cō cilium Tridentinum hoc dogma hæreticorum reprobat.

Sessio. 6. Cano. 27.

Est ergo alia cęcitas intellectus, alia affectus. In paganis est vtraque, in fidelibus altera. Fecit autem Christus collirium ad illustrandam affectus cæcitatem, instituens pœnitentiæ sacramentum. Et hoc sanè collirium est illud, cujus Apocal. 3. meminit, dicens. Collirio inunge oculos tuos vt videas: siquidem cum episcopo Laodicensi agebatur. Sapit autē collirium hoc temperamentum prioris: continet enim terræ puluerem, cæli saliuam & lotionem ex Siloetica piscina. Enim vero fideles hinc exordiuntur suā iustificationem, memorantes mortalia gestare corpora, & in puluerē vertēda, at animos dānandos æterno, nisi affectū purgent, id quod educti ex fide Christi credunt. Ideoque iungētes suū puluerē, cum fide Christi, timere incipiunt supplicia, & ideo dolēt de vita anteacta, & flēt crimina sua, quibus possunt lachrymis, & confiteri illa instituunt sacerdoti idoneo. Lachrymas igitur pœnitētię Siloe fontē esse nō inepties. Quo circa in cōcilio Tridenti. Sessio. 14. pœnitentia dicitur baptismus quidam laboriosus. Vbique igitur est baptismus, vbique lotio, at lotio in primo collirio suauis est, & non tanti laboris, quanti lotio in pœnitentia. Quā obrem aptè hoc pœnitentiale collirium per illud Angelicū, quod ministratum est ab Angelo Tobiæ seniori collirium adumbratur. Suscepit suum Tobias visum ex collirio amaro, imo amarissimo, quia ex felle piscis Angelus inunxit oculos eius, vnde clarè vidit. Tobi. 11. & nihil amarius felle. Tale est pœnitentiale collirium, quod amarum sanè est quia gemitū poscit, & lachrymas, non exteriores, si has fundere nequis, sed interiores. Sunt autē istæ contritio sufficiens de peccatis, & satisfaciendi animus, si facultas adfuerit ad toleranda ieiunia, vel ad eleemosynas erogandas, ad aliaue pœnitentialia præstanda opera.

Colliriū pœnitentiæ ex quibus tēperatur materialibus.

Pœnitentiale collirium amarum.

¶ Conueniunt igitur vtrunque collirium, quia ex eodem puluere, ex eadēque cælesti saliua constant, at discrepant, in fonte Siloetico. Nam fons primus, dulcium est aquarum, at fons secundus amaricantes habet aquas. Cæterum vterque fons est Siloeticus, vterq;, fons missi est, quia vterque fons Christi est. Idē enim Christus qui baptismum instituit, ad illuminandum intellectum, & affectum, instituit pœnitentiā ad illuminandū affectū.

Collirium baptismale, & pœnitentiale qui cōueniāt, & qui differāt

¶ Quapropter si pœnitentia illuminat voluntatem nostram, purgando eam ab noxis culparum, quibus obscurata est, restat, vt fideles, qui iam Christi gratia illuminato potiuntur intellectu, vt ad pœnitentiam conueniant, si maculatum, & obscuratum gerunt affectum, surgant à somno peccatorum, & illuminabuntur à Christo, iuxta Pauli consilium. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Pœnitentia enim tenebras fugat culpæ, & lucem nobis conciliat diuinæ gratiæ. Nos declamationibus quibusdam ad Esaiam, multa diximus de pœnitentia: ideo supersedendū est vberiori tractatui.

ad Ephe. 5.

¶ Porrò autem expendere non erit inutile cæcum quem euāgelica denarrauit lectio, post illuminationem suam, tentatū fuisse, & vexatum ab hostibus Christi. Primo quidem occulto, dein vero aperto marte. Primum enim blando sermone eum alloquuntur, exquirentes suæ cęcitatis illustratorem, si forsan blāditijs, mollefacere potuissent illum, & in blandientium ire sententiam. Blanditijs autē temerè tentatis, ad conuicia confugiunt, si forsan conuicia cæcus illuminatus horrens Iudæis assentiret. Istis quoque frustra tētatis, tandem ad opus venitur, & illum foras eijciunt. Quandiu igitur cæcus suam patiebatur cæcitatem, nullum sensit hostem, at vero postquā illuminatione fruitur, Iudęorū cętus fremit in ipsum iam blandiendo, iam conuiciando, iam foras eijciendo, eum vexant. An nō hæc etiam admonent, quod spirituali adepta

Post Christi acceptam gratiam tentandos relinquit suos Christus

epta illuminatione, nos esse parandos, ad ferendos ictus importunorum hominũ?

Eccle. 2. Neque enim ab re dixit Sapiens ille, Fili accedẽs ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.

2. Timo 3. Concinit Paulus, Qui piè volunt viuere in Christo dicens, tribulationem patientur. Enim vero contrarium suum contrariũ fugit, vt simile, suo simili gaudet. Quando ergo accedis ad Dei seruitutem, recedis à Diaboli seruitute, vnde cõtinuo tibi concilias inimicitias eorũ, qui à Diabolo stant. Namque nulla conuentio Christi ad Belial.

2. Corint. 6. Nulla societas inter lucem & tenebras, nullum denique consortium inter iustitiam, quam colis, postquã illuminatione cælesti gaudes, & iniustitiã, quam diabolus, & qui eius factionem sequuntur amant. Imo inter commemorata latissimum est dissidiũ, magnumque chaos, inter illa, vt inter summè contraria interiacet. Quo circa, sicut aduersus illuminatũ cæcum, armatur Iudaica, quæ diaboli erat turba: ita aduersus iustificatos iam, exque gratia Christi illuminatos, caro surgit suis illecebris. Quod si hæc vanos habet insultus conuicia hominum iniquorum non desinunt iustos infestare, eos hypochritas appellãtes, aut pusillanimes, aut alijs schomatibus, & dicterijs eos ferientes. Quod si neq; hac via ad impietatem suam proficiunt, alijs vijs nefarijs vtuntur, vt illuminatum à Deo ipsi excæcent. Id quod Dñs præuidens dixit. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Neque solum infidelibus odiosi sunt fideles, sed etiam iustificati fideles, quia iustitiam Christi amant. Sæpe sunt odio alijs fidelibus, quia iustitiam Christi ex operibus non sectantur. Cæterũ isti meminerint Christum dixisse. Qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis, qui in me credũt expedit ei, vt suspendatur in collo eius mola asinaria, & demergatur in profundum maris. Matthę. 18. Quasi dixisset, Melius esset huiusmodi scandalizatoribus, grauissimã ferre pœnam, qualis erat olim mola suspẽsa asinaria excollo demitti in profundum maris, quã fratres in via Dei perturbare. Huiusmodi enim recens conuersi ad Dominum, sunt tanquam paruuli in Christo, paruuli autem nutriendi sunt, nõ offendendi sunt, vt nouæ plantulæ, plantulæ autem huiusmodi ex minima lęsione, scinduntur, ideo nõ lædendæ, sed fouendæ potius.

Contra illuminatos scandala mouẽtur

Non sunt offendendi qui conuertitur ad Dominũ neque turbãdi.

Noue illuminati a Domino sunt tanquã paruuli in Christo sunt tanquam nouelę plãtationes, ideo foucndi.

¶ Porrò antẽ, vt cæco illuminato, in postrema tentatione, quam superauit non deserendo Christi confessionẽ, Christus affuit: ita quoq; & illuminatos spiritualiter, si in benè cęptis persistãt, Christus aderit. Cum ipso, inquit, sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Psal. 90. Fidelis est enim Deus dixit Apostolus. 1. Corint. 7. qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tẽtatione prouentum. An non fuit ex tentatione egregius cæci illuminati prouentus? Eiectus fuit à cætu Iudęorũ, & exceptus fuit in numerũ Christi discipulorum: eiectus est à templo ruituro, & receptus in templum stabile, quod est Christi Ecclesia. Desiuit esse membrum Synagogæ, & factus est mẽbrum Christi. Aspicisnè quãtus fuerit hominis huius ex patientia tribulationis prouẽtus? Eundem tu sperato, prouentum si æquo feras animo insultãtium tibi prauorum hominũ importunitates ex eo quod iustificationem amas, & peccata deseris.

ENARRATIO I.

In caput decimum.

¶ *Amen, amen dico vobis.*

Continuatio 10. cap. cũ. 9.

CHrysostomus nectit hoc caput cum priori dicẽs Christum dudum dixisse se in iudicium venisse in hunc mundũ, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Quia igitur Pharisæi erant huiusmodi, qui se existimabant esse sapientissimos in sciẽtia scripturarũ: indeque sibi arrogabant plebium magisterium, & earum pastorale officium legitimè se administrare putabant. Ostendit Christus, eos sanè non esse veros doctores, & pastores populi illius. Imo veros esse fures, & latrones, tantum ab est, vt essent veri pastores. Vnde sunt qui putant hoc caput non bene distinctum esse, secundum sectionem quam modo sortitur. Quia eius initium debuisset esse ab illo loco. Ego in iudicium veni, &c. Postquam enim cælo relata dixerat, & Pharisæis dixerat

xerat ipsos in peccato manere, quia non agnoscebāt suam cæcitatem, subiecit cōtinuo, Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium, &c. Cæterum continuatio huius cap. cum priori satis patet, ideo vnde aptius sumenda veniat eius distinctio à priori parum est curandū. Sufficiat nobis antiquam & probatam esse vulgatam hanc distinctionem.

¶ At vero Dominus mirum est quam feriat modo arrogantiā Magistratuum Iudæorum, & eorum mores pessimos insinuet. Subnotat enim ex parabolico sermone, & nō admodū aperto Iudæorum principes, & qui illius populi moderamina tenebant, non fuisse veros moderatores reipublicæ illius, sed potius fures, & latrones. Hoc idē Esai. c. 1. prędixerat dicēs, Principes tui infideles socij furū, diligūt munera sequuntur retributionē. Quæ verba notāt magistratuum illorū vicia fuisse non seruare fidē, quam pollicebātur de rectè administrāda republica, & esse affectos auaritia: vnde corrumpebāt iudicia, & diuinas leges. Et ante hæc verba eorundē petulantiā, & libertatem in peccando ostenderat, dicens. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, &c. per ciuitatem Hierosolymam significās. Vnde subdit, Plena iudicij, iustitia habitauit in ea nunc homicidæ. Et Lucæ. 11. apertè Dominus insultat ex eadem causa principibus istis dicēs, Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentā & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem. Præteribant autē iudicium iniurias grauissimas faciendo plebi sibi creditæ, vt illi ministrarent iudiciū. Eosdem etiā de furto, & latrocinio notat Dominus. Lucę. 20. Deuorāt, inquit, domos viduarū: itaq; erāt isti ambitiosi honoris. Amāt, inquit, Dñs salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs. Vnde gratia huius honoris parādi hypocrisi abū dabant. Et rursus sub hypocrisi sua furta, & latrocinia palliata, quodam sanctitatis colore exercebāt. Hoc ergo idē modo Dominus figurato demonstrat sermone. Proponit enim iudicia latronis, & furis esse, non intrare per ostium in ouile ouium, sed ascēdere aliunde: fures enim suæ immunitati consulentes fugiunt loca publica, ne apprehendantur, & per loca secretiora sua intentant facinora. Est autem locus publicus ostium: ideo ostia fugiunt, & sepes, vel septa occultiora conscendunt via sibi tutiori, vt liberius furentur, aut latrocinentur. Dñs autem, ex cōmuniter accidentibus docet signa furis & latronis. Nāque accidere potest, adulterādo claues, vel frangēdo ostia, per ostia fures, ingredi, vt furentur maxime si fures sunt nocturni. Sunt enim fures quidam nocturni, & isti sunt nocentiores, quia dormientibus hominibus, ipsi sunt peruigiles ad furta committenda. Alij vero sunt diurni, & quia ab his nos defendere facili⁹ possumus, quia eos sentire cōceditur, ideo sunt minus noxij. Est autē discrimen inter furem, & latronē: fur enim clanculum furatur, astu vtens, & technis occultis, at latro non technis, sed vi armatur ad latrocinia, vt sunt grassatores, qui viatores spoliant ex violentia, & pecunijs, & sæpe vita.

Discrimē inter furē, & latronem.

¶ Subindicat igitur Dominus, principes Iudęorum, esse fures qui se pastores alias esse profitebantur reipublicæ Iudaicæ, quā subnotat ex nomine ouilis, & stabuli, nam Græce stabulū habetur, scilicet, αὐλὴ, quæ vox stabulū, vel septum intra quod oues cōtinentur significat. Verum interpres trāstulit ouile ouiū, volēs significare stabulū ouium. Nam stabulū non solum est ouiū, sed aliorum etiā armentorum. Porro Dominus solū memini de stabulo ouiū, non de stabulo aliorum armentorū. Quia populus fidelis, qui Dei vere cultor est, ouile est, seu stabulum est ouium, iuxta illud Psal. Nos autem populus eius, & oues pascuę eius, Psal. 78. & sæpe alias. Significatur enim ex nomine ouis, fidelis populi morum synceritas, atque simplicitas. Quia cum simplicibus. Prouerbi. 3. est sermocinatio Dei. Sunt autem simplices audiendi hoc loco ij, qui nō vtuntur astutijs, & fraudibus ad decipiendū proximos suos sed in veritate vitæ ambulant, vt Paulus monet. Ne quis in negocio circunueniat fratrem suum. 1. Thessalo. 4. Et Dominus, idē hortatur dicēs, Estote simplices sicut colūbę. Mat. 6 Quia ergo ouiles mores, sunt simplices valde, quia animal est nō astutū, vt vulpes, neq; habēs arma ad sui defensam, vt boues, capræ, vrsi, & alia hoc genus armata à natura animalia,

Atrium aula septum ouiū.

Cur fidelis populus ouili cōfertur.

sed egens hominis custodia, vt ab offendentibus lupis liberetur, ideo Dominus ouili confert fidelem rempublicam, cuius est in veritate ingredi, & nulli nocere, quæ eget maxime præsidijs suorum prælatorum. Porrò Iudæorum præfecti non erant veri pastores, illius ouilis Iudaici, sed fures & latrones. Sane ex eo appellat eos fures, quia simulata sanctitate sub sua hypochrisi, deuorabant domos viduarum, Lucæ. 20. Et sub palliata isti doctrina, parentes orbabant sub fidio suorum filiorum. Ea enim quæ filij tenebantur exhibere parentibus infirmis ad vitæ paternæ præsidia, sub obtentu religionis, donanda templo docebãt Pharisęi, vt donata tẽplo, sibi corraderẽt, Matthæ. 15. Vnde cõcinne, illis aptauit Dominus nomẽclationem furũ. Rursus latrones aptissimè à Domino sunt cognominati, qui non solum fraudulẽter, vt diximus, expilabãt populi facultates, sed etiam erant manifeste iniurioſi plebi: vt testis est cæcus, de quo cap. 9. Euãgelista commemorauit. Quem propter Christi cõfessionem, ex synagoga sua, & ex templo suo turpiter eiecerunt, quia tulerant excõmunicationis sentẽtiam in eos, qui in Christum crederent. Vnde violenter, cogebãt homines ex decretis ab ipsis pœnis ne crederent in Christum, quo nullum peius facinus excogitari poterat. Neque solum Dominus inuectus est in hos nomine tenus pastores, & re ipsa fures, & latrones, sed & antiqui vates, eandem causam contra eosdem versarunt. Vnde Hieremias. 23. Hæc dicit Dominus ad pastores, qui pascunt populum meum. Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos. Vocat pastores populi illius magistratus, quã nomenclaturam Homerus Agamẽnoni indidit, vocans eum pimẽna lacon, idest, pastorẽ populorum. Et maximè expostulat Dominus, cum istis pastoribus Israel, per Ezech. 34. Vę, inquit, pastoribus Israel, qui pascebãt semetipsos, nõne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autẽ meum nõ pascebatis. Quæ omnia hos pastores ex antiquo esse fures, & latrones reipublicę Iudaicæ, haud dubiũ demonstrant: siquidem vti lacte, vti lanis ouiũ, & crassas occidere oues, &c. vtiq; deniq; bonis ouiũ, & illas nõ fouere, sed potius disperdere, vtiq; furtum, est, & latrocinium. Merito igitur euangelica lectio, hæc nomina illis indidit, quæ antiqua prophetarum vaticinia insinuarunt. Est autem causa euangelica cur isti titulares pastores, erãt fures & latrones, quippequi non intrauerunt per ostium, sed aliunde conscenderunt in stabulum ouiũ. Intrare autẽ per ostium est legitimus introitus, conscendere vero per aliam viam, est violentus, & iniurius ingressus. Qui ergo secundũ Dei timorẽ, & amorẽ gubernacula populorum suscipiunt administrãda, equidẽ per ostium intrant ad gubernandas Dei oues. Sũt enim timor Dei, & amor ostiũ per quod tutissime intrat homo, ad gubernandum Dei Ecclesiam. Enimuero, hæc duo principium sunt acquirẽdæ, & possidendæ diuinæ sapientiæ quæ in primis gubernatoribus legitimis est necessaria. Initiũ enim sapiẽtiæ timor Domini, sub quo comprehenditur & Dñi amor. Sapi. 1. Vnde in Prouer. c. 8. Ipsa sapiẽtia fatur dicens, Beatus homo, qui vigilat ad fores meas, & obseruat ad postes ostij mei. Sunt autẽ fores sapiẽtiæ diuinæ, & postes ostij ad inueniendã sapientiã Dei, timor Dei, & amor Dei. Et qui vigil fuerit, in timendo Deo, & obseruator diuini amoris, hic dubio procul inueniet sapientiam ad gubernandum Dei populũ. Quo circa Salomõ, cõstitutus rex à Deo super totũ Israelẽ, hanc sibi petiuit sapiẽtiã à Deo. 3. Reg. 3. vt rectè administraret munus regiũ sibi à Deo concreditum: & quia petiuit rẽ sibi necessariã, impetrauit quod petebat. Qui vero post habito Dei timore, & amore, gubernacula suscipiũt, & eadem administrant: vt ij sunt, qui ex ambitione, vel ex auaritia, vel alia quauis iniusta causa, illa cupiunt administrare. Isti ascẽdunt aliunde: violenter enim se intrudũt in administrationem, & non legitime ingrediuntur. Isti non quærũt Dei gloriã, sed suum fastum exquirunt: isti rursus non ouiũ vtilitatẽ, sed sua poscunt cõmoda. Nõ enim pascũt gregẽ legitima gubernatione, sed seipsos pascũt ex tyrãnica administratione: tales enim esse tyrãnos Aristo. docet in polyticis. Qui vero Dei gloriã, non suũ ambiũt honorẽ qui ouiũ Dei cõmoda, & nõ sua requirũt.

Magistratus Iudæorũ cur aptè fures dicũtur & latrones.

Ab antiquo Iudęorũ principes fures & latrones.

Quid sit intrare per ostium quid aliunde conscendere.

Timor Dei est ostiũ per quod ingressus est legitimus pastorũ ad gubernandũ Dei ouile

isti

istī sunt legitimi pastores, qui per ostiū diuini timoris intrauerunt in ouile Dei administrandum, siue Ecclesiastici sint moderatores, siue seculares. Tales promisit Deus pastores daturū se ouili suo dicens. Suscitabo super eos pastores, & pascēt eos, Hier. 23. Et per Ezechie. 34. gregi suo pollicetur nō futurū eum vltra rapinam, vt significaret pastores illos, qui tūc pascebāt, raptores esse, potius quā pastores. Quidquid igitur opponitur timori Dei, est repugnās ingressui per ostiū. Vnde hęreticus non ingreditur per ostium: quia Dei timor falsus hæreticorū expellit doctrinas. Simoniacus non intrat per ostiū, quia gratiā Dei existimat pecunia possidere: intrusus nō venit per ostium, quia manu armata intēditur in possessionē dignitatis, aut beneficij Ecclesiastici, timor autē Dei non irrogat irreuerentiā locis sacris. Dolosus etiā, qui bullis subreptitijs, aut periurijs, aut qui exquisitis fraudibus, alijs ad beneficia promouetur Ecclesiæ, non intrat per ostium, quia timor Dei fraudem non habet, sed potius dissoluit. Est autem obseruandum hoc vocabulū, ostium, iam propriè, iam translatitiè vsurpari in diuinis literis. Et translatitiè multifariam. Iam enim significat consensum nostrum ad diuina: vnde illud, Apoca. 3. Ego sto ad ostium, & pulso, &c. Incitat namque nos Deus semper, vt sibi, nos vocanti pareamus. Vnde qui cōsentit Deo vocanti aperit ostium, qui vero non consentit clauso detinetur ostio. Iam significat sensus nostros, vel animum ad sensibilia, ideo Dominus, Matthæ. 6. Oraturis claudendum iubet ostium: quia oportet orantes, non quærere vānum populi applausum, sed Deo soli intendere placere. Id vero liberum adaudiendū Dei verbum consensum significat, vnde traditur. Actor. 14. Quod aperuisset Deus gentibus ostium fidei. Quippe gentes illæ volebant iam audire verbū Dei, & hoc placitū Deus donarat: vnde gentes erāt recepturæ euangelium ideo ajt esse apertū gentibus ostiū fidei. Iā vero significat timorē Dei, vt modo. ¶ Non me latet aliā esse interpretationē Chrysosto. quē sequitur Theophila. per ostium enim significatur apud illos, hoc loco, diuina scriptura, quæ quia docebat Christū, & hanc doctrinā non audiebāt Iudei, ideo nō intrabāt per ostiū, sed aliū de ascendebant, ex suo cerebro recipientes nō veros Messias, pro veris: vt Theodam, & Iudam. Acto. 5.

¶ Veruntamen, quia ostiū est locus patētissimus, vnde Aristo. principia scientiarum, quia sunt patētissima, & per se nota, vocat fores, & ostia scientiarū: ideo videtur cōgruè etiā me dixisse timorē Dñi esse ostium, quod debēt pastores petere, quia nihil est patētius, quā hoc principiū Deus est timēdus, & amādus. Et quāuis omnib⁹ incūbit per hoc ingredi ostiū, vt recte viuatur, at maximè pastoribus omnibus, siue ecclesiāsticis siue secularibus, quia regimē populi Dei versant: vnde sepe multis est occasio ruinę. Namque ijs, qui humilia ingrediuntur loca, non est occasio magnæ ruinę vt ijs, qui sublimia tenent loca, quales sunt sublimes personæ: quibus sicut bene ministrantibus, vberior imminet præmiatio, ita male ministrantibus grauior imminet cruciatio.

¶ *Qui autem intrat per ostium pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocē eius audiūt. Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas.*

Est pastor vnus præcipuus ouium, sunt alij subpastores, quibus ipse præcipuus pastor curam & administrationem ouiū concredit. Præcipuus pastor est Dominus ouium, quia oues sunt eius. Cæteri vero, non sunt domini ouium, sed ministri ex mercede conducti ad ouium curam administrandam.

¶ Intrant autem per ostium ouilis, non solū ipse pastor, qui est Dominus ouiū, sed etiam alij subpastores. Cæterum quia isti ex autoritate prēcipui pastoris, intrant per ostium: ideo verum est verbum Domini: qui autem intrat per ostiū pastor est ouium. Nam huius sunt claues ostij: ideo quando ipse aperit ostium ex propria sui pastoralis officij, & dominij, quod habet in oues facit: quando, alijs committit claues, vt aperiant ostium ouilis, quia eius mandato fit, apertio ostij, ipse censetur aperire. Et qui hoc modo intrant, non intrant ad malum ouium intentandum, sed ad earum curam gerendam. Qui vero non hoc modo intrant, sed vijs exquisitis, vel conscendendo septa, si sublimia valde non sint, vel infringendo ea, si altitudo eorū ascensum non permittat, isti non sunt

Simoniacus intrans dolosus.

Apocaly. 3.

Pluribus variam vsurpatur hęc dictio ostium in sacris scripturis.

Ostium est locus patentissimus.

Pastor subpastor.

pastor ouium, neque autoritate pastoris faciunt, sed propria audacia faciũt. Ideò quando intrant hoc modo, non vt benè consulant ouibus, sed potius vt male illis consulant intrant. Quippe ingressus hic est ad perdendum oues, vnde est ingressus iste in iniuriam pastoris, quia violat suum ouile, & eiusdem perdit oues.

¶En tibi primũ iudicium proprij pastoris, quod intrat per ostium in suũ ouile.

Iudicia euangelica ad cognoscẽdũ propriũ pastorẽ.

¶Secundum vero iudicium, quod si forte intrinsecus sit clausum ostium, pastori pulsanti ostium, ostiarius, qui intro est existens confestim aperit ostium. Alieno vero pulsanti, non referat ostiũ, quia extranei violentiam timet. Tertium iudicium est, quod pastoris vocem oues audiunt, hoc est, voci proprij pastoris obtemperant oues. Habent namque pastores ouium certas, quas formãt voces, vel signa, siue sibilũ, siue cornu, quibus vocant suas oues, & oues ad vocẽ huiusmodi, vel signum agminatim conueniunt. Quod vero Dñs ait, Et proprias oues vocat nominatim hoc sanè verũ est, de ipso summo pastore Christo, qui mysticè est pastor omnium hominum, quippe ipse nouit nomina electorum omnium, imo & reproborum. Quamuis, quia reprobos odio habet, eorum nomina se non agnoscere testatur dicens. Amẽ dico vobis, nescio vos. At vero de pastoribus materialibus, non est necesse pastorem scire omnia nomina ouium suarum. Quippe accidit quod sit numerosissimus grex, vnde tunc nomina non possunt sciri omniũ ouium à pastore vno, etiã si concedimus oues habere nomina. Quidquod nominibus plerũq; orbantur, nisi accidat modicum gregem ouiũ, nominatas ex aliqua circunstantia oues habere. Cæterum, vt plurimũ sunt sine nominibus proprijs, sed ex charactere illis impresso pastor proprius, proprias oues discernit ab alijs. Nisi forte apud Palęstinos oues nominibus gaudebant, & hũc morem Dominus expressit dicens. Et proprias oues nominatim vocat, quid per ostiariũ veniat intelligendum infra aperietur. *Et ducit eas.* Sanè educit oues suas ad pabula, & hoc est, quartũ pastoris indiciũ suas educere, & deducere oues, ad legitima pabula. Nam cũ sint propriæ pastoris oues, huic incũbit, illis prouidere de pastu congruenti, atque potu. Christus autem, qui est verus pastor oues suas educit de ergastulo corporis, & deducit in æterna illa beatitudinis pabula, & ad fontes aquarum vitę illos sempiternos adaquat eas. Apo. 7 Quoniam torrente Deus voluptatis suæ potabit sanctos suos. Psal. 35.

¶Tunc igitur ex stabulo ouium vel ouili, quod est Ecclesia militans educit suas oues Christus, ad pascua illa sempiterna, vbi satiabuntur visa Dei maiestate iuxta Dauidis verbum. Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua Domine. Interlinealis exposuit aliter, Educit eas de Ægypto ad doctrinam vel regnum. Theophilactus, educit eas de cætu infidelium, ad cætum fidelium, vt cæcũ eduxit de medio Iudæorum ad cognoscendam veritatem. Cæterum videtur germanior prior sensus. *Et cum proprias oues emiserit ante eas vadit, & oues eum sequuntur, quia sciunt vocem eius.* Emisit Apostolos suos Dominus dicens eis, Ecce ego mitto vos, tanquã oues in medio luporum. Lucæ. 10. Proprias oues, rursus omittit, quando singulis ouibus talenta distribuit. Matthæ. 25. dicẽs eis, Negociamini dum venio. Lucæ. 19. Et ipse Christus distributis talẽtis singulis fideliũ ante eos vadit verbo docẽs eos vt optime negocientur tantisperdũ ipse reuertitur. Ante eos item vadit, illis relinquens exemplũ, vt sequerentur vestigia eius. 1. Petri. 2. Christus passus est pro vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Porro ad Ephe. 4. traditur. Et ipse dedit quosdã quidem Apostolos quosdam autẽ prophetas, alios vero euãgelistas, alios autẽ pastores, & doctores ad consummationẽ sanctorum. Quosdã ergo suo ęterno cõsilio emisit in Apostolos, alios emisit in Prophetas, alios in Euãgelistas, alios in Pastores & Doctores. Ad hæc alios in Martyres, alios emisit vt essent Cõfessores, alios vt virginitatẽ colerent, alios vt aliarũ virtutũ essent eximij obseruatores. At vero ante hos omnes ipse vadit Christus, qui est Dñs Apostolorũ magister Euãgelistarũ, illuminator Prophetarum, Princeps Pastorum, Doctor, doctorũ, Martyr, martyrũ, Virgo virginum, & demum corona omnium sanctorum. Ad hæc vadit ante eos quia omnes pręcedit natura diuinitatis, & excellẽtia humanitatis. Vadit pręterea

Christus se fecit ministrũ cum esset pręcedẽs omnes

ante

ante omnes, quia est omnium Dominus & magister. Si ergo, inquit, Dominus, & magister laui pedes vestros, & vos inuicem debetis lauare pedes, Ioannis. 13. Emittit igitur omnes electos occultis inspirationibus, eos destinans ad certa munera obeunda ad gloriam Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, at vt illa munera præstēt ad quæ destinantur à Christo, ipse Christus auxilium præbet interius, & seipsum offert in exemplum omnis patientiæ, & humilitatis, & totius sanctitatis exterius. *Et oues eum sequuntur.* Quidam sunt oues secundum præsentem iustitiā, qui non sunt oues secundum æternam Dei prædestinationē, & contra alij non sunt oues secundum præsentem considerationem, qui sunt oues ex æterna Dei ordinatione. Ideo infratradit, Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili significans gentes, quæ erant id temporis idololatrę, & non erant oues secundum prę sentem tunc statum, esse oues nihilominus secundum Dei præsciētiam. Et sunt nonnulli fideles in gratia Dei degentes modo, qui tandem perdentur, vt apostolus Iudas aliquando vixit Deo gratus, quippequi fuit electus à Christo in Apostolum, qui tandem crepuit medius, & iuit in locū suum. Oues igitur secūdum Dei æternā prædestinationē vocē Christi, hoc est, mandata eius audiunt. Quia quāuis aliquādo non audiāt finaliter audient. Prædestinati enim cū suis ad vitā æternam diem extremū claudent sub diuina gratia. Fideles autē quidam qui secundum Dei prę scientiā reprobati sunt, etiam si Christi vocem aliquando obseruent, & Christi exempla sequantur, tamen tandem in hircos, aut lupos vertentur. Hæreticos enim scimus fuisse fideles, & iustificatos fuisse ex baptismi gratia, at verò pleriq́ue eorum, impœnitentes defuncti sunt, ideo isti nō erant oues Christi, secundum Dei prædestinationem, sed potius lupi contra Christum: tametsi pro tempore, qui fidem catholicam, & Christi præcepta seruarūt oues Christi eos fuisse certo dixeris. Sūt enim oues huiusmodi, non oues irrationales, sed rationales, & liberi arbitrij, ideo proprij arbitrij est electio, vel subsistere in ouili Christi, quod est Ecclesia, aut in ouile semel admissus, per baptismū, per hæresim, nihilominus, aut apostasiam, aut per schisma ab hoc ouili exire. Et sicut quidam ex ouibus exeunt à proprio ouili Christi, cui se inseruerāt prius, per fidem, & sacramenta, ita alij, qui non erant secundum statum præsentem ex Christi ouili recipiētes baptismi fidem, transeunt in Christi ouile, in quod erant tandem ascribendi secundū Dei præordinationē. Vnde. 1. Ioan. 2. de prioribus dicitur, Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis permansissent vtiq́ue nobiscum, sed vt manifesti sint, quia nō omnes ex nobis. Quæ verba Augu. super Ioā. Homi. 61. exposuit. Erant ex nobis quo ad sacramenta, sed non erāt ex nobis quantū ad meritum: vel quia hæretici ex fidelibus se fecerunt hæreticos prodierunt ex nobis, quia ab Ecclesiæ vnitate se subduxerunt. Ideo non erant ex nobis secūdum Dei præscientiam, at prodierunt ex nobis secundum statum iustitiæ præsentis. Vnde Vvicleph garriens reprobos non esse de Ecclesia, neque posse esse iustos, nisi solum secundum apparentiā, & assumens hunc locum in argumentū sui dogmatis deceptus est. Quia ergo homines sunt oues rationales, liberā habēt electionē: ideo Deo auxiliante possunt ex infidelibus, fieri fideles, & ex iniustis iusti, aut ex propria iniquitate fidem professam deponere, & infidelitatem illi præponere. *Ante eas vadit.* Pastores corporales sequuntur oues, & non præcedunt, ideo videtur hoc dictū Domini non de corporali pastore, sed spirituali esse intelligendum. At vero sunt qui asserant alicubi, vt in Brabantia pastores præcedere oues, & oues sectari suos pastores, quem morē forsan Iudæa, tum obseruabat: in quem morē dixit Dñs oues sequi pastorē. Verum quale quale hoc fuerit, nostra nihil interfit, sufficit enim pastores mysticos prę cedere suas oues, vt quas dignitate officij antecellunt, eas quoque sanctorum morum studio prę cedant. At verus pastor Christus, præcedit suū gregem, ideſt, totā christianam Ecclesiā, & sequitur eandē si quidē ipse suos sua gratia præuenit, & eosdem sua gratia sequitur, vt precatur. Tua nos Dñe gratia semper & præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præbeat esse intentos.

Oues aliæ secundū prę sentem statū aliæ secundū Dei prę ordinationem.

Liberi arbitrij quod homo ex Christi oue, faciat vel hircū vel lupum contra Christum.

Locus ex catholica Ioan. obscurus elucidatur.

Vvicleph refutatur.

Gratia prę ueniens, & sequens.

Alienũ autẽ non ſequuntur, ſed fugiũt abeo, quia non nouerunt vocem alienorum. Proprius paſtor quis ſit ex ſignis quibuſdam à Domino eſt deſcriptus. Quippe, ille intrat per oſtium, & oſtiarius illi aperit: vocem eius oues ſciunt, & eum ſequuntur oues, & ipſe præcedit ductando eas. Et quia contrariorum eadem eſt diſciplina. Alienus paſtor facilẽ ex oppoſito habet deſcriptionẽ. Siquidem is eſt qui nõ intrat per oſtium cui oſtiarius nõ aperit, cuius vocem ignorant oues, quẽ non ſequũtur oues. Id quod Dñs modo verbo vno explicat dicens, alienũ, &c. vt catholici non ſequuntur hæreticos, aut ſciſmaticos doctores, aut prælatos. Nõ ſectantur Lutherũ neq; Zuingliũ, & reliquos hæreticos ſiue neothericos, ſiue veteres: & doctrinam horũ reſpuũt, & tanquã vocem alienorum fugiunt. Vnde dixit Sapiẽs ille, Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Et Moſes ex lacte Ægyptia co non eſt nutritus, ſed ad vbera matris ſuæ. Quia hæreticorũ ſermones, quãuis candore lacteo, & dulcedine polleãt, nã exornatiſsimis vtũtur verbis, & latiniſsimis, at vero lac hoc eſt Ægyptiacum, lac hoc eſt alienorũ, vox non proprij paſtoris vox. Quãuis ipſi blaterant nos audire alienos, & ipſos audire vocẽ proprij paſtoris. Quippe autumant ſe tantũ audire euangeliũ Ieſu Chriſti, nos vero audire voces hominum, & non Dei, vnde & Papiſtas nos eſſe proclamãt. Sed revera ipſi audiunt voces alienorũ: quandoquidem euangeliũ audiunt ſecundũ propriã ipſorum expoſitionẽ, quam cõmentãtur cõtra Eccleſiæ autoritatẽ. Si ex euangelica voce inſtruimur. Qui vos audit, me audit. Lucæ. 10. Prõptum eſt vocẽ paſtoris eſſe, vt audiamus apoſtolos Chriſti, per quos, etiã ſucceſſores apoſtolorũ eſſe intelligendos, ex Pauli aduertimus præcepto. Subditi, inquit, eſtote præpoſitis veſtris, ad Heb. 13. Et equidem non ſolum populus Iſraeliticus obediuit Moyſi, & Aaron, & alijs ſenioribus, quos Moyſes inſtituit, ſed etiam defunctis iſtis ſucceſſores in eandem ſunt recepti autoritatẽ. Si ergo iſte honos delatus eſt à Iudæis ſucceſſoribus Moyſi, & Aaronis, & cæterorum ſeniorũ, cur non deferetur idẽ honos ſucceſſoribus Apoſtolorum à fidelibus? Lutherani igitur qui Papam, Petri ſucceſſorem contemnunt, & Epiſcopos ſucceſſores Apoſtolorũ ſpernunt, non audiunt vocem paſtoris Chriſti, ſed vocem rabidi lupi Lutheri, qui ex proprio cerebro aſcendit in ouile Chriſti comminuẽs ſepta huius ouilis, quæ ſunt ſanctorum patrum decreta, & ſuffuratus eſt oues Chriſti & illas mactauit, & deſtruxit. Hic non intrauit per oſtium, docendo ea, quæ ſancti patres docuerunt, ſed aſcẽdit aliũde vtens fauore malignorum principũ Germanię, vt eccleſiã Dei peſſundaret. Audiuit Lutherus nõ vocẽ Chriſti, ſed vocẽ diaboli cuius vtens magiſterio, oues Chriſti Germanos inquã dilaceranit. Itẽq; & alij hæretici non vocem paſtoris Chriſti audierunt, ſed vocẽ alienorũ, quia vocem diaboli, & angelorum eius. *Hoc Prouerbium dixit eis Ieſus, illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.* Prouerbium vſurpatur hoc loco pro parabola: quia habet metaphoram admixtam. Verum quia parabola hæc erat obſcura, ideo fugiebat auditores Iudæos. Vtebatur Dominus parabolis, vt exerceret auditores obſcuritate parabolę, & incitaret eoſdem, ad quærendã intelligentiam: & quia Iudæi indigni erãt, vt clarè illis proderetur Dei verbum, vt alibi diximus. Vnde Dominus ait, apoſtolis, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem omnia in parabolis fiunt. &c. *Dixit ergo eis iterum Ieſus, Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium, omnes quotquot venerunt fures fuerunt & latrones, ſed nõ audierunt eos oues. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur. Et ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Sanè Chriſtus eſt oſtium vitæ, & ſalutis æternæ, de quo illud extat Canticorum. 8. Si oſtium eſt, compingamus illud lignis cedrinis: conſtat namque Chriſtus ex lignis Cedrinis. Quippe ex diuinitate, & humanitate, diuinitas namque æterna eſt, & incorruptibilis: humanitas quoque eius iã beata immortalitate fruitur. Quia iam non moritur, neque mors illi vltra dominabitur. Theophilactus credens cum Chryſoſtomo, ſanctam ſcripturam eſſe oſtium, torquetur ex hoc loco docente Chriſtum eſſe oſtiũ, qui alioqui non eſt ſacra ſcriptura. Reſpondet tamen Chriſtum eſſe ſermonẽ Dei. Cæterum cum ſcriptura ſit ſermo creatus, &

Symbola pro prij & alieni paſtoris.

Prouer. 1.

Exodi. 2.

Lutheranum dogma refellitur.

Hæretici nõ audiunt vocẽ Chriſti.

Chriſtus

Christus sermo increatus, forsan non diluitur obiectio proposita. Nobis item diluendus est scrupus alter, quia diximus timorem Dei esse ostium, nunc autem Christus se asserit esse ostium, at Christus diuersus est à timore, quem habent homines Dei.

¶ Porrò autem quod Christus se vocat ostium, non est intelligendum corporaliter, quod sit ostium, per quod corporalis pateat, ingressus, & egressus: sed solum est ostium spiritualiter. Vnde nihil inconuenit Christum esse ostium, & eundem esse pastorem, vt ipsemet est pastor, & agnus est appellatus à Ioanne, quæ alioqui si corporaliter essent audiēda repugnantiam haberent. Christus igitur, etiā si pastor est, & ostium, non respectu sui, ne dicamus quod ipse intrat in seipsum: vt etiam est pastor, & agnus, non quia ipse se pascit, sed quia cum sit innocentissimus, ecclesiam pascit. Verū nihil incomodi est si dixeris Christū intrasse per seipsū in ouile vt Augusti, post hęc docebit. Christus igitur volens ostēdere fidem suā esse necessariam ad possidēda regna cęlestia testatur se esse ostiū, subaudi ad vitam æternā consequendā. Quoniā qui crediderit, & baptizatus fuerit saluabitur, qui vero non crediderit cōdemnabitur. Non ergo iam solus timor Dei est ostium, quippe quantumlibet quispiam asserat se timere Deum, nisi habuerit fidem Iesu Christi non poterit saluari. Semper equidem iusti habuerūt fidem Christi, etiam ante aduentum Domini, verum illa fides erat de Christo obscura, & implicita, ideò ex hoc deficiebat à ratione ostij: Namque ostiū est notissimus locus. Postquā vero fides Christi, iam explicata est, & euulgata in orbē, ostium est Christi fides, quippe vniuersi qui salutem ęternam cōcupiscunt fidem Christi explicitam si non habuerint, frustra concupiscunt. Hoc ergo est, quod Christus intendit docere modo, dicens se esse ostium. Non ergo quod diximus supra Dei timorē esse ostium per quod sunt ingressuri, qui ad pastoralia munera aspirant, soluit hoc quod Dominus nunc se vocat ostium. Nam ipse Christus, hunc timorem Dei docet Matth. 10 dicens. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. sed potius timete eum, qui postquam occiderit corpus, animam potest mittere in gehennam. Oportet igitur iam post euulgatum euangelium timere Deum, vt Christus ex sua, quā docuit fide, decernit timendum, & amandum. Christus igitur est doctor huius timoris, autorque eius, & obiectum eius, qui ipse timendus & amādus est ab omnibus, qui salutis æternæ auidi sunt.

Christ⁹ ostiū est pastor ostiarius mystica & translatitia significatiōe.

Christus non intrat in seipsum sed per seipsum intrat in ouile ouiū

¶ At verò dicet aliquis, Multi habent fidem, qui tamen peribunt, vt ij, qui fidem informē habent, & sub ea die claudunt nouissimum, nō ergo fides sola est ostium vitæ æternæ. Vtique multi sunt in ostio corporali tenentes pedes, qui domum non ingrediuntur. In quē quoque modum qui sola fide gaudent, informi, tenent pedes in ostio vitæ, & salutis æternæ, at verò non ingrediuntur in vitā, & salutē, sed in limine ostij sistūt: ideoque maxime sunt vituperandi, quod ostium vitæ terentes, ipsi sint mortui. Vnde Dominus dicens se esse ostium, adiecit. Si quis per me introierit saluabitur. Non ergo sufficit tenere ostiū, nisi ingrediamur per ostium, vt saluemur.

Per fidem solam nō intramus per ostiū vitæ, etsi sumus in ostio, sed per charitatem.

¶ At hæreticis neothericis visum est sufficere, ostium tenere, etiam si non ingrediamur, quia fidem sat esse saluti consequendæ, nunquam non prædicant. At vero Dominus ait, Si quis per me introierit saluabitur, ergo qui non introierit cōdemnabitur. Verum fieri potest esse quempiam in ostio, & non introire domum: & tales sunt qui solam fidem habent, alioqui criminibus onusti.

Hęretici neotherici refutantur.

¶ Is ergo introit in Christum, qui accepta fide, baptismum rectè susceperit. Tūc enim iam fit Christi membrum, & ingreditur in societatem fidelium. Quod si à gratia baptismali exciderit, egreditur à Christi viua vnitate, & societate. Quia quamuis fidem seruet, charitatem Christi amisit, & se alienum fecit à vita æterna: supereſt ergo illi rursus ingredi in Christum, vt damnationem defugiat sibi imminentē. Tunc autē rursus ingredietur, quando in pœnitētię sacramentū conuocauerit. Dixerat ergo Dñs supra, Qui non intrat per ostiū, sed ascēdit aliūde fur est, & latro. Modo autem inquit, Ego sum ostium, si quis per me introierit saluabitur. Vt ergo homo damnetur sufficit non intrare per ostium: vt sunt

omnes infideles qui neque sunt in ostio, quid quod non intrent per ostium? Sunt etiam omnes fideles, quos crimina tenent irretitos, & cum impœnitentia finali vita defunguntur. Isti enim etiam si sint in ostio, non tamen intrãt per ostiũ. Intrarunt sanè per ostium susceptа, sub infantia baptismi gratia. At vero regressi sunt ab vnitate viua corporis Christi mystici, quod est Ecclesia. Sunt sanè mẽbra adhuc Christi, & Ecclesiæ, sed mortua non viua membra, viuificabilia vero per pœnitentiam, tantisperdum vitam agunt mortalem.

Mali fideles sunt in ostio non tamẽ intrãt per ostiũ

¶ Sumus igitur in ostio per solam fidem at non intramus per ostium, nisi per fidem & charitatem, *Si quis per me introierit*, ex modo loquendi, si quis, significat paucos intraturos.

Pauci saluãdi

¶ De ostiario vero huius ostij non constat quis sit certo inter autores. Siquidẽ Chrysostomus, ostiarium hunc putat esse Mosen. Quia credidit Chrysosto. sacram scripturã esse ostium, at vero ostiarius est Moses, Domino testante si crederetis Moysi, forsan crederetis, & mihi. Verum Augusti. & Theophilactus, Spiritum sanctum esse credunt ostiarium. Et videtur consentanea magis expositio hæc, siquidem Moses, etsi scripsit Pentateuchũ, tamen ipse non referat sensum Pentateuchi. Et rursus, quia non solum quinque Mosaici libri sunt ostium, sed etiam tota alia scriptura diuina, quæ comprehendit multo plura quam Mosaici libri, ideo saltim Moses restantis scripturę non est ostiarius.

Quis sit ostiarius.

¶ At vero Spiritus sanctus est qui arcana scripturæ docet, & ideo aptè ipse dicitur ostiarius, cuius est aperire ostia clausa, vt pateant quibus vŏlet ingressus.

Spiritus sanctus est ostiarius.

Sed dicet aliquis, An non Christus commodissimè est nuncupandus ostiarius: siquidem Lucæ. 24. ipse aperuit sensum vt intelligerent duo illi discipuli scripturas? Cæterum quia Spiritui sancto, hoc tribuitur, vt referet Christi verba, Spiritus, inquit, sanctus, quẽ mittet vobis pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunq; dixero nobis. Ioã. 14. Quo circa in die Pentecostes, missus est Spiritus sanctus, vt doceret sacramenta scripturæ Apostolos, ideo ipse est ostiarius dicendus. Et hæc expositio locũ habet si ostiũ credimus esse sacram scripturam. At vero Christus se vocat modo ostiũ: ideo vestigandum superest, huius ostij quis ostiarius? Quod si dixeris etiã Spiritum sanctũ esse ostiarium, namq; Christo testãte de Spiritu sancto, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, igitur Spiritus sanctus est, qui docet credendũ esse in Christũ, & hoc est referare ostiũ quod est Christus, rectè dixeris.

¶ Aut fortasis dicendum erit Christum esse ostiarium, & ostium respectu diuersorum. Enim vero quod sit ostiarius vel inde patebit, quia sanguine suo nobis patefecit ianuas cælestes. Vnde canit Ecclesia, Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum.

¶ Rursus Christo adest clauis Dauid, quę aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit. Esai. 22. Apocaly. 1. Et hoc officium claudendi, & aperiendi regna cælorũ concreditum est primo Petro, & dein alijs sacerdotibus. Vnde, & Petrus ab ecclesia vocatur ianitor regni cælestis siuè clauicularius regni cęlorum. Quj autem habet claues is ianitor, & ostiarius est. Quamobrẽ Christus est ostium respectu viatorum, quia necesse est viatoribus per Christi fidem, & charitatem ingredi, si volunt grati esse Deo. At vero, respectu regni cælestis Christus est primus, & maximus ostiarius, cuius vicarius est Apostolus Petrus, cui traditæ sunt claues regni cælorum. Est igitur pastor primus, quia princeps pastorum, quia fideles omnes ab hoc pastore pastum æternum sumunt. Est item ostium, quia per ipsius fidem, & charitatem ad vitam seruandis, ingrediendum est. Est item ostiarius, quia sanguine suo aperuit regna cælestia, *Et ingredietur*. Ingredimur in hoc diuinum ostium, quando Christo per baptismum in re vel in voto, susceptо Christo verè copulamur: egredimur autem, quando peracto cursu vitæ temporalis, Christo vniti per fidem, & charitatẽ, ad pascua cõuolatur æterna. Egredimur sanè non à Christo, quia hic egressus esset lethalis, sed egredimur à via hac quam transcurrimus, egredimur à vita hac mortali, quam diximus. In ingressu autem est inuenire pascua, quia fideles corpore Christi, Christi spiritualiter saginantur, sanguineque Christi potantur. Ita in ingressu

Christus est primarius ostiarius regni cælorum.

greſſu inueniẽt etiam vberrima paſcua, quia non eſurient, neq; ſitient amplius. Quoniã agnus, qui in medio throni eſt, reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum Apocaly. 7. *Quotquot venerunt.* Græcè habetur, ante me: Nõ de prophetis miſsis à Deo hoc intelligas: nam prophetę ſancti, fuerũt paſtores populi Iſraelitici, & per oſtium intrarunt, quia ea ſola docuerunt, quæ Dominus illis mandauit docenda. Et in timore Domini gubernarunt Iudaicum populum, non quærẽtes quod ſibi erat vtile, vt Paul. ait, ſed quod populis illis erat neceſſarium ad vitam æternam, vt de Samuele promptum eſt, & alijs ſacris vatibus: ideoque ſunt perſecuti à Iudæis, & occiſi, Matthæ. 23. & Actor. 7.

Sacri vates fuerũt à Deo miſsi & intrauerunt per oſtium.

¶ Cæterum iſti ſacri vates non venerũt, à ſeipſis, ſed miſsi ſunt à Deo. Itaque Dominus dicens, Quotquot autem venerunt, eos ſignificat, qui fuerunt pſeudoprophetæ: iſti enim ſe intruſerunt ad prophetandum ſomnia ſua, & non ſunt miſsi à Deo, Quales erant illi, qui commemorantur. 3. Reg. 23.

¶ Huiuſmodi igitur fures, erant, & latrones, quia perdebant oues Iſraeliticas, docentes falſa: propter auaritiam enim falſa docebant, & quæ populo videbantur gratiora. Vnde Paulus ad Hebræ. 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Pſeudo autem vates non ſumebant ſibi honorem propheticum à Deo, a quo ſumendus erat, ſed à ſeipſis rapiebant illũ honorem: ideò fures erant & latrones, accipientes, quæ ſua non erant, quia non erant à Deo vocati ad illud munus obeũdum. *Fur nõ venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat, Ego veni, vt vitam habeant, & abũdantius habeant.* Quia dixerat, Quotquot venerunt fures fuerunt & latrones, exponit modo, cur dixerit illos, qui ex ſeipſis venerunt ante Dominũ fures fuiſſe, & idem eſt de omnibus alijs huiuſmodi. Quippe fur non venit, niſi vt furetur oues: ſcilicet, alienando homines à notitia, & amore veri paſtoris Dei, & vt mactet ſpirituali morte inſtillando peſsimã doctrinam, aut trahendo malo conſilio, aut exemplo, ad crimina perpetrãda, & tãdem vt perdat trahendo populũ Dei, ad æternam damnationem. Chriſtus autem venit miſſus à patre, vt oues abſtractas à Deo, per fures iſtos myſticos ad Deũ reduceret, & Deo reſtitueret quod ſuum erat venit, non vt mactet, ſed vt vitam iam perditam ſpiritualem donet, & reſtauret. Et non ſolum hoc, ſed, vt plenius habeant, quia per Chriſtum apertũ eſt regnum Dei hominibus. Diabolus enim abegit oues Dei à paradiſo, & Chriſtus abactas reduxit in paradiſum. Vnde dixit latroni, Hodie mecum eris in paradiſo. Et aſcendens tandem in altum captiuam duxit captiuitatem. Eſt autem aduertendũ quod ſicut Chriſtus eſt princeps paſtorum, ita diabolus eſt princeps omnium furum, & latronum. Quocirca in mundi exordio ipſe ſtatim officium furis, & latronis, cuius meminit modo Chriſtus, exercuit. Nam continuo furatus eſt hominem primum, & illum mactauit gemina morte, & perdidit illum abigẽdo à paradiſo: quippe propter peccatum fuit abactus diuina autoritate puniente admiſſam in ſacro loco culpam.

Officium furis.

Chriſtus reſtituit Deo patri furatas oues à diabolo.

Chriſtus eſt princeps paſtorũ & diabol⁹ princeps furũ & latronum.

¶ At verò Chriſtus venit, vt Deo patri humani totius generis tãtam ex hoc furto diabolico iacturam reſarciret. Quocirca hominem furatum Deo acquiſiuit, & mactatum tanquam ouem, ipſe viuificauit, & perditum ipſe eſt lucratus ſanguine ſuo.

¶ Omnes ergo Hereſiarchæ, omneſque hæretici ſunt ſub principatu huius primi furis, primique homicidæ. Nam ille homicida erat ab initio, ideò Paulus diabolum, & angelos eius mũdi vocat principes, & rectores tenebrarum harum, ad Epheſ. 6. & 2. Corint. 4. Deum huius ſeculi, ait excæcaſſe corda infideliũ. Quia hæretici omnes, qui tenebras amant falſarum & occultarum doctrinarum, diaboli ſectantur veſtigia. Nam, vt ipſe in exordio furatus eſt precioſam Dei ouẽ nempe hominem, & illã mactauit, namque diaboli inuidia mors introiuit in orbem terrarum, Sap. 2. Ita hæretici furantur Chriſti fideles, & eos mactant, & perdunt, quandoquidem abducunt eos ab obediẽtia ſummi Põtificis, qui eſt Chriſti, & beati Petri germanus vicarius. *Ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuã dat pro ouibus ſuis.* Expreſſerat Dominus, paſtoris conditiones, & furis, & latronis, & ouium bonarum ingenium expreſsit

Diabolus primus fur, primuſque homicida.

Hæretici ſũt fures.

Paſtoris conditiones furis conditiones ouiũ conditiones.

dicens oues audire pastoris sui vocem, & non audire vocem alieni pastoris, & proprium eas sectari pastorem, & non alienum. Quia ergo iam se expresserat esse ostium, dicens, Ego sum ostium, exprimit nunc se esse pastorem, dicens, Ego sum pastor bonus.

¶At continuo se prodit obiectio, si pastor intrat per ostium, & Christus est pastor, & ostium, igitur intrat per seipsum. Augustinus hoc mouit dubium, & absoluit idem Christum per seipsum intrare in ouile ouium. Alij quidem pastores ecclesiæ per Christum intrant in ouile, at Christus per seipsum. Alij enim prædicando Christum intrarunt in ouile Christi, sed Christus seipsum prædicat. Et quidem si intrare per ostium est non quærere proprium vel honorem, vel vtilitatẽ, sed gregis curare cõmoda, & diuinam intendere gloriã, hoc in primis fecit Christus. Non veni, ait, vt facerem voluntatem meam, sed eius, qui misit me. In omnibus enim, seu verbis eius seu gloriosis factis vnicè incũbebat gloriæ æterni sui patris. Neque quæsiuit sibi vtile, sed nobis: quia animam suã posuit pro ouibus suis. At vero quatenus Deus erat propria autoritate, & per se ipsum intrauit in ouile ouiũ, qui ipse est Dominus ouilis, at vero quatenus homo erat autoritate diuina intrauit in ouile, sed quia idem ipse qui Deus, homo quoque erat, ideo per se ipsum intrauit in ouile ouium. Reliqui autem pastores, non propria autoritate, sed aliena diuina tamen intrant in ouile ouiũ, ideo non per se ipsos, sed per Deum, qui alioqui non erat ipsi, intrauerunt in ostium ouilis. Aliud est autem intrare Christum per seipsum in ouile, aliud intrare in seipsum: nam hoc secundum, non fert ita locutionis proprietas, vt primum. *Ego sum pastor bonus.* Nemo bonus nisi Deus Christus dixit, & ideo se testatur esse modo Deum, quia se bonum vocat. Et aliam adiecit conditionẽ bono pastori obseruandam, præter alias supra cõmemoratas. Est ergo Christus pastor bonus, per essentiã bonitatis quatenus Deus est, alij vero pastores sunt boni, solum ex participio huius boni pastoris. Est autem boni pastoris optimũ, & extremũ, & irrefragabile iudiciũ, quod mortẽ oppetit pro suarũ ouium salute.

Christus per seipsum intrauit in ouile ouium.

¶Et Christus hoc in primis fecit, quia non corruptibilibus auro, vel argento, sed pretioso suo sanguine nos redemit. Cæteri autem pastores, & si occumbant pro salute ouium, non sunt earum redẽptores, sed seruatores partæ per Christum redemptionis. Et pluris facienda Christi vita est, quam vitæ omnium pastorum, imo quam omnium hominum vita. Quia Christi vita erat Dei vita, & nostra vita, est puri hominis vita: ideo immensam dilectionem exhibuit Christus ouibus suis, ponens pro eis diuinam suam vitã. Quo circa Paulus ad Ephe. 5. Ambulate in dilectione, inquit, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & ostiam Deo in odorem suauitatis. Accedat eodem, vt magis huius pastoris bonitas cõmendetur nobis, quia sponte non ex necessitate posuit animã suam pro ouibus suis, idest, temporalem vitam. Namque potestatem habebat si voluisset non ponere animam, non ponere. At vero cæteris pastoribus hoc incumbit ex præcepto mori quando opus fuerit pro ouium suarum salute, vnde. 1. Corint. 9. Si non euangelizauero væ mihi. Neq; possunt tunc mortem corporis euadere, nisi cum animæ propriæ dispẽdio. Et ad hoc præstandum se obligant, in die suæ consecrationis, spondentes se reddituros rationẽ de ouibus, quas in suam recipiunt tunc fidem. Et quidem eos ad hoc teneri, vel hinc suadebitur. Quippe milites, & alij de republica, tenentur ad tuendam rem publicam, vitamq; corporalem propriã, morti exponere, si quando oportuerit. Et qui ad hoc conducuntur stipendio militari: & etiam non conducti siquidẽ bonum publicum est quodam modo diuinum bonum, vita autem particularis huius vel illius, non est tantũ bonum, quantum totius reipublicæ bonum. Quãobrem si succurri potest totius reipublicæ dispendio quod timetur venturũ, ex dispendio particularis huius vel illius vitæ horum vitam iacturam pati est necesse, ne tota respublica multo maiorem iacturam subeat. Sicut etiam admonemur familiari exẽplo: opponimus enim manum glãdio irruenti in nos, ne caput, vnde pendet totius hominis vita feriatur. Quod si tenẽtur istiusmodi particulares homines

Christus est pastor & redẽptor ouiũ alij vero sunt pastores, sed nõ redemptores.

Pastoribusne cessitas est præcepti euãgelizandi, & quãdo op' fuerit occũbere pro grege sibi cõmisso.

homines cũ propriæ vitæ dispendio reipublicæ tueri vitam & bona temporalia, nõne multo fortius pastores ad hoc tenebuntur, quando oportuerit vitæ propriæ corporalis iactura, salutem spiritualem sui gregis tueri? Et tanto quidem erit maior obligatio, quanto maior est salus spiritualis reipublicæ, quam salus corporalis. Quod si ferre, vt oportet mortem corporalem pro salute reipublicæ, est fortitudinis actus, quid quod ferre eandem pro salute spirituali? Neque solum est actus strenuæ fortitudinis, sed eximiæ charitatis: quia maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ponat quis pro amicis suis. Sunt oues amicæ pastoris: pastores autem ouium materialiũ, non tenentur cum dispendio propriæ vitæ, vitam ouium suarum tueri. Enimuerò quod precio sius est, non est perdendum, ne vilioris sustineatur iactura, imò viliora sunt perdenda, vt precio siora non perdantur. Vnde qui naufragium patitur, ne vitæ propriæ sustineat iacturam, mercium suarum patitur perditionem: vita autem corporalis pastoris, precio sior est quam vita gregis materialis, ideò non tenetur vitam suam exponere euidenti periculo, aut valde probabili mortis, vt gregi suo consulat. Nãque, quod Dauidem. 1. Reg. 17. feciſſe legimus tantisperdum gregem pascebat patris sui, quod leoni, & vrso se opposuit vt ab horum iniurijs suum defendit gregem, nihil obstat, quippe Dauid fortissimus cum esset, non se subiecit periculo mortis, quod alij non fortissimo fuisset periculum. Sciebat enim se superaturũ leonem, & vrsum, ideò illos inuasit, aliàs non inuasurus, si probabile præsensisset vitæ suæ periculum: vt inuasit Goliath Philistæum, certò sciens se illum superaturum, vt superauit: etsi gestũ hoc fuit ex diuino reuelante spiritu, etsi primum non puto tribuẽdum miraculo, sicut neque quod Banaias duos percusserit leones. 3. Reg. 23.

¶ Porrò autem, quia vita spiritualis gregis Dominici, est longe precio sior, quã vita corporalis pastoris, ideò, si ex vitæ corporalis iactura pastoris pendet salus huiusmodi gregis spiritualis, quod vilius est, perdendum est, vt quod precio sius est incolume seruetur. Ad hoc tamen non tenetur pastor siue Episcopus, nisi quando necessitas ingruerit, vnde Dominus mortem sustinuit corporalẽ, quia necessaria erat mors sua ex Dei ordinatione, ad vitam spiritualem totius mundi. *Bonus pastor.* Animam ponere, nõ est sibi auferre vitã pro ouibus, sed mortem aliunde illatam patienter ferre, ob gregis commissi amorem. Poterit sanè sustineri mors à pastore, sed non pro grege suo, sed pro inani gloria sua: vt legimus plerosque mortem sustinuisse, non ex charitate Dei, & gregis, sed ex temeritate quadam animi putantes sibi inde apud posteros immortalem conciliaturos gloriam: vt etiam hæreticos gaudentes in defensionem sui dogmatis mortẽ pertulisse legimus. At verò huiusmodi mortis passio, non est pro ouibus, sed pro ipsius patientis apud suos claritate nominis obtinenda. Huiusmodi igitur non est bonus pastor, quia non pro ouibus suis, sed pro vanitate sua, ponit animam suam. Græca lectio legit cum articulo, Ego sum pastor ille bonus, vt se esse pastorem bonum per essentiam denotaret, id quod solius Dei est, qui ex se bonus est, & à nullo habet bonitatem, vt neque esse. Græcè item non legitur ouibus suis, sed solum ouibus. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ videt lupum venientem & dimittit oues & fugit. Et lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.*

Dignos esse pastores mercede sua Dominus docet in Euangelio. Dignus est, ait, operarius mercede sua, Luc. 10. &. 1. Timoth. 5. Et Paulus præsbiteros, qui benè præsunt duplici honore esse dignos ibidem testatur. Et rursus. 1. Corinth. 9. exemplo pastorum materialium qui pascuntur ex lacte gregis, quem pascunt, exemplisque alijs probat pastores posse viuere ex stipendio sibi ex suo labore debito.

¶ Quocirca nõ sunt mercenarij dicendi, episcopi, vel prælati, qui suis vectigalibus vtũtur, pro alimonia sua, & suorum. Verum modo ij dicũtur à Domino mercenarij, qui solum oculum habent ad mercedem, quam reportant temporalẽ. Non enim intendunt gloriam Dei, neq; salutẽ gregis, sed solum reportare bona tempo-

Mortem ferre pro salute spirituali ouium est actus strenuæ fortitudinis et eximiæ charitatis.

Vilium iacturarum sustinenda, ne precio sarum sustineatur.

Vita spiritualis precio sior est, quã vita corporalis.

Prælati suis stipendijs vtẽtes non sunt mercenarij.

temporalia, obquę obtinenda ambiunt Episcopatus, & assecutis Episcopatibus, pastoralia administrant, vel ob mundanum honorem, vel ob carnis voluptatẽ, vel propter censum siue vectigalia. Solent autem huiusmodi, rectè administrare pastoralia, & probi vidẽtur esse pastores, & non mercenarij, quia animus eorum mercenarius latet. Vnde discrimen inter hos, & eos, qui habent non solum dignitatis culmen, sed etiã animum cor respondentem pastoralẽ, eousque latebit, quousque coticula, probatoria accedat. Puta donec persecutio ingruerit in gregem Dei, verbi causa quando hæreti ci grassantur in populum Dei, tunc sanè qui gregem negligunt mercenarij sunt: vt neglexerunt suos greges prælati Germani, & dimiserunt eos patere ori lupino Lutheri, qui dispersit Germanos, & rapuit eos, ab Ecclesia, & transtulit in suã synagogam Satanæ. Quj vero non neglexerunt, sed murum se opposuerunt tuendo gregi Dei, etiam cum dispendio vitæ propriæ, isti verum pastoris gesserũt animum. Itaque fieri potest & mercenarium intrasse per ostium, quia recte fuit institutus Episcopus, quàm rectè qui vis alius non mercenarius instituitur. Et ideo quantum spectat ad legitimam constitutionem, vterque est verè pastor, at vero animo sunt dispari, quia mercenarius oculum solum habet ad temporalia bona, at pastor qui legitimè fruitur pastoris nomine vtens temporalibus pro sua, & suorum indigentia, animum habet ad curãdam gregis salutem. Ideo Dominus ait, ad mercenarium non pertinere de ouibus, vel vt Græca habet lectio, non sunt illi curæ oues. Quanquã enim ex officio ad mercenarium pastorem pertineat de ouibus, at verò nõ sunt illi curæ oues. Distinguenda igitur hæc sunt ex euangelio. Pastor bonus, fur, latro, pastor mercenarius, siue malus pastor, & is qui nõ est pastor, neque ex mercede conductus, neque ex proprietate. Pastor sanè is vocatur à Domino bonus, qui habet correspondẽtem pastorali muneri animum. Habet namque animum pastoralem, scilicet, pascendi gregem, & inuigilandi gregi, & consulendi in omnibus necessarijs gregi, amore gregis. Mercenarius vero habẽs officium pastoris, animo pastoris caret, qui mercedem suam, non gregẽ amat. Quippe animus eius est se pascere, non gregem, & perinde se gerit, vt ille qui non est pastor, & nullas habet oues. Vnde ille mercenarius est, qui iners, & deses sedet in cathedra Episcopali, solũ sedulus ad corradẽda vectigalia, at vero gregis salutẽ spiritualẽ negligit. Quia oues errare dimittit & si in sordibus sunt peccatorum, quod sordescant adhuc nihil curat, nam corrigere non curat, sed potius oues suæ libidini permittit. Hic sane etiam si fugiens hostilia arma non fugiat à sede Episcopali, sed in ea fixus resideat equidem ceu mercenarius fugit, fugit equidẽ à cura, & studio impendendo, profectui spirituali ouium. Quippe boni pastoris est oues dispalantes adducere in ouile, & à pascuis auferre venenosis, & traducere ad saluberrima pabula. Fugit igitur ab exercicio præcipuo sui pastoralis muneris, quod est omnes neruos intendere, in dirigendo grege ad vitã æternam. Et hanc molitur fugam ex timore, vel amore mũdano, vel ex desidia ingenti, vel fastidiẽs laborem in pascendo grege, & vt sibi gratuletur in malo ocio, sanctum fugit negociũ. Sed quid est quod Dominus ait, Mercenarius autẽ, & cuius nõ sunt oues propriæ. Igitur dicet aliquis omnis pastores sunt mercenarij, quia solius Christi oues sunt propriæ. Equidem solius Christi per creationem electionem & redemptionem oues sunt propriæ. At cæterorum pastorum oues sunt propriæ, secundum delegationẽ, quia Christus eas illis delegauit curandas. Bonorum verò pastorum oues dices esse proprias, quatenus ouibus sibi à Deo commissis eam impendunt curam, quam pastores proprijs solent impendere.

¶ Lupus autem in scriptura homines noxios, & truculentos significat: vnde tyrãni Principes lupi vocantur. Principes in medio eius, quasi lupi rapientes prædam. Ezech. 22. & Sopho. 3. Iudices eius lupi. Iudices enim, & principes, qui sub obtentu principatus, & iudiciariæ potestatis, extorsionibus, & exactionib⁹, grauant populos lupi dicuntur, nam isti instar luporum sunt, qui innocentes oues strangulant, vt exugant earũ sanguinẽ.

¶ Rursus hypochritæ appellantur lupi.

Matt

Animus facit mercenariũ esse pastorẽ, nõ institutio.

Bonus pastor habet animũ pastoralem.

Mercenarius residendo fugit.

Præcipuũ munus episcoporum est dirigere in vitam æternam.

Lupus quid significet in scriptura.

Matth.7. Veniũt in vestimentis ouium, intus sunt lupi rapaces. Pharisæi enim sub prætextu religionis, deuorabant domos viduarum, & Iudæorum corradebant substantiam, Lucæ. 11. Vnde Dominus ait, Matthæ. 10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Quia Apostolos mittebat ad prædicandũ gentibus noxijs, & trucibus. Quippe truculentissimi fuerunt gentiles principes, in Apostolos, & discipulos Domini immanissimis eos torquentes supplicijs. Hinc etiam trahitur nomen ad hæreticos, de quibus Paulus, Actor. 14. Intrabũt post discessionem meam lupi rapaces, nõ parcentes gregi. Quales sunt hæresiarchæ huius ævi, qui rapuerunt Germanos ex obedientia Rom. Ecclesiæ, & intruserũt eos in obedientiã diaboli. Lupus igitur primus diabolus est, à quo instillatur in suos ministros omnis sæuitia exercenda in Dei gregem: & lupi sequaces, sunt omnes noxij, & truculenti homines.

Hæretici lupi sunt.

Duæ lupi actiones cõtra oues.

¶ Lupus autem dispergit oues, & dispersas rapit. Et hæretici item primo dispergunt oues, quia auferunt eas à recta, & syncera fide, quæ est Catholica fides, & dispersas ab hac fide, rapiunt oues, quia tollunt eas ab obedientia Ecclesiæ Romanæ. Pastor verò bonus, dispersas colligit oues, & raptas à Deo, Deo restituit, & Ecclesiæ.

¶ At forsan dices, quid est quod Dominus ait, Nec rapiet eas, quispiã de manu mea, Ioann. 10. Si nemo rapiet, quomodo lupus rapit? Et Matth. 13. Venit malus & rapit, quod seminatum est in corde eius. Cãieta. euasit dubium dicens parabolam esse, ideo non omnia esse verificanda ad amussim. At verò lupus rapit oues Christi, & non rapit oues. Sunt enim qui sunt Christi oues secundũ præsentem statum, qui tamen secundũ Dei electionem æternam non sunt oues. Et sunt oues vtroque modo, & sunt oues secundum electionem, qui nondum sunt oues secundum præsentẽ statum. Oues ergo quę non sunt oues nisi secundũ præsentem statum iustitiæ rapiuntur, vel rapientur à lupo, non ex impotentia, aut negligentia pastoris, sed ex ouium arbitrio. Vnde diabolus hac ratione rapuit Iudam Iscariotem, ex grege Apostolico, & alios huiusmodi. Imò in cælo residẽs diabolus rapuit à caula cœlesti angelos malos, qui dudũ fuerant Dei oues, quia creati in Dei amicitia fuerant.

Oues Christi multifariam sunt.

¶ Cæterum oues secũdum electionem Dei æternã, nemo rapiet de ouili Christi: siquidem pastor est omnipotens custodiens eas, & ipsæ oues sedulæ erunt, & vigilantes ne à diabolo rapiantur. Si verò lupus rapit & dispergit oues, & fur non venit, nisi, vt furetur, mactet & perdat oues, vtique is ipse qui lupus est, est etiam fur. *Dimittit oues, & fugit.* Mercenarius est igitur qui fugit, vel deserendo oues, non residendo apud illas sed extra suam diœcesin residendo, aut residendo apud oues, eas tamẽ non curando, nõ visitando, non pascendo oues, vel cibo corporali reficiendo pauperes oues, vel cibo spirituali nõ reficiendo & pauperes, & diuites, sed ocio torpens, sibique plus quam satis est indulgens, oues perire in suis peccatis sinit.

Bifariam dicentur episcopi mercenarij.

¶ Refert enim nihil residere corpore in proprio episcopatu, & non residere mẽte. Ille enim solum residet mente, qui vigilantissimus est in pascendo suo grege. Nunquid aliquis commendabit pastorem, qui apud gregem suum agens, illũ tamen non pascit, non adaquat, non vngit, non defendit à lupis? Non sanè: quia si residet corpore abest animo. Ita in præsentia de pastoribus spiritualibus dicito. Ad hoc enim iubentur residere corpore ex diuina iussione, vt mente inuigilent gregi. Et id præstent quod ille materiali gregi præstabat, dicens, Genes. 31. Die noctuque æstu vrgebar & gelu, somnusque fugiebat ab oculis meis. Eãque diligentiam & custodiam adhibeãt, quam Dauid suis ouibus adhibebat, leonem, & vrsum inuadentes in gregem, fortissimo animo interficiens. Vetus erat quæstio, si ex iure diuino Episcopi tenebantur residere, & in opinionibus versabatur ambigua. At verò concilium Trident. Sess. 6. cap. 1. non residentes citra iustam causam Episcopos mercenarios vocat docens Episcopos debere attendere iuxta verbum Pauli sibi & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: & quod in ea custodienda vigilent, & in omnibus laborent. Et sciant se nequaquam hoc Pauli præ-

Residere corpore prodest parũ Episcopis nisi mẽte resideant.

1. Reg. 17.

Actor. 20.

2. Timo. 4.

præceptum posse implere, si more mercenariorũ greges sibi cõmissos deserant. Et paulo infra cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus, oues comedit & pastor nescit. Et in Sessione. 23. cap. 1. Synodus eos admonet, vt memores diuinorum pręceptorum factique forma gregis in iudicio, & veritate pascant. Vnde videtur ex Concilio iuris esse diuini, residentiam Episcoporũ, nisi ex causa iusta impediatur. Quia cum residere sit affirmatiui præcepti, obligat pro tẽpore, & non pro quolibet tẽpore.

1. Petri. 5.

¶Porro, vt video residẽt iam omnes Episcopi, corpore quidem, sed mente non resident, forte omnes, sed pauci. Et vtique satius esset corpore abesse, & mente adesse, quam corpore abesse, & mente procul esse. Vnde equidem, si qui sunt eiusmodi nõ euadent Dei iudicium, quãtumlibet resideãt in suis Episcopatibus, siquidem si mente absunt, non vigilando, non custodiendo, vana est corporis residentia.

Episcopi non euadent Dei iudiciũ si pręsentes corpore in suis diœcesib⁹, animo sint absentes.

¶Forsan autem obijcies istis. Quid ergo est quod Dominus ait, Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam, Matth. 10. & Augusti. ad Honoratum. Fugiunt ergo omnino de ciuitate in ciuitatem serui Christi, ministri verbi, & sacramenti eius, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita requirantur non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium, idest, Episcoporũ, & Clericorum, & Laicorum, est cõmune periculũ, ij qui alijs indigent, non desiderantur ab ijs, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis per quos eorum ecclesiastica est implenda necessitas. En tibi ex Augusti. fas esse aliquando Episcopis fugere, & deserere suum gregẽ, quando ipse Episcopus est qui quæritur à persecutoribus. Tunc enim non fugit more mercenarij, sed sibi consulens, fugit cõmissa ecclesia alijs ministranda in quos non fremit rabies persecutoris. Vnde subdit. Tunc ergo de locis, in quibus sumus premente persecutione fugiendum est Christi ministris, quãdo ibi, aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi. Et Tho. subscripsit Augusti. 22. quæst. 185. art. 5. Cæterum quod Dominus ait, Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã, ideo dictum est, quia accidere poterat, & forte sæpe accidit, Apostolis ingredientibus ciuitates ad prędicandum Dei verbum ciuitatem conspirare in Apostolum ingredientem ad prædicandum, quo casu fugiendam dicit Dominus huiusmodi hostium ciuitatem, & quærendam aliam, vbi cõmodius prædicet Dei verbum. Namque si aliter fecissent Apostoli, cito perirent omnes à persecutoribus occisi. Et quando nullus speratur ex prædicatione profectus, imo magnũ nocumentũ, deserẽda est prædicatio. Quia frustra niti, & nihil aliud, quam odium quærere, vt Sallustius dixit, extremæ dementiæ est. Similiter si plebs concitatur ab hæreticis prædicantibus dogma suũ, & Episcopus credit se nõ posse resistere violentiæ hæreticorum, neque suo auxilio plebi subuenire in fide, aut in alijs necessarijs, quia tota plebs, it perditum, sine salutis spe, si tunc fugiat Episcopus, non est mercenarius. Siquidem ex residentia nihil profectus speratur, sed sibi & ministris Dei imminet graue nocumẽtum. Mercenarius igitur est, qui sine causa iusta non residet, aut si residet corpore, mente alienus est à cura debita gregi. vt prædictum est. Et hoc insinuat Dominus dicens, Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & ad eum non pertinet de ouibus, siue quia illi non est curæ grex ouium. Ex eo fugit igitur quia nõ amat oues, & ideò eas non curat. Qui vero fugit non ex defectu amoris, sed quia gregi non potest prouidere, aut, quia vitæ suę aliter consulere nequit fugit, per aliũ prouidendo, quandiu ipse quæritur ad interfectionem, non est mercenarius, vt neque mercenarius, qui restaurandæ salutis ex Medicorum consilio, aliquanto tempore abest. Demum hoc sermone ferit Pharisæos, Scribas, & magistratus tẽpli, qui quãquam erant pastores populi illius, erant mali pastores, quia erãt mercenarij solum intendentes lucris, & non animorum saluti. Auari enim erant, vt alias eos de auaritia notauit Dominus. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Subaudi oues, Oues suas

Qui fugit ex iusta causa mercenarius non est.

Mercenarius fugit sine iusta causa, sed quia nõ amat gregem.

Lucæ. 11.

ſuas ab æterno nouit Chriſtus, ſecundũ quod Deus eſt, at oues Chriſti, non ab æterno, ſed ex tempore Chriſtum credẽ do & amando cognoſcunt. Non enim hoc loco cognoſcere ſolam fidem informem ſignificat, ſed fidem formatam in electis: vt etiam in Deo non ſolam ſcien tiam ſignificat, ſed etiam amorem. Etenim ſi de ſola ſcientia intelligas locum hunc, etiã Deus cognoſcit reprobos per ſcientiam ſuam. Verum ſciſcitaberis forſan, Nõ omnes electi cognouerunt Chriſtum, quippe ante Chriſti natalia ſecundum carnem fuerunt electi. Reſpõdebis ab exordio ſeculorũ fuit in electis fides ſaltem implicita Chriſti, & amor eiuſdẽ ſaltem implicitus, vt ſupra dictum eſt. Quod ergo ait, & oues meæ cognoſcunt me, ſubaudi, cognoſcũt de præſenti, qui ſunt præſentes, & cognouerunt ab exordio mundi præteriti, & cognoſcent vſq; in finem ſeculorum futuri electi. *Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animã meam pono pro ouibus meis.* Græcè, non additur, meis, ſed quia ſubaudiebatur, interpres adiecit. Dixerat mutuam eſſe cognitionem inter ipſum & oues ſuas, id quod ſimilitudine inducta amplius exponit, dicens, *Sicut nouit me pater, &c.* Hoc eſt ſi vultis diſcere, me cognoſcere oues meas, & quod ipſę me cognoſcũt, hinc diſcetis. Quod ſicut pater me nouit & ego cognoſco patrem meum: ita & ego cognoſco oues meas, obſeruata vtriuſque ratione, & cognoſcũt me meæ. Pater autem me ſic diligit vt me exaltauit, & donauit mihi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Ipſe rurſum me diligit, quærendo in omnibus gloriam meam, quam ego nõ quęro, ſed ipſe eſt qui quęrit, & iudicat. Ego autem ſic diligo patrẽ, vt in nullo faciã voluntatem meam, ſed in omnibus illius ſtudeo voluntatem implere. Vnde neq; ex verbis meis, neque ex factis gloriæ meæ incumbo, ſed patris mei gloriã deſidero. Sic ſanè, ego diligo oues meas nõ quærens vtilitatem meam, ſed ouiũ mearum, & ipſæ diligunt me non quęrendo, vel honorem ſuum, vel quod ſibi vtile, vel voluptificum eſt, ſed quod in meam cedit gloriam. Quocirca, vt ego ſum paſtor bonus ac ratione diligẽs meas oues, ita & ipſæ ſunt bonę oues, ſimili ratione diligentes me earum paſtorem. Quia ergo pater me diligit, & ego diligo patrem, ita & oues me diligendo diligunt patrem, & pater meus me diligens, diligit illas. *Et animam meam pono pro ouibus meis.* Vtique hinc diſcetis clarè me diligere patrem, quia diligo oues meas, quas ipſe mihi vt homini concredidit, adeoq; diligo, vt iam ſtatuerim vitã corporalẽ meam perdere, pro ouibus meis, id quod ſummæ dilectionis eſt indicium. *Et alias oues habeo, quæ nõ ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Dixerat dudum eſſe ſe bonũ paſtorẽ, & ſubdit cauſas duas, & quia ipſe cognoſcebat oues ſuas, & oues cognoſcebant ipſum. Hoc porro referre multi ad bonitatem paſtoris commendandam ſupra docuerat dicens, paſtoris eſſe vocare ſuas oues nominatim, & rurſus quod oues cognoſcere debeant paſtorem, ſupra etiam expreſſerat dicens, vocem ſciũt eius & illum ſequuntur.

Græcè fiet vn⁹ grex vn⁹ paſtor nõ legitur, &.

Boni paſtoris duo indicia & quod cognoſcit oues & quod ponit animã pro eis.

¶ Cognoſcere autem, vt ſæpè admonuimus hoc loco, non ſolum notitiam mentalem, ſed volũtatis affectum ſignificat. Vnde ex hoc voluit demonſtrare paſtorem bonũ amare oues ſuas, & quod oues bonę amant paſtorem ſuum, & ſecundo quia animam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autem non cognoſcit oues, quia etſi eas ex viſu cognoſcat, at ex affectu ignorat. Quoniam nõ oues, ſed mercedem amat, quapropter cum periclitantes eas conſpicatus fuerit, eas deſerere nõ cunctatur. Rurſus ſe nominat paſtorem bonum, & cauſam repetit quam dixerat ex prima pendentem, quia animam ſuã ponit pro ouibus ſuis. Etenim quia bonus paſtor cognoſcit, hoc eſt, amat oues ſuas, ideò periclitantes oues, vt eripiat apericulo, ipſe ſe ſubdit mortis periculo, imò morti ipſi. Bis igitur ſe nominat paſtorem bonum, biſque aſſerit ſe mortem ſubiturum propter oues ſuas: vt ex repetitione eiuſdem rei, certiorem faciat veritatis ſuæ aſſertionem. Et quidem eſt bonus paſtor Chriſtus, quia Deus, & eſt bonus paſtor vt homo, etſi non duo paſtores Deus, & homo, ſed vnus paſtor Deus & homo Chriſtus Ieſus. Et quia non erat ipſe paſtor, vt Moſes fuit paſtor, vel vt cæteri prophetę fuerunt paſtores, qui tametſi fuerunt boni paſtores, & pro ipſius

Mercenarius neque cognoſcit oues, vnde periclitantibus nõ ſubuenit.

Chriſtus eſt paſtor vniuerſalis omnium hominũ.

sius veritatis testimonio occubuerint, plerique ipsorum. Matth. vigesimo tertio. & Actor. septimo. at vero erant pastores particulares illius Iudaici populi, at vero Christus, vt se esse pastorem generalem omnium hominum doceat inquit, *Alias oues habeo.* significãs se esse pastorem gentium omnium. vt ab Esaia fuerat decantatum. Posui te in lucem gẽtium, vt sis in salutem vsque ad extremũ terræ. Vnde Paulus, Actor. 13. loquens Iudæis, Vobis, inquit, oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud conuertimur ad gentes. *Non sunt ex hoc ouili.* Gentes nõ erant ex ouili: seu populo Iudaico: cæterum per fidem Christi ex vtroq; populo, coalita est vna Ecclesia. Et quanquam gentium natio, & Iudæorum genus, sint diuersa per naturã, sunt iam vnum ouile per Christi gratiã. Vnde Paul. ad Gala. 3. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina: Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Quantum enim attinet ad fidem, & gratiam Iesu Christi, nulla est distinctio generis, nulla diuersitas status, nulla differentia sexus: nã omnes ecclesia Dei recipit, ad baptismi gratiã participandã: omnes recipit Christus, vt sint membra sua, ideo vnũ iam est ouile. Græcè ποίμνη habetur quod significat gregẽ: vt fit sensus, fiet vnus grex: nam ouile locum significat ouium. Cæterum ouile hic sumitur pro ipso grege, locus pro locato. Noluit autem Deus à principio vocare gentes omnes in vnũ ouile suæ Ecclesiæ, sed tunc voluit, quando opportunum iudicauit, ex duobus populis vnam condere Ecclesiam. Ideo ad Ephe. 2. vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciẽs pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem.

Cur a principio gẽtes nõ sunt vocatæ in vnũ ouile.

¶Factum igitur est tunc vnum ouile ex duobus, quando pastor iste bonus fudit sanguinem suum, pro ouibus suis, & consummans legem priorem veterem, nouã statuit vnam a Iudæis, & gentibus obseruandam. *Alias oues.* Quamuis gentes nõ tenerentur cæremonijs legis Mosaycæ astrictæ, at vero ex illis quidam fuerunt à Deo seruati, antequam Christus in orbem veniret: siquidem non est Iudæorũ Deus tantum, imo & gentium. Adam enim Abel, Enos, Matusalem, Noe, &c. seruati sunt & Deo grati fuere. Cæterũ isti & quicunque alij seruati fuerunt fidem habuerunt saltem implicitam Christi venturi: vt in. 4. libr. sententia, à me est ostensum.

Gẽtes electæ fuerunt in ouesDei à Deo ab æterno.

¶Quod si dixeris, Quid est quod Dñs ait, Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt ex Israel. Matth. 15. Respondebis, Dominum venisse corporali præsentia, ad Iudæam, & non ad gentilitatem, nihilominus elegit ab æterno gentes in oues, quas tandẽ pauit per Apostolos suos euangelico verbo, *Illas oportet me adducere.* Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, ait Christus. Et modo idem testatur, illas oportet, dicens, ad me adducere. Igitur neque volentis est neque currentis, sed Dei miserentis vocatio ad fidem. ad Roma. 9. Nõ enim idololatræ gentes, merita habebãt vnde vocarẽtur ad fidem Dei, sed peccata, vnde reijcerentur à Deo. Ideo Christus gratia sua adduxit ad se gentes, idemque Iudæos. Vnde. 1. Petri. 2. Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarũ. *Illas oportet ad me adducere.* Si cõtendis violentiam ex verbo Domini, Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum, quia tractus præfert violentiam, discespontaneũ, ex hoc alio verbo Domini. Oportet ad me adducere: adductio enim spontaneum non violentũ significat. Fit igitur tractus à patre, & adductio à filio. At pater qui trahit ipse adducit, & filius, qui adducit, ipse est qui trahit. Non est alius tractus, quam adductio: sed ipsa inspiratio interna, ipsa est tractio, ipsa est ductio.

Vocatio ad fidem Dei miserentis est.

Diuina adductio est tract⁹ & tractus diuinus est adductio.

¶Memorare, vt hæc capias, Matth. 11. Dominum dixisse, Regnum cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Violẽti igitur rapiunt regnum Dei. Quid igitur si violenti rapiunt. Spõtanei non rapiũt? Imo spõtanei rapiũt, quia nemo cogitur à Deo, vt rapiat. Est igitur spontanea violentia, & violenta spontaneitas. Quod ergo simus violenti propter regnum Dei, hoc efficit diuinus tractus: quod simus spontanei Christi diuina præstat adductio. Trahimur igitur, quia ad ea vocamur, quę superant naturã nostrã & sunt nostris viribus natiuis imparia, vt

ille

ille qui iuuaretur, vt arduũ cliuum consc ſcenderet. Adducimur autem, quia Dei gratia confortati hęc ſupernaturalia ſpõ te amamus. *Oportet me ad me adducere.* Tra hit pater ad Chriſtum, adducit Chriſtus ad ſeipſum, vt Paulum vocat exalto dicens, Paule Paule cur me perſequeris. Acto. 9. Et hæc ſanè vocatio, maximus videtur tractus ſiquidẽ videtur, tũc Pau lũ paſſum fuiſſe quandã violentiam, dũ à Chriſto pręcipitatur ab equo cui inſide bat, oculisque cæcatur. Igitur filius etiã trahit, vt Pater trahit. Et ita eſt, quia eadem eſt actio ad extra filij quę patris, niſi quod hęc trahendi actio relata ad filium dicitur adductio, namque filius non ſola potentia trahit ad ſe, vt pater, ſed per ſan guinem ſuum, quem pro hominibus fudit, ideo hoc ſummũ amoris inculcãs hominibus beneficiũ ad ſe adduxit gentes credentes. At vero pater ſola ſua potẽtia vtens, adducit homines ad Chriſtũ: ideò eius actio adducendi mẽtes ad fidem, tractus potius vocatur. Hinc tu diſce Chriſtum ſe teſtari Deum æqualẽ patri, quia gentes ad ſe omnes potens eſt adducere, vt pater trahere. *Vocem meam audient.* Ideſt meo credẽt euangelio. Vox igitur Apoſtolorum, vox erat Chriſti, quia Apoſtoli Chriſtũ prædicarunt gentibus, ſecundũ quod ab eo didicerãt. Obſerua Chriſti actionem, dum ait, Oportet illas ad me adducere: & noſtri arbitrij cooperationẽ dum ait, & vocem meam audient. Rectè igitur, & concinne iſtis alibi, Lucæ. 10. ait Dominus. Qui vos audit me audit. *Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Chriſtus à patre diligitur, quia Deus eſt ex ſubſtantia patris, & hæc dilectio eſt æterna. Namque infinito amore ſe diligunt tres perſonæ. Nam ſi vnitas eſt amoris cauſa, vt diuiſio odij; vbi eſt infinita naturæ vnitas, neceſſario eſt amoris infinitas.

Cur patri tribuitur trahere homines & filio adducere.

Tres perſonæ beatę infinito ſe diligunt amore.

¶ Cæterum quia Chriſtus etiã eſt homo itẽ vt homo eſt ſumme dilectus à patre, etſi non infinite. Et cauſam dilectionis modo oſtendit eſſe, quia ponit animam ſuã: ponere autẽ animam eſt mori. Anima ſane eſt immortalis: verũ vſurpatur anima pro ipſo officio vitali: & ponere animam, eſt temporalem amittere vitã. Et hac ratione vſurpatur ſæpe anima in ſcripturis. Quj voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, perdet, ideſt, vitam temporalem propter Chriſtum, qui perdiderit, ſaluam eam in reſurrectione mortuorum habebit. Pro vita nãque corporis temporali, quam amiſerunt ſancti martyres, recipiẽt vitam corporalem æternam, ne dum ſpiritualem, qua nunc iam fruũtur. Sed ſciſcitaris forſan, nũquid tota cauſa, ex qua pater diligit filium eſt, quod mortem obierit pro hominibus? Nunquid etiam ſi non obiuiſſet mortem, alioqui eſſet dilectus? Vtique eſſet, quia filius erat conſubſtantialis patri. Et quatenus homo erat, Deo ſumme amicus erat, etiam antequã mortem crucis obiuiſſet. Lucæ. 9. Matth. 16.

¶ Cæterum Prouerbiorum. 8. legimus. Ego diligentes me diligo. Deus igitur ſi diligẽtes eum diligit, plus diligẽtes, plus diligit, & ſumme diligentes, ſumme diligit. Chriſtus autẽ ſe tradens in hoſtiam pro totius mũdi vita, ſe ſumme diligere Deum demonſtrauit. Namque, etſi ſuæ carnis oblatio eſſet in ſummam totius naturæ humanæ vtilitatem, erat nihilominus in ſummam gloriam Dei, quia huiuſmodi oblatio ſatisfaciebat ad plenum diuinæ iuſtitiæ: ideoque quia ab initio ſuæ conceptionis hanc oblationem ſuæ carnis facere diſpoſuit ſumme ſemperà Deo patre fuit dilectus. Accedit eodem quod Paulus, ad Philipen. ſcribit. Exinaniuit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Deus igitur ſummę dilectionis ſigna oſtẽdit erga Chriſtum, quia humiliauit ſe vſque ad mortem. Nam corpus eius exaltatum eſt ſuper aſtra, & ipſum dedit eſſe caput ſuper omnem eccleſiam. Quæ omnia pertinent ad gloriam accidentariam humanitatis Chriſti. At vero eſſentialem gloriam non promeruit, ſed ex gratia hypoſtaticæ vnionis ſibi illam conciliauit ſimulatque in virginea aula, eſt conceptus. Vnde quod modo ait. Propterea, &c. de dilectione quo ad gloriam accidentalem intellige.

¶ At ſciſcitaris, cur modo ait. Pono animam meam, quandoquidẽ non tunc Dominus eſt mortuus, ſed poſt modum?

Dicam tibi, quia quæ proxima sunt vt fiant, facta iam esse censentur. Erat autẽ Dominus hæc loquẽs proximus suæ passioni, nã proximo tunc paschate, erat immolandus, ideo ait, Pono animã meam. Veruntamẽ, vt significet se dominiũ habere vitę & mortis, & trahendũ fore non vi ad mortẽ, sed spõte, erat ducendus ad salutarẽ sui corporis victimam, subiecit, Quod nemo tollit animã, ideſt, vitã corporalẽ à me, Quasi dixisset, Nõ est in vestra situ potestate me cruci affigere ò Iudæi, nisi à me vobis fuerit primũ permissum. Vt hinc colligamus diuinitatẽ Iesu Christi: quippe cũ Deus esset, aiebat, neminẽ posse eum occidere cõtra suam voluntatem, sed volũtatis suæ esse futurũ, quod se subiecerit morti. Vnde apud Esaiã. 53. idẽ significatur. Si posuerit, inquit, pro peccato animam suã videbit semen longæuũ. Et vt plene doceat se habere mortis, & vitæ dominiũ, ait. Et iterum sumo eam, ideſt, mei arbitrij erit, & mori, & resurgere à mortuis. Meę erit volũtatis, & morti subdi, & mortẽ superare. *Vt iterum sumã eam.* Sũpsit semel Dei verbum vitã temporalẽ humanã, in virginis vtero, amisit eandẽ in cruce, iterum sumpsit in sepulchro, resurgens ex sepulchro à mortuis: & vtrũque fuit infinitæ suæ potestatis. Vnde ait, potestatem habeo iterum sumendi eam. Nullus hominum hac potestate gaudet, post mortem reuiuiscere, sed diuinæ est potestatis, ipsum rediuiuũ facere. Christus igitur dicẽs, se frui hac potestate, subdemõstrat se esse verũ Deum. Caietanus, vt elueret dubiũ supra motũ ex verbis illis, Propterea me diligit pater, quia ego pono animã meã, inquit, hũc esse sensum, Propterea me diligit pater, quia pono animã, vt, scilicet, iterũ sumã eam. Vt si apertius dixeris secundum eum. Me ponentem animam meã, pater adeò diligit, vt iterũ sumã eã. Quia voluit pater Christum suscitare à mortuis propter obedientiã Christi, quã moriendo gessit ad patrẽ suũ. At planius sensus literæ hũc sensum nõ amat. Verũ est tamen glossam interlinealem alium etiam insinuasse sensum. Ideo ait, Pater me diligit, quia morior vt resurgam. Et secundum hanc rationẽ, dictio, vt, significat causam, & non consequentem effectũ, Chrysostomus vero alio detorsit verborum Domini intelligentiam, vt sit sensus, Tantum vos diligit Deus, vt & ego propter hoc ab ipso diligar, quia pro vobis morior. Non ergo seduco vos, quos scio dilectos Dei. An non magis pro vobis quæro mori, vt si propter nihil aliud saltem propter hoc, quod magis diligar à patre meo. Hæc autem dicebat Dominus humiliasse attemperans, & condescendens auditorum infirmitati. Significat igitur Chrysostomus, verba Domini, Propterea me diligit pater, ideſt, magis me diliget, quia morior pro ouibus meis. Prius igitur dilectus: sed propter mortem magis dilectus. Theophilactus vero postquam recensuit Chrysostomi placitum, eo modo, quo dudum retulimus, aliã indicat expositionem. Propterea me diligit pater, quia animam pono. Hoc est, gaudet & exultat in filio pater, quia dum moritur pro ouibus suis, similitudinem, & characterem paternę bonitatis, & charitatis, erga homines refert ipse filius.

Christus Dominiũ vitæ & mortis se significauit habere.

Variæ expositiones.

¶Porrò autem, quæ germanior videtur expositio est, si intelligamus, verbum diligit nõ de dilectione illa æterna qua pater dilexit filium, vt Deum, & vt hominem, hęc enim non creuit, neque ex tempore accessit. At vero per dilectionem effectum singularem paternæ dilectionis oportet accipere, quem pater ostendit post mortẽ Christi ampliorem, quã tantisperdum vitam degebat mortalem, vt iam ex Paulo demonstrauimus. Secundum hanc declarandi rationem, dictio, vt, non causam, sed consequentem, vt sæpe alias in scriptura, denotat effectum. Vt sit sensus, Propterea me diligit exaltãdo me, vt exaltabit pater, quia morior pro ouibus meis: vnde consequetur glorioſa resurrectio mea.

Christus ex alto tatus à patre secundũ gloriam accidentalẽ propter mortem suã.

¶Augustinus ex hoc loco argumentum instruit, contra Apollinaristas, contendentes verbum esse animã humanitatis Christi. Enim vero Dñs ait. Ego pono animam meam: igitur verbum caro factum animam habebat, & ipsum non erat anima: quippe verbum non posuisset seipsum, non enim mortem verbum obire poterat.

Confodiũtur Apollinaristæ.

¶Differit autẽ Augustinꝰ, si verbũ dimisit animã, igitur separata fuit anima Christi à verbo: id quod falsum esse asserit, & fides

& fides catholica idem constituit, animã Christi non esse separatam à Dei verbo vnquam, sed post Christi mortem, separata fuit anima à carne Christi, non tamen à verbo: vt neque ipsum se separauit à carne Christi dum mortua erat. Si ergo verbum non deposuit animam, neque ipsa anima se ipsam, quid ergo est quod ait, Ego pono animam meam? Respondet dubio dicens. Caro ergo ponit animam suam, & iterum sumit eam, non tamen potestate sua, sed potestate habitantis carnem, scilicet, verbi.

¶Porro quia huic sensui occinet aliquis, Caro sola naturale agens erat, & non habebat mortis dominiũ, at Dominus ait, se ex suo placito moriturum, & nõ quia inuitus trahendus erat in mortem. Veruntamen caro necessario secũdum mortis iura deposuit animam suam, clauis confixa, & cruci affixa, & contra suam natiuam inclinationem erat mori, & repugnante natiua inclinatione separata fuit ab anima: ideo simplicior videtur sensus, sine præiudicio tamen Augustiniani sensus. Animam non significare hoc loco animam, vt est pars essentialis humanitatis, vt videtur sumpta ab Augustino, sed significare vitam corporalem Christi. Namque anima est, quæ administrat corpori vitam, ideo, vsurpatur nomen causam significans, pro ipso effectu vitali: vt sit sensus, Ego Deus & homo vitam corporalem, meæ humanitatis, ex placito meo, perdam ad tempus, pro ouibus meis viuificandis, vt supra dictũ est. Et paulo infra itidem vsurpatur anima pro vita temporali. Vsque, inquiunt Iudæi, animam nostram tollis? idest, aufers vitam nostram. *Hoc mandatũ accepi à patre meo.* Non est humani cõsilij, aut humani casus, quod ego sum moriturus pro hominibus, sed diuinę est ordinationis. Ordinationẽ enim Dei vocat Dei mandatum Christus. Hoc autẽ accepit mandatũ, simulatque cõceptus est in B. Mariæ virginis vtero. Vnde hoc sibi volebat Paulus ex Christi persona indicãs, ad Hebrę. 10. Psal. 39. Hostiã, & oblationem voluisti, corpus autem aptasti mihi, Quia ingrediẽs mundũ secundum quod homo erat per conceptionẽ suam, continuo clare vidit ordinasse Deũ, esse moriturum Christũ, pro hominũ salute: quia oblationes veteres, nõ sat erant tantæ parandę saluti, ideo indutũ est humana carne, vt carnẽ suam offerret pro mũdi vita.

Anima vsurpatur sæpe pro ipsa temporali quam anima præsens corpori administrat vita.

Dissensio iterum facta est inter Iudæos, propter sermones hos. Dicebant autẽ multi ex ipsis, Dæmoniũ habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant, hæc verba non sunt dæmonium habentis, Nunquid dæmoniũ potest cæcorũ oculos aperire?

Legimus apud Lucam, Ecce hic positus est, in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signũ, cui contradicetur, Lucæ. 2. Ideoque Christus dicitur lapis offensionis, & petra scãdali. 1. Petri. 2. & Matt. 21. id quod modo in verbis istis & verbis supra cap. 9. cõmemoratis satis liquet. Enim vero offensi sunt Iudæi ex verbis Domini. Aiunt enim Dæmoniũ habet, & insanit, quæ verba supra exposuimus. cap. 9. Vtiq; iniusta offensio hæc ex verbis enim Domini salubribus, & vitalib⁹, nullus iustè offendi debet ad mortem, sed potius iuuari advitã. Quid enim hactenus dixerat? equidẽ se esse pastorẽ bonum, se moriturum pro ouibus, se nõ esse mercenarium, non furem, non latronem, se vocare oues suas, illas scire, & cætera, nunquid hæc verba erant scandali? Non magis vtique, quam verba optimi medici antidotum conferentia ægroto. At vero, vt phreneticus furit in medicũ curantẽ illius phrenesim, ita isti phrenetici sensu debacchãtur in medicum cælestem. Qui alioqui debuerant, tanti pastoris habere præsidia, non hæc curant, sed à se abigũt, dicẽtes Dæmoniũ habet, & insanit. Hæc est deflenda humana væ cordia, ea quæ nõ amat ea, quæ odit, hæc etsi diuina sint, spernit, & proculcat.

¶Cæterum non omnibus, tunc idẽ erat decretũ: isti enim qui hęc audiebãt offendebantur, alij illustrabãtur ex Dñi verbis, cõfitendo verba cõmemorata nõ esse insanientis, vel dæmoniaci, sed potentissimi ad illuminandum cæcorum oculos.

ENARRATIO II.

In caput decimum.

¶*Facta autem sunt encœnia Hierosolymis, & hyems erat.*

Sectio secũda

ENcœnia per diphthõgũ sunt scribenda, vt significãt initialia, vel innouationes à verbo ἐγκαινόω, quod est, innouo, initior,

initior, dedico. Nã si scribas cenon, Græcis vanum est, non nouum: ideo oportet scribere cum diphthongo. Fuerũt autem tres dedicationes, siue festa dedicationis vel consecrationis Salomonici templi: quarum prima fuit sub Salomone rege in autumno. 10. die Septembris. 3. Regũ. 8. Altera in mẽse Martio. 1. Esdræ. 6. quę facta est sub Zorobabel templo reędificato. 1/2. die mensis Martij, vt credit Nicolaꝰ. Postrema sub Iuda Machabęo. 1. Macha. 4. 25. die mensis noni, quando fuit expurgatũ templum à sordibus, & abominationibus idolorum, vnde festa dedicationum celebrat Ecclesia. Quidam putant, cum quibus Erasmus in annotationibus hæc encœnia fuisse, festũ consecrationis reędificati templi sub Zorobabele soluta iam diutina captiuitate Babylonica. Theophylactus idem videtur existimare, indicans aliorum placitum fuisse potius festa consecrationis tẽpli Salomonici. At vero non legitur Iudæos annua duxisse festa in memoriam consecrationis templi illius sub Salomone: sicut neque legitur festa instituta fuisse in memoriam secundæ consecrationis reædificati templi sub Zorobabel, quæ tamen consecratio fuit secundum Iosephum. 23. die mensis Adar, hoc est, Februarij, Nicolaus putat in mense Martio celebratam scriptura docente, tertio die mensis Adar, qui correspondet Martio nostro, vt Nicolaus censet cõm. ad Esdram. At vero quia Euangelista ait hyems erat, & prędicta dedicatio fuit vere. 12. die Martij, vel. 23. Februarij, non de hac, neque de illa alia sub Salomone est intelligendum verbũ Ioannis. Facta sunt encœnia, &c. sed de ea solũ quam fecit Iudas Machabęus, quæ fuit in mense Cazleu, qui incidit in Decẽbrem nostrum. Ita Glossa ordinaria sensit, & Alcuinus, & vulgatior certiorque est hæc opinio, quæ est iam ferè omnium. Hæc autẽ hyems fuit proximo Aprili in quo passus est Christus. *Et ambulabat Iesus in porticu Salomonis.* Porticus hæc erat ante fores templi: ideo vocatur etiam templum. Erat porticus hæc locus quidam amplus, & spaciosus ante templi fores tectus tamen, vbi fuerat quondam oratorium Salomonis. Vnde Christus etiã eiecerat emẽtes, & vendẽtes, Ioan. 4. vbi

Tres dedicationes templi Salomonici vnde Ecclesiæ inoleuit mos celebrãdi dedicationes.

Annuæ festiuitates consecrationis templi sub Salomone, aut sub Zorobabele non legũtur institutæ.

fuerunt Apostoli post ascẽsum Domini. Act. 5. Erant inquit Lucas vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Actor. 5. Huius loci fit mẽtio. 3. Reg. 6. quem quo que locum modo versabat Dñs. Et apud nos sunt templa multa, quę habent ante fores huiusmodi loca spaciosa tecta Hispane, *Portales de Iglesia.* Et si alia habent illa sub dio, & non tecta, vt sunt Ecclesię cathedrales, & aliæ nobiles Ecclesiæ sepientes hæc loca columnis sparsis, cathenis ad eas ferreis suspensis. Et reædificato templo etiam hæc porticus fuit restaurata, & idem quod prius retinuit nomen: Et domus magnatorum olim istis porticibus fruebantur, spaciosis, ad deambulandum in eis. *Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebãt ei, & quousque animam nostrã tollis? Si tu es Christus dic nobis palam.* Græce, si tu es ille Christus. subaudi, promissus à Deo nobis? Scriptũ est in Psalmis, Circũdederunt me ficut apes, & exarserũt ficut ignis in spinis. Et rursus, Circũdederunt me canes multi, & conciliũ malignantium obsedit me. Iudæorum sanè conciliũ, conciliũ est malignantiũ. Enim vero malo animo circũstãt modo Dominũ: non enim circundederũt, vt docerentur, & discerẽt veritatẽ, sed potius, vt ex verbis Dñi arriperent occasionẽ explendi furorẽ, quem contra Christũ concepe rant. Circũdederunt Dñm, non vt Apostoli vt discerẽt nõ vt angeli, vt ministrarent, sed vt apes, vt pungerent, circunde derũt, ficut canes, vt morderẽt Dominũ, ideo aiunt. Quousque animam nostram Interpres Chrysostomi trãstulit perdes, tollis? Theophilacti interpres suspendes Hispanè, *Hasta quando nos matas.* pro eo quod est, quousque torques nos, & est hyperbole. *Si tu es Christus.* Equidẽ sæpe Christus dixerat se esse lucẽ mũdi, panẽ cælestẽ, esse filiũ Dei, esse pastorẽ illum bonũ, vnde promptũ erat discere ipsum esse Christũ. Verũ Iudæi tentabant Dominũ, si forsan clare diceret se esse Deũ: vnde raperẽt ansam accusandi, vt ex alijs fecerant. *Dic nobis palam.* Græcè, die nobis ingenue vel libere, vt supra etiã annotatum est. Mira hominũ dementia: petunt quod Dñs loquatur manifestè, & libero clarouè sermone, cũ alioqui Christus semper loquebatur manifestè, & nõ in occulto, & nunquam nõ libere loquebatur.

Porticus quid

Psalm. 117. Psalm. 21.

Iudæi circundãt Dominũ nõ vt discipuli ad discẽdũ nõ vt angeli administrandũ, sed vt apes ad pungendum.

¶ Quamuis

¶Quamuis enim in parabolis loquebatur Iudæis, ipso testante vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris vero omnia in parabolis fiunt nihilominus ipsas parabolas ipse aliquando dignabatur Iudæis aperire, vt dudum exposita à Domino parabola de pastore, aperte docet. Et quanquã sub metaphoris loquebatur, cæterum ipsę metaphoræ, ipsum esse Christum subindicabant. Nam dicens se esse lucem, esse panem de cælo descendentem, & cætera hoc genus supra relata, an non planè docebant, quis ipse Christus esset? Accedit eodem in miraculis Domini nullam fuisse obscuritatem, quæ ipsi oculis cernebant, vt illuminatio cæci testata est. Cur ergo si verba clara exigebant, miraculis manifestis non credebant? Cæterum, vt stomachus discrasiatus, varia petit cibaria, quæ alioqui oblata fastidit continuo, ita Iudaicus animus male habens, miracula visa fastidiẽs, verba exigit, verba habens hæc negligit, & miracula poscebat. Quo circa verba illa, *Quousque tollis animam nostram.* Huiusmodi animi testantur discrasiam. Non enim tollit animam Christus, sed donat, non cruciat, sed solatur: venit enim saluũ facere quod perierat.

Nihil absolnit odiosum, & inuidũ animum petens omnia fastidit omnia.

¶Porrò si Christus votis horum insultatorum annueret, & clarè diceret, quod Samaritanę dixit, Ioannis quarto, se esse Christum, & cæco replicauit, Ioannis. 9. nihilominus incrudescerent in Christũ. Vere cruciabantur isti, & animus illorum deficiebat videntium Christi magnalia, quia quod credentibus erat solamen, istis erat tormentum. Non tollit ò Iudęi animas vestras Christus, quin imo vos à vobis ipsis tollitis animas vestras: quia in corpore viuo geritis animum coram Deo mortuum, quippe à vita, quæ est Christus ex vestra inuidia, procul abestis.

¶*Respondit eis Iesus, loquor vobis, & non creditis, opera quæ ego facio, in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Sermone, & opere testatur se docuisse esse verum Christum. Ait enim, Loquor vobis, vel dixi vobis, vt Græca habent εἶπον, & nõ creditis mihi. Et rursus, Opera, quæ ego facio, &c.

Quod verò ait, Iudęos non credere, quia non sunt de ouibus Christi, non significat, ex eo esse incredulos Iudæos, quia erant à Deo reprobati. Reprobatio enim non est causa infidelitatis, aut peccatorum nostrorum. Quippe reprobatio nõ cogit quenquam, vt culpis se innodet. Tantæ enim libertatis est reprobus, quãtæ prædestinatus. Deus denique autor peccati non potest esse, quia cũcta, quæ Deus facit sunt valde bona, peccatũ autem est valde malum, ideo impossibile est quod sit opus Dei.

Reprobatio non est causa peccati quod reprobus facit.

¶At vero sensus est hic, vos, quia estis inuidi, estis truces, estis auari, estis ambitiosi, non estis ex ouibus meis, ideoque non creditis. Nam cor vestrum istis occupatum vitijs non aperit ostium fidei, semper pulsanti vos per sermonem meũ & miracula mea. Sane oues meæ, sunt candidi animi, sunt misericordes, habent mores sine auaritia: sunt mites, & humiles corde: ideo suscipiunt fidem meã, & nihil habent intrinsecus, quod fidei aditum obstruat, vt in vobis sunt multa, quæ fidei Euangelicæ aditum occludunt. Tenaci enim non est gratus liberalitatis sermo, & truci ingratus est benignitatis auditus, qualis est fidei sermo. Græca habent. *Non estis ex ouibus meis sicut dicebam vobis.* Quia dudum hoc Dominus dixerat, quod oues sequuntur suum pastorem, & sciunt suum pastorem, & audiunt vocem eius: vnde sequebatur Iudæos non audientes vocem Domini, non esse oues Christi.

¶Quamuis igitur hoc non expresse Dominus, supra dixerat clare consequebatur ad verba Domini, Ideo ait. Non estis ex ouibus meis, sicut dicebam vobis. Hinc colligere poteris quæ ex verbis sacris clare colliguntur perinde esse verba Domini, atq; ea, quæ exprimuntur. Vnde hæreticis solum credentibus verbum expressum, hic locus obijciendus est, secũdum quod Græce scribitur. Cætera supra exposita iã dedimus. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Discordant Græca, legimus enim Græcè aliter quã in codicibus Latinis adhũc modum.

Quæ ex verbis sacris colliguntur euidenter eiusdẽ sunt autoritatis, vt ea quæ exprimuntur cõtra Neothericos hæreticos.

Pater qui dedit mihi, maior omnibus est. Et videtur concinnè sequi ad priora. Dudum enim dixerat de ouibus suis, Nemo rapiet eas de manu mea, hoc probans subdit. Pater qui dedit mihi maior omnibus est. Quasi dixisset apertius, Ex eo nemo rapiet eas de manu mea, hoc est, ex potestate mea, quia habeo illas ex patris dono, at pater donans potentissimus est: ideo nullus poterit patris huic contrauenire dono, vnde subiecit. *Nemo potest rapere de manu patris mei.* Insinuans oues Christo à patre concessas, vt essent sub Christi pastu, & regimine, non propterea esse exclusas à patris regimine, & potestate, sed sic esse in manu Christi, quod etiam sunt sub patris æterni manu. Quapropter nō est locus cauillationi, si quis obijceret. Si concessæ sunt oues à patre Christo, iam ergo non sunt patris: idcirco, etsi pater sit potentissimus non subinde sequitur. non posse rapi de manu Christi. Hunc namque cauillum, Dominus verbis propositis diluit, dicens. Et nemo rapere potest de manu patris, idest, sunt sanè sub potestate mea, sed meæ traditæ potestati. sub Patris potestate oues meæ etiam num continentur: ideo si quis rapuisset de manu mea: itidem rapuisset de manu Patris, at de manu patris nemo rapere potest, igitur neque de manu mea.

Variæ expositiones.

¶Græci vt Chrysostomus & Theophilactus legunt, vt diximus. Hilarius vero, & Augustinus, legunt vt in vulgata editione habemus: vnde colligunt ex hoc loco Christi diuinitatem. Exponunt enim hac ratione, Pater quod dedit mihi, maius omnibus est, idest, diuinitas, quam per æternam generationem dedit mihi pater, superat omnia. Vnde rationem insinuat talem, Nemo rapiet eas de manu mea, quia est diuinitas in me, quæ est in patre, & ideo potestas infinita, qua propter, cum sim Deus omnipotens ex diuina generatione, nemo rapiet ouesmeasde manu mea. Nam si de manu patris nemo rapiet oues meas, quia ipse est omnipotēs, neque de manu mea rapiet, cum sim illi potentia æqualis, & natura idem.

¶Alijs vero, non arrisit hæc declaratio, ideo locum referunt in longe diuersum propositum, vt sit sensus. Pater, quod dedit mihi maius omnibus est, scilicet, oues, quas dedit mihi, cætera omnia mundana superant.

¶Enim vero electi, & prædestinati à Deo, excellunt ratione suæ electionis æternæ, mundana omnia: siquidem neque seculi vel blandimenta, vel terrores, vel diaboli astutiæ, diuellent electos, ab immobilitate suæ electionis. Et hoc est quod Domini verbum. Matthæi decimosexto declarat, Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Nō ergo aduersus electos Dei prævalebunt portæ inferi, quæ sunt peccata omnia.

Electi à Deo prævalebunt aduersus portas inferni, & istæ non prævalebunt aduersus eos.

¶Et videtur etiam consequens hæc explanatio ad verba proxima, Non rapiet eas quispiā de manu mea: Pater quod dedit mihi maius omnibus est: idest oues electæ, quas pater dedit mihi, propter electionem suam, potentiores sunt ad deuincendum omnes seculi tentationes, quam seculum, & diabolus ad tentandum eas. Cæterum mihi plausibilior est, vel Græcorum expositio, aut Latinorum Hilarij, & Augustini declaratio.

¶Obserua tamen ne hinc deludaris credens prædestinationem, necessitatem imponere salutis capiendæ prædestinatis. Quoniam ait Dominus, *Nemo potest rapere de manu patris.* Etenim hoc verum est prædestinatos salua prædestinatione non posse rapi à dæmone, quod scholastici in sensu composito appellitant. Verum simpliciter loquendo hic homo, qui est prædestinatus damnari potest. Nam nihil implicat quod hic homo demonstrato prædestinato damnetur: cum sit peccabilis, & ad malum & bonum vertibilis, vt nos pro captu nostro fusè exposuimus, in disputationibus ad. 1. sententia. librum.

Prædestinatio non imponit necessitatem capiēdæ salutis æternæ.

¶At scisciatur forsan aliquis, cur Christus de se loquens dixit, Nemo rapiet eas de manu mea, at de patre altius loquitur. *Nemo potest rapere de manu patris.* Respondetur, Quia iam dixerat, Pater quod dedit mihi maius omnibus est: ideoque se eundem secundū naturam, & potestatem esse dixerat patri, ideo dicens, Nemo rapiet, insinuabat neminem posse

posse capere de manu sua: quia iam se omnipotentem habere manũ declararet Cæterum de patre expressius loquitur, quia hoc erat vnicũ Christo in omnibus, quæ dicebat, aut agebat institutum gloriam patris magnificare, & declarare. *Ego & pater vnum sumus.* Hic locus, est Ecclesiæ catholicæ gladius iugulans hæreses Arrij, & Sabellij. Etenim non ait, vnus sum, ne personæ vnitas crederetur cũ Sabellio, sed ait, vnũ, quod refertur ad vnitatẽ naturæ, & sumus, quod pluritatẽ docet personarũ. Arrius vero curauit eludere locum hunc, eum retorquens ad concordiam, & amorẽ patris & filij. Et Erasmus in annot. ad. 1. epistola. Ioannis, 5. ait locum hunc non cõuincere contra Arium vnitatẽ essentiæ patris & filij, quia vnum in scripturis sæpe significat concordiam, & affectus vnitatem iuxta illud, erat credentium cor vnum, &c. At vero quia regula ad intelligentiam scripturæ est, ex antecedẽtibus, & sequentibus eruẽdum eius sensum, vt docuit Augustinus, ideo dixerim, si probamus lectionem Latinæ Ecclesiæ, vt probanda est, & legimus, Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est, vtiq; in verbis commemoratis vnitas essentiæ significatur: qui iam dixerat. Pater meus, quod dedit mihi, subaudi, cum Hilario, & Augustino generatione æterna maius omnibus est, vel est maximum omnium. Nãque hinc sequitur, quod subiecit postmodum, Ego & pater vnum sumus. Nã pater dedit filio ab æterno suam diuinitatem, ergo filius & pater sunt vnum secundum diuinitatem.

Act. 1.

Regula Augustini ad intelligentiam scripturæ.

¶ Verum si cum Græcis legimus, Pater qui dedit maior est, &c. tum ex sequentibus de vnitate essentiæ esse Christum locutũ, ostenditur. Nam sequitur, Sustulerũt lapides Iudæi, vel, vt Græca habẽt, sustulerunt ergo iterũ lapides, vt lapidarent eum, & causam lapidationis subdũt de bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum. Quo circa Iudæi intellexerunt verba Dñi significare ipsum esse verum Deum. Neque Dominus correxit hunc sensum, quem correxisset, si sinistre intellexissent. Non tamen correxit, sed potius confirmauit sensum, ex Psalmo. 8. vt post hęc dicemus. Nos plura de re hac scripsimus in. 1. Senten. lib. ideo hæc supersedeamus.

¶ Et obserua quod idem intelligentes Iudæi, cap. 8. tulerunt lapides, vt conijcerent in Dominum: ideo Ioann. ait rursus modo sustulisse lapides. Intelligebant enim ex verbis Domini, illis. Amẽ amẽ dico vobis antequam Abraham fieret ego sum se profiteri esse Deum, ideo in vltionem putatæ ab eis blasphemiæ lapidibus, tunc se instruxerunt contra Christum, itidem & modo. *Sustulerunt lapides.* Capi. octauo hæc sunt exposita. *Respondit Iesus, Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis. Responderunt ei Iudæi, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia. Et quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum.* Iudæi modo, etsi lapides acceperunt, vt iacerent in Dominum, non tamen iecerunt, non enim lapidarunt Dominum modo, vt neque Ioannis octauo. Quod enim modo Dominus ait, Multa bona opera ostẽdi vobis, propter quod horũ me lapidatis, non ex eo dixit, quia Dominum lapidauerunt, sed quod tentabant Iudæi facere, Dominus reputat eos fecisse: nã tentare facinus, est facere. Porro Ioannis octauo, Dominus mirabiliter se abscondit: & ideo lapidare eum volentium delusit animum. Nunc autem non legimus se abscondisse, sed quod verbis suis cohibuit lapidandi facinus, suam semper mirabiliter ostendens virtutem, vel se occultando, vt capitulo octauo, vel verbis cohibendo malignantium furorem, vt modo.

¶ Demonstrat igitur Dominus se non esse lapidibus dignum: quippe is qui bona impendit alijs, eximiæ ingratitudinis est, si malis rependãtur. Vnde ingratissimi erant Iudæi erga Christum, siquidem in multis illis gratificatus fuerat, & de illis optimè meritus semper. Et quia docebat eos diuinam doctrinam, & quia cæcos eorum illuminabat, paralyticos sanabat, famelicos satiabat, &c. Quamobrem, cum hæc opera singularis essent beneficij, indigna erant, ob quæ Christus lapidaretur, sed quod ob illa adorare tur dignissima. Vt ergo Dñs summã Iudęorũ ostẽdat ingratitudinẽ, erga ipsum ait, *Multa bona opera, &c.* quod vero ait, ex patre meo, ideo adiecit, vt in omnib⁹ glo

Qui bona opera malis repẽdit ingratus.

Opera Christi dignissima ob quæ à Iudęis maximè coleretur.

rificet patrem suum, & vt significet, quẽ admodum operãdo, erat indiuisus à patre, ita natura erat idem cum patre.

¶Iudæi autem operum Christi, non diffitentur bonitatem, vel inuiti. Testãtur enim modo fuisse bona opera, quæ alias mala fuisse calumniantur. De bono inquiunt opere non te lapidamus, hoc est, lapidare tentamus: sed hoc tentamus facere in vltionem tuæ blasphemiæ, quia cum sis homo, facis teipsum Deum. Vnde rectè dixit Augustinus, melius intellexisse Iudæos verbum Domini, quam Arriani intellexerũt. *Respõdit eis Iesus, Nõne scriptum est in lege vestra, Ego dixi Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit, & misit in mundum vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum.* Vocat legem modo, librum psalmorũ vbi hæc verba quæ Dominus indicat continentur. Psal. 81. Aliquando vero distinguit legem à Prophetis. Hinc pendet vniuersa lex, & prophetæ. Matth. 11. & rursus. Matthæ. 12. lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Iam vero distinguit legem, à prophetis, & psalmis. Lucæ. 24. Non ergo semper lex vsurpatur pro quinq; Mosaicis libris, sed nonnunquam vsurpatur pro alijs libris sacris.

Lex, non semper vsurpatur pro quinque Mosaicis libris.

¶Est autem obseruãdum sanctificare in scripturis varia, & non vnum solum significare. Primo quidem illud dicitur sanctificari, quod seiungitur ab vsibus profanis, & diuinis attribuitur cultibus: vnde iubebat Dominus, vt sanctificarẽt Iudæi diem Sabbati. Erat autem sanctificatio Sabbati cessatio ab opere seruili, & vacatio ad diuina honoranda. Exod. 20. Deut. 5. Item templum ob hoc dicitur sanctificari, 3. Reg. 8. sanctificauit Salomon dimidium atrij. Et. 3. Regũ. 9. Sanctificaui domum hanc. Quippe templũ, est orationi dicata domus, & profana ab ea sunt arcenda. Sub qua ratione & vasa templi, quæ solum seruire debẽt diuino ministerio sancta dicuntur. Ideoque Balthasar fuit grauiter à Deo punitus. Danie. 5. quia vasa templi quæ apud se habebat, ex captiuitate Iudaica in profanos vsus conuertit.

Variæ acceptiones huius verbi sanctificare.

¶Rursus sanctificare, est mundare à peccatis, ad Ephes. 5. Semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, hoc est, vt Ecclesiam purgaret à sus piaculis, fudit sanguinem suum.

¶Præter hæc sanctificare est declarare, vel honorare sanctitatem, ideo in prece dominica precamur. Sanctificetur nomen, id est, tua sanctitas pater æterne semper honoretur, ab omnibus hominibus, & iugiter manifesta sit. Et Petrus 1. Petri. 5. Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, hoc est, honorate in cordibus vestris, & apud vos Christi sanctitatẽ colite per fidem & amorẽ.

¶Iam vero hoc quod Dominus ait. Quẽ pater sanctificauit, intelligere nequimus sanctificauit, hoc est, mundauit à culpa: quippe Christus impeccabilis est, ideo restat videre, quo nam modo sanctificauit pater filium. D. Augustinus exposuit, sanctificauit, idest, vt sanctus esset, gignẽdo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Vnde iuxta Augustinum generatio æterna est filij sanctificatio.

¶At vero, ne forsan quis opponat Aug. Sanctificare est sanctum facere: at Christus ex generatione nõ est factus sanctus quia non est factus. Propterea Theophilactus aliter exposuit sanctificationis primum vsurpans modum, ideſt, pater segregauit Christum, invictimam saluberrimam pro peccatis totius mundi. Quod si ipse fuit selectus in victimam hãc, ipse Deus est, quia solus poterat esse salutare sacrificium pro tota natura humana. At vero re vera Paulus ad Hebræos, sanctificationem Christi qualis fuerit, docere nos videtur, dicens, cap. 7. Talis, inquit, decebat, vt nobis esset põtifex, sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus. Fuit enim segregatus Christus à peccatoribus, non quia cũ peccatoribus non conuersabatur, quia cum publicanis & peccatoribus mãducabat, sed quia ab omni peccato, & à debito peccati fuit segregatus, & longe alienus. Et hæc segregatio est ipsa sanctificatio carnis, nunc Christus meminit. Quia enim venerat expiare piacula omniũ hominum, ipse venit impollutus, innocẽs, & segregatus à peccatoribus. Quod ergo ait, Quem pater sanctificauit, ideſt, pater fecit sanctum, & impollutum, & segregatum à peccatoribus, vel vt semel dicam, quem fecit impeccabilem: hæc sanctificatio solũ tributa est homini Christo, ex vnione

Locus Pauli elucidatur.

ne hypostatica verbi Dei cum carne nostra. Ipsa igitur vnio est ipsa sanctificatio hominis Christi. Quia hæc sanctificatio non de Christo vt est Deus videtur audienda, nisi de Christo, vt homine. *Quem pater sanctificauit.* Hoc est, hominẽ, quem pater fecit impeccabilem, ex vnione sui verbi cum ipso, vos dicitis, blasphemas. Et Christi ratiocinatio talis est, si peccabiles homines, ex peccato conceptos, quos illuminauit, & instruxit Dei sermo, scriptura quæ certissima & infallibilis est, non dedignatur vocare Deos, & est rectissima & verissima appellatio, quia scriptura sacra, quæ eos sic appellat solui non potest, ideſt, fallere nequit, cur vos indignamini mihi, quod me vocauerim filium Dei, cum me ipse pater sanctificauerit, non solum per doctrinã suam reuelando eam mihi, sed etiam sanctificauit me faciens impeccabilem ex vnione diuinitatis suæ cum humanitate mea. Si homines igitur peccabiles ex participio diuinæ reuelationis ad eos factæ vocantur appellatione vera Dij, homo impeccabilis ex vnione subsãtiali cum Deo, cur non dicetur verè Deus? Impeccabilitas igitur Christi, significatur ex verbo cõmemorato. *Quem pater sanctificauit.* Et hoc est certum argumentum diuinitatis Christi, quia persona Christi impeccabilis est, quia diuina est & Deus ex natura sua impeccabilis.

Christus impeccabilis quatenus hic homo demõstrato Christo est persona diuina.

¶ Scisitatur aliquis, cur Dominus non intulit, quod Deus sum, sed, quod filius Dei sum. Namque Iudæi, non dixerũt, Te ipsum facis filium Dei, sed, Deum: at Dominus ait, vos dicitis, blasphemas, quia dixi, filius Dei sum. Verum Christus menti ipsorum respondit, accusantium, quod se faceret Deum, quia filium se profitebatur naturalem Dei. Obserua Christũ tribuere patri suo suam sanctificationem cum alioqui ipse Christus, vt Deus se sanctificet hominem: verum omnia tribuit patri, tanquam principio sanctæ i riadis.

¶ Considera rursus quanta lenitas fuerit Christi. Tentant sui hostes eum obruere lapidibus, vt malefactorem, & blasphemum, ipse autem non incandescit, non irritatur, sed mira verborum suauitate cõpescuit plusquã belluinum furorem eorũ. Typos quoq; Christi Mosem Exo. 17 lapidare gestierunt Iudæi: & Dauidẽ regem. 1. Regũ. 30. Lapidare aggressi sunt, & discipulum Domini Stephanum lapidibus obruerunt, & magistrum quoque & Dominum, lapidibus obruere adorti sunt. Vtique quia corda gestabant lapidea Iudæi lapides amabant, & legem in lapide insculptam. 2. Corin. 3. Exod. 31. acceperunt, vt ex tabulis lapideis, quales ipsi erãt lapidei adũbraretur. Et quia Deus Ezechi. 11. est qui aufert cor lapideum, & donat cor carneum. Iudæi recedẽtes à Christo, quid restabat, nisi eos lapidescere quotidie vehementius. *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & mihi non vultis credere operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia pater in me est, & ego in patre.* Ex operationibus venandas esse formarũ naturas, chorus philosophorum nunquam non versat in ore. Hinc enim cognoscimus causas, ex effectuum demonstratione. Hoc autem Dominus idem argumentum in medium profert dicens. *Si non facio, &c.* Optime quidẽ docet, si opera mea sunt ipsa, quæ Deus solus potest facere, planè Deus sum: & filius Dei. Deus namq; ex propria autoritate facit opera miracu losa, sancti vero non ex propria autorita te, sed solum, vt Dei ministri precando faciebant miracula. Quia Petrus non donabat vitã mortuis ipsam vitam efficiendo, sed per preces impetrando: at Christus ipse donabat vitam mortuis, lumen cæcis, &c. Quia Deus erat, ideo ait se facere opera, quæ pater facit. Imperando enim vt Dominus naturæ, illa faciebat. Et est Domini argumentum ex disiũcti ua ex duabus contradictorijs, quæ est necessaria, quia inter duo cõtradictoria nõ est medium: vt, vel est homo, vel non est homo. Ita proponit modo duo contradictoria, vel facio opera patris mei, vel non facio. Si facio, ergo sum Deus: & mihi est credendum testanti me esse filium Dei. Si non facio, igitur mihi nõ est credendum. Subsume modo, post disiunctiuam ex duabus cõtradictorijs, sed ego facio, ergo, &c. *Vt cognoscatis, & credatis.* Vt approbetis sermonem, & opera mea, & approbando, credatis, quod ego in patre, & pater in me est. Fides nãque eget pia affectione, & hãc piam affectionem significat verbum: vt cognoscatis.

Iudæi accepe runt legẽ in tabulis lapideis, vt de suo lapideo corde admonerẽ tur.

Christus autor miraculorum non minister.

Fides exigit piam affectionem.

Quod verò sequitur nõ est prõptũ explicare, quomodo pater sit in filio & filiꝰ in patre. Enimuerò hæc inexistẽtia mutua de Deo & fidelibus legitur, apud Ioãnẽ. Quisquis inquit confessus fuerit, quoniã Iesus est filius Dei, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4. Et rursus Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Præter hæc omnia creata esse in Deo, & Deus in omni creatura scriptura item docet, In ipso, ait Paulus, viuimus, mouemur, & sumus, Actor. 17. Et quod Deus sit in omnibus Dauid admonet, Si ascendero in cælum, tu illic es, &c. Et Ioan. 17. videtur exponi hæc inexistentia patris in filio, & filij in patre quod solum sit secundum amorem. Ait enim Dominus, Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint. At verò fideles sunt vnum in patre, & filio, non secũdum vnitatem naturæ, sed secundum vnitatem amoris.

Variæ inexistentiæ explicantur.

Quomodo filius in patre, & pater est in filio explicatur.

¶ Philosophi quoque totum docent esse in partibꝰ suis, & partes in toto suo: quid ergo, dicet aliquis, est ne hæc inexistentia, similis illi inexistentiæ, de qua Dominus ait, Ego in patre, & pater in me?

¶ At verò nulla harum inexistentiarum cum hac conferenda venit. Siquidẽ hæc inexistentia, qua est pater in filio, & filius in patre, omnes transcendit inexistẽtias. Quandoquidem etsi totum sit substantialiter in partibus suis, & partes in toto, veruntamen partes possunt separari, & diuidi à toto, etsi totum non possit separari à partibus suis: quia diuisio, soluit totius rationem. Verum pater est in diuisus, à filio, & filius à patre: neque pater potest esse extra filium, neque filius extra patrem.

¶ Similiter etsi creatura non potest esse extra Deum, quia vniuersa quæ sunt, cõtinentur à Deo, vt ipsa sint, & non possunt aliter esse, veruntamen Deus potest esse sine sua creatura. Et quanuis sit in sua creatura, etiam est extra omnem creaturã, quia infinitam habet essentia.

¶ At verò filius est infinitus, & pater est infinitus, ideò pater non potest esse extra filium, neque filius extra patrem.

¶ Fideles autem manent in Deo, quia in solo Deo quietem habent, in quem vnũ spem suam certissimè collocant: at verò Deus manet in fidelibus, quia extra fidelium cætum Deus non amatur, neque colitur, vt ipse vult, & amari & coli: vnde hæc mutua immanentia Dei in cætu fidelium, & cætus fidelium in Deo, est per mutuam eorum amicitiam.

¶ Porrò autem multo altior est hæc, de qua desserimus inexistentia patris in filio, & filij in patre, quæ Theologis circuminsessio nuncupatur mutuum. Nõ enim solum est per amorem, vt amãs est in amato, & amatum in amante, vt putabat Arrius. Siquidem Deus amat creaturas cõtingenter, quia potest eas non amare: potuit enim velle non creare eas, & non esse in illis. Si autem Christus esset pura creatura, vt Arrius aiebat, non esset necessaria hæc inexistentia patris & filij, quia aliquando non fuit. Quia si creatura est Christus æternus non est Christus, & cũ sit æternus Deus fuit aliquando quando pater non erat in Christo, neque Christus in patre, quia in ipsa patris æternitate non erat filius, vt putat Arrius. Igitur neque pater, vt pater æternus est, etsi vt Deus semper erat.

Arrius refellitur.

¶ Porrò Christus ex verbis commemoratis indiuiduam esse, & necessariam & planè insolubilem voluit esse vnionem hanc & patris & filij. Si ergo indiuidua, & necessaria est hæc inexistentia filij in patre, & patris in filio, necessario consequitur Dominum ex verbis istis voluisse ostendere se esse Deum consubstantialem patri.

Inexistentia mutua patris in filio & filij in patre est indiuidua & necessaria.

¶ Docet igitur suam personã esse à persona patris distinctam realiter: quippe, nihil realiter est in se ipso. Si igitur pater est in filio & filius in patre, ergo pater & filius duæ sunt personæ realiter distinctæ. Quia verò inquit, esse inexistentes & indissolubilis est inexistentia, substãtialem vnionẽ insinuat: siquidem filius est in patre, non secundum relationem, quia filiatio non est in paternitate, sicut neque pater in filio propterea, quod paternitas sit in filiatione. Quia oppositũ non est in opposito, sed filiatio, & paternitas relatiuè opponũtur. Habent ergo mutuam inexistentiam: quia cum sint distinctæ personę vnam habent substantiam. Idem theologizabis patrem, & filium esse in Spiritu sancto & Spiritum sanctum in patre & filio. *Quærebant ergo eum apprehẽdere, & exiuit de manibus eorum.*

A la-

A lapidãdo Christo coerciti Iudæi aliud tentant facinus, Dominum comprehendere, at frustra, quia nondum venerat comprehensionis hora. Quomodo autem exiuerit ab eorum funestis manibus scriptura non commemorat, forte, quia etiam se fecit inuisibilem, vt capit. 8. *Et abijt iterum trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic. Et multi venerunt ad eum, & dicebant, Quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc vera erant, & multi crediderunt in eum.* Relicta Hierosolyma vrbe, propter ciuium importunitatem, abijt Dominus in Bethaniam trans Iordanem: namque hic locus erat primus, vbi Ioannes baptizabat. Ioann. 1. Ab hoc autem loco discedens venit in Ænõ, iuxta Salim, Ioã. 2. Sunt qui existiment, hanc Christi abitionem fuisse eam, quam commemorãt, Matthæ. 19. & Marc. 10. sed temere hoc existimant. Quandoquidem, nunc Dominus ex Hierosolymis abijt trans Iordanem, verum apud Matth. loco citato, ex Galilæa iuit trans Iordanem. Quia ergo iam abierat ex Galilæa in locum trãs Iordanem & modo rursus illò concedit, scilicet, Bethaniam, aut Bethabaram. Abijt iterum trans Iordanem. Discedens igitur Dominus ab incredulis & malignis, in locum, vbi ipsi non erant, multi crediderunt in eum. Colloquia enim malorum, & infidelium consuetudo auertit corda gerentium consuetudinem cum eis, ne diuinis obtemperetur sermonibus. Quia corrumpunt bonos mores colloquia praua. Ideo Prouerb. 1. Fili mi ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à semitis eorum monet sapiens. Multi igitur refert, vt homo rectas terat vias, se se à malorum sub mouere consuetudine. Vnde Exod. 23. Non inibis cum eis fœdus idemque Deut. 7. Interdicitur Iudæis fidelibus amicitia gentium idololatrarum. Et. 2. Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus.

Malorum societas multũ officit pijs.

MORALIA.

Ego sum pastor bonus.

HActenus inter enarrandum decimum Ioannis caput, multa de optimo & vero pastore Christo diximus. Iam verò de pastoribus alijs nunc paucula sunt agenda. Enimuerò pastor verus Christus, etsi ipse solus est, qui verè & ex seipso est ouium pastor, quippe ipse solus est, qui habet dominium in oues, reliqui enim pastores non sunt Domini ouium, sed ministri ouium, & serui huius infiniti pastoris, id quod non obscurè ipse insinuauit dicens, mercenarij non esse oues proprias. Porrò autem ea est pastoris huius liberalitas, vt hominibus & pastoris concesserit nomen, & officij dignatus est illis impartiri cõsortium. Petro enim dixit, Pasce oues meas, qui dixerat prius Apostolis omnibus, Vos estis lux mundi. Id quod ipse erat ex sua natura, hoc donauit suis esse per participationẽ sicut etiam, pater dedit omne iudicium filio, vt filius Apostolis hoc idem communicauit officium. In regeneratione ait, sedebitis & vos, iudicantes duodecim tribus Israel. Ipse igitur, qui pastor est vniuersalis totius Ecclesiæ Christianæ diffuse per omnem orbem, cõcessit Apostolis suis, & successoribus eorum Ecclesiæ suæ esse etiam pastores, vnde ad Ephes. 4. Alios fecit esse pastores & doctores. Et Petrus Christum vocat principẽ pastorũ. Cum apparuerit, inquit, Princeps pastorũ. 1. Petr. 5. Quin etiam principatum autem hunc, etiam communicauit hominibus. Nam Petro dixit, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã. At ipse Christus non solum vocatur pastor, quinetiã Episcopus. Conuersi, inquit, estis, ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. 1. Petr. 2. Item & Ecclesiæ prælati Episcopi dicuntur Acto. 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Christus appellationes suas impartit fidelibus suis

Ecclesiæ prælati sunt pastores & Episcopi.

¶ Ascendens igitur Christus in altum, prælatis Ecclesiæ, ouile suum, hoc est, Ecclesiam Catholicam commisit administrandam & regendam. Sanè Ecclesia ouile est ouium, quia non amat hoc ouile lasciuientes equos, non amat ferocientes

Ecclesia ouile est nõ alio rum animalium stabulũ.

cientes leones, non voraces vrsos, non mordaces canes, nō fraudulentos lupos, non ignauos, & stultos asinos: hoc est, non amat fornicarios, non superbos, non gulosos, non murmuratores, & infamatores, non seductores, non pigros, sed potius castos, humiles, mansuetos, temperatos, benedicētes, simplices, & sine fraude, strenuos, & impigros in via Dei. Quo circa ouile dicitur, quia oues solū amat, hoc est, fideles, simplices, & mansuetos, & vtiles, & non ociosos. Ecclesiam equidem, quia occulta cordis dijudicare non potest, sustinet sæpe eos, qui potius sunt leones, vel vrsi, vel aliud quoduis potius quam oues. At vero tandem ab ouili æterno Christi, quod est Ecclesia triumphans, omnia huiusmodi depellenda sunt Apocalyp. 22. Foris canes & venefici, & homicidæ, & impudici, & idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Quanquam enim in ouili Christi temporali, quod est Ecclesia militans, sint plerique, qui non ouium, sed leonum, & vrsorum, vel aliorum id genus rapacium animalium gerant mores, quos interim Ecclesia gemēs fert, quia de occultis non iudicat, at verò in ouili illo æterno, nihil horum admittetur, sed solas Christi oues, non solum oues ex fide vt modo, sed oues ex Dei, & proximi charitate oues. Quippe fides iam tum euacuabitur, sed charitas est, quæ æterno perseuerabit in ouibus Dei. Habēt sane omnes huiusmodi oues characterē Christi pastoris, quem susceperūt impressum sub Christi baptismo. At vero plures sunt Christi solū ex charactere oues, ex operibus vero impuris non Christi, sed diaboli sunt oues. Oues inquam illæ, de quibus sacræ musæ cōmemorantur, sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Non enim iuuabit eas character Christi, quem impressum gerunt; vt perueniant ad ouile æternum, nisi characterem ex operibus ostendant. Opera sanè impia characterem hunc baptismalem non soluunt, at verò eum noxium reddunt. Quippe fideles, qui mortuam amāt fidem, torquebuntur vehementius, quam infideles. Quia seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Hæretici rursus, fide depositā catholica, adhuc ex charactere baptismi ad ouile Christi pertinent: at vero non sunt iam ex ouili Christi, quia fidem quam professi sunt Christi à se ipsis abiecerūt. Sunt namque isti sicut oues materiales, quæ habentes characterem sui pastoris, & Domini forte discedentes ab ouili vagabundæ in lupinas incidunt manus, vel furantur à facie, aut se præcipitio dantes perduntur. Character igitur solus Christi non saluat oues, nisi sub cura pastoris agatur, & ouilis societatem teneāt, & si diaboli character, qui est ille bestię character, cuius Apocalyp. meminit, sufficit ad perditionem. Habent autem oues istę quosdam apertos amicos, alios apertos inimicos, alios vero ambiguos amicos, vel inimicos. Sunt sane fures, & latrones aperti inimici, qui non intrant per ostiū, sed ascendunt aliunde, vt furentur & perdant. Habent etiam apertos inimicos lupos, quorū studium hoc vnum est ouiū, & agnorum sanguinem vorare. Sunt autem mercenarij ambigui, inter amicitias & inimicitias ouium. Videntur quippe amici dum oues pascunt: at vero se profitentur inimicos, dum pericula fugiunt, quando, scilicet, vident lupum venientem inuasurum ouiū gregem, & ipsi fugiunt, & ad inimicitias se cōuertunt. Eccles. 6. Enim vero amicitia ouium in tribulatione earundem est demonstranda: quippe, Eccle. 6. amicus in tentatione est posidendus. Mercenarij igitur, tum demum se protestantur esse inimicos gregis, quādo gregem, cui subuenire, & posfunt & debent deserūt. Sunt porrò amici boni pastores, qui amantes gregem, cum periclitante grege periclitantur, vt Dominus ait, Bonus pastor animam ponit pro ouibus suis. Id quod non dixit propter corporales pastores, quibus non incumbit animam suam ponere pro materiali grege, quem pascunt, vt in enartatione prima dicebam, sed propter pastores spirituales, qui pascunt verbo Dei animas fidelium, quibus si necesse est, ad salutem spiritualē tuendam ouium, morti succumbere, tenentur.

¶ At vero sunt qui habent oues, & non sunt pastores, vt Domini ouiū non pascentes oues suas, qui non sunt Domini ouiū, sunt tamen pastores, vt qui ex mercede conducti à dominis ouium, pascunt

oues

Ouile temporale & æternum.

Character ouium Christi in baptismo suscipitur.

Character solus Christi nō sat est ouibus ad salutem.

character diaboli sufficit ad perditionem.

Est amicus qui ad inimicitias se conuertit. Eccles. 6

oues alienas. Et isti pastores sunt, quia pascendi sortiti sunt officium, at mercenarij sunt, qui ex mercede pascũt. Quod si accidat hos ex amore ouium subire pericula ad tuendas oues, non mercenarios esse eos dixeris, sed potius pastores. Perinde enim atque proprij pastores, cuius sunt oues, se gerunt circa administrationem ouium, sunt deniq; qui sunt Domini ouium, itemque pastores vt qui proprias pascunt oues.

¶ Porrò Dominus noster Iesus Christus, ipse est Dominus ouium & propriarum ouium pastor. Apostoli verò & successores Apostolorum, non sunt Domini ouium. Vnde Petrus primi pastoris Christi vicarius, cæteros pastores admonet ne dominentur in cleris, sed formam se exhibeant sanctè viuendi ouibus suis.

Scopus episcoporum nõ merces temporalis, sed æternã debet esse pastor.

Quanuis ergo nõ sint Episcoporum Ecclesiæ, oues propriæ, sed sunt Christi oues, at pastorale officiũ eis imponitur à Christo, qui nouit sanguinem suũ pro ouibus fundere. Ideò tanti pastoris, vt referunt nomen, & dignitatem, necesse est quoque, vt mores referant: sicque tractent oues, non affectu mercenario, sed eo affectu quo Christus illas tractauit, & tractandas iussit. Christus enim tractauit illas non quærens quod sibi vtile est, imò noxia, ferens, animãnamque suam morti exposuit pro illorum salute. Ad quem sanè modum, neque ipsi in scopũ sibi figant temporalia, quæ participant bona, propter ouium pastum. sed hic illis sit figẽdus vnus semper scopus, Christum intendere, qui est princeps pastorum, cum quo illis tandem est ineunda ratio.

Necessaria ad bonũ agẽdum pastorẽ.

¶ Primum autem, quod sedulò curandum est, vt bonum ipsi agant pastorem est vt sint bonæ Christi oues, tamq; qui sibi nequam est, cui bonus erit? Episcopi nãque, & Ecclesiæ prælati, oues sunt Christi, etiamsi pastores sint ouiũ Christi. Vnde dixit Cicero lib. de oratore neminem posse bonũ oratorem agere qui ipse non est bonus. Quod si ad oratoris munus, personalis exigitur bonitas morum, quid quod ad Episcopalẽ functionem? Porrò sunt plerique multi, qui mores proprios non habent culpandos, verum Episcopos bonos nõ agunt. Etenim docente Aristot. non sat est esse virum bonum, vt sit ciuis bonus: ita non satis est si tibi sis bonus, vt sis Episcopus bonus.

¶ Iam verò supereſt demonstrare, quæ exigit Episcopalis functio, vt legitimè, & sine reprehensione coram Deo, & hominibus administretur. Et quia Theologica methodus ex visibilibus scandere docet gradatim ad inuisibilia contemplanda, excutiamus, quæ sunt in pastoribus materialibus necessaria, vt pastorale administretur officium, sine querela. Et sunt sanè multa, industria in pascẽdo oues, audacia in defendendo à lupis, & alijs subrepentibus noxis, instrumenta pastoralia sine quibus officium pastorale moderari nequit: solicitudo in custodiendo grege, cura aggregandi oues in locum sibi conuenientem pro temporũ qualitate, & memoria debiti reddendi oues quoad licuerit illæsas Dño ouium.

Industria audacia instrumentum, solicitudo, cura, memoria.

¶ Est sanè industria pastori necessaria hæc quod oues sanas conseruet, infirmas curet sedulo detque operam, vt steriles fœcundentur, fœtas vero foueat, agnos leuet, debiles oues baiulet, omnibus denique congruentia pascua procuret. Vnde Actor. 20. prælatis industria in regendis ouibus iubetur. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quibus spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam suam, quam suo sanguine acquisiuit. Et Ezech. 34. hoc vitio datur à Domino pastoribus malis, scilicet, quod ægrotum erat non sanastis, quod confractum est non alligastis. At verò pastor ille bonus secus segerit, quia linum fumigans, non extinguit, & calamum quassatum non confringit, Esai. 7. Qui enim nimiam seueritatem in corripiendis, & corrigendis fidelibus demõstrat non solum non auertunt sæpe eos à peccatis, sed in maiora eos trahunt. Ideò temperanda est disciplina ouium, iuxta earum vires, ne igniculus virtutis, qui in illis micat, & micando, se prodit extinguatur. Quia enim Roboam. 3. Reg. 12. non se attemperauit, neque cõdescendere voluit gregis infirmitati maximam partem gregis amisit. Et quod in corporali regimine accidit, quod summum ius, est summa iniuria, idẽ in spirituali contingit. Quo circa ad Galat. 6. si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales

Episcopi debent se attemperare in corrigendis fidelibus infirmitati fidelium.

les estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans te ipsum, ne & tu tenteris, Pastores igitur qui spirituales ex officio pastoralis, si non sunt, debent saltem esse, oues suas delinquẽtes, & aberrantes à via veritatis, leniter corripere debent, non prouocãtes eas ad iram, sed cõmonefacientes eas ad pœnitẽtiam. Nam que, Matth. 18. qui scãdalizauerit Christi oues expedit sibi, vt supponatur mola asinaria ad collũ eius, & demergatur in profundum maris. Est sane verũ, quod nõnunquam oues insolentes admodum sunt asperius tractandæ à pastoribus: quia vinum & oleũ iussit beatus ille medicus temperare, ad sanitatem animorũ. Cæterum, asperitas hæc non residet in corde pastoris est necesse, quia si ex charitate corripit, iam ex asperitate non corripit, quia charitas non agit perperam, charitas patiẽs est, benigna est: non ergo ex corde aspero ouium proficiscatur cor rectio, sed monente Paulo in spiritu lenitatis. Verba igitur aspera si vnquam efferre expedieret, ex corde suaui, & amico salutis ouium sunt proferẽda non ex lucido, & impuro corde. Vnde illud, argue, obsecra, increpa opportunè, & importunè. Neque aliud Paulus decernit, quam eius magister vino, & oleo curanda esse vulnera volens. Quando enim oleo agitur, tunc blanda est increpatio, suauis est correptio. Verum si suauitas cõtemnitur correptionis, iam tunc vino est agendum & flagellis est vtendum, ad uersus eos quibus sermonis admonitio non profecit. Matth. 16. Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus, &c.

Prælati ex animo suaui proferre debẽt correctiones asperas subditorum.

2. Timo. 4.

Lucæ. 10.

¶ Ad hęc interim dum oues ouium amãt simplicitatẽ, si aberrauerint etiam num oleo vtẽdum est, quia ouina simplicitas, oleum non refugiet, sed oppido amabit in antidotũ, verum si oues neglecta ouili simplicitate, ad equorum vel mulorũ, vel aliarum belluarum, belluinos se traduxerint mores, in chamo & fræno maxillæ horum sunt constringendæ. Vnde Dominus flagello compositio ex funiculis vendentes, & ementes, & commercia agentes ab atrijs templi Salomonici expulit. Et ad Titum. 1. Increpa eos dure, vt sani sint in fide.

Fideles retinentes ouilẽ simplicitatẽ, si aberrauerint oleo sũt curãdi, secus in belluarum aliarũ se trãstulerint mores.

¶ Tunc vero dant operam pastores isti mystici, vt fæcundẽtur oues, quando id præstiterint, quod Iacob patriarcha ille præstitisse legitur. Namque Genes. 30. vt fœcundas efficeret oues, canalibus virgas versicolores, & vnicolores imposuit amygdalinas, ad aquarũ aspectum oues concipientes, tales edebant fœtus, qualis erat virgarum aspectus. Virga autem regiminis rectitudinem significat, quod vero describitur amygdalina, ex eo describitur, vt dulcedo denotetur. Vnde regimen episcoporum, ex quo suos greges regunt, rectum debere esse, & dulce satis significatur. Quod vero iam versicolores, iam vnicolores describuntur virgæ, ex eo est, quia pro qualitate temporum, & morum regẽdorum, moderandum est regimen. Neque enim semper eadẽ congruũt humanæ leges, neque eædem sanctiones obseruandæ semper. Nonnunquam enim eisdem est agendum sermonibus eisdem punitionibus, nonnunquã alijs vtendum. Vt periti medici, aliter in æstate, aliter sub bruma, sua parant medicamenta. Aliter pueris, aliter senibus, aliter prægnantibus fœminis, aliter nõ prægnãtibus pharmaca administrãt. Hoc autem regimen rectum, & suaue, mirum est quam fœcundet oues, vt fidẽ rectam teneant, & sancta opera multiplicent, vt regimen obliquum & amarum contrarium operatur. Oues enim pertęsę mali regiminis, ab operibus bonis cessant, quid quod ea non multiplicent? Sicut autem Iacob exemplum patriarchæ commemoratum, subseruiet Episcopis, vt oues suas spiritualiter fæcundent ex sanctis operibus: ita eiusdem Patriarchę solicitudo custodiendi greges, est imitanda. Gene. enim. 33. inquit. Nosti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fætas mecum, si fecero laborare morientur vna die cuncti greges. Et hanc pastoralem solicitudinem Esaias memorat. cap. 40. sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos: & in sinu suo leuabit fætas ipse portabit. Strenuusque ille gregis christiani pastor Paulus, non immemor huius pastoralis solicitudinis. 1. Cor. 9. Omnibus, dixit, omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam: ideo ijs, qui sine lege erunt, se fecit sine lege, vt huiusmodi lucrifaceret, & infirmis se reddebat infirmum, vt eosdem lucrifaceret. Istud sane

Episcopalere gimen virgæ amygdalinæ cur cõfertur.

est,

est, debiles oues in sinu fouere, atq; portare, gregis, scilicet, infirmitati in omnibus consulere & non propriæ vtilitati. Et rursum tanquam paruulis in Christo ait, lac vobis dedi in potum, non escam. Pastor igitur solicitus perfectis perfectã doctrinam dispensat, at imperfectorum interim dissimulat infirmitatem donec Dei gratia in ipsis conualescat. Rebelles autẽ & cõtumaces, corrigit & acerbè punit, vt Paulus incestuosum illum Corinthium anathemate percusit. 1. Corin. 6. Impœnitẽtes igitur oues hortentur sedulò prælati ad pœnitentiam verbis mollibus & si opus fuerit demerendo illos beneficijs, & si hęc vana fuerint, ad acerbiora se accingant medicamina. Difficiles namque morbi, difficilia poscunt antidota. Pœnitentes autem mulceant, & stimulent stimulis charitatis, vt in pœnitentia perseuerent, & quia Dei iter aggrediuntur summo studio prouideãt, ne malis exemplis ipsi, vel alij ab ea illos deterreant, neve insultationibus, & conuicijs eos exagitent: proficientibus autem manus præbeant auxiliares, vt crescant in via Dei, perfectos autem solido pascant cibo. Hæc est solicitudo impendenda ouibus Christi à pastoribus suis. Non ergo oportet esse desides, aut inertes gregis Christi pastores, sed solicitudine non pigros, iuxta Pauli monita. Qui pręest, inquit, in solicitudine, ad Roman. 12. Desidia enim pastorum noxia est gregibus. Meminerint igitur quam solicitus fuerit pastor ille, cuius memini mus Iacob, Gen. 31. qui gelu, & æstu vrgebatur, & somnus fugiebat ab oculis suis, inuigilans gregibus soceri sui, Labã. Si ille tam solicitè regebat gregẽ irrationalium ouium, quanto maiori solicitudine sunt rationales oues administrãdæ.

Ex solicitudine corporali gregis, admonendi Episcopi de solicitudine in custodiendo Dei populo.

Si ouibus Labã tanta cura impẽdebatur, ouibus Christi quãta cedo, est impendẽda? Si oues signatas signaculo hominis idololatræ Laban, Iacob, tantum zelabat, tantum obseruabat, vt peruigil esset in earum custodia frigoribusq; niuibus, caumatibus, non parceret, vt gregem illæsum conseruaret, quanta putas cura curandus est Christi grex, signatus sanguine Christi vnctusque oleo Spiritus sancti. 2. Corinth. 1. Qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. In huiusmodi igitur custodia gregis incũbendum est Episcopis vigilãtissimè, nõ autem, in curandis vectigalibus, in augẽdis censibus suis in locandis consanguineis fœminis generosissimis viris, aut viris nobilissimis fœminis. Non in extruẽdis maximis ædificijs in memoriam sui, & suorum stẽmatum gloriam. Et equidẽ dolendum est, quod hæc quæ Deus non præcepit tam anxiè curẽtur, tam industriè agantur, tam ardenter amentur, & cura Christiani gregis, quam Deus habere illis præcepit negligatur, aut oscitanter tractetur. Et nonnunquam, quod citra indignationem dici nequit magis curãtur canes, mulæ, & muli, & pecudes, eorum quam Christi grex. Porrò autẽ obseruent Episcopi, vt curent sedulo gregẽ Christi quod grex est hominũ, nõ irrationabiliũ bestiarũ, ꝙ grex est Christi, nõ hominis puri, sed Dei & hominis, ꝙ grex est, ab ipso redemptus, non corruptibilibus auro, vel argento, sed sanguine suo, quod grex est rubricatus hoc eodem sanguine, quo est redemptus, quod grex est illis à Deo concreditus, quod grex est de quo reddituri sunt in nouissimo die rationem, quod denique pollicit sunt hunc gregem custodire, illæsum. Accedit istis, quod stipendia non modica, & prouentus pingues accipiunt, vt custodiant gregem istum Christi, & illęsum seruent, salutemq; communem, & commune cum illo habeãt periculũ. Si ergo ad vtramque aurem dormiunt, & desides sunt, & ignaui in lustrando grege ne à lupis circumueniatur, in visitãdo grege, ne ouis scabiosa immixta cæteras sua contagione corrumpat, in pascendo grege ne fame pereat, in defendẽdo grege, ne ab hoste maligno subijciatur, manent eos grauissima supplicia, quia suppellectilem preciosissimam Christi, ipsis commissam ad custodiam, neglexerunt, & perdiderunt. Et quidem vnũ est, vel maximum quod desidiam pastorum in primis depellit, videlicet, si aduerterint in die nouissimo reddituros summo pastori rationem de ouibus sibi commissis. Christus enim habet apud Episcopos depositas oues suas in custodiam, quousq; ipse veniat. 1. Timoth. 6. ò Timothee depositum tuum custodi. Et. 2. Timoth. 1. Bonum depositum custodi per Spiritũ

Cur Episcopi summopere inuigilare debent gregibus custodiẽdis Christi.

san-

sanctum qui habitat in nobis. Quocirca strenuos se oportet Episcopos exhibere, & viros induere, vt oues dispersas cõgre gẽt in Christi ouile, vt hęreticos, scilicet, reducant ad fidem catholicam, & fideles in fide, & sanctis operibus nutriant.

¶Quantam vero audaciã sit necesse eos habere ad defensam dominici gregis, hostiũ furor & immanitas, versutia, & fraudulẽtia hostium gregis haud dubium testatur, vnde dixit Petrus, Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiẽs circuit quę rens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Leo autem rugiens hic diabolus est, & angeli mali eius, satellites sunt, hic est leo, hic est vrsus, hic est lupus rapax, qui circuit gregem Domini. At vero Episcopi ad hoc instituuntur, vt ab his immanissimis bestijs, non parcentibus gregi Dei, gregem Dei custodiant. Si autem Episcopis congrediendum est, cum istis immanissimis hostibus, quanta obsecro fortitudo, quantaque audacia illis opus erit? Pastor ille Dauid qui de post fætantes, assumptus est vt pasceret Dei populum incomparabili rarissimaque fortitudine suum defendit gregem. Namque 1. Reg. 17. Leonem & vrsum patris sui inuadentes gregem, ipse interfecit. At re vera multo immaniores sunt diabolicæ potestates, quã leo, & vrsus illi, quos Dauid interfecit. Quippe non est potestas in terra, quæ illis conferẽda veniat. Iob. 40. Et armis ideo corporalibus superari nequeũt, nisi arma cælestia à Deo impetrẽtur. Armatur Dauid contra Goliath, Philistæum, at armis illis non assuetus, ponderi illi erant, & ideo illas exuit, & suis pastoralibus instrumentis suffultus, Goliath deijcit, vt iam inde scriptura doceret Dauid Dei virtute nõ sua Goliath superasse superbũ. Et pastores etiã Christiani gregis eadem virtute si volent superaturos satanam. Discutiamus autem, quæ sunt pastoralia instrumenta quibus ornãdi sunt christiani gregis episcopi. Et quidem non sunt aulæa miris coloribus variegata, non sunt tapetes, siue serica, siue aurea indumenta, neque sequacium turba famulorum. At vero sunt pera, baculus, canis, pelliceaque vestis. Est autem episcoporum pera, diuina scriptura, quam si nõ quo ad omnia mysteria in ea contenta, saltem quantum ad omnia spectantia administrationem rectam sui episcopalis officij scire tenẽtur, sunt qui opinantur sat illis esse si non ignorauerint præcepta Dei, articulos fidei christianæ, sacramenta ecclesiæ, & alia hoc genus scitu necessaria, quę in diuinis literis cõtinẽtur, de crimine magno sunt arguendi, quibus ego non suffragor, de qua re mox subdemus. Ignari igitur episcopi, sunt pastores sine pera sibi necessaria ad moderandũ gregem Christi. Scribitur enim Mala. 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, ab ore enim eius requirent legem Domini. Et 40. dist. cap. statuimus. Imperitis, inquit Leo papa, & rudibus gubernacula Ecclesię nõ sunt cõmittenda, quia tales plus nocent, quã prosunt: vt traditur extra de electio. Nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat idest, noceat quam quod indigni assumãtur prælati ad regimen animarum. Namque huiusmodi comminatur Deus per Oseam vatem. 4. Quia tu sciẽtiam repulisti, repellã te ne sacerdotio fungaris mihi. Vnde Grego. non debet fieri rusticus qui nescit arare, nec miles, qui nescit pugnare, nauta, qui nescit pericula vitare, sic nec pastor, qui nescit oues suas pascere. Quid enim miserabilius, & tristius quam quod multi sunt pastores nomine, pauci vero re. Quibus illud quod Baruc. 1. legimus. Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam, satis congruit. Quamobrem Dominus. Matth. 5. Episcopos appellat Lucem mundi, salemque terræ. At verò si ignari sunt, tenebræ sunt mundi, & nõ mundi lux: si insipientes sunt sal sunt vanus, & non sal efficax, & ideo ad nihilũ valent vltra si nesciunt condire gregem, vt Deo sit sapidus, & non insulsus. Ideo huiusmodi proijciẽtur foras, quia in sanctorum consortium non sunt admittendi: vtique foras, qui digni sunt qui ab officio pastorali proijcerentur, & conculcarentur ab hominibus. Et concilium Tridenti. præcipuum munus episcoporum censuit esse prædicare verbũ Dei. Sunt sanè multa episcoporum officia cõsecrare ecclesias, altaria dedicare, virgines velare ordinationes celebrare, sacramẽta ministrare, & id genus plæraque omnia, at præcipuum munus eorum nõ sunt hæc, sed

Episcopi scire tenẽtur saltem in generali quæ in sacris continentur literis.

Sessio. 5. c. 2.

sed prædicare verbum Dei. Quo circa statuit sancta synodus Tridenti. Omnes episcopos Archiepiscopos, Primates, & omnes alios ecclesiarum prælatos, teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Christi euangelium. Quod si contigerit legitimo detineri impedimento iuxta formam generalis concilij, viros idoneos, assumere teneantur ad huiusmodi prædicationis officium. Quamobrem non possum ire in Richardi sententiam, credentis sufficere Episcopis scire diuina decalogi præcepta, articulos fidei, & sacramenta Ecclesiæ, virtutes, & vitia vt recte possint, & sine mendacio dicere se vtrũque scire instrumentum. Et subscripsit illi Siluester credens hæc scire sufficere Episcopis.

Quodlibe. 4. quæst. 23

Verbo episcopus. § 4

¶ At vero scire præcepta, fidei articulos atque sacramenta, & generali notitia virtutes, & vitia, etiam oues tenentur, quæ sunt gubernandæ. Pastor autem gubernaturus oues plura debet scire, quam oues, quæ gubernantur. Quid quod illa sola nouerit docere plebes, non magis sciet, quam laici illa etiam scientes. Et ridiculae esset hominis huiusmodi prædicatio, si solum prædicta sciens, tentasset legem Dei pro suggestu docere.

¶ Ad Episcopum autem declarare Dei mandata, exponere articulos fidei spectat, & non solum illa scire, & memoria tenere. Neque magistros infantium, qui alfabetarias tabellas docent, docendo præcepta Dei pueros, & articulos fidei, prædicatores ob eam causam quis recte eos esse dixerit. Quo fit Episcopos ad plura scienda teneri. Si prædicare illis incumbit per seipsos, & non per alios iuxta præscriptum Tridentinum decretum.

¶ Vnde quia germanius congruit Theologis prædicandi officium, quibus notitia sanctarum scripturarum est familiarior, quippe cui incumbunt noctu, & interdiu, ideo Theologis congruentior est Episcopalis functio, quam iuris pontificij peritis, non repelluntur tamen isti ab hac functione, quia multa nouerunt de gubernando Christi grege, Sanctorum Doctorum decreta. Sed si officium præcipuum est Episcoporum prædicare sanctum Christi Euangelium præcipuè assumendi sunt Theologi, ad episcopalia obeunda munera. Canonistæ enim, si quando concionari ad plebem gestiunt, inuenuste, & trepiduli rem faciunt. Quia sacras exponere literas nesciunt, & in particulari hæreses discutere ignorant. Quæ enim sunt iudicij forensis, hæc adprime nouerunt: quæ vero sunt Theologici pensi ignorant. Et demum quod Medicorum est, promittunt Medici, & tractent fabrilia Fabri.

Theologis Germanior est Episcopalis dignitas quã Canonistis etiã si istis nõ est incepta.

¶ Pera igitur sacra pastorum Ecclesiæ, diuini sunt codices. Ex hac pera colligere oportet lapides, quibus feriant Episcopi sui gregis hostes, vt olim fecit inclytus ille pastor Dauid, quinque colligens limpidissimos lapides, & abscondens in pera, vnde illos resumpsit contra Goliath diuini agminis exprobratorem. Sunt autem quinque lapides isti, quinque pastoralia munera, quæ ex sacra scriptura, vt ex sacra pera sunt colligenda, quæ si probe Episcopi exercuerint, gregis sui prostrabunt hostes. Sunt autem hæc, quæ sequuntur.

Episcopi, Doctores, Pastores, Patres, Sponsi, Iudices,

¶ Est namque Episcopus Doctor, est pastor, est Pater, est Sponsus, est Iudex sui gregis. Doctor sane, quia Episcoporum est docere greges suos, quæ decent sanam doctrinam, & arguere mores prauos gregis, & commendare bonos. Apostolis enim Dominus dixit, Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ. Et quia Apostolorum successores sunt Episcopi, Sessio. 23. capitu. 4. Concilij Tridenti. Ideo oportet Episcopos illuminare gregem, & salire. Illuminant quidem docendo fidem, & sanctos mores, salunt vero, arguendo, & increpando peccata, & commendando virtutes. Vnde Paulus. ad Ephe. 4. Simul iũxit hæc duo pastores & doctores, quia pastorem necesse est esse doctorem. Sunt quoque pastores Episcopi, inuigilare enim debent gregibus, eos visitare, oues scabrosas proijcere à grege, & sanas incolumes seruare. Sunt quoque patres, quia verbo Dei generant fideles. Vnde Paul. 1. Cor. 4. vocat eosdem filios charissimos. Et Onesimum ipse testatur se scribens Philemo. in vinculis genuisse: quia ipsum sub vinculis agens docendo deduxit ad Christi fidem. Quod vero sponsi sint, ex testi

Episcopi lux, & sal christiani populi.

ad Ephe. 4.

monio precursoris tu disce. Qui habet in quit, sponsam sponsus est. At vero Episcopi habent in sponsam ecclesiam Dei: igitur ipsi sponsi sunt. Vnde in die consecrationis suæ subarrantur annulis aureis, vt iam deinceps se gerant ceu sponsos Ecclesiæ Dei. Et quia sponsorum est exornare sponsas suas meliori qua possunt veste: nam vicio illis daretur, si eas nudarent, & spoliarent vestimentis suis, aut priuarent dotalitijs suis, item Episcoporum est ecclesias sibi concreditas in sponsas, splendide exornare, & pretiosissimis quibusque vestibus eas vestire.

Arra episcopalis.

Episcopi vsq; ad sanguinē defendere debent iura ecclesiastica.

Hoc est quæ Episcoporum est, Ecclesiarum suarum iura prouentus immunitates, & priuilegia vsque ad sanguinem defendere: vt glorioſus ille pōtifex Thomas fecit gladijs impiorum pro defensione ecclesiastici iuris occumbēs. Denique sunt iudices sui gregis, illis igitur incumbit iudicare populum Dei, in veritate & iustitia. Quod si à laicis iudicibus exigitur iudicij integritas, & in illis odio habetur acceptio personarū, quid quod in Episcopis, quibus summa rei ecclesiasticæ concredita est odio habenda sit. Si igitur Episcopi se gesserint, vt Doctores Christianæ plebis, si vt pastores, si vt patres, si vt sponsos, si vt iudices profligabunt dubio procul istis quinque mysticis lapidibus sui gregis hostes.

Quinque lapidibus vti debent episcopi ad profligandum gregis christiani hostes.

¶Enim vero lupus, qui est diabolus, nō auderet, tam insolenter, vt audet rapere, & distrahere gregem, si vidisset pastores hos strenuè se habere in administratione gregis. Tunc autem demum, sunt strenui, cum quinque, quæ diximus egerint. Et quidem Dauid lapide vno deiecit hostem, at vero Episcopi quinque vtantur est necesse, quia certamen habent non cum hominibus, sed cū diabolo & angelis eius.

¶Est autem baculus alterum pastorale instrumentum, baculus autem est, vt dispalantes oues, in caulam reducat gregis. Quia ergo Episcopi à Deo potestatem habent corripiendi, & corrigendi delinquentes, ideo baculo sunt insigniti. vnde. 24. quæstio. 3. corripiantur. Corripiantur, inquit Augustinus à præpositis suis subditi, correctionibus ex charitate prouenientibus.

Baculocur insignitur pastores.

¶Enim vero, si pastores conniuent facinoribus ouium suarum, & ea dissimulant non corrigendo, eisdem facinoribus consentire videntur, ad Roma. Non solum, qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus digni sunt morte. Nam. 83. distin. Error, qui non corrigitur approbatur. Et de hæreticis. Qui alios ab errore non reuocat, dum potest seipsum errare demonstrat. Quod itidem admonuit suo Tito Paulus, Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Et istud pertinet ad bonum pastum spiritualem, quem tenentur exhibere prælati suis subditis: peccata publica, publicè corripere, quando correctio secreta proficit nihil, & speratur publicè profectus. Væ ergo prælatis si tacuerint, & dissimulauerint subditorum peccata, vt de seipso dixit Esaias sexto. Væ mihi, quia tacui. Et Apostolus. Væ mihi, si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit. 1. Corinthiorū. 9. Et Esaiæ. 58. Deus præcipit, clama ne cesses, exalta sicut tuba vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum. Præcipitur igitur prælatis, vt clament, & quod à clamore non desistant, sed continuo prædicent verbum Dei, & quod alta & sonora voce, vt ad omnes dirigatur, hoc munus præstent. Hoc est non segniter, & quasi aliud agentes, sed sedulo, & diligentissime.

¶Quamuis enim alij sunt, qui hoc idem munus exequuntur: verū vox pastoris amicabilior est ouibus. Et Dominus ait, oues audituras vocē proprij nō alieni pastoris. Ideoque fortius resonat pastoris vox, in aures suarū ouium, & altius infigitur, & efficacius operatur, quam voces aliorum, qui non sunt pastores, & quorum non sunt oues. Ideo ij promouendi ad episcopalē dignitatem, qui probè prædicandi munus exerceant.

Episcoporū prædicatio amicabilior est ouibus, quam aliorum.

¶Canis quoque est pastoris ad seruandas oues instrumentum. Canis enim latrando fugat truculentiā lupinam, & excitat pastoris somnolētiam, vt gregibus subueniat. Sūt autē isti canes mystici, ij, quibus mādat Episcopus in sua diœcesi prædicādi munꝰ, vt ipsum adiuuēt, siqui dē nō potest præstare ouibus suis omnia necessaria, nisi adiuuetur. Ideo habet visitatores, qui lustrēt semper diœcesim, & prædi-

prædicent admonendo virtutum ſtudia, & dehortentur viciorum voluptatem.

¶Habes multa de re hac in Concilio Tridentino, Seſsio. 24. cap. 3. vbi Epiſcopos per ſeipſos ſtatuitur viſitaturos ſuas diœceſes, quibus tamen impeditis, per ſuos viſitatores, idem præſtare tenentur. Poſtremum inſtrumentum veſtis eſt pellicea. Et quidem pellicea veſtis huiuſmodi duo inſinuat, alterum eſt paſtorem eſſe debere tractabilem, humanumque ouibus ſuis. Enim vero paſtores materiales, hac pellicea vtuntur veſte, quia oues aſſuetæ ſunt videre pelles, quare paſtores non refugient, neque formidabunt paſtoris vultum, quando ſibi ſimilem veſte pellicea indutũ viderint. Qua arte etiam aucupes vtuntur, ſe induentes viridibus veſtibus, vt auiculæ, quæ aſſuetæ ſunt virentes ingredi campos ex virore veſtium aſpicientes aucupes, non auerſentur vt hoſtes, ſed credãt eſſe amicos.

Viſitatores epiſcoporum

Quid velit pellicea veſtis paſtorum.

¶Ad hæc Gene. 3. legimus Deum Adã, & Euam poſt patratam culpam veſtibus pelliceis induiſſe. Sanè, vt ex veſtis qualitate, eos eſſe mortales, & ſimiles factos pecudibus Deus admoneret. Namque veſtis pellicea à morticinis pecorum detrahitur. Quo circa veſtẽ hanc pelliceam, paſtores Eccleſiæ, vt induant eſt neceſſe, cum enim ſe infullatos, & inthronizatos aſpexerint meminerint oportet, ſe non eſſe Deos ſed eſſe mortales homines, & peccatores, & ſimiles, ſuis ouibus, ideo hæc conſiderantes humanè eas tractent. Nam ſi ſeſe illis difficiles exhibuerint, & intractabiles fugiẽt oues à paſtore, & non eum eſſe dicent paſtorem, ſed hoſtem ſuum.

Prælatos Eccleſię non debere eſſe difficiles, & intractabiles.

¶En tibi vaſa boni, & legitimi paſtoris, verum ſunt alia inſtrumenta, ſeu vaſa mali paſtoris, de quibus Zachari. 11. legitur. Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti, & quis ſit hic ſtultus paſtor, ſubiecit. Quia ego ſuſcitabo paſtorẽ ſtultum in terra, qui derelicta nõ viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & quod ſtat, non enutriet. Et carnem pingium comedet, & vngulas earum diſſoluet: ò paſtor, & idolum in Iſrael, derelinquens gregem. Gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum eius dextrum. Hic igitur eſt ſtultus paſtor, qui eſt malus paſtor, qui præter nomen, & figuram, paſtoris habet nihil: ideoq; vocatur paſtor & idolũ: quippe idolum videtur homo, & nihil eſt. Et quia malus eſt paſtor, & bono contrarius, vaſa habet item contraria. Non enim peram ſacram habet, ſed ſaccos profanos, in quos indet lanas iniuſtè ab innocentibus ouibus detonſas. Non habet baculum quo dirigat oues, ſed gladium vt eas occidat. Gladius, inquit, ſuper brachium eius, & ſuper oculum eius dextrum. Enim vero animus totus vni rei incumbit expilare ſubſtantiam ouium, id quod eſt quaſi occidere oues: quia ſine ſubſtantia pecuniarum viuit nemo. Non habet canes elatrantes, ſed lupos vorantes, in cooperarios. Non habet pelliceam veſtem, quia non memoratur ſe eſſe mortalem. Idcirco difficilem ſe exhibet ouibus, has enim dehoneſtat, verbo & opere iniurius eſt in illas. Quod ſi pelliceam contingat gerere veſtem vtique vt ſub pellicea ouis veſte, pectus cõdat pluſquam lupinum.

Inſtrumenta mali paſtoris ad perdẽdum oues.

¶Tales enim ſunt ſæpe horum mores, vt mollibus verbis ineſcãtes ſubditos lupina tandem ferocitare eos dilanient. Quos ſanè paſtores ſtultos graphicè depinxit, & ad viuum expreſsit Michæas cap. 3. in hæc verba, Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & concidernnt, ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. Eſt autem carnem comedere, voluptifica omnia ſectari. Excoriare pelles eſt callida arte, & ingenio facultates ouium abſtrahere, & ad ſe trahere.

¶Eſt autem olla, ſeu lebes marſupium, ſeu arca, vbi ablatas iniuſte pecunias congregant ſtulti paſtores. Auaritia autem eſt ignis coquens huiuſmodi congregata, quia theſaurizant auari, & neſciunt quibus theſaurizant. Oſſa confringere, eſt malo exemplo, oues ad vitia prouocare. Quod ſi forſitan ſtultus quiſpiam paſtor obiecerit, ſe non ſubtrahere bona ouiũ, ſed ſuis vectigalibus frui bene quidem, at quid ſi ſua pauperibus ouibus nõ erogat? Equidem perinde eſt ac ſi occideret oues, quia, paſce fame morientem, ſi non pauiſti occidiſti, dixit Ambroſius ¶Si tantillum ſapis, ſatis ex iſtis exploratam habebis boni, & mali paſtoris

Nõ eſt bonus paſtor qui ſuæ ſuis indigẽti bus ouibus nõ ſubminiſtrat.

differentiam. Is ergo solum pastor est quem iam diffinimus. Huic namque omnia congruũt, quæ Dominus prædocuit. Hic enim intrat per ostium, non enim exquisitis fraudibus, aut oblatis pecunijs est intrusus in Dei ecclesiam, neque fingens sanctimoniam, & prætextum habens virtutis, qua carebat, decepit, vt prælationis sortiretur culmen, id quod moris est hypochritis. Nãque qui per hypochrisim promouetur ad episcopalem celsitudinẽ, non intrat per ostiũ. Nam ostium est veritas, hypochrisis autem est mendacium. Quo fit, vt istis nõ aperiat ostiarius, quia hos Spiritus sanctus non erudit de modo pascendi oues, sed potius sæpe miserabiliter deijcit, ab indebito quem tenent, honore. Rursus oues ex istis offenduntur pastoribus, vocem horum non audiunt: imo si nouerint simoniacã illorum promotionem, aut fictionem, eos plane fugiunt, aut plane subsannant, vt fictos, & non veros pastores. Hos autem oues vere (qui sunt veri fideles) sequuntur eorum vestigijs inhærendo, & vocem eorum audiunt, eorũm monitis morem gerendo. Quia isti per ostium intrarunt, & supremum pastorem Christum imitari contẽdunt, quo ad finit humana infirmitas. Illi vero aliunde ascenderunt, & ideo à summo pastore, toto distant cælo.

¶Legimus in secundo libro Machabæ. capitu. quarto, quosdam pastores, aliunde ascendentes, & non per ostium ingredientes, quia sacerdotium summum emerũt, vt fuit Iason Oniæ frater, qui in genti summa pecuniarum, Sacerdotium emit ab Antiocho nobili, & post hunc, eiusdem frater Menelaus, qui tandem præcipitio fuit datus. cap. decimotertio, vt qui pessimum habuisset ingressum in templum Dei, peiorem habuisset ex hac vita egressum. Et sub Domini æuo, venalia erant Sacerdotia, & Sacerdotes illius æui, non introierunt per ostium: per virtutis, scilicet, merita, sed per pecuniarum vim: ideo Dominus illos subnotabat de symonia, dicens, Qui non intrat per ostiũ fur est & latro. Namque quid obsecro erat sperandum ab hominibus ementibus sacra? vtique quod quæ emerunt pecunijs, eadem vendent pecunijs. Imo non ex alio emunt nomine, nisi vt ditiores euadant vendendo quæ emerunt sacra.

Pastores mali

Qui emũt sacra ijdem vẽdent sacra.

¶Porrò autem Dominus pastori bono, oppositum furem, latronem, & mercenarium, & eum, cuius non sunt oues: mercenarius inquit, & cuius non sunt oues. Hic enim quia non est mercede conductus ad pascendas oues, vt est conductus mercenarius, oues negligit prorsus. Est autem mercenarij non vna & simplex ratio. Est namque quidam mercenarius bonus: ille nempe, qui gratia æternæ mercedis pascit gregem Domini. Isti sunt illi mercenarij, de quibus Lucas mentionem facit. 15. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.

Quatuor personæ contrariæ bono pastori.

¶Alij verò sunt mercenarij, qui gregem curant, at spe temporalis lucri hoc præstant, & isti sunt tolerandi mercenarij: siquidem omnia exhibent necessaria gregi Dei. Si autem honori seculi, aut pecuniæ, aut gratiæ conciliandæ erga principes inhiantes, vel erga alios proceres, hoc faciant latet nos. Isti sunt, de quibus Apostolus, ad Philipp. 1. Quidam, inquit, propter inuidiam, & contentionem Christum annuntiant. Primi horum sunt optimi mercenarij, qualis erat ille, qui aiebat, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternũ propter retributionem. Mercenarij autem secundi sunt tolerabiles. At vero sunt tertij ordinis mercenarij mali, qui mercede conducti ad pascẽdum gregem neque amant, neque curant, ideo viso lupo fugiunt, & permittunt gregem periclitari. Et de istis dixit Dominus, Mercenarius autem, & cuius non sunt oues, videt lupum venientem & fugit. Fugit sane, quia gregem non amat, quia si amasset, non fugisset.

Tertius ordo mercenariorum.

¶At dicet aliquis, Quid ergo Sacerdotes facientes sacra propter mercedem, & canonici concedentes Ecclesiam, propter distributiones quotidianas, erunt ne mercenarij? Vtique dignus est operarius mercede sua: & si ipsi mercedem requirunt non male faciunt, quia hæc stipendia sunt illis statuta, pro quotidiano Ecclesiæ seruitio, vt inde alantur, & sibi necessaria prouideant.

Ecclesiastici propter mercedẽ seruientes ecclesiæ non sunt mali mercenarij

¶Sunt ergo isti Mercenarij tolerabiles, quia non est iniustum, sed iustum, quod

quod intendunt: si vero vtētes stipendijs seruitia Ecclesię non exhibent mali sunt mercenarij.

¶Pastores igitur boni pascētes gregē, itidem ex fructibus gregis si se pascāt, non est vituperabile. Nam scriptum est, non alligabis os boui triturāti. Et vt Apostolus ait, Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 1. Corinthiorum nono. Neque huiusmodi vsus gregis, pastorem facit mercenarium malum. Æquum enim est, siquidem pastor ducit gregem ad pascua spiritualia, ad pascua vberrima sanctę doctrinæ, ad pascua vernantia sanctorum morum, ad pascua deniq; æterna, quia ex bono pastu fideles assequuntur vitam æternam, æquum inquam est, si spiritualia Dei seminant, quod carnalia metant gregis. Minus est enim quod carnale recipiūt, quam quod spirituale donant. Non ergo ob hoc sunt dicēdi mercenarij mali, sed si carnalia gregis recipientes spiritualia Dei gregi non impartiantur, mali sunt mercenarij, vt dudum aiebam.

ENARRATIO I.
In caput vndecimum.

¶*Erat quidam languens Lazarus, &c.*

HOC Caput celeberrimum illud miraculū denarrat suscitationis Lazari. Enim vero, etsi alios suscitauerit Dominus vita defunctos, at vero, nullum adeo coruscat miraculum, vt istud coruscat: siquidem quatriduanum erat, & iam fœtens Lazari cadauer, quando Dominus illud ex mortis excitauit puluere. Et quidem alij tres Euangelistæ hoc miraculum suppresserunt, vt etiam miraculum cæci nati, & miraculum paralytici iacētis ad probaticam piscinam, & miraculum, quod Dominus celebrauit in Cana Galilææ, ab alijs nō sunt memoriæ prodita. Tametsi miraculū, quod fecit trans mare Galilææ pascens turbas, & vt Chrysosto. putat miraculum sanationis filij Reguli, alij etiam meminerint Euangelistæ.

Ioannis.2. Ioannis.4. Ioannis.6. Ioannis.9.

Chrysostomus.

¶Cęterum tria commemorata miracula fuerunt singularis excellentiæ, super reliqua. Siquidē etsi suscitare mortuos sit semper miraculū: at vero suscitare quatriduanū mortuū, est euidentissimum miraculum. Quippe non patet locus Iudaicis calumnijs eorum, qui desiderio obscurandi miraculum forsan non fuisse mortem, sed syncopismum, obiecerint, aut animi deliquium.

¶Quo circa etsi miraculum fuit suscitatio puellæ, at hæc nondum erat elata ad sepulchrum. Et miraculum itidem fuit, suscitatio adolescentis, qui iam efferebatur ad sepulturā, non tamē fuit sepultus. Idcirco poterant obijcere hostes Christi ex sua prauitate forte hos nō fuisse mortuos, passos fuisse animi deliquiū. Namque de Asclepiade cōmemoratur, portitores mortui cuiusdam, qui deferebatur in feretro, vt humaretur detinuisse, dicēs nō esse mortuū, & verum dixit, quia & illum restituisse sanitati memoriæ proditum est. Et itidem de alijs apud nos commemoratur, delatos iam in sepulturā, reuixisse, quia mortui non erāt, sed animi deliquiū passi erāt. Verū quod mortuus, post quatriduanā sepulturam, reuiuiscat euidēs est, & citra cōtrouersiā diuini esse miraculosiq; operis: vt etiā erat miraculi euidentia illuminatio cæci nati. Quippe etsi alios cæcos, quos casus, vel morbus orbat visu antidotus aliquando sanitati restituat, at vero cæcitatem naturalem, natura non potest sanare.

Matthæ. 9 Marc. 5 Lucæ. 8 Lucæ. 7

¶Rursus quod paralyticus cōmemoratus sanitatem fuerit assecutus, post tam diuturnum morbum euidentia fuit miraculosum esse opus: quia etsi paralysim nōnunquā medicamenta sanent: at paralysim. 38. annos diuturnā, vires naturæ, neque medicamina sanare possunt.

Cur quędām miracula Christi solus Ioānes commemoratur.

¶Hæc igitur euidentissima miracula, reseruauit Christus suo dilecto discipulo Ioanni scribenda. Quippe nullus Euangelistarum tam expresse diuinitatem Iesu Christi disseruit, vt Ioannes: ideoque miracula hanc apertius testantia Ioānes scripsit. Vnde celebriora miracula Christus in Iudæa edidit, quamuis pleraque multa in Galilæa ediderit, quorum meminerunt tres Euangelistæ, & Ioannes quædam miracula Galilææ edita etiam commemorat: vt de filio Reguli, qui infirmabatur Capharnaum, & de vino miraculoso illo nuptiali, & de

Plura miracula edidit Christus in Galilæa, sed clariora fecit in Iudæa.

conuiuio illo clarissimo, quod celebrauit trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis. At vero clariora miracula fecit in Iudæa, quia incolæ Iudææ, qui dicebantur Iudæi ex incolatu Iudææ, & ex Patriarcha Iuda erant pertinaces propositi, & duri ad credendum, & duriores quam Galilæi corde, ideo vt hos mollefaceret Christus ex industria miracula clariora ad Iudæam reseruauit, vt illuminatio cæci haud dubium testatur. Vnde dixit illuminatus ille cæcus à seculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos cæci nati. Et miraculi quod capitulum denarat tanta fuit vis atque maiestas, vt eam etiam ipsi hostes Christi, ostendant, nam nunquãnon Christo strepitabant Iudæi miracula eius obscurantes calũmnijs, & tendiculis suis. Viso tamẽ hoc miraculo, nihil obgãniunt, pro suo inueterato more contra miraculi splendorem, imo ipsum confitẽtur, dicentes. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et non solum non potuerunt inficiari miraculum hoc, sed superati miraculi magnitudine ipsi ijdem qui alia miracula inficiabantur, iam illa profitentur dicẽdo, Hic homo multa signa facit.

Maxima fuit maiestas miraculi suscitationis Lazari

¶Dominus autẽ hoc miraculum edidit data opera, iam proximus suæ passioni, vt ex hoc miraculo admoniti discipuli, non deponerẽt fidem, quam conceperãt de suo magistro. Etenim memorãtes hoc summum signorũ à Christo fuisse editũ, possent sperare, Christũ posse se excitare à mortuis, Verũ quod discipulis Dñi fuit causa vitę Iudæis inuidis fuit occasio mortis. Confitẽdo enim miraculum fuisse verum autoris potentiam non reuerentur, neque in Christũ obid credunt: imo ex miraculi splendore, qui debuerant illustrari magis obscurantur, quia continuo à miraculo conspirant, in Christi necem.

Splẽdor miraculorũ Christi fideles illuminat, & infideles obtenebrat.

¶*Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ, & Marthæ sororum eius.* Proximo meminerat Euangelista capitulo Dominum recessisse ab Hierosolymis, & petiuisse locum, qui erat trãs Iordanem, vbi primum præcursor Domini baptizarat. Extra Hierosolymam igitur agens adhuc Christus, miraculum edidit clarissimũ suscitationis Lazari. Ioannes igitur hoc relaturus miraculũ, suscitatũ, describit fuisse nomine Lazarum, cognãtione fratrẽ Mariæ Magdalenæ & Marthę. Ex patria vero cõmemorat fuisse Bethania, siue Bethanien sem, quia trahebat originem suę prosapiæ ex Bethania, quę non longe distabat ab Hierusalem. Rursus locum natalem commemorat dicens de castello, seu ex oppido Marię & Marthæ, quia ibi natus erat.

Lazar⁹ ex Bethania oriundus.

¶Sunt qui putent hoc castellum seu castrum, seu oppidum nuncupatum fuisse Magdalum, vnde & Magdalena cognomen accepit. Quippe Magdalenã, & Lazarum, & Martham, fuisse tradunt illustres dominos Bethanię, & huius indicati oppidi, quod erat iuxta Genezareth stagnum, imo & partẽ Hierosolymæ vrbis possedisse. Quamuis ex sacris scriptis nõ colligitur clare hoc castellum fuisse subditione horum fratrum, vel fuisse sub ditione Lazari sororum. Quia diceret quispiam dici castellum Mariæ, & Marthæ, quia erat illis natalitius locus, non tamẽ possessio earum. Verũtamen multi tradiderunt fuisse ditionẽ horũ, quæ memoramus loca. Lege Petrũ à natalibus lib. 6 c. 134. vbi refert, sub ea persecutione, quę accidit fidelibus sub Stephano. Acto. 7. Lazarũ, & sorores, & Maximinũ & Cheridoniũ, quem Dñs à natiuitate cæcũ illustrarat cõcessisse Massiliã, & tandẽ episcopus Massilien siũ fuit creatus Lazarus, qui fuerat Domini discipulus, & cũ alijs discipulis in die Pentecostes Spiritum sanctum sub visibili illa linguarũ ignearum receperat forma. Actorum. 2. Sororum eius Grecè, non sororum, sed sororis habetur, & eius, est fœminini generis, vt non referatur ad Lazarum, sed ad Mariam, quæ describitur Marthæ soror, etsi in quibusdam codicibus vetustissimis habetur, quod in nostra translatione vulgata. Pro languens, alij transtulerunt ægrotans, sed refert nihil.

Lazarus & sorores illustres fuerunt.

Lazarus episcopus Massiliensis.

Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Describit Euangelista, quæ erat Maria, quam dixerat sororem fuisse Lazari, & inquit, esse eam, quam illustrem fecerat vnctio Domini. Quippe etsi illustris erat genere, & dominatione, illustrior fuit ex Domini vnctione.

¶Vagãtur cõtrouersiæ, nõ modicę inter autores

autores, de hac Maria Magdalena, si ea est, quam commemorat, Lucas, cap. 7. & ea quę refertur Dominũ vnxisse, Matthæ. 26. & Marci 14. Enimuero, Chrysosto. in homilia huius loci, & Theophilactus, & ante eos Origenes homilia. 35. idem amplexus est dogma. Hãc scilicet, Mariam Magdalenã, cuius nunc Ioãnes meminit non fuisse eandem cum ea, quę à Luca refertur. Siquidem illa erat peccatrix publica, & Galilæa natione, & hæc erat honesta fœmina, & Iudæa natione, quia ex Bethania, quod erat Castellum Iudææ: apud quã enim Dominus diuersari volebat, & diuersabatur, vnde isti credunt fuisse hanc Magdalenam virginem, & honestissimã, vt Martham sororem. Nam istæ sorores excipiebant Dominum hospitio, ideo non est credibile quod erat peccatrix mulier. Accedit eodem, quia hæc nominatur Maria, at vero eaquę introducitur vngens Dñm. Luc. 7. innominata est, vt etiam ea quæ refertur apud Matth. & Marcum. Et ex hac ratione quidam tres testantur fuisse mulieres, quæ vnxerunt Dominũ ante sepulturã eius. Prima cuius mentio fit apud Lucã, alia hæc cuius Ioan. meminit, postrema cuius meminit Mar. c. 14. & Matth. 26. Veruntamen Græci præfati duas solum Dominum vnxisse testantur, videlicet, Magdalenã, quę eadẽ fuitque Matth. 26 & Mar. 14. vnxisse traditur Dominũ, & eam mulierem, quæ à Luca scribitur.

¶ Tradunt autem verba Ioan. dicentis, Maria autem erat, quę vnxit Dominum esse referenda ad illam vnctionem, cuius Matth. & Marcus memorãtur, secũdum eam rationẽ loquendi, qua & Matth. 10. scribitur Iudã tradidisse Dominũ. Iudas, inquit, Scariothes, qui & tradidit, cum tum nondũ tradidisset. Vnde existimãt esse per anticipationem intelligendũ.

¶ Quãuis non est necesse recurrere ad anticipationem, quia satis est si dicamus secundũ narrationis ordinẽ euangelicæ aliter esse dicendũ, quam secũdum tempus sub quo scripsit euangelista. Nam secundũ tempus, in quo scribebat Ioannes, vere scripsit Mariã vnxisse iam Dominũ. Quia triginta annis à Dñi Ascẽsione elapsis, scripsit suũ euangeliũ, ideo vere tũc scripsit. Maria autem erat quæ vnxit pedes Dñi, &c. At verò secundũ enarratio nis euangelicæ ordinẽ, nondũ vnxerat, si ipsa nõ est eadẽ, quæ à Luca cõmemoratur, sed tũc vnxit, quãdo instabat iam passionis dominicæ dies. Ioã. 12. Matth. 26. At vero si vna est mulier, quæ à Luca. 7. & Ioãn. modo, & c. 12. & à Matth. 26. & Mar. 14. vnctrix cõmemoratur apertus est sensus, quia iam vnxerat Magdalena dñm. Luc. 7. At vero, qui asseuerãt non vnxisse dñm Magdalenã sororẽ Marthę Luc. 7. opinãtur ex serie Euãgelij Lucæ, mulierẽ peccatricẽ, quę tũc vnxit. Luc. 7 fuisse, vt diximus Galilęã natione, & nõ ex Iudęa vt Mariã sororẽ Lazari. Quia in oppido quodã Galilææ, illa peccatrix vnxit Dominũ, & nõ in Iudæa, vt Magdalena soror Lazari. Insuper affirmãt Magdalenã cuius meminit. Mar. 16. nõ esse sororẽ Lazari, sed aliã, à qua Dñs septem dæmonia quibus obsessa erat, expulit, & secundum hos Dominus non apparuit primo Mariæ sorori Lazari, contra communem sensum ecclesiæ.

¶ Porro D. Hiero. super Matthę. 26. vnã credit esse Magdalenã, vnctricem Dñi, quæ hic, & Ioã. 12. & Matth. 26. & Mar. 14. cõmemoratur, at diuersam esse ab illa quã Lucas refert, pedes Dñi lachrymis lauasse terfisseque capillis. Quia hęc peccatrix traditur, non illa. Et Dñs non permisisset mulieri peccatrici caput suũ vngendũ. At Ambrosius rem traxit dubiã super Lucã. 7. certũ tamen habens, si vna erat mulier secũdum naturã, diuersa iam erat secundũ mores, quæ Dñm vnxit instante iam sua passione, & ante passionẽ vnxerat. Luc. 7. Quia si tũ erat peccatrix quãdo primo vnxerat, iam nõ erat peccatrix, sed sancta, quãdo postmodũ vnxit. Et forsan hoc idẽ voluit Hieronymus.

¶ Vulgati tamẽ dogmatis placitũ est eandem esse mulierẽ vnctricẽ Domini, quæ apud Lucam, & quę apud alios euangelistas alio tempore Dominũ vnxisse traditur: & hęc est ipsa Maria Magdalena. Et quamuis solus Ioannes illam nominauerit ex nomine proprio, & alij Euangelistæ, eandem non nominent, non propterea argumentũ efficax est probãs diuersitatẽ vnctriciũ fœminarum. Quinimo, quia Ioannes aduertit innominatã fuisse ab alijs Euãgelistis, ipse nomen expressit eiusdem. Et itidẽ ratiocinatio alia nõ persuadet, quod intendit, Lucã retulisse

Mariæ Magdalenæ alia Galilæa natione. Luc. 7 & Mar. 16. alia Iudęa natione. Ioã. 11. & 12

Cõtrouersiæ sanctorũ de vnitate & pluralitate vnctriciũ domini.

Vna est Magdalena quæ Dominũ vnxit in domo Simonis, primo & dein in domo Simonis leprosi si volumus hos duos fuisse Simones.

vnctricem, esse peccatricem, at vero quę Dominũ domo excipiebat honesta erat. Siquidem etiam si quando Dominũ primo vnxit, peccatrix erat, tunc tamen lixiuio suarum lachrymarum culpas extersit omnes. Cui ex eo Dominus dixit, Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum. Tunc igitur honestauit illam Dominus, vt honestior redderetur quã aliæ etiam num honestissimę. Aptãque eam fecit Dñs, vt apud eam hospitaretur ipse. Multæ namque peccatrices ex Dei munere, in eam sanctimonię sunt prouectæ amplitudinem, vt excederent multo interuallo alias non peccatrices. Hancque sententiam amplexus est Augusti. de consensu Euange. Quam quoq; ecclesiasticum officium, de beata Maria Magdalena comprobare videtur, in quo eandem esse insinuatur, quia Euangeliũ Lucæ. 7. canitur, in Magdalenæ solẽnitate. Et homilia Augustini docẽs eandem esse lectiones suppeditat officio, idẽque Grego. in sermone de B. Maria Magdalena, vt in eodem habetur officio. Et quidem Mar. locus. cap. 16. idem videntur insinuare. Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, à qua septem dęmonia eiecerat tametsi hunc deludunt locũ alterius placiti assertores: credunt enim hãc Magdalenam, cuius Marc. meminit non fuisse sororem Lazari, sed aliam, quæ fuit verè obsessa à septem dæmonijs secundum literalem sensum, & nõ secundum allegoricum, quem exposuit Gregorius, iuxta quem, quam dixit Lucas. 7. dixit peccatricem, hanc notat Marcus, fuisse Mariã Magdalenam, ex qua septem dæmonia eiecerat. Nõ enim per peccatricem, solũ carnalem, & lasciuã, aut salacissimã mulierem oportet subaudire, vt quidã subaudiunt, sed esse peccatricẽ, ex omni genere septẽ peccatorũ mortaliũ: id quod Marcus insinuat. Namque per septẽ dęmonia, non intellexit iuxta Gregorium Magdalenã fuisse obsessam à septẽ dæmonijs, vt de dęmoniacis quibusdã euangelica narrat lectio, vt assertores huius placiti autumant: sed quia dæmon incitat ad omne peccatũ, ex voce dæmonis, peccatum intellexit: vt ex septenario numero vniuersitatem peccatorum subnotauit, in Magdalena resedisse. Neq; multi feceris, argumentum, quod peccatrix si esset Magdalena arceretur ab vngẽdo capite Christi, est sanè verũ, quod apud Lucam, non recensetur peccatricem vnxisse caput Domini, sed solũ pedes. At vero apud alios recensetur, Effudit, inquiunt, super caput eius. Apud Lucam vero non recensetur peccatricem vnxisse caput, sed Domini pedes. Cæterum quia à prima Domini vnctione Magdalena iam rem & nomen mutauerat peccatricis, & conuersa fuerat in alteram iustissimam mulierem ex Metamorphosi quadam, vt sic dixerim diuina: ideo primo vngens non est ausa verticem Domini tangere, sed ad pedes Domini prouoluta, vt tacendo ore, & clamando lachrymis misericordiam Christi obtineret. At vero quando secundo vnxit Ioannis. 12. Matth. 26. & Mar. 14. iam confidentior facta ex sanctitate cõparata sibi cælitus, non formidauit Domini inũgere caput. Et quod primitus non fecerat, postmodum suppleuit. Mihi igitur multo probabilior est doctrina hæc, quam Latini nostri amplexi sunt doctores Augusti. & Grego. & Ecclesiasticum probat officiũ quam Græcorũ. Quidam rem hanc adeo sibi persuaserunt, vt esse de fide contendant, id quod ego non video. Quia non semper approbatio ecclesię arguit, quod approbatur esse de fide. Quãdoquidem approbat officium de immaculata conceptione Deiparę Mariæ, nõ tamen proinde colligas esse de fide immaculatã habuisse cõceptionem: sed solum sequitur esse congruum, & pium, quod Ecclesia approbat, in huiusmodi, de quare alibi vberior est exquirẽdus tractatus. Vnde multo congruentior est sententia tradentium vnam eandemque fuisse mulierem quæ vnxit Dominum apud Lucam, & apud alios Euãgelistas, & hanc fuisse Mariam Magdalenam, cui Dominus primo apparuit. Mar. 16. quam quæ vnctrices Domini multiplicat, vt Faber Stapulensis, & Iodocus Clictouæus multiplicant: At Nicolaus, vtramque sententiam probabilem esse insinuat. *Cuius frater Lazarus infirmabatur.* Lazarum esse fratrem Mariæ Magdalenæ docet Euãgelista, & hũc ægrotum esse. *Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes. Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur*

Magdalena in prima vnctione nõ vnxit Domini verticem.

Diuina Metamorphosis Magdalenæ ex peccatrice maxima in sanctissimam fœminam.

Lib. 7. addito ad Cyrillum Clictouę. c. 14. vtramque sententiã probabilẽ existimat, etsi proprio libello, duas fuisse Magdalenas testetur.

rificetur filius Dei per eam. Scripsit Oseas, Perditio tua ex te Israel, salus autem tua ex me. Infirmari, & mori nostræ naturæ est: at verò sanari, & reuiuiscere diuinæ est largitatis. Adam ille primus terrenus fuit perditio humani generis, at verò Adam nouissimus hic cœlestis Christus, est humani generis vita & resurrectio. Propter peccatum originale, quod ab illo primo Adam trahimus, ægrotamus, & tandem morimur, propter vocem secundi Adam, sanamur, & resurgimus. Morbus igitur Lazari, illum traxit ad mortem, quam debebat ex originali labe, & gratia Iesu Christi eundem à morte liberat. Permittitur, vt patiatur Lazarus mortem, quia hanc debebat, vt Christi gratia à morte leuantis demonstraretur: vt in Cana Galilææ, consumptum est vinum totum, quod spõsi emerant pro nuptiali conuiuio, hydriæ implentur aqua, & impletæ aqua hydriæ, rubescunt, vinumque iussa fundere, mutauit vnda originem. Similiter moritur Lazarus, & quatriduanus in sepulchro iacet, fœtidum adest cadauer in monumento, vt resurgens à mortis vinculis solutis, vitam esse sub imperio Christi demõstraretur. Ideo ait, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. Hoc est etsi morbus hic deducet ad mortem, non sistet in morte, sed huius solutio clarificabit me, demonstrans me esse filium Dei. *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mãsit in eodem loco duobus diebus, deinde post hæc dicit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum.* Sapientiæ. 11. traditur, Diligis omnia, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Omnis namque artifex diligit opus suum, & supremus artifex rerum Deus creaturas omnes, vtpote quæ sunt opera eius diligit. Quid ergo est, quod nunc Euangelista commemorat dicens, Diligebat autem Iesus, &c. Verum, quia Deus quibusdam exhibet maiora dilectionis argumenta, quam alijs, ideò dicitur quædam magis diligere, quam alia. Quamquam enim omnia diligat, non ex æquo diligit. Christus igitur demonstrabat Lazaro, & sororibus dilectionis magna indicia, ideò eos diligere Christum Ioannes scribit. Porrò etiamsi diligebat Lazarum, non tamen voluit ab ipso depellere, quem facile poterat morbum, sed ipsum voluit potius succumbere morti, vt maioris dilectionis signum erga eum exerceret. Maius enim fuit excitare mortuum, quam sanare ægrotum. Vnde sæpè minora Deus negat beneficia, vt maiora impartiatur: & vtitur malis nostris, ad bonum nostrum, & ad gloriam suã. Morbus ergo Lazari non fuit causa gloriæ Christi, sed ad illam fuit secuta gloria Christi. Ideò quod ait, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed vt glorificetur filius Dei per eam, dictio vt, non significat, causam annotante Chrysostomo, sed euentum consequentem. Obserua Dominum non regredi modo in Iudæam, ex Galilæa, sed venit de loco trãs Iordanem, scilicet, de alia Bethania, ab ea, quæ modo describitur, sed quia modo venit ad interiora & principalia Iudææ, ideò ait, Eamus Iudæam. Accepta igitur fama ægrotantis Lazari, non perrexit Dñs illico in Bethaniam, vbi ipse ægrotabat, sed substitit in loco eo vbi famam acceperat biduo, vt postquã concederet Bethaniam Hierosolymæ propinquam quatriduanum esset Lazari cadauer, & claritas miraculi rutilaret apertissimè & ora aduersariorum opilaret, vt annotabam supra. Absoluto igitur biduo proficisci in Iudæam instituit quando miraculi aderat opportunitas. *Dicunt ei discipuli, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare & iterum vadis illuc?* Ex cap. 10. patet, quomodo Dominus existens Hierosolymis, exiuit de manibus Iudæorum, quærentiũ eum lapidare. Et ideò relicta Hierosolyma recessit in locũ trãs Iordanem. Memorantes igitur discipuli, quod dudum gestum fuerat, dissuadent regressum in Iudæam. Et mirum dictu, quod tanta ruditate tenerentur Apostoli, vt formidarent regressum in Iudæam, cum vidissent tanta miracula Domini: vnde in stè possent concipere, securos ipsos futuros sub vmbra Christi & protectione, vbique gentium comitarentur Christum. *Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt, si autem ambulauerit nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Varia est loci huius expositio. Namque Augustinus per diem in

tellexit Christum, vt per horas Apostolos. Et quia Iudas non erat huius diei hora, ideò fuffectus est illi Mathias. Sicut ergo horæ sequuntur diem, sic Apostoli sequebantur Dominum. Apostoli igitur ambulantes in hoc die, quia Christi pedisequi, & Christo morigeri erant eos offendere quicquam nō potuit, interim dum diē sequebantur istum, quia Christus sua præsentia eos defendebat ab omnique tuebatur damno. Cum, inquit, essem cum eis, ego seruabam eos. At vero postquam Dominū occiderūt Iudæi, Apostoli offenderunt, quia Christus aberat secundum præsentiam corporalem, eratque tanquam nox illis. Ioannis. 17.

¶At vero hic sensus, allegoriam si quæris probandus venit. Porrò literalem sensum si poscimus alius videtur inuestigādus, & nullus mihi videtur simplicior & literę germanior, quam quod Dominus voluerit ratione vulgari Apostolorū decutere formidinē. Dixerant enim, Nūc quærebant te Iudæi lapidare: siquidem sub festo encæniorum, ambulante Christo in porticu Salomonis, Iudęi tentarūt lapidare Dominum. Quod festum quia dudum pręterierat ideo aiunt Apostoli, Nunc Iudæi, &c. Excutere igitur volēs Dominus hunc timorē dixit. Nōne duo decim horę sunt diei? Quasi dicat, Si proximis diebus Iudæi hoc animo erant, vt tentarent me lapidare, iam alium animū habebūt. Quia hominum ingenium vertibile est, facileque mutatur, ex hora enim in horam, aliud & aliud, subit propositum. Et quę dudum placuerunt mendico post respuūtur: ideo ait. Nōne duo decim sunt horæ diei? Scilicet, iam est tēpus aliud, & ideo, quod tunc voluerunt, iam modo non volent. Hunc eundem sermonem nos circunferimus in ore, ad idem docendum, scilicet, homines esse facile mutabiles.

¶Potuisset vtique Dominus dicere Apostolis, scitis Iudæos semel atque iterum hoc tentasse contra me lapidādi facinus, at vero non potuerunt assequi quod tentarunt me enim nolente, ipsi sunt impotentes. At vero non hæc voluit proferre verba, sed humilius se submittit dicens, quod omnes dicunt, Nonne duodecim sunt horæ diei? Quod si quispiam quęrat an soli æquinoctiales dies, cōstēt ex duo decim horis, cur Christus absolutè dixerit, Nonne duodecim sunt horæ diei? Respondebis, vel quod Dominus ex vulgato prouerbio hoc dixit, vt censet Nicolaus, aut quod tunc erant iam fere æquinoctiales dies, quia erat tunc proximum pascha. Aut denique, quia in Iudæa fere omnes dies sunt æquinoctiales, quia maximus dies est 14. horarum, & minimus decē horarum, ideoque Matthę. 20. fit diuisio diei per horas. 12. Pascha Iudęorū iuxta æquinoctiū vernū

¶Secundam quoque adiecit rationem, vt discipulorum compescęret timorē dicens, *Si quis in luce ambulauerit, &c.* Verba hęc subobscura sunt, quia ęnigmatica est & non aperta locutio. Possunt autē hæc verba, aut ad Apostolos referri, aut de Christo intelligi. Si primū, sic expones, Nihil est quod vos apostoli mei timeatis profectum nostrum in Iudæam, nihil enim vos ibidem quandiu in mea estis societate offendere valebit. Enim vero, quia clara luce diei ambulant, non habēt caūsam timēdi offendicula, vt ij, qui sub tenebris ambulant habent vnde timeāt. Siquidē qui clara fruuntur diei luce, possunt prævidere, & cauere à præuisis offendiculis: id quod negatur ijs, qui tenebras versant. Vos igitur, quandiu vobiscū sum corporaliter, socij estis lucis æternæ, & huius mundi, & omnium hominū lucis: idcirco, quia videtis huius mundi lucem, nihil est quod timeatis offendicula. Quando autem me subtraxero à vobis, eritis velut in nocte, & tum demum timenda erunt à vobis huius mundi offendicula. Iudæa distat ab æquatore. 30. gradibus paulo plus, Ideo dies longissimus est 14. horarum.

¶Si vero de se Christo, Christus loquatur, sensus iste erit. Nihil opus facto est, quod vos me admonitum velitis discipuli mei, ne abeam Iudæam, propter immi nentia, quæ putatis mihi offendicula. Etenim qui ambulat sub clara luce diei non est cur offendicula timeat, vt est cur timeat, qui noctu ambulat. Ego autem non in tenebris ignorantiæ ambulo, sed in clara luce. Non enim me latent quæ mihi ventura sunt in Iudæa, sed clarissime illa vniuersa noui: ideo quia illa prēnoui, quādo voluero euitare possum, & quando voluero, illis me subdam, ideo, non est cur timeam. Græcè, *Si quis autem ambulauerit in nocte.* Theophilactus, hanc sententiam non habet. *Hæc ait, & post hæc dicit*

dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem illum. Dixerat se iturum rursus in Iudæam, non tamen exposuerat causam sui profectus, quam tamen exponit modo causam esse, vt suscitet à morte Lazarum amicum suum. Et hoc idem sub ænigmate proposuit, appellans mortem somnum. Homo enim dormiens, est instar hominis mortui. Et scriptura hac phrasi vtitur, vocandi mortem somnum. Non est, inquit, mortua puella, sed dormit. Siquidem Deo omnia, etiam mortua viuunt, non est Deus, ait, Dominus, mortuorum, sed viuorum. Mortui autem dicuntur dormire. In scriptura Iob. 7. & 1. Corinth. 15. & in Psalm. sæpissimè, quia tandem Deus suscitabit eos in die nouissimo. Est sanè mors coram Deo velut somnus, quia tãdem ab ipso excitandus, tametsi somnus est prolixissimus, at soluendus tandem ex diuina potestate. Ideò ait, *Lazarus amicus noster dormit.* Amici, & inimici Christi, hunc patiũtur mortis somnum. Quanuis enim peccati originalis culpa absterſa sit in amicis Dei, cæterum, semper obligatio ad mortem in omnibus hominibus perseuerat. Pœnæ namq; temporales huius vitæ ablata culpa supersunt luendæ, æterna tamen pœna dimissa per baptismum, modo, aut per circuncisionem, vel aliud æquipollens olim.

Matthæ. 9. Marc. 5. Lucæ. 8. Matth 22. Marc. 12.

¶ Amici igitur Dei dormiunt, & inimici dormiunt: at verò amici Dei excitabũtur à mortis somno, ad vitam æternam, inimici autem expergiscentur, ab eodẽ mortis somno, sed ad damnationem sempiternam, cæterum mors Lazari rectè vocatur somnus, quia breuissima fuit. *Sed vado.* Rem suscitationis tractat Christus nõ vt sibi, vel difficilem, vel impossibilem, sed vt sibi subiectam, atque operatu facillimam. Quia tam facile fuit Christum quatriduanum suscitare, quã facile est dormientem à somno excitare. Et quãuis legamus Eliam suscitasse quẽdam mortuum, & Eliseum alium, at verò magno apparatu cæremoniarum suscitarunt mortuos illos, & nullum excitarunt à morte quatriduanum, neque ipsi, neque sancti Apostoli, aut aliorum sanctorum quicunque. Solus Christus suscitat quatriduanum cadauer, vt diuinam suam potentiam irrefragabiliter ostenderet volentibus credere. Ideò ait, *Vado vt suscitem illum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine si dormit saluus erit.* Infirmi, quos acutus corripit morbus, si somno reficiantur, pronosticum habent salutis. Siquidem acuti morbi, vigilias pariunt, id quod maximè torquet naturam, præter cruciatum morbi. Ideò si obrepserit reficiens somnus natura restaurat vires, & valentior fit contra morbi insultus. Accidit autem nonnunquam infirmis somnus non reficiẽs, quia eum non suppeditat natura ex sua vi, sed morbiferi humoris abundantia & hic somnus magis torquet, quã reficiat. De primo igitur somno Apostoli dixerũt, si dormit bene est. Opinabantur enim verba Domini, de somno, communi animalium affectu, esse habenda. *Si dormit saluus erit.* Replica hæc est, vt dissuadeant iter quod Dominus arripere volebat in Iudæã. Quasi dixissent, Si dormit, salutis habet certũ signum, quocirca tuum iter in Iudæam, non est necessarium. Quia si ex natura sanetur tua præsentia non erit necessaria ad salutem illi donandam. Imò forsan oberit tuus aduentus, quia somnum si tu vadis suscitaturus ægroto oberit hæc excitatio, quia ægrotis est admodũ vtile eorum seruare & non perturbare somnum. *Dixerat autem de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit illis Iesus, manifestè, Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi, sed eamus ad eum.* Duplex sensus est huius loci, *Gaudeo propter vos. &c.* Aut gaudeo propter vos, Gaudeo quidem, quia annunciaui vobis mortem Lazari, cum tamen non essem in Bethania, neque quispiam mihi retulit, neque potuit referre mortem Lazari, at ego absens à Bethania prædixi vobis mortem eius, vt credatis me esse Deum, sciẽtem, ita absentia, vt præsentia ex scientia æterna. Aut gaudeo, de eius morte propter vos, vt credatis in me postquam videritis me eum suscitare à mortuis iam quatriduanum. Et siue hoc, siue aliter interpreteris, construenda est litera ad hanc rationem, *Gaudeo propter vos, quod non eram ibi, vt vos credatis.* Non enim construenda est litera secundum suum cõtextum, vt sit sensus, Gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi. Hoc namque, quod

3. Reg. 17. 4. Reg. 4.

Non omnis somnus infirmorum est signum salutis

Sõnus ægrotantib⁹ vtilis & salubris.

quod Christus non erat in Bethania, nō erat quod erat credēdum, siquidem discipulis hoc euidens erat, & non erat necessaria de re hac fides. Videtur autem germanior textui prior expositio, quoniam ait, Quia nō eram ibi. Ob hoc igitur gaudebat, quia absens cum esset, quasi præsens nuntiarat Lazari mortem discipulis suis.

¶ Sed dicet aliquis iam discipuli credebant, quid est quod ait, vt credatis? Nempe, vt confirmemini in fide, quam habetis, & alios firmare possitis. At quæret aliquis, cur non ait modo, Lazarus mortuus est, & vado suscitare eum, vt dixerat dudū, Lazarus amicus noster dormit, & vado vt suscitem eum à somno? Vel quia Dominus fastum sermonis deuitare cupiebat, idcirco quando sub ænigmate loquebatur, dixit, Vado suscitare eū: quia ænigma sermonem à fastu defendebat. Aut quia facile erat ex verbis prioribus, colligere quod primo dixerat. Explicat autem modo clarissimè se non fecisse verba de dormitione somni, sed de morte naturali adeo, vt non esset necesse addere sequentia, quod ipse, scilicet, iturus erat ad suscitandum Lazarum à morte. Quid quod facile poterant intelligere discipuli non de somno fieri sermonē, quia tantum iter non erat à Domino dimetiendum ad excitādum somnum Lazari. Ideò non repetit modo, Vado suscitare eum. *Sed eamus ad eum.* Synecdoche vtitur, cum ait, *Eamus ad eum.* Siquidem iam Lazarus nō erat, quia mortuus erat, at cadauer Lazari vocat Lazarum, ex vulgata consuetudine loquendi. Vnde Dominus venit ad cadauer Lazari, cū discipulis suis. *Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus, & moriamur cum eo.* Græcè, vt moriamur. Et nō legitur, condiscipulos, sed discipulos. Verum interpres expressit sensum, siquidem alij à Thoma erant condiscipuli, & non discipuli Thomæ. Porro verba Thomæ ambigua censenda veniunt. Siquidem Chrysostomus ex infirmitate Thomæ duxit esse prolata. Quia infirmior, inquit, erat alijs, & infidelior, etsi postea fortior factus omnibus est, & irreprehensibilis. Quia solus orbem terrarum percurrit, & in medijs plebibus voluebatur, volētibus eum interficere. Et Theophilactus in eandem it sententiam.

¶ Quia igitur omnes Apostoli timebant ire in Iudæam, meticulosi namque erant mortis, quam suspicabantur inferendā sibi à Iudæis: at meticulosior erat eisdem Thomas. Ideo ipse ait, Eamus, vt moriamur cum illo. Quasi dixisset. Quorsum nobis eundum erit in Iudæam, vt moriamur cum illo? Et sunt dehortantis alios discipulos verba iter in Iudeam. Beda autem fortis animi credit esse verba, vt sit sensus. Quandoquidem tibi magistro & Domino nostro stat sentētia eundi in Iudæam, quid nobis faciendum restat, nisi te comitati, vt communis sit tibi & nobis, & vita, & mors. Itaque ex dilectione Thomæ, qua ardebat in Christum, hæc virilia pronuntiauit verba. Et hoc sane præseferunt verba Thomæ, magis, quam animi debilitatem, ex timore mortis, tametsi debilior erat cunctis quantū ad credēda. Appellatur autem Didymus quæ nomenclatio Græcis multa significat, videlicet, geminum, vel dubium, aut vterinum, &c. Et quia Thomas dubius in fide resurrectionis fuit, ideo satis aptè, ei congruit nomenclatio hæc. Si autem fuit vterinus frater, quia frater & ipse nati fuerunt simul, vt Iacob, & Esau ex euāgelio non liquet. Ridendum interim cōmentum quod Theophi. tribuit Origeni, quod Thomas significabat modo, corpora esse deponenda, & animas descensuras ad inferos. *Venit itaque Iesus, & inuenit eum iam dies quatuor in monumento habentem.* Audita fama ægrotationis Lazari duobus subsitit diebus Christus in loco vbi famam acceperat, scilicet, trans Iordanem, vbi primum Ioānes baptizarat. Expletis illis duobus diebus, Dominus ait, Lazarus amicus noster dormit: & tū mortuus fuit Lazarus, atque tunc Dominus viare cæpit in Bethaniā, vbi Lazarus erat mortuus, & egit quatuor dies in via. Vnde quando venit erat cadauer quatriduanū. Dominus enim dedita opera hoc fecit, vt clarissimo miraculo, quod fuit vltimū esset locus. Vnde, vt aiebam discipulis quibus notum erat itineris tantū spacium, potuit facile constare Dominū dicentem. *Vado suscitare eum*, non intellexisse, de excitatione à somno nocturno, vel diurno, sed de resurrectione à morte, nihilominus non intellexerūt quousque

Origenica fabula.

Dñs

Dominus exposuit. *Erat autem Bethania iuxta Hierosolymã quasi stadijs quindecim.* Locus vbi primo Ioannes baptizabat Bethania ab Euãgelista nuncupatur, Ioã. 1. Vnde quibusdam placuit, duas esse Bethanias, aliam trans Iordanem, vnde Dominus discessit viuificaturus Lazarum, aliam iuxta Hierosolymã citra Iordanẽ, vbi Lazarus fuit mortuus, & rursus vita donatus. Docet autem Euangelista Bethaniam hanc fuisse propè Hierosolymam, vt facile intelligamus multos Hierosolymitas astitisse Christi miraculo. Ideo ait, Bethaniam hanc esse. 15. stadijs distantem ab Hierosolyma, hoc est fere leucam vnã interceptam esse inter vtrũque, quia minus est stadium vnum. Sũt qui putẽt cum Beda hìc Bethaniam esse castellum, quod memorat Ioannes dicens de castello Mariæ, & Marthæ. Itaque Bethania erat oppidum Mariæ, & Marthæ possessio. Vnde quod ait Ioan. Erat quidam languens Lazarus de Bethania, & sequitur de castello Mariæ, construes appositiuè de Bethania, scilicet, castello Mariæ & Marthæ. Alijs verò non hoc, sed aliud placet hoc castellũ fuisse Magdalum, & non fuisse Bethaniam. Bethania enim hæc pertinebat ad Iudæam, at castellum istud credũt fuisse, apud Genesareth, quod est in prouincia Galilææ. Et hoc amat placitum Petrus à natalibus, vt suprà est commemoratum. Et descriptio terræ sanctæ per Brocardum, habet Magdalum oppidũ, iuxta Genesareth descriptum. Et iuxta hanc sententiam dicendum esset Mariam Magdalenã, fuisse etiam Galilæã, natione, si illi hoc castellum erat natiuus locus, quanuis oriunda existimetur ex Bethania, vt frater eius Lazarus, qui Bethanien sis describitur. Cæterum hæc incerta sunt nobis, ideò solum vestiganda per coniecturas. *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas, de fratre suo.* Quia Bethania, propinqua erat Hierosolymæ, & Lazarus, vir illustris erat, illustresq; sorores, inde multi ex Iudæis accesserunt consolaturi sorores de morte fratris. *Martha ergo, vt audiuit quia Iesus venit occurrit illi. Maria autẽ domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum. Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quod quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Martham solicitã esse in agẽdis Lucas commemorat. c. 10. Et hoc idem Ioannes insinuat modo, siquidem ipsa prima occurrit Christo, aduenienti, Maria autem domi sedebat. Martha autem occurrens Christo, quasi querula, quod Dominus ægrotantem amicum reliquisset ait, *Domine si fuisses hic, &c.* Et quidem suam fidem in Christũ, non esse exactam fidem, sed imperfectã verbis hisce ostendit. Credebat enim, quod Christus si astitisset Lazaro, continuo à morbo liberaretur, & non moreretur, & hoc sentire de Christo dignũ erat, at verò quia putabat præsentiam corporalem Christi adeò esse necessariã quod si abfuisset, non potuisset ægrotum fratrem sanare, hoc non erat perfectæ fidei. Siquidem tam potens erat Christus absens, quam præsens & secundum suam diuinitatem semper erat præsens. Syncerior autem & vegetior erat fides illius, qui aiebat, Matthæ. 8. Domine nõ sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantũ dic verbo, & sanabitur puer meus. ¶ Pusillos igitur in fide, & vegetiores omnes recipiebat Christus, quia venerat lucrari omnes. Martham quapropter non dedignatur Dominus, quamquam imperfectam professa est fidem. ¶ Quod verò adiecit, *Sed & nunc scio.* Temperamentum est prioris sermonis. Veruntamen etiam num fidei imperfectæ suæ est professio. Credebat enim Christum esse virum sanctissimum, qui ex sua sanctitate, ita gratissimus erat Deo, vt quæcunque vellet, impetraret à Deo: at verò non credebat esse potentem ex propria potestate, miracula facere, & fratrem suum à morte liberare. Ait enim, *Sed & nunc scio.* Hoc est, si volueris à Deo impetrare, vt fratris mei depellat mortẽ scio quod impetrabis, quanuis me latet, si voles. ¶ Sunt qui putant. Dominum accepisse ægrotationem Lazari à nuntio, quem destinarant sorores ad Christum, & nuntium huiusmodi detulisse responsum ad destinantes sorores, Dominum dixisse infirmitatem Lazari, non esse ad mortẽ, ideoque Martham fretam hoc Christi verbo, dixisse, Sed & nũc scio, quia quæcunque poposceris à Deo. Cæterum dubia erat & anceps, si erat Christus excitaturus

Duæ Bethaniæ.

Magdalum oppidum situ est iuxta stagnum Genesareth, vnde Magdalena.

Martha solicitior quã Maria soror.

Marthæ fides non exacta.

Pusillos & proiectos in fide, Christus suscipit.

turus fratrem. Quia quamuis certa erat alios suscitasse mortuos Christum, at vero aduertebat, nullum quatriduanũ mortuum, reuocasse ex morte ad vitam, ideò hæsitabunda erat de venturo effectu, etsi Christi dignitatem confitetur, eam esse quæ impetrabit à Deo omnia ab ipso petita. Tu memineris, quia, istis locis, & alijs multis, vt in principio admonebamus, vsurpari, pro, Quod. Itaque cum ait, quia quæcunque popoſceris, sumitur pro quod quæcunque, &c. *Dicit ei Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quia resurget in nouissimo die.* Paulatim disponit, & præparat mentem Marthæ, vt fidem concipiat de potentia Christi ad resuscitandum fratrem suum. Non dixit autem, Ego suscitabo fratrem tuum modo, id quod dixerat discipulis suis, vt iam capacioribus, ad credendum fidei sacramenta. Dixerat enim, Lazarus amicus noster dormit, vado vt suscitẽ eum, ideſt dispono proficisci ad suscitandum eum. Non ergo hoc dixit Marthæ, quia nondum capax erat, & forsan, si sic dixisset Christus. Marthæ ex magnitudine miraculi, deterreretur, & deterrita faciendo miraculo fidem non exhiberet, ideo generali sermone solum ait. *Resurget frater tuus.* Vniuersalia enim notiora sunt, quã particularia. Martha verò adhuc non cogitans, de venturo miraculo, putat verba Domini secundum cõmunem intelligentiam fore accipienda, scilicet, de resurrectione generali mortuorũ. Etenim certum illi erat resurrectionem futuram quamuis apud Iudæos, Sadducæi, Matthæ. 22. eam diffitebantur.

Christus infirmas in fide mẽtes sensim præparabat ad fidẽ perfectiorem.

¶Porrò ex Christi sermonibus, de Resurrectione & finali iudicio, quos ipsa cum alijs audierat, fixum tenebat decretum resurrectionem futuram. Et certam fidem vocat Martha, scientiã, more scripturæ, non more philosophorum: qui scientiam solum euidentem notitiam iudicatiuam conclusionis demõstratæ esse volunt. *Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiã si mortuus fuerit viuet.* Verbis istis erigere voluit Christus fidẽ Marthę, ad statum prouectiorem. Quasi dixisset, nõ est opus facto, vt resurgat frater tuus, expectare diem nouissimum, me præsente. Quandoquidem, ego sum resurrectio, hoc est, autor resurrectionis mortuorum, nõ vt tu putas, qui possum illã impetrare à Deo, sed potius qui possum eam facere. Neque mireris, quia cũ sim vita ipsa, meum est mortuis tribuere vitam. Coniunctio ergo, &, hoc loco mihi videtur, vt sæpe alibi in scriptura, causam significare. Ego, inquit, sum resurrectio, quia sum vita. Et verba hæc insinuant Christi diuinitatem: siquidem solus Deus est vita, & penes ipsum, est fons vitæ. Ideo Ioan. 1. Vita, inquit, erat lux hominum. Creaturæ sanè viuũt, & sunt viuentes, at non sunt vita ipsa essentialiter sicut Deus, vnde Angeli, quia non repugnat eis non esse, & non viuere non sunt vita. Anima tamen vocatur principium viuendi, quia ab ipsa proficiscuntur vitales functiones se vegetãdi, sentiẽdi, &c. At vero, quod sit vita, nõ ex se habet, sed à creante Deo. Et animæ vegetales, & sensitiuæ, mortales sunt, ideo non sunt vita: quia vitæ repugnat mors. Anima vero intellectualis, etiam si sit immortalis: at vero, non est ipsa vita, quia si esset ipsa vita, corpus quod viuificat, morti succumbere non fineret. Et ideo est vita creata, & limitata, non vita vniuersalis, & infinita, vt Deus qui est autor vitæ, & est æterna vita. Et talẽ se esse profitetur modo Christus. Est autem ipsi vita secundum diuinitatem, tametsi ipse Deus homo Christus Iesus, est ipsa vita non secundum quod homo, sed quatenus Deus. Est autem resurrectio, quatenus Deus, quia est autor & causa efficiẽs resurrectionem, quatenus homo tamen, etiam est resurrectio, secundum quod est causa meritoria resurrectionis. Promeruit namque Christus electis suis gratiã, & gloriam, & animorum & corporum. Ea autem ratione accipies se Christum esse resurrectionem dixisse, qua Apostolus suus. 1. Corin. 1. dixit illum esse redemptionẽ, & sanctificationem nostrã. Non enim est sanctificatio nostra formaliter: vt Matthæus Flaccus suum Lutherum sapiens, somniat: sed eo modo est sanctificatio nostra, atque redẽptio, qua est resurrectio. Est autem resurrectio, ad sensum prætactum, quia est causa nostræ resurrectionis. Ita quia est autor nostræ redemptionis, & causa nostræ sanctificationis, & meritoria, vt homo, & efficiẽs vt Deus iustè appellatur sanctificatio nostra

Scriptura fidẽ appellat non nunquã scientiam: lege Autorẽ. 1. sentẽ. q. præcursorijs.

Solus Deꝰ est vita ipsa creaturæ quia labiles ad nõ esse, & si viuũt nõ sunt vita.

Christus qua ratione est resurrectio ea ratione redẽptio, & sanctificatio nostra

ſtra, & redemptio noſtra. *Et omnis, qui viuit, & credit in me non morietur in æternum.* Dixerat qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet, addit modo. Et omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum. Omnes ergo amplectitur ſermo Chriſti, ſiue mortuos credentes, ſiue viuos credẽtes. Nã mortuis promittitur ex fide (ſubaudi formata) vita æterna, & viuentibus etiam ex eadem fide vita æterna pollicetur, & animæ & corporis.

¶Sed occines, etiam non credentes reſurgẽt cum corporibus ſuis, reddituri de factis proprijs rationem. Quid ergo eſt quod ait modo, Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit reſurget? Reſpon. non credentes in Chriſtum reſurgent reſurrectione iudicij, Ioann. 5. At verò credẽtes fide formata, reſurgent ad reſurrectionem vitæ æternæ. Credentes autem fide ſolum mortua, item reſurgent reſurrectione non ſalubri, & vitali, ſed reſurrectione illis noxia, vt & non credentes. Dominus ergo loquitur modo de reſurrectione, quæ erit ad vitam æternam, nõ ad mortem ferendam æternam.

Fides in Chriſtum, ſiue explicita, ſiue implicita fuit neceſſaria vt mortui reuiuiſcant ſecundum animam & corpus.

¶Vnde colliges omnes electos credidiſſe præteritos, & credituros futuros in Chriſtum, ſiue implicitè, ſeu explicitè, pro ratione diuerſorum temporum: cæterum ſemper fuit fides in Chriſtum neceſſaria electis, vt reſurgant ad vitã æternam. Quippe Dominus ait, Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit viuet: igitur qui non credit in Chriſtũ, non poteſt reſurgere ad vitam æternam. Quocirca neceſſaria eſt in Chriſtum fides. *Credis hoc? ait illi, Vtique Domine. Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundũ veniſti.* Græcè. *Tu es Chriſtus filius ille Dei, qui in mundum venturus erat.* Martha non reſpondet ad Dominicam interrogationem. Dominus enim exigit ab ea an credat quod ipſe eſt reſurrectio, & vita? At ipſa aliò diſtraxit reſponſionem dicens ſe credere Chriſtum eſſe filium Dei quẽ Iudæi expectabãt ad orbis ſalutẽm. Hoc eſt ſe credere Chriſtum eſſe illum Meſſiam diu expectatum à Iudæis. Græcè non eſt, viui, ſed filius Dei ſolum?

¶Verum in hac reſponſione Marthæ includitur quodammodo reſponſio Dominicę interrogationis, dũ ait, Ego credidi, quod tu es Chriſtus ille filius Dei viui. Namque Græcus codex ita habet. Et quia Emphaſim ſæpè habet articulus, ille, apud Græcos, inſinuat Martha ſe credere Chriſtum filium eſſe Dei, non adoptionis filium, vt ſunt omnes electi filij Dei, ſed naturalem Dei filium, qui ſolus eſt Chriſtus. Porrò Samaritanæ mulieri, ſe Chriſtus manifeſtat eſſe verũ Meſſiam, verumque Chriſtum, quem expectabant Iudæi. Et cæco nato, patefacit ſe eſſe filium ſingularem Dei, Et Marthæ propalat, ſe eſſe Deum dicens ſe eſſe reſurrectionem, & vitam, quia ſcriptũ eſt cũ ſimplicibus eſt ſermocinatio eius Prouerb. 3. Superbis autem, & diſcolis abſconduntur Dei ſacramenta. Eraſmus docet legendum, pro, credidi, credo. Quia verba affectum ſignificantia vſurpant apud Græcos præteritum, pro præſenti γεγηθα, Gauiſus ſum pro gaudeo, δεδια, metui, pro metuo, ſic credidi pro credo. *Et cum hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens, Magiſter adeſt, & vocat te* Quod Dominus vocauerit Mariam, Euangeliſta non narrat. Verum ex hoc loco colligitur Chriſtum dixiſſe Marthæ, quod vocaſſet Mariam ſororem, quippe Martha non eſt mentita: ſecreto autem allocuta eſt ſororẽ, ne forte ſi aſtantes Iudæi audiuiſſent eſſe ibi Chriſtum, excitarent, quas ſolebant tragœdias aduerſus Chriſtum, aut fugerent Chriſti conſpectum, quia infeſtus erat illis. Quia iam Iudæi interdixerant, communionem cum Chriſto, hoc eſt, ne quiſpiam cõfiteretur eum eſſe Chriſtum. Et nihilominus Martha clarè confeſſa fuerat ipſum eſſe verum Chriſtum: ideò voluit ſilenter vocare ſororem, vt omnis turbatio deuitaretur. *Illa vt audiuit, ſurrexit cito & venit ad eum. Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* Græcè ſurgit. Vocãti Chriſto Mariam cito obtemperat, & quæ domi erat ſedẽs properè ſurgit, & venit ad Chriſtum. Non erat inſtar illorum, de quibus meminit, Prouer. liber, vocaui & renuiſtis. Hæc non renuit, ſed properè ſurgit & vocanti morem gerit. Martha igitur adducit Mariam ad Chriſtum. Nam vita actiua, adornat ad vitam cõtemplatiuã. *In ſilentio.* Græcè λαθρᾳ, hoc eſt, latenter,

Ioann. 4
Ioann. 9

Simplicibus Deus reuelat ſuæ fidei myſteria.

ter, vel clanculum. Quia sorori loquendo, non silebat Martha, quo modo ergo in silentio? colligit Erasmus. Cæterum nobis in vsu est sermo idem. Voca Petrum, vel Paulum in silentio, ideſt, tuam vocationem, alij non audiant. Quod fuerit hoc castellum, an ipsa Bethania, cuius supra Euangelista meminerat, an oppidulum intermedium, antequã in Bethaniam esset accessus Euangelista non aperit. Tametsi insinuatur ab eo esse Bethaniam, cuius iam meminerat, vt supra dicebamus. Quod si ita est, hoc castellũ non est castellum illud quod cognominatur Magdalum, vnde putant deriuari cognomen Magdalenæ. Namque Magdalum situm habebat iuxta stagnũ Genesareth, in prouincia Galilææ, vt superius: sunt qui putent castellũ fuisse Marthæ, & esse Bethaniam, at Magdalum esse castellum Mariæ meminimus. *Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam cum vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exijt secuti sunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Videtur Mariam Magdalenã fuisse maiorem natu, quam Martham: siquidem fratres atque sorores maiores natu quietem, & ocium magis sibi reseruant, & ministeria, & domesticas occupationes minoribus natu impartiunt, in quem se gessisse Mariam Magdalenam modum erga sororem Martham ex euangelicis constare videtur literis. Siquidem Lucæ. 10 Marthæ ministeria exercet, & domesticis angitur solicitudinibus, Maria sedente ad pedes Domini. Et rursus hoc loco, Maria domi sedet, Martha vero exteriora versat, & ideo post Mariam exeuntẽ, exierunt Iudei eam sequentes non tamẽ post Martham. *Maria ergo cum venisset, vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius: & dicit ei, Domine si fuisses hic non esset mortuus frater meus.* Mira fuit affectio sororum, in Lazarum fratrem earum, at Mariæ maior videtur, & feruentior in Dominum affectio, & reuerentia quam Marthæ. Nam hęc non procidit ad pedes Christi, vt illa saltem Euangelista non cõmemorat. Et maiorẽ affectionem ostendit etiã in fratrem, quia describitur plorans, & Martham plorantem Euangelista non describit. Porro autem mirum dictu quã maximè amabat Domini pedes Maria nimirum, quia ad pedes Domini peccata sunt illi donata: vtique in domo Simonis, illos est deosculata, & eos lachrymis lauit, & capillis extersit. Lucæ. 7. & lucæ. 10. sedens ad Domini pedes audit verbum Christi. Et modo ad pedes Christi se deuoluit non verbo petens fratris resurrectionem, sed ipso facto, mentis desiderium profitetur. Rursus resurgenti Domino accidit ad pedes eius, eosdem deosculatura: id quod videtur indicare maiorem fidem fuisse & feruẽtiorem, in Maria Magdalena, quam in sorore: siquidem exteriora signa mentis arcana denũtiant. Enim vero, nihil Magdalena est reuerita turbam circunstantem, ne forte eam increparet ad pedes Domini prouolutam, imo viso Domino procidit palam coram omnibus ad pedes eius. Quanquam non omnino vegetam habuisse fidem dicet aliquis, fortasis, quia eadem, quæ soror verba promit, Domine si fuisses hic non esset mortuus frater meus, at forte non ex fidei defectu, sed ex fraterno amore.

¶ Dominus autem non repetit quæ dixerat verba Marthæ, quia vegetior erat fides Magdalenæ quam Marthæ, Neque Magdalena illa deprompsit quæ soror, verba, *Sed & nunc scio, &c.* Siquidem doloris acerbitas ex fratris morte & lachrymarum profluuium non sinebat fœminam multa fari. *Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit, vbi posuistis eum.* Commotus est Dominus exploratu astantium: ideo vt se significaret verè esse hominem, & affectus habere humanos, infremuit, & illachrymatur, & se turbat. At verò vt demonstraret Euangelista, non esse obnoxium Christũ, affectibus humanis, neque istis vrgeri sicut nos, dixit, *Turbauit seipsum.* Ipse se turbat, quia turbari non erat necessitatis in Christo, sed potestatis. Ideo Theologi propathias si quæris, quo modo flet Christus mortem Lazari, de qua supra dixerat Lazarus est, & gaudeo propter vos. At vero flet modo, & gaudebat tunc. Gaudebat, quia mors hæc depellenda erat à Christo, vnde erat firmanda fides apostolica, & Iudęorum, modo flet secundum partem sensitiuam, vt se hominem esse demostraret. Nõ tamen flet, ex neces-

Bethania erat castellũ Marthæ, & Magdalum fuit castellũ Mariæ

Maria Magdalena maior natu erat quã Martha soror

Cur Magdalena amauit studiosissime pedes Dñi.

Magdalena feruentior in fide quam soror Martha.

Collisio apparens soluitur

Christus habuit affectus humanos: vt pœnales non vt culpabiles

necessitate, sed ex potestate, vnde Theologi Christo propathias, & non pathias tribuunt. Hoc est passionum initia, & non perfectas passiones. Et enim perfecte tunc afficit passio, quando trahit mẽtem, eò quò tendit passio. Nulla autẽ poterat distrahere mentẽ Christi à sua rectitudine passio, quia omnes erãt subsuodominatu, & ex moderatione rationis proficiscebantur. Deus igitur cũ esset Christus dimittebat quando volebat suam, quam sibi copularat humanitatem, vt pateretur inculpate tamen, quæ sua erant. Et tũc dimissa sibi plorabat, fatigabatur, timebat, esuriebat, &c.

¶ Nunquam tamen sic dimissa est humanitas Christi à verbo, vt vel timoris esset, aut alius affectus, qui distraheret Christi mẽtem, vt nostras distrahit vehemẽs timor, aut tristitia, &c. erant nãque in Christo inculpatæ istæ passiones. Dimissa igitur sibi à necessario afficiebatur humanitas Domini humanis affectibus. Verũ quia in potestate erat Christi suam humanitatẽ sibimet dimittere, aut nõ dimittere, ideo Euangelista ait, Turbauit seipsum. Quasi dicat, Non cõpulit mors Lazari Christum, vt turbaretur, vel tristaretur propter initã inuicem amicitiã vt homines ex amicitia inita coguntur, etiã inuiti ad tristitiam de morte amicorum habendam. Non autẽ sic Christus, quia nihil poterat eum cogere, vt tristitia afficeretur ex morte, vel ex quouis alio tristabili obiecto. Diuinitas enim eius, hanc non sinebat coactionẽ, Deus enim cum esset cogi nõ poterat, à sua creatura.

Christus qua Deus erat nõ subdebatur humanis affectibus.

Christus non poterat cogi ad habẽdum affectus humanos.

¶ Quando ergo flagellabatur, crucique affixus tenebatur, dolebat sane, necessario quatenus homo dimissus proprię naturæ, & non dolebat necessario, quatenus Deus homo erat: quia poterat impedire ipsa dolorifica ne causarent dolorẽ, imo & ipsam mortem cum suis omnibus appendicijs arcere.

¶ Tria autem cõmemorantur ab Euangelista, & quod Dominus infremuit, spiritu, & quod est illacrymatus & quod turbauit se ipsum. Et hæc tria primo fecit postmodum vero solum cõmemorat, lacrymatum fuisse, & tandem secundo infremuisse. Infremere vero est, ex indignatione contra quempiam nutum indignantis, aut vocem proferre. Dominus ergo indignatus est tunc contra peccatũ protoplastorum, vnde mors subrepit, in totum genus humanum. Non legimus autem Christum in suscitatione aliorum duorum mortuorum, vel fremuisse, vel ploraſſe, vel se turbasse: sed solum in suscitando Lazaro. Quanquam ploraſſe Christum alias legimus. Nempe, quando videns Hierosolymam fleuit. Et ad Hebræos. 5. legimus etiam ipsum fleuisse aduentante morte sua. Qui, inquit, in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, &c. Et quis inficiabitur: etiam si in scriptura sacra memoriæ non sit proditum, Christum infantẽ panis involutum, interdum decumbebat in præsepio, frigoribus pressum fleuisse? Id quod canit, vagit infans, inter arcta conditus præsepia. Rursumque, quando octauum à natali peragebat diem, & sanguine madebat, ex pellicula præputialis absciſsione, ploraſſe, quis hæsitabit? Enim vero, quæ infantilia erant, suæ verbum caro permittebat infantiæ, vt vere infans, & non laruatus infans videretur.

Infremuit Christus & ploravit & turbauit seipsum in morte Lazari

Quinquies Christus fleuit.

¶ Porro vt aiebam, resuscitans mortuum nunquam fleuisse legimus, nisi suscitans Lazarum. Quamuis enim filium viduæ coram turba frequenti, quæ feretrum defuncti comitabatur suscitauit, vt modo coram multis suscitat Lazarum, quia duæ istæ resurrectiones fuerunt publicæ & sola suscitatio puellæ fuit intra priuatos parietes, nihilominus, neque in hac occulta, neque in illa publica Dominus fleuit, sed solum in resurrectione Lazari. Et equidem res hæc consideratione non est indigna, cur ita gestum sit.

Duas resurrectiones Christus fecit publicas, & vnã secretam.

¶ Et vtique, hæc resurrectio Lazari, resurrectionem spiritualem, totius humani generis facile denotat, cuius Paulus meminit, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite. Vt ergo sepultura quatriduana Lazari mortem quatriduanam generis humani denotabat, ita & resurrectio ex morte quatriduana, resurrectionem spiritualem præsignabat. Allegoricòs autem Augustinus exposuit hos sepulturę, vel mortis mysticę dies. Primus que dies mortis apud illum est nasci cum

peccato originali. Secundus dies mortis, est contemptus legis naturalis docentis, quod tibi nõ vis, alteri ne feceris: tertius dies contẽptus legis scriptæ: quartus contemptus euangelicę legis. Mũdani enim homines, hæc diuina spreuerunt, & spernentes fœtent iam coram Deo, & putridi & sine spe salutis, quãtum est ex indignitate sua sunt, ideo huiusmodi, qui iam habent lapidem obdurationis sibi impositum, flet Christus: pro huiusmodi infremuit filius Dei, pro huiusmodi se turbauit verbũ Dei. An non turbatio erat sui ipsius, quod exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinẽ hominum factus, & habitu est inuentus vt homo. Quod si videns apud seipsum ruituram miserabiliter Hierosolymam, fleuit, quid quod modo defleat ruinam totius humani generis, quam ipse sua ineffabili intuebatur scientia? Aut secundo licebit dicere, sepulturam hanc quatriduanam, & fœtens iam Lazari monumentum, significare conclamatum esse humani generis peccatum, quippe ex solis viribus arbitrij, desperatam habet resurrectionem nisi Christus adsit. Sunt autem morbi quidam, vt apoplexia, & suffocatio matricis, qui de repente præcipitant & conuellunt affectos, qui tamẽ si quarto die non reuixerint, nihil est quod diutius detineãtur, sed mandandi sunt sepulchro, lege Gale. 6. libr. de locis affectis de suffocatione matricis. Ili igitur non sunt interim sepeliẽdi, vsque ad quartum diem: nam si in quarto die, adhuc non excitantur irremediabilem patiũtur mortem. Quatriduanus ergo mortuus Lazarus irremediabile prorsus humani generis peccatum esse ex seipso demonstrabat: ideo Christus plorat, Christus infremit, Christus se turbat, dolẽs vehemẽter tantã totius humani generis calamitatem. Quod, scilicet, homo qui ad similitudinem Dei factus fuerat, ita se subdiderit diabolo, vt omnino esset alienus à Deo, & subditus supplicijs ęternis. Omnes enim declinauerunt, & non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnũ. Quippe omnes homines contẽplabatur Christus, & præteritos: & præsentes, & futuros, infectos esse macula primitiua, & maculis alijs, quas quisque suo arbitrio adijciebat. Vidẽs ergo omnes homines, ex sua beata scientia, & eos considerans in Lazaro quatriduano desperatam habere salutem, si ipse non accederet mortem diutinam hanc, & conclamatam depulsurus plorat, & infremit.

Apoplexiã patiẽtes nõ sunt sepeliendi vsque ad quartum diem.

¶ Sed quid est quod plorat, & infremit, quandoquidem nemo plorat calamitatem, quã ipse depellere facile potest: ipse autem Christus hoc poterat, cur igitur plorabat? Vtique poterat & depulit à genere humano mortis calamitatem. Quia quantum ex se erat, Omnem mortẽ peccati sua morte destruxit. 2. ad Timo. 1. & eum superauit, qui habebat mortis imperium. ad Heb. 2. Cæterum quia sciebat hominum desidiam, & fastum, sciebatque despecturos homines esse resurrectionem à peccato, quam ipse omnibus offert, ideo plorat, ideo fremit, ideo se turbat, quod venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quã lucem. Neminem enim cogit Deus ad iustificationem, suscipiendam, sed spontaneos exigit, quos iustificat. Rebelles igitur spernit, & ideo plorat humanam rebellionem: vt medicus optimus, qui salutẽ ægroti summopere diligit, si ægrotũ lætali febricitãtem febre viderit & antidotum præsentaneum proponit, quod alioqui ęgrotus repudiat, vtiq; doleret quod ęgrotus salutis suæ immemor salutis pharmaca repudiet. Euangelista autem memoratur Dominum ploraſſe, infremuisse, & seipsum turbasse. Quod vero ait, Fremuit spiritu Chrysosto. & Theo. interpretantur, quod per spiritum sanctum, cohibuit lacrymas suas, clarior est expositio, quod spontanee infremuit & non ex passione cogente, vt nos.

Plorat Christus, quod homines nolunt frui vita, quã ipse illis offert.

Deus spontaneos non rebelles iustificat.

¶ At vero Christus in carne agens mortali plorauit, & infremuit, & se turbauit aduertens humani generis conclamatam cladem, & diaboli tyrannidem contra ipsum. Porro in secundo aduentu veniens iudicaturus orbem, non plorabit, nõ se turbabit, videns hominũ damnatorũ maximã perditionẽ ęternasq; eorũ miserias: at potius infremet in perditos homines. Et illa sunt sui fremitus verba. Ite maledicti in ignẽ ęternũ. Mat. 25. Quãdo mortalis erat secundũ carnẽ, plorabat, vt mortalis se turbabat, vt mortalis fremebat ex cõpassione misericordiæ, vt mortalis. Verum in die nouissimo fremet non ex com-

Fremitus ex compassione misericordię & fremitus ex zelo iustitiæ.

compassione, aut ex commiseratione, sed fremet ex zelo iustitiæ exercendę ad uersus suos hostes. *Et dixit, Vbi posuistis eum.* Non interrogat Dominus ex ignorantia loci, sciebat enim locum antequã locus esset, at interrogat, vt veritas miraculi sit quam probatissima. Quo circa exigit, vbi erat monumentum defuncti. *Dicunt ei, Domine, Veni & vide.* Non hoc aiebant credentes Christum iam se parare ad suscitandum mortuum, sed credebant Christum interrogasse de loco, ex commiseratione ad defunctum, volens amici videre sepulchrum: id quod amicis est consuetum. *Et lacrymatus est Iesus.* Iterum lacrymas fundit Dominus, vt peccata hominum insinuet, multo profluuio lacrymarum esse digna. Priores igitur lacrymæ motiuum habuerunt ex ploratu sororum Lazari, & circunstantium, at secundus ploratus ex viso sepulchro amici defuncti. Et tu considera, vt Dominus ostendere volens modo suam deitatem, miscet suæ humanitatis indicia. Vt simul omnipotentiam suam manifestans, infirmitatis humanæ præberet argumenta, vt nascens ex virgine, & in præsepio stabuli iacens indicem, stellam, coruscantem, & Magos adorantes habet & pendens in Cruce, id quod maximæ infirmitatis erat ostensio, miscuit cum eo quod summæ potentiæ argumẽtum erat, cælum, scilicet, turbans, & terram concutiens, vt se non mori ex impotentia ostenderet, sed ex charitate, quam habebat erga humanum genus. Quia enim vtrumque est fidei necessarium, & credere Christum esse verum Deum, & verum hominem, ideo Christus vtriusque naturæ suæ, & diuinæ & humanæ, semper testimonia commiscebat: & diuinitatis suæ ad eam rationem temperabat actiones, vt humanæ naturæ consortium simul in eisdem ostenderet. Dixerunt ergo Iudæi. *Ecce quomodo amabat eum.* Amicorum enim est, de amicorum condolere miserijs. *Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere, vt hic non moreretur?* Non dixerunt omnes astantes, sed quidam ex ipsis. Non ergo omnes erant beneuoli in Christum, neque omnes maleuoli, vt fieri solet in multitudine. Nam suum vnicuique velle est, nec voto viuitur vno, Christus autem minora negauit, scilicet ægrotantis salutem, vt maiora tribueret, scilicet, excitare à morte. Maleuoli igitur, & qui fasce inuidiæ vrgebantur, hæc dicebant, quasi Dominum accusantes, quod Lazarum non eripuisset à morbo, & qui sanarat cæcitatẽ natiuam, cur non sanarat, obijciunt, infirmitatem Lazari, quæ minoris negocij erat, vt sanaretur. Imo insinuant verbis suis suam infidelitatem, Dominum videlicet non potuisse sanare infirmum Lazarum, vnde labefactare gestiũt miraculum cæci nati. Quasi colligentes, Si hũc sanauit, multo facilius posset sanare Lazarum ægrotantem, quia vt hoc præstaret mutua amborum amicitia admonebat, quam cum cæco, quem illustrauit non habebat, Græce, non habetur. Nati. Lege etiam, *Vt & hic non moreretur.* *Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.* Videns Dominus astantium perfidiã, quos dudum cõmemorauit Ioãnes, Infremuit rursus, hoc est, rursus demõstrauit nutu quodã indignationem quã mente gerebat contra hominũ infideliũ peruicaciã. Et hoc est. *Infremuit in semetipso.* Et est idem infremuit in spiritu, quod modo, refert Euangelista. Et quod pauloante dixerat infremuit spiritu. Siquidem, vt aiebam, infremere spiritu, significat infremitum Domini, siue indignationem, quam nutibus, aut voce expressit, fuisse non coactam, vt est nostra indignatio, quæ sæpe nobis repugnantibus contingit, at illa Christi fuit spiritu spontanea, scilicet, & secundum libramen rectæ rationis edita. Annotabam autem supra Chrysostomum aliter declarasse sententiam hanc, Infremuit spiritu, videlicet, Infremuit spiritu cohibendo lacrymarum impetum, ne in tristitiam laxaretur valde. Et est idem ac si dixisset arguit lacrymarum profluuium, & tristitiæ excessum cohibuit, vt postmodum tranquille, & sine perturbatione diceret, Vbi posuistis eum. Et Basilius idem videtur sapuisse Homilia quarta, de Gratiarũ actione, ait enim tũc Dominũ se attẽperando nostræ infirmitati voluisse istos affectus, qui vitari nequeũt astringere, & circũplecti intra moderatã quãdã temperiẽ & certos limites.

Christus in maximis miraculis, omni potẽtiam suã demonstrans humanitatis suæ infirmitatẽ, non celauit.

Christus sæpe minora negat vt maiora tribuat vt in Lazaro promptum est.

Christus suas diuinas sic tẽperabat actiones vt verum Deũ & hominẽ esse se ostẽderet.

Et haberet apparentiam hæc declaratio. Si legeremus, infremuit spiritui, vt esset sensus indignatus suo affectui, scilicet, tristitiæ, & compassionis exuberantiæ in mortuum. At vero etsi Græca datiuum habent, Latinis tamen sonat ablatiuum. Quamuis enim Græci verbum βρεμο, cum datiuo construant, vt Marci. 14. Fremebant in eam ἐνεβριμῶντο αὐτῃ. Vulgata tamen vertit per ablatiuum, vt diximus, vel per effectiuum, vnde quod loco hoc ἐνεβρισατο, τῷ πνεύματι legitur interpres nõ transtulit fremuit aduersus spiritum, vt Marci. 14. sed infremuit spiritu.

¶ Porro etsi Chrysosto. Theophi. Euthimius in cõmemoratam eant sententiam, videtur mihi aptior diuersa. Enim vero nihil erat in Christo, quod potuisset cohiberi. Ea enim sunt cohibẽda, quæ sunt superflua, iuxta verbum enim Platonicum. Ne quid nimis. Quia vt defectus est ex vicio carpendus, ita superfluitas affectus compescẽda. In Christo autem vt nullus est concedendus defectus, ita plane est neganda omnis superfluitas. Omnes namque affectus Christi, etsi secundum qualitatem intensionis fuerunt aliquando magni, vt timor, & tristitia, quibus afficiebatur instante mortis suæ hora. At vero nullus fuit excessiuus, egẽs cohibitione. Omnes namque quando aderant, aderant secundum rectæ rationis moderamen, & ibi semper sistebant gradum suum, neque vltro, neque citro progrediebantur. Vnde hoc significat verbum Ioan. Turbauit seipsum, vt supra est dissertum. Infremuit igitur spiritu, quia spontanee, & secundum rectam rationem indignatus est, & eousque indignatus est, quousque voluit, & non amplius. Et is ipse qui sibi permisit lacrymas ipse idem easdem quoque siccauit quando voluit. Neque Ioannes ait, Infremuit in seipsum, aut coram seipso id quod videtur consectarium ad Græcorum præfatam sententiam, sed solum ait, Infremuit in seipso, quia sponte ipse in seipso excitauit indignationem contra malignantes. *Erat autem spelunca.* Monumẽtum seu sepulchrum Lazari quod eo vocatur monumẽtum, à monenda mẽte: excitatur enim memoria defuncti ex sepulchris visis. Erat igitur spelunca excauata inferius: nãque quod hæc spelũca caua esset inferius, videtur ex lapide superposito, quia si non esset excauata secundum profunditatem, lapis non esset superpositus illi, sed potius adiaceret illi, si ad latus cauata esset. Et videtur quod erat profunda, quia nõ esset, cur diceretur spelunca, nisi profunditatẽ haberet. *Ait Iesus, Tollite lapidem.* Apparet ex contextu sepulchrum huiusmodi, non esse instar nostrorum sepulchrorum, quibus humãtur cadauera, & lapis super ponitur sæpe: at verò ablato lapide, non apparet cadauer, quia terræ moles impedimento est ne videatur. At vero forsan erat hoc sepulchrum instar eorum, quæ olim erãt in vsu, Hispane *Luzillos* appellantur. Non tamen quoad omnia, quia qui dicuntur *Luzillos*, non sunt in rupibus excauati: sed solum quo ad hoc erat similitudo, quia in cõmemoratis Hispanorum sepulchris, ablato lapide impositio, continuo cõtentũ manifestatur cadauer, quia terra non est opertum.

Nulla erat in Christo affectus superfluitas, quæ esset compescẽda, quia omnia in Christo, erant æquilibri.

¶ Iussit autem Christus, vt tolleretur lapis vt vniuersis esset conspicuum cadauer Lazari, & nulli esset occasio referendi miraculum ad præstigia, vel magicas artes, Augustinus allegorizans hunc locum, dixit Lazarum sub lapide, reum significare sub lege. Omnis enim reus sub lege est, quippe ab ipsa lege accusatur, & dãnatur. Iustus autem nõ est sub lapide, quia iustis non est lex posita, sed iniustis. 2. Timo. 1. *Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat, Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.* Vel hoc dixit Martha, diffidens Lazarũ fratrem suum suscitandum à Domino, quia iam fœtebat, seu male olebat, vt cadauer putridum. Aut dixit, ne Christus accederet ad sepulchrum, ne à fœtore cadaueris putridi male afficeretur. Verum prior expositio germanior videtur ex sequentibus. *Dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi, Quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Refricat igitur Dominus Marthæ incredulitatem, & latenter eam reprehendit benignè tamen, pro suo more, & Martham excitat ad fidẽ de miraculo, quod facere adornabat. Dixerat autem Iesus supra. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit resurget. Et dixerat, Infirmitas hęc non est ad mortem, sed pro gloria Dei,

vt

vt glorificetur filius Dei per eam, nunc fere idem inculcat, Si credideris videbis gloriam Dei. Tametsi hæc verba formaliter non dixerat prius, sed solum virtualiter, vt liquet ex prioribus. *Tulerunt ergo lapidem.* Græca addunt alia, scilicet, *à loco vbi is mortuus fuerat positus.* Quamuis ad euitandum fœtorem ex putrido cadauere, & horrorem ex visu mortui corporis Martha, nolebat sepulchrum reserari, at Dominus iussit lapidem tollendum, cui astantes paruerunt, & tulerunt lapidem, & nudauerunt sepulchrū, vt omnibus palam esset cadauer ibi iacere Lazari: & nulla esset de re euidenti disceptatio. Ideoque cum Dominus sua virtute lapidem potuisset tollere, noluit, sed alijs ablationem mandat. *Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti.* In præclaris edendis à Christo miraculis, sursum in cælum leuat Christus oculos, vt Ioannis sexto, pasturus ingentem turbam, & corpus, & sanguinem suum traditurus discipulis, in edulium, itidem leuat in cælum oculos suos: & modo item facit. At vero suscitans puellam archisynagogi, non hoc fecisse commemoratur, vt neque filium viduæ reddens vitæ, gratias egit: sed diuino vtens imperio, illis imperat, vt à morte surgant. Quinimò & illuminans oculos cæci nati, non sursum leuat oculos, neque gratiarum actionem præmittit, sed inungens cæcum, ad natatoria Siloe mittit. Quamuis hoc miraculum inter clarissima sit reponendum. Cæterum, vt interim alia mittamus miracula à Christo edita, & quod in manibus habemus differamus, nullum equidē legitur Christi miraculum, quod tot præambula habuerit, sicut hoc habuit. Nullumque tanta circunspectione geritur à Christo, & tanta manifestatione diuinitatis Christi coruscat, quanta hoc. Nam videtur à Christo hoc miraculum editum fuisse, quasi vt consummatissimum omnium miraculorum, quæ hactenus fecerat.

Christus gerens præclara miracula sursum in cælum versus leuat oculos.

Lazari suscitatio consummatissimū miraculum.

¶Enimvero, ipse absens erat à Bethania, quando infirmabatur Lazarus. Nuntiatur morbus absenti, non properat, vt curet, sed manens in loco eodem, vbi erat, nullo nunciante, sed ipso à seipso sciente discipulis mortem Lazari nuntiat. Tempusque præstolatur, quatriduanæ sepulturæ, tuncque accedit suscitaturus.

¶Accedit Martha fratris resurrectionē desperans: properat Maria, idem etiam, non admodum confidens. Plorant ambæ sorores defunctum fratrem, plorant Iudæi defunctum cōciuem. Plorat Christus defunctum amicum. Iamque miraculum adornans locum petit vbi sepultus erat Lazarus: ostenditur illi, imperat protinus astantibus, vt lapidem tollant sepulchro impositum, clausumque referent sepulchrum. Martha reluctatur vani esse laboris forte putans, fœtidum velle viuificare cadauer. Reseratur tamen sepulchrum, accedunt circunstantes cadauer iacens, vident ligatum fascijs sepulchralibus, sudario caput inuolutum habens. Horrent triste spectaculum, naresque operiunt fœtore cadaueris offensas. Expectant omnes euentum futurum. Incredduli sunt, & prorsus desperantes quatriduanum cadauer reddēdum fore vitæ. Christum attētē intuentur, quid iam facturus, quidue dicturus sit, resuscitando quatriduano mortuo. Illis intentissimè igitur ora tenentibus, en Christus in cælū sursum beatos suos leuat oculos, & talia fatur. *Pater gratias ago tibi, &c.* Qui petunt quicquam dubij sunt, & incerti, de suæ petitionis euentu, ideo si contigerit quæ petunt impetrare, gratias agunt. At vero Christus antequam Lazarum suscitet, gratias agit de suscitato, quia certus erat de suscitando. Ideo non petit patrem, vt suscitet, Lazarum. Non enim dixit, Pater hunc mortuum suscita, neque dixit, In nomine tuo suscito: sed quid? *Gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Verba sunt Christi quatenus homo erat, qui semper fuit exauditus à patre, ad Hebræos. 5. Et exauditus est, pro sua reuerentia. Non fuit tamen exauditus, quando orabat dicens, Transeat à me calix iste. Hæc namque oratio, non erat secundum partis rationalis, sed secundum partis naturalis desiderium. Omnia autem, quæ voluit Christus à Deo obtinere, & precatus est secūdum rationalem partē obtinuit. Quia solū illa precatus est, quæ videbat in seipso

Omnis oratio Christi secūdum partē rationalē fuit impleta lege autorē in. 3. senten. lib.

Dei verbo, esse sibi consona, & quæ sibi Dei verbo erant consona, hæc Deo patri erant quam gratissima. Gratias igitur modo agit Deo patri, non quia ipse impotens erat ad suscitandum Lazarum: imo eadem potentia pollebat, qua & pater: & ideò suscitans Lazarum, voce magna clamat dicēs, Lazare, veni foras. Ex imperio enim mortis, morti imperat, vt reddat mortuum, quem captiuum tenebat, & non ex impotentia precatur Deū, vt illum suscitet à mortuis. Sed potius gratias agit Deo patri, vt denotet, quod intēdit opus esse, etiam Dei patris opus, & se facere ex patris voluntate, & non cōtra Dei patris assensum. Ideo ait, Quoniam audiuisti me, hoc est voluisti, quæ ego volo, vt & ego volui, quæ tu vis. Et hoc sciebat Christus, patrem esse sibi cōcordem, & in omnibus consentientem. Verum vocaliter egit modo gratias patri, vt turba astans, hanc cōcordiam cum patre Christum habere ex Christi intelligeret sermone.

Hæc cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Clamat ad mortuum, sicut si viuus fuisset, & suo clamore mortuum viuificat. Clamat voce magna, quia miraculi magnitudinem docere volebat. Clamat voce publica, & simplici, ne si occulta voce clamaret, præstigij in verbis nonnihil esse opinaretur. Cæteros mortuos simplici, & communi voce excitat dicens, Adolescens tibi dico, surge, vel, Puella tibi dico surge. At vero Lazarum clamore valido excitat à mortuis. Potentissima igitur est vox Christi, vt iam certo credamus ad vocē Christi omnes mortuos aliquando surrecturos de suis monumentis. Aut si credimus mortuos surrecturos omnes ad Christi vocem, seu ad Christi imperium, quid mirū est, quod credamus, ad vocem hāc Christi, Lazare veni foras, suscitatū fuisse Lazarum? Vnde dixerat supra. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, &c. At vero neque puellam suscitaturus eam vocauit nomine proprio, neque adolescentem, sed solum dixit, Tibi dico, surge. At vero Lazarū ex proprio nomine vocat: non enim ait, Tibi dico surge, sed, Lazare veni foras. Vtique, quia puella sola erat mortua in domo patris, & adolescens solus in feretro ferebatur defunctus, at Lazarus non erat solum in eo loco sepultus, quia quamuis in suo sepulchro solus iaceret, erant apud suum sepulchrum, forte alia sepulchra. Nam Iudeis erat mos in rupibus multa excauare sepulchra. Aut forsan etiam in eodem sepulchro alia iacuerant cadauera: ideo ex proprio nomine Lazarum vocat, quia non alios, sed solum Lazarum excitare intendebat. Porro D. Augustinus credit ex voce hac sepulchrum reddidisse corpus, & infernum animam Lazari. Cuius verba sunt sermo. 104. de tempore. Non expectauit mors iteratam vocem Saluatoris audire, quia virtutem vitæ ferre non poterat: sed ad vnam vocem Domini mors, & corpus Lazari, de monumento, & animam dimisit de inferno. Vnde iuxta dogma hoc anima Lazari, in quatriduo illo fuit, vel in lymbo sanctorum patrū, vel certe in Purgatorio. Et idem oportebit dicere, de anima puellæ, & adolescentis, & de alijs animabus eorum, qui sunt ab alijs suscitati sanctis.

¶ Porro res hæc dubia videtur: quia vnde certo probetur, nō apparet. Sunt porro quibus cum Augustino placet ad hāc rationem theologizare. Vnde dicūt Dominum clamasse voce magna, vt anima Lazari, quæ erat in inferno, in Limbo, videlicet, S. patrū, vel Purgatorio (nam hæc loca, etiam hac nomenclatione inferorum donantur) audiret vocem Christi. Sed quid, si ex eo grandis fuit vox, vt procul audiretur in inferis, cur vox illa. Tibi dico surge, non fuit grandis vox, vt etiam audiretur ab animabus illis, quas etiam infernus commemoratus tenebat? Neque isti consonè ad Augustinum hęc docent. Augustinus enim loco prænotato, credit cadauer Lazari prius fuisse Dei virtute animatum, quam vox illa exonuisset, Lazare veni foras. Ait enim virtutis planè, & magnificentiæ vox ista, quæ statim Lazarum de morte ad vitam reuocauit, & ante anima corpori reddita est, quam sonum vocis miserat. Igitur iuxta Augustinum, prius fuit cadauer redditū vitæ, quam anima vocē Domini audirent.

Vox Christi summi imperij est, quæ morti imperat & fugit.

Lazarus suscitandus curvocatur nomine proprio.

Anima Lazari vbi nā fuerit in quatriduo.

Anima Lazari secundum Augustinum fuit ab inferis reuocata.

Colli-

Anima Lazari prius reddita corpori, quã vox illa sonuisset Lazare Veni foras, ex Augustino.

Colligunt autem prioris sententiæ autores, ex loco isto, animas defunctorum non commorari in monumentis suorum corporum. Quia si anima Lazari, iuxta suum cadauer commoraretur, Dominus non clamasset voce grandi, quandoquidem iuxta erat anima, quã ipse vocabat. Sed quid, dicet aliquis, igitur quando voce silentis vocauit mortuos, dicens. Tibi dico surge, nunquid prope erant animę? Et quidem mihi non videtur dubitatione vacare quod D. Augustinus hactenus docuit, at quod anima Lazari ex inferis fuerit reuocata, & quod cadauer iam erat vitæ redditum, quando Dominus clamauit, Lazare veni foras. Enim vero videtur animas huiusmodi, eorum, qui mox erant excitandi à Domino, asseruatas fuisse à Deo in certis locis extraordinarijs, & non propria petisse loca, quæ continuo ferè erant deserturæ. Siquidem animæ quæ erant tunc in limbo, aut in purgatorio, iam sunt impeccabiles.

Anima Lazari si exiens à corpore, an fuit facta impeccabilis.

¶Porrò si animæ istæ statim suscitandorum factæ sunt impeccabiles, quo modo postmodum reuersæ ad corpus redditæ sunt peccabiles. Siquidem anima Lazari, reinfusa in corpus suum, & anima puellæ, &c. peccabiles fuerunt post resurrectionem suam? Ideo videtur huiusmodi animas nõ petisse vel Limbum, vel Purgatorium, siquidem mox erant regressuræ in corpora sua: ideoque proprium statum animarum non sunt tunc sortitæ.

¶At fortasis quispiam contendet animas istas, quæ mox post defunctionem suorum corporum erant rursus eisdem sociandæ, fuisse impeccabiles, simulatque corpora deposuerunt, & resumptis corporibus mãsisse impeccabiles. Quippe, si degentes rursus in corporibus peccabilitate contraxerunt, noxia fuisset illis huiusmodi in sua corpora regressio, quia cum essent securæ extra corpus, periclitantur in corpore, ex noua ex corpore conciliata peccabilitate. Quod vero fuerint impeccabiles depositis corporibus inde putabit aliquis confectum iri, quia animæ extra corpus iam non sunt in statu merendi bene, vel male: quia iam non sunt viatrices, quo ad meritum, tametsi viatrices sunt, quo ad præmia, quia nondum animæ, quæ sunt in Purgatorio reportarunt præmium. Et rursum istæ sunt viatrices animæ, quia purgant culpas in corpore admissas, id quod viatorum est vt nos in quarto Sententiarum, distinctio. quadragesima nona, vbe rius tradidimus.

Differitur si animæ defunctorum, qui mox reuocati sunt ad vitã, sitactę sunt impeccabiles postquã corpora deposuerunt, an mãserunt peccabiles quales dũ dũ incorporibus erant.

¶Porrò si peccabiles, alius dixerit esse has animas, de quibus modo fit sermo, postquam egressæ sunt à corporibus suis quia nondum peruenerunt ad loca dicata animabus, vt pote quæ mox regressuræ erant in corpora sua, vt de anima Lazari, & de anima adolescentis, & puellæ diximus, & de alijs animabus dicendum erit, quæ regressæ sunt in corpora sua, ex miraculo diuino, quod fecit per sanctos suos Apostolos, vel per alios sanctos. igitur, extra corpus animæ istæ poterant peccare, & poterant maiora gratiæ, & gloriæ incrementa promereri. Quod si concesseris hoc, præter legẽ, tamẽ accidisse, ex casu, videlicet, particulari citæ resurrectionis suorũ corporum: quippe quod modicum distat nihil distare videtur. Ideoque, cũ animæ istę, paulo post mortem corporum, erant reuicturæ in corporibus suis, & modico erant futuræ viatrices, id quod paulo ante fuerant, ideò semper seruabant legem viæ, forsan probabile est: at vero, quod certum constituam in ea hac non habeo. Neque Damasceni obstat sermo, Quod Angelis casus, hominibus mors, est hoc enim secundum legem ordinariam.

¶Dixerim animas istas esse asseruatas in loca quædam extraordinaria, ibique Deo dispensante detẽtas, quousque paulo post Deus eas sociaret rursus corporibus suis. Et hoc dixerim, vt mihi admodum verisimile. Rursum dixerim ad vocem illam Domini, Lazare veni foras, copulatam fuisse animam Lazari suo pristino corporis ergastulo. Ad vocẽ enim Christi ministerio Angelico, Lazari anima fuit delata ad suum, quod exuerat corpus, siue fuerit ab inferis extracta, vt Augustino arrisit, siue alibi asseruata fuerit à Deo, quod videtur verisimile, nihil moror. Sicut enim Angelorum est animas sanctas, ad sua deferre loca, Lucę decimosexto, ita eorum quoque erit, eas huc aliquando ad nostras reuocare auras. Quod autem Augustinus inquit, Lazari cadauer ante Christi

clamorem fuisse animatum, intelligere oportet, antequam Dominus complesset vocis suæ clamorẽ, iam Lazarũ fuisse rediuiuum. Vnde cum clamare cœpit dicens, Lazare, statim cadauer viuificatũ est, & roboratum, & confestim sub mortis specie, scilicet, sudario, & fascijs sepulchralibus latebat vita, & in mortis loco, iacebat viuus. Ideo cum compleuit clamorem, clamans, Lazare veni foras, iam restitutum fuerat vitę. Clamabat autem Christus ad mortuum, tãquam ad viuũ, quia per vocem suam, mortuum viuificauit. Quod verò quidam putant, quod sonus vocis huius peruenit ad animã Lazari, quæ erat apud inferos, nisi ex nouo miraculo concedi nequit. Quia nulla vox hominis tam sonora est per naturam, vt illò possit penetrare. *Et statim prodijt qui fuerat mortuus ligatus manus & pedes institis: & facies illius erat sudario ligata.* Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Quia Deo omnia viuentia & mortua sunt subiecta, & sicut potuit ijs, qui nunquam habuerunt vitam nouam præbere vitam, ita potest ijs, qui aliquando vixerunt, & vitam tandẽ amiserunt morte intercedẽte, vitam reparare amissam. Nãque difficilius est ex nihilo creare viuentia, quã mortuos reddere viuos. Mors ergo obtemperat vocis diuinę imperio, & fugit à cadauere iussa à vita discedere. Est autem vita Christus. Rumpit igitur moras, mors & cõfestim iussa Christi implet, & dimittit mortuũ quem iure oppressum suo vinculis sempiternis tenebat, ad vocem Christi stupens.

ad Hebræ. 4.

¶Et non solum coruscans est hoc miraculum, quia mortuus quatriduanus reuixit, sed etiam alio nomine, quia ligatus pedes & manus, vt alia litera habet prodijt ex profundo sepulchro in terræ, vbi erat Dominus superficiem. Et qui sic potuit prodire nõ solum vita fuit donatus, sed robore, & eximia agilitate. Dicebamus enim profundam esse spelũcam, in qua iacebat sepultus. Et quis obsecro vel robustissimus ligatis manibus, & pedibus ex profunda spelunca, prosilire posset in terræ exteriorem superficiem. Ad hæc non prodijt laceris ligamentis, vt quidam, qui viui sepeliuntur forte sunt reperti, laceris sindonibus quibus mortui inuoluuntur. Neque solum laceris in nolucris, sed etiã vultibus dilaniatis prę angustia loci, à quo non se poterant extricare, vt de multis refertur, à multis. *Dixit eis Iesus, soluite, & sinite abire.* Ministris astãtibus iussit soluere fascias sepulchrales, quibus erat Lazarus ligatus, neque eum accepit in suũ comitatum, sed dimisit ire quo vellet: semper enim Dominus declinabat vanos populi fauores. Integris igitur ligamẽtis prodijt in testimonium certũ, quod Lazarus mortuus, & non viuus fuerat sepultus, prodijt integris ligatus ligaminibus, & institis, hoc est, fascijs sepulchralibus: & sudario ligatam promit faciem, qui ritus est Iudæorum. Quis dicere poterit quãtus stupor irruerit in astantem turbam, quando hominem quatriduanũ fœtentem iam mortuum, clare vidisset viuentem, robustũ, & sanum, & illæsum, tam longe à morte, quam est ille, qui sanissimus, nunquã gustauit mortẽ? Quantæque fuerint gratulationes amicorũ Lazari, qui nouæ vitæ, & insperatæ vitæ, gratulabãtur, quis explicabit. Quãtæ denique solutæ sunt tunc Deo dignissimæ laudes. Quantæque Christo Domino quis sermone comprehendet? Et quid obsecro cogitare licebit de duabus sororibus, postquã Christi potestate, viderunt Lazarum à mortuis suscitatum? Vtique ad pedes Domini acciderũt, eosque arctissimè tenuerunt, & deuotissimè osculatæ sunt. Et nihil habentes quod pro tanto beneficio accepto rependerent, ora sua feruẽtissime soluerunt in actionem gratiarum.

Lazarus non solũ surrexit viuus, sed sanus, & robustus.

¶Iure ergo optimo ò beatissimę sorores cessare poteritis, à querulis illis vestris vocibus. Domine si fuisses hic, frater noster non fuisset mortuus. Etenim si non adfuit Dominus infirmo, morbum sanaturus, adfuit mortuo, mortuum suscitaturus. Si vobis negauit minora equidem cõcessit maiora. Maius quippe est mortuũ suscitare, quam ægrotum sanare. Quod nullus mortaliũ ausus fuisset petere, neque vestram subijt cogitationem, vt peteretis, scilicet, quatriduani fratris suscitationem, hoc vltroneus Christus vobis exhibuit. Potens quidem est, omnia facere & dare quod petimus, & superabundantius quam petimus. Non temere ergo ò Martha credebas Christum esse filium Dei viui, qui in hunc mundum ventu-

Deus minora aliquando negat vt maiora concedat.

ad Ephe. 3.

rus

rus erat, quandoquidem fidem tuam firmissimã facit quod oculis modo vides. Et experimento comprobasti, quod tibi dudum dixerat, Ego sum resurrectio & vita. Non frustra tu Maria insolitũ exhibuisti Christo obsequium, tersisti
Lucæ.7. enim capillis tuis Domini pedes, quos laueras lacrymis tuis: siquidẽ ipse Christus, cui hæc insolita obsequia tribuisti, insolito quoque te exornat beneficio suscitans à morte quatriduana fratrem tuũ.
Lucæ.10. O beatissimæ sorores quarum alteram, hoc est, Martham Christi frequentia nobilitant ministeria, quia satagebat circa Christi frequentia seruitia, alteram vero, hoc est Mariam ad Christũ eximius nobilitat amor, quia dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Verũ quod vestram hanc nobilitatem maximè auget hoc est, quod in præsentia cõmemoratur, videlicet, quod vestris lacrymis, vestrisque meritis commotus Christus, vestrum fratrẽ, à mortis quatriduanæ asserat potestate.

¶ At verò forsan quispiam, & non ineptè scisciabitur, Quid est quod tantum miraculum sacer hic Euangelista, sicco, vt ita dicam, calamo, retulerit? Nihil enim meminit, quæ astantes protulerint tanto, & tam stupendo, & nunquam audito, neque viso miraculo.

¶ Enimuerò Lucas. cap.7. denarrato miraculo, suscitationis filij vnici, & adolescentis, statim subiecit. Accepit omnes timor, & magnificabant Deum dicentes, quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Respondetur, Euangelistæ Ioanni suffecit miraculum maximum, & nũquam visum, neque auditum denarrare, quale nõ fuit, neque miraculum suscitationis adolescentis, aut puellæ propterea{que} nobis relinquit cogitanda, quæ turba astans, quæve sorores defuncti dicere potuerint. *Multi ergo ex Iudæis qui venerant ex Iudæis ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Iesus crediderunt in eum.*

¶ Quæ fideles & morigeri Christo dixerint, viso tanto miraculo non expressit Ioannes, sed solum quod crediderunt in eum, quid verò infideles & discoli fecerint, hoc non siluit Ioannes. Cuius instituti fuit, Iudaicas contradictiones, & calumnias, contra Christi verba & facta describere potius quam laudes factorũ denarrare. Vnde subdit, *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus.* In turba illa astante Christo excitãti Lazarum maxima pars erat fidelium in Christum, at verò pauci eorum erant inuidi, quod notat Euangelista dicens, *Quidam*, vt expendit Origenes, Quippe si multi fuissent, non dixisset, *Quidam*. Isti ergo abierunt non ad Christi amicos, sed ad Christi hostes Pharisæos, & Pontifices narraturi miraculum, vt eorum inuidia, & odium in Christum magis proritaretur. Et verosi milius est hoc, quam exponere hos iuisse, vt conciliarẽt Pharisæos Christo propter miraculi magnitudinem. Et miraculum, quod sua micantissima luce debuisset eos trahere ad fidem Christi, magis eos auertit à Christo, ideò subdit. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi, concilium, & dixerunt. Quid facimus? quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Densissima, & teterrima erant isti obducti ignorantia, quam illis peperit odium in Christũ hostile. Etenim si vos Pharisæi signa Christi confitemini, dicitis enim, hic homo multa signa facit quid obsecro timetis Romana vexilla? Nunquid Romani principes suscitare potuerunt vnquam mortuos, vel quatriduanos? Nunquid cæcos illuminare, vel natiuos? Nunquid surdorum aures aperire, & alia hoc genus innumera mirabilia facere, vt Christus quem vobiscum habetis facit? Quid ergo timetis hominum potestatem, quã do diuinam vobiscum habetis? Christũ credite ò miseri: & huic si hæseritis, non solum Romani principes nihil præualebunt contra vos, sed neque portæ inferi poterunt vobis nocere. Omnis enim potestas creata, languida est coram potestate increata, quæ Christus est.

¶ Vanus equidem est timor vester, & vera est inuidia vestra, quę vos accendit, & irritat contra Christum. Scitote igitur Christum non eripere mortalia, qui regna dat cœlestia. Vnde non armis fulget Christus, non apparatu procedit bellico: sed pauperiem amat, verbo Dei pugnat, miraculis suadet fidem suam, non machinis bellicis terret orbẽ vt Romani

Cæsares : sed verbo sanctæ disciplinæ mentes humanas mulcet, vt terrena desi nant sapere, & sapiant cælestia.

¶ Similes estis vos Herodi illi tyranno, qui sibi timens ruinam regij sui sceptri, occidit omnes Bethlehemiticos infantes à bimatu & infra. Instar huius pestilentissimi tyranni vos, vt vestræ falsæ indēnitati consulatis quæritis occidere Christum. Debuissetis potius hunc credere & amare, vt vestræ genti, & patriæ esset firmissima tutela, & inexpugnabile præsidium: at verò agimini plusquam belluino furore, vt præsidium inexpugnabile vestrum, & omnium hominum occidere velitis. Et quia vestrū diuinum à vobis abegistis tutamen, relicti estis sub pedibus vestrorum inimicorum conculcādi. Et quod iniusto timore, timebatis, scilicet, Romanā potestatē, iustissimo supplicio experti estis, vestro summo exitio. *Venient Romani, &c.* Principes Iudæorū, hoc est, Pōtifices & Senatores, Magistratus suè Iudaici populi, cū Scribis, & Pharisæis coegerūt hoc conciliū, cuius Ioan. meminit. Quippe, profanos ciuitatis, & templi sacri magistratus videntur in hoc concurrisse concilium, quia res, quæ agēda in eo erat, omnes tangebat. At quod proponitur in concilio est Christum esse perdendum, & ratio propositi thematis erat, quia post Christum currebat totus populus, & ipsum credebant esse Christum, hoc est, Messiam, & ideo regem esse Iudæorum. Vnde Iudaicus populus suo gaudens rege, excutiet iuga Romani Imperij. Vnde Romani in vltionem rebellionis venient & tollent gētem Iudaicam, & diripient templum, & sacra nostra. Ideoque censuerunt expedire, vt Christum de medio tollerēt, quia illo de medio ablato, populus Iudaicus non audebit nouum alium excitare regem, sed subiectus manebit, vt erat Romano imperio. Fundamentū huius argumenti ne quissimi erat, quòd Christus credebatur à turbis Messias, qui venturus erat, & Messias, qui sperabatur futurus erat rex Iudæorum. Vnde Iudęi Pilato dixerūt. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, insinuantes Christum dimissum, iure regio fruiturum erga Iudæos, & ideo esset contra Cæsarem, dimittere Christum. Et ob hoc ipsi, verbo illo Pontij Pilati, Regem vestrum crucifigam? respondēr, Non habemus Regem nisi Cæsarem. En tibi quam noceat magistratus, & mundi proceres nequissimis agi affectibus, quia ex illis ad immania scelera patranda prorumpunit, & se perdunt, & sequaces. *Et tollent, &c.* Græce, & tollent nostrum tum locum, tum gentem. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius dixit eis. Vos nescitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Primū quod protulerunt magistratus isti in suo cōgregati concilio contra Christū erat, si hūc dimittimus sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Et erat ratio falsigrapha, colorem sumēs, ex bono conseruādo publico: quia huic bono consulere publico magistratibus incumbebat. Itaque non allegant ea, quæ ipsi solebant contra Christum allegare, videlicet, vel esse seductorē, vel seditiosum, vel dæmoniacum, vel violatorem Sabbatorum. De huiusmodi non culpant Christum, neque modo mores Christi, vel facta, vel verba Christi accusant, id quod agentes coram turbis, semper habebant in ore. Nunc vero in suo cōcilio seorsum à turbis agentes hæc nō afferunt, quia falsa erant, sed solum aiunt. Venient Romani, &c. Cætera alia vero dicebant turbis Christi sequacibus, vt falsa illa Christo imponentes, turbis dissuaderēt, ne Christum crederent esse verū Messiā, & eum in Regem acciperent. Persuasi enim erāt isti magistratus, quod si turbæ acciperēt Christum in Regem, vt iam tentarant facere, Ioan. 6. pessimè secū ageretur, quia certo tenebant, dejciendos à suo principatu, & honoris cathedra, quia erāt Christi inimici. Nunc vero Caiphas, qui forte erat Prę̄ses in concilio illo propter Pōtificatus dignitatem, idem fere sub alio verborum contextu profert dicens. *Vos nescitis, &c. Cogitauerūt.* Erasmus trāstulit consultabāt. At vero Chrysost. & Theo. statuerūt, subindicāt, esse transferendū. *Expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo ne tota gens pereat.* Græcè, Expedit nobis: & videtur lectio congruentior, & pro cogitatis expenditis. Et quantum præfert locus hic apparet in concilio illo, diuersa iacta fuisse placita, si expediebat Christū perdere, an non? Et post multas aliorum

Matthæi. 2.

Messias sperabatur rex futurus Iudæorum.

Iniqui affectus magistratibus nocent mari me.

Aliter agunt Pharisæi in suo concilio, aliter apud turbas.

rum sententias, quas Euangelista non cõ memorat, protulit suam Caiphas, & tãquam præsidens concilio, cum maxima loquitur auctoritate dicens, Vos nescitis quicquam, ideſt, ignari estis gerẽdarum rerum, neque cogitare nostis, quæ sunt opportuna vt fiant pro bono seruando publico, id quod ego decernam, *Expedit vt vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Hoc est melius est vt perdamus Christum, quam illum retinentes, nos ipsi perdamur à Romanis, qui venient contra nos & deuastabunt locum nostrum, hoc est, Hierosolymam, & nos ipsos trucidabunt, quia regem alium habemus contra Romanum Imperium. At verò isti magistratus cum Caipha, nihil expẽdebant non esse facienda mala, vt veniant bona. Nihil considerabant innocentem non esse puniendum, ad seruandam vitam nocentium, & quod expedientius est absoluere nocẽtes quam punire innocentem. Cum ergo nihil noxij erat in Christo, puniendum, pessimum fuit Caiphæ decretum, quantum ad eius intentionem, videlicet, expedire occidere Christum innocentem ne ipsi nocentes perirent. Imò contra expediebat, quod omnes homines perirent, vt vnus Christus seruaretur. Quippe omnes homines sumus noxij, ipse vnus innoxius est. *Caiphas nomine*, Græcè, non scribitur nomine. *Cum esset pontifex anni illius.* Corrupta tum erat iam respublica Iudaica: ideò pontificatus erant venalitij, qui secundum legem Mosaicam, nõ venalitij erant, neque annui: sed pontifex vsque in vltimum diem vitæ suę persistebat in pontificali functione: quo tamen mortuo, alius subrogabatur. Vnde qui in asyla erant excepti, propter accidentia delicta, mortuo pontifice regrediebantur ad propria, Numer. 35. Verum collapsa erat iam hæc ordinatio, ex auaritia principum gentilium, moderãtium res Iudaicas, & ex auaritia ipsorum Iudæorum. Siquidem pontificalis administratio vendebatur, & vt pluries vẽderetur, annuatim vendebatur. Ita etiã apud Græcos res Christiana obscurata est, quia sub Turca principe agunt. Etenim vtinam cũ agitur sub proprijs principibus res Christiana inuiolata sit, quid quod si sub exteris moderetur? Hoc igitur est quod ait, Erat põtifex anni illius. Scito in gratiã huius loci sub Mose, vnũ fuisse summum sacerdotem cõstitutum plebis Iudaicæ moderamina tenentem. Vnde defuncto Aarõ, subrogatur Eleazarus. Numer. 20. Dein verò ob schisma, & ambitionem vitandam sub Dauid. 24. summi sacerdotes eliguntur, qui suis vicibus ministrarent. 1. Paralip. 24. Verum post captiuitatem Babylonicã sacerdotia erant venalia, etsi perpetua. 1. Machab. 7. Et sub Herode Ascalonita vt Iosephus est autor, fuerunt venalia & annualia. Emebantur enim à Romanis tunc. *Expedit vobis.* Verba Caiphæ geminum habent sensum, alter est, Expedit vobis seruandæ vestræ incolumitati, ideſt, vt non pereatis perdendo vitam temporalem & bona, vt moriatur vnus, vt scilicet, cum iactura vnius, vel cum damno particulari vnius emamus salutem, & pacem omnium nostrorum. ¶ Alter sensus est, Expedit, vt genus humanum eripiatur à potestate Satanæ, & Deo reconcilietur vt vnus Christus moriatur. Primus horum sensus falsus est, & secundum hunc sensum fuerant prolata verba à Caipha. Et quia falsus est sensus, secundum hunc non sunt prophetica verba, quia sunt falsa verba, vt prædiximus.

¶ Secundum verò sensum posteriorem, sunt verba veracia. Quandoquidem hoc erat diuini consilij, Christum passurum in redemptionem totius humani generis. Et iuxta hunc sensum verba fuerunt prophetica, quia veracissima erant, & hunc sensum prætendebat Spiritus sanctus. Ideo sequitur, *Hoc autem à seipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetauit.* Secundum verum sensum, non dixit à seipso, at secundum falsum sensum à seipso dixit. Quia omnis homo mẽdax. Caiphas enim nihil considerabat de spirituali prouentu orbi accessuro ex Christi morte sed solum, de vtilitate temporali suæ gentis agebat. Prophetauit igitur secundum sensum verborum verũ, non tamen, ideò dicendus propheta. Enimuerò propheta nemo est dicendus, qui non intelligit quod prophetat. Est enim intelligentia opus in visione. Dan. 1. Nemo enim diceret Balaam asinã fuisse prophetissam, quia vera pronunciauit

Caiphas præsidens in concilio Iudæorum.

Expediẽtius est absoluere nocẽtes, quã punire innocentes.

Collapsaerat integritas Iudaicæ reipublicæ, sub Christo.

Caiphæ sum mi pontificis Iudæorũ verba expẽdũtur

Caiphas non est dicendus propheta.

ciauit suo hæro. Cum ego Caipham latebat sensus verus verborum suorum vti que prophetando, non erat propheta. At vero Spiritus sanctus mouit linguam eius, vt diceret verba præfata, quia erat Summus pontifex illius anni, subaudi in quo Christus mortem subijt.

Malis accidit aliquando spiritus propheticus. Matt.7

¶Vnde malis accidere potest prophetã dactio: & non solum, vt Caiphæ, qui nõ intellexit, quæ dicebat ad Spiritus sancti sensum: imo etiam possunt iniqui habere spiritum propheticum intelligẽdo, quæ prophetant. Est enim propheticum donum, inter gratias gratis datas, annumeratũ. Quia igitur erat Pontifex, ideo Spiritus sanctus mouit eius linguam, vt diceret veritatem. Vera enim dixit, Vos nescitis quicquam, nec cogitatis. Quippe, magistratus, & scribæ in concilium conuenientes, nihil sciebãt, nesciẽdo Christum esse vere suũ Regem, & Messiam, & nihil cogitabant de salute æterna sibi paranda, & de damno æterno à se depellendo. Sicut autẽ olim Pharao rex Ægypti ob dignitatem regiam, fuit donatus somnio illo septem boum, & septem spicarum, quod tamen non intellexit, donec Ioseph, reseraret prophetici insomnij arcanum, & Nabuchodonosor, item alia fuit exornatus visione statuæ illius ex varijs metallis contextæ, quæ futuri imperij erat præsagium: cuius quoque visionis non est illi concessa intelligẽtia, quousque à Daniele exponeretur, & itẽ Balthasar visionem terrificã manus scribentis in pariete sibi obiectovidit, quam non est assecutus, donec à Daniele doceretur: ita & iste Caiphas ob dignitatem pontificiam, non ob sua merita prophetauit, non intelligens, quæ diceret, neque de quibus affirmaret. Vt neque reges commemorati visiones propheticas, quas viderant assecuti sunt, donec prophetæ Domini illas expresserunt. At vero Caiphas nullum gradũ prophetię obtinuit. Neque enim habuit visionem sensibilem, neque imaginariam, neque intellectualem: ideo non est appellandus vates.

Gene.41. Danie.1.& 5

Reges & primates donantur sæpe visionibus propheticis, siue sensibilibus, siue imaginarijs.

¶Pontifices igitur, & mundi principes istis donantur nonnunquam visionibus, & verbis propheticis, siquidem per hos, Deus dispensat agẽda circa subiectas plebes, tanquam per medias causas. Neque Deus rationem habet meritorum personalium in huiusmodi, sed solũ principatus. *Prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Explicat Euangelista, secundum quem sensum dixerit, Caipham prophetasse, videlicet, in sensu supra secundo cõmemorato loco, videlicet, expedire Iesum mori, nõ solum pro Iudaico populo, sed etiam pro nationibus omnibus.

Filij Dei quidam secundũ præsentẽ iustitiã, seu merita præsentia alij secũdum Dei æternam electionem.

¶Vbi tu considera, filios Dei Ioannẽ vocare Gentiles peccatores, & idololatras, qui tum erant. Enim verò isti erant filij Dei secũdum æternam Dei prædestinationem. Quamlibet enim sit quispiam peccator, & infidelis, etsi secundum præsentem iustitiam sit alienus à Deo est tamen Dei filius secundum æternam Dei ordinationem, si electus ex illa est, vt cõpos sit æterni regni, vt Augusti. inquit epistola ad Dardanum. 81. Dispersos vocat hos filios Dei Ioannes, quia nondum ante Christi mortem erant adducti, ad vnitatem fidei in Christum. Post Ascensionem autem Domini per Apostolos, hos electos congregauit Christus, eos trahens, & incorporans in suam ecclesiam, quæ vna est. Hoc est quod ait, Congregaret in vnum. Et idem dicito, de omnibus alijs infidelibus, quos Deus tandem vocauit ad fidem, & amorem suum. Vt de supra 10. Dominus aiebat. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, &c. Has, quas Christus vocat oues, quæ quidem de facto id temporis non erant oues quia Christum non cognoscebant, at erãt oues ex Dei ordinatione, easdem Ioãnes appellitat filios Dei, nõ aspiciens, ad præsens, sed ad futurum: ita Genes. 25. duo infantes in vtero Rebeccę, dicuntur duæ gentes, & duo populi. Quod verò Dominus ait, Nõ sum missus nisi ad oues, quæ perierunt de domo Israel, ibidem explanatum est. *Abillo ergo die, cogitauerunt interficere eum. Iesus ergo iam non in palam ambulabat, apud Iudæos, sed abijt in regionem, iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* A die celebrati inter Iudæos concilij statuerũt Iudęi Dominum interficere. Ante hunc autem diem, itidem cogitarunt, verum non constituerant vnanimes facinus perpetrare. Etenim supra Ioan. docuerat Iudæos

Gene. 25. Scriptura aliquando nomiat quempiã de præsenti propter euentum futurum

dæos, tentasse sæpe Dominũ apprehendere. Et Dominus expostulat cum eis, quod velint eum innocentem morti tradere. Ioann.7. &. 10. Cæterum differebant animum explere, donec opportunitatem nanciscerentur, quam sperabant nanciscì, vel ex verbis, vel ex factis Domini, quæ semper iniqua obseruabant mente. Porrò videntes factum illustrissimum, circa Lazarum, desperauerũt iam opportunitatem se nacturos, imò potius apud se reposuerant alta mẽte, nisi cito Dominum perderent ipsos fuisse perdendos: Christo promoto ad regni celsitudinem per populum. Quia maiestas miraculi, omnes tenebat in stupore, & ideò nihil erat iam, quod diutius expectarent, quia erat periculum sibi in mora. Cogitauerunt ergo à die sui concilij, hoc est, hoc firmiter constituerunt, rumpere moras, suamque impiam satiare sanguine iusti mentem. Iesus autem cognita vltima deliberatione eorũ abijt in desertum in ciuitatem Ephrem. Nõ abijt Dominus ex timore, aut ex impotentia, quia cum Dominus esset in potestate cuncta continebat, verum, vt sæpè diximus expectabat horam, quam ipse ex suo beato consilio decreuerat suæ morti, & ideò abijt illã horam expectaturus. Sunt autem duæ rationes ob quas Dominus desertum petiuit modo, alia est dudum prædicta, alia verò vt discipuli eius exemplo tanti magistri, recedere à persecutoribus discerent, & eorum cedere furori non detrectarent. Primo quidem, quia nesciunt homines exitum rerum: putant enim sæpè se victuros tentationem, & falluntur, quia potius ab ea vincuntur. Secundo, ne occasio detur impijs fremendi infideles, vnde, & qui noxij erãt aliàs, reddantur nocentiores. Non ergo ex industria nos conijciamus in mortis, vel peccati pericula, quia latet nos quid pariet tentationis pressura. Et magis nobis timenda est nostra infirmitas quam præcipitanda. De vrbe autem ista Ephrem, vbi Dominus recessit cum discipulis suis, non satis liquidum est qualis quæve fuerit. Conueniunt omnes esse ciuitatulam, & fere depopulatam, & iuxta desertum, sed quæ fuerit non omnibus conuenit. Græca lectio habet, Ephraim, vnde interpres transtulit Ephræm cũ diphthongo, enim scribẽdum est, itaque, ai, vertit in æ, Græcis, vt Origeni, Chrysostom. Theophilact. Ephraim etiam nominatur. Et putãt fortitum esse ciuitati nomen, ex Ephraim minore filio Ioseph. Et per anagogen hunc recessum in hanc ciuitatulam, tradunt significari recessum Domini à Iudæis, in gentes. Vnde Ephraim denotat fertilitatem, quia gentibus vberrimè est collata Spiritus sancti plenitudo. Et suffragatur Græcis, quia in Psalm. 77. vbi nos legimus, Filij Ephrẽ intendentes arcũ, &c. Hebræa habent, Filij Ephraim. Vnde videtur idem esse Ephrem, quod Ephraim. Et Hieron. libr. de locis Hebraicis, hanc ciuitatem item credit dici Ephraim, in tribu Iuda sitam, quæ etiã appellabatur Ephron. Cuius fit mentio. 2. Paralip. 13. vbi traditur Abiam regem Iuda cepisse Ephon, & filias eius. Hebraicè vero loco Ephron, habetur Ephraim. Vnde videtur Ephraim esse nomen variæ significationis. Cum enim significat Ephraim filium Ioseph, scribitur per Aleph, in principio, & significat abundantiam, & fertilitatem, sub qua significatione à Græcis commemoratis vsurpatur, cum vero significat Ephron ciuitatem, denotat puluerulentũ, & scribitur, per aijn. Et hæc significatio etiam cõsona est anagogico sensui, quia Christus venit ad Ephraim denotans se habitaturum in cordibus gentium. Gentes autem erant Deo contemptibiles, & tanquam puluis aridæ, citra Dei rigantem, & fœcundantem spiritum. Veruntamẽ Græci commemorati non hoc sapuerũt, ciuitatem hanc Ephron etiam vocari: quippe interpretantur, Ephraim secundum priorem significationem, scilicet, fertilitas.

Ephrem, Ephraim, Ephron, Ephra.

Cedere oportet furori nouorũ & ideo est stultũ nos ex industria conijcere in pericula.

Quæ fuerit ciuitas Ephrẽ.

¶ Legimus porrò Iudicum. 6. ciuitatem quandam cognominatã Ephra, vbi Gedeon accepit signum illud mirabile, descensionis roris in velus. Et vt patet ex descriptione terræ sanctæ, erat ciuitatula iuxta desertum. At verò hæc sita erat in tribu Ephraim, & à Hierusalem remotiuscula. Forsan in hanc putabit quispiã discessisse Dominũ cum discipulis suis. Et satis adumbrabat hæc ciuitatula Gentilitatem: quia in hac fuit ara Baal, quam destruxit Gedeon, vt ibidem habetur.

Vnde

Vnde veniens Dominus ad hanc ciuitatem deserens Iudæam, fidem deserendã, esse à Iudæa, & amplectendam à gentibus innuebat. Cæterum quia Ephra, sub Domini tẽpore, gentiũ erat possessio, & non Iudæorũ, ideo non abijt Dominus ad hanc ciuitatẽ, quia discipulis suis mandauerat, In viam gentiũ ne abieritis, &c. Siquidẽ vians, aut viam faciẽs fuit apud Samaritanos. At vero Ioannes ait, quod Dñs fuit cõmoratus cum discipulis suis in Ephrẽ, id quod non feciſſet, ſi Ephrẽ, fuiſſet gentiũ ciuitas, quia pertinebat ad tribum Ephraim. *Proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymã, de regione, ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur adinuicẽ in templo stantes, Quid putatis, quia nõ venit ad diem festũ istum. Dederant autẽ pontifices & pharisæi mandatum, vt si cognouerit vbi sit indicet, vt apprehendant eum.* Quod proximũ erat Pascha resurrectioni Laxari celebratæ à Dno docet Euãgelista, quippe, sub hoc paschate Dns fuit immolatus. Et multi ascenderunt in Hierosolymam secundũ quod tenebãtur quotãnis ascendere, vt sanctificarent seipsos vt scilicet, se præpararent ad esum agni, quia nullus immũdus poterat ex eo vesci. Nume. 9. Et isti quærebant Christũ videre, & ideo inuicẽ colloquebantur, secũ conquirentes, quid causæ subesſet, quod Dominus nondũ venerat ad diem solẽnem Paschæ. Porrò *Pontifices dederant mandatũ. &c.* Vnde videtur, rectum esse, quod supra dicebamus, Pontifices non consultasse in suo illo nefario concilio de interficiendo Dño, sed potius decreuisse. Tametsi Theophilacti interpres, transtulit consultabant, vt Erasmus. Græcè, ad diẽ festum scribitur, & redundat, istum. Obserua, si Iudæi se sanctificabant ad suum agni Pascha, quid quod fideles se sanctificent per confessionẽ, & contritionem ad Christũ sumendũ: quia Pascha nostrum immolatus est Christus.

Dominus viã do fuit apud gẽtes non cõmorando.

Nullus immũdus poterat ex agno vesci

Sanctificandi sunt fideles per confessionẽ ad patcha ecclesiæ christianæ quod est Christus.

¶Duos igitur Lazaros proponit nobis diuina scriptura: alterum quem Ioannes docuit, Domini amicum, quem non solum Christi amicitia, sed & Christi lacrymæ in eius morte, & resurrectio illius ex quatriduana illustrant sepultura: alterum, quem Lucas decimo sexto, commemorat pauperem, nudum, vlcerosum: quẽ diues epulo contemnens Dei canes lingendo vlcera eius reueriti sunt.

MORALIA.

¶*Lazare veni foras.*

HISTORIAM Euangelicam Lazari hactenus iuxta historicum prosecuti sumus sensum, iam vero moralia, miscendo mystica, seu allegorica proferenda sunt. Et quidem Lazarum hunc pœnitentes adumbrare cõcors est patrum sentẽtia, vt Augustinus latè prosequitur, sermone. 44. de verbis Domini. Neque te offendat, quod vir bonus, & Christi amicus, & familiaris peccatorem significet. Siquidem diuina scriptura, sæpe ex malis denotat bona, & ex bonis mala. Vnde D. Gregor. 3. Mora. cap. 21. & August. lib. 22, contra Faustũ, cap. 87. vberrime docent, vt adulterium Dauid cum Bersabee vxore Vriæ, adũbrabat legẽ Iudaicam, quæ erat tãquam vxor illius populi, esse eripiendam à Iudæis, & copulandam Christo. Ad eandem sane rationem Lazarus, etsi bonus, peccatorum autem typum gerit. Non sane quatenus bonus & iustus erat at secundum quod infirmatur, moritur, sepelitur & lapide occultatur. Ægrotauit enim primum, dein moritur, posthæc sepelitur & quatriduanam sustinet sepulturam, quam tandem ex voce clamantis Christi, Lazare veni foras deserit. Et ligatus institis se prodijt in conspectũ omnium. Quia non solum vox Christi illum fecit reuiuiuum, sed & procedentem cum fascijs sepulchralibus à monumento, in cõspectum astantium, vt faceret Dominus miraculum in miraculo. Quem tandem astantibus soluendum a vinculis, & ligamentis mortis tradit, & iubet.

Bona sunt figura aliquando malorum vt mala cõtra bonorum.

¶Cæterum priusquam à Domino hæc gererentur defunctum, & sepultum defletipse. Neque solũ deflet, sed infremit spiritu, & seipsum turbat. Neque semel deflet, sed semel, atque iterum.

¶Gradus autem, & processum peccatorum primum discutiamus, & postremo ordinem, quem obseruare nobis oportet ad culpas deponendas exponemus.

Grad' ex quibus peccatum procedit vsq; ad suã cõsũmationem.

Primum

Primum igitur infirmatur Lazarus, hoc enim mortis ſpiritualis principium, quæ eſt peccatum mortale eſt infirmari: vt ad mortem corporalem morbus eſt initium. Eſt autem hæc ſpiritualis infirmitas, cum is, qui iuſtus eſt, ad peccatum committendum tentatur: ſiue tentatio ſit ex peccati delectatione, ſiue quouis alio modo tentemur, primus tamen eſt peccati gradus. Et ideò cum mens noſtra tentatione laborat tum infirmatur. Vnde Paulus. 1. ad Theſſal. vltimo hos infirmos ſubnotans, inquit, Conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos. Huiuſmodi enim infirmi, ſuſcipiendi ſunt, nõ abigendi, hoc eſt legitimis adhortationibus ſunt commonendi, vt tentationibus non cedant, ſed viriliter agant in Domino, ad ſuperanda peccati titillamenta, & vincendas peccati illecebras. Et ad Roman. 14. infirmum in fide, iubet aſſumendum. Quippe tentatum in fide corroborare oportet, ne deficiat à ſuſcepta fide. Et hoc eſt quod Paulus. 2. Corint. 11. ſcribit dicẽs, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Etenim tentationibus Corinthiorum compatiebatur Paulus, & illarũ curam agebat, preces Deo fundens pro Corinthijs, & eos ſedulo admonens, vt in ſuſcepta Apoſtolica perſeuerarent doctrina. Compati ergo tentatis, infirmari vocat Paulus, quia eſt infirmitatis, aliorum compaſsio. Neq; enim ſignificabat hoc ſermone quod ipſe tentabatur, eiſdem tentationibus, quibus Corinthij tentabantur.

Infirmitatis vocabulũ late patet in ſcripturis & vſurpatur proprie & metaphorice.

¶ Latè autem patet hoc vocabulum, infirmus, in ſcriptura ſeu verbum infirmari. Quippe præter propriam ſignificantiam quæ eſt debilitari, vel debilem viribus eſſe, transfertur, ad omnem paſsionem, tribulationis, vel laboris. Vnde Dominus traditur ſuſcepiſſe noſtras infirmitates, quia famem, ſitim, & fatigationes alias, deniq; mortẽ ſuſtinuit pro nobis. 2. Corinth. 13. Crucifixus eſt ex infirmitate, ideſt, propter carnem, quam ſuſcepit mortalem & ſæpè alibi.

¶ Et rurſus infirmitas, trãsfertur ad ignorantiam, ideo Paulus. 1. Corinth. 8. Conſcientia eorum cum ſit infirma, ideſt, ignorans. Rurſus quæ contẽptibilia ſunt apud homines, Paulus appellat infirma, 1. Corinth. 1. Infirma huius mũdi, elegit Deus, vt fortia quæque confundat. Et 2. Corinth. 10. Præſentia corporis infirma, ideſt, contemptibilis.

¶ Porrò iſtis miſsis, quæ nobis modo nõ ſunt neceſſaria, vſurpatur etiam pro tentatione ad peccatum. Qui enim allicitur ad peccatum, is infirmus eſt ſecundum ſpiritum. Et vt ab hac infirmitate eruamur, quotidie precamur Deũ, Et ne nos inducas in tentationem.

¶ Enimuerò, quòd infirmemur, eſt neceſſe: ſiquidem quandiu mortalia gerimus corpora, & viſibilia hæc verſamus, tentationes patimur neceſſario, vel ex nobis ipſis, ſuggerente illas noſtra concupiſcentia, vel ab exterioribus, quæ videmus, vel quæ audimus, vel quæ palpamus. Quamuis enim noſtri eſt arbitratus tentationibus aſſenſum præbere, aut non præbere, porrò non eſt noſtri arbitratus tentamenta hæc, vel illa pati. Poſſumus ſanè hæc, vel illa diffugere, quãdo extrinſeca ſunt, at omnia tentamẽta, ſiue extrinſeca, ſiue intrinſeca ſubterfugere poteſtatem hominis ſuperat.

Tentationes vincere noſtri eſt arbitratus, at ne inuadant fugit ſæpè arbitrium noſtrũ

¶ Quid quod Deus ipſe ea permittit nos inuadere ad noſtrum exercicium in Dei amore poliendum, & acuendum. Ideò Apoſtolus ſe infirmum ſentiens, ter Dominum rogat, vt infirmitatem depelleret ab eo. Ter, inquit, Dominũ rogaui, vt auferret à me, & dictum eſt mihi, Paule, Paule, ſufficit tibi gratia mea, nã virtus in infirmitate perficitur. Vbi cernis tentationem apoſtolicam vocari ab Spiritu ſancto infirmitatem. Has enim pati eſt hominum mortalium, qui ob hoc ſunt valde infirmi, quia carnem geſtant mortalem.

¶ Porrò autem hoc genus infirmitates nonnunquam cedunt in maximam Dei gloriam, & in noſtram vtilitatem, vt de illis dicere liceat, infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt Deus glorificetur per eam. Enimuerò, ſi non cedimus tentationibus nos vrgentibus ad culpas, imò illas ſubigimus, vtique infirmitas non eſt ad mortem, imò pro gloria Dei. Eſt enim gloria Dei, quod fideles ex Dei gratia ſuperẽt diaboli, & mũdi, & carnis nugaces, & præſtigioſas tentationes. Cedit ſanè in laudem Dei, quod fideles fragiles roborati tamen Dei ſpiritu ſuperent dæmonis aſtus, carnis

Tentationes ſæpè ſunt pro gloria Dei & noſtra vtilitate.

nis proculcent blandimenta, & mundi vanas pompas contemnant.

¶At vero si superamur, si vincimur, infirmitas huiusmodi non est pro gloria Dei, sed pro supplicio, & confusione nostra. Miles namque qui superatur ab hoste, non affert gloriam suo duci, sed potius ignominiam.

Gradus secūdus peccati.

¶Est autem secundus gradus peccati, quando ex infirmitate, resultat mors, idest, quādo ex tentatione progredimur ad cōsensum. Tūc enim verum est quod ait Iacobus. 1. Concupiscentiam cum cōceperit parit peccatum, peccatum autem cum consummatum fuerit generat mortem. Sicut enim in exordio nascentis seculi serpens primo mulierem inescauit blandis sermonibus suis, & hæc inescata traxit virum in suam sententiam, & tunc demum infecta est natura humana: ita modo concupiscentia nostra inescatur à visibilibus mundanisque rebus, & tunc mens infirmatur, quando à concupiscentia incitatur ad malū, vt Eua à serpēte.

¶Cæterum si ratio ipsa, quæ est tanquā vir, illectamenta respuit concupiscentiæ carnalis, infirmitas nō est ad mortem at si oblatas à concupiscentia res, ex lege Dei prohibitas, ratio deliberans condescendens concupiscentiæ suæ amat, tunc ipsa inficitur, morteque spirituali perit.

Peccata venialia quædā per se mortalia & per accidens venialia alia contra.

Possumus item affirmare peccata venialia esse huiusmodi infirmitates. Verunta men veniales culpæ, sunt duplicis generis, quædam enim sunt, quæ ex suo genere sunt mortiferæ, at vero ex defectu deliberationis, aut ex paucitate materię, sunt venialia, & leuia per accidens. Aliæ vero sunt quæ per se & ex suo genere leuicula sunt, etsi per accidēs effici possunt mortalia: vt si ex contēptu fiāt. Primi ordinis sunt, qui delectatur citra deliberationē tamen, in fornicaria actione, aut qui furatur obolū. Secūdi ordinis verbū estociosum. Qui igitur delectatur in mortali materia, vt in fornicatione, vel furto, vel quauis alia huiusmodi re, vtique tum infirmatur, at vero quandiu non deliberat, neque plenum, hoc est deliberatum consensum præbet non moritur, vt prædiximus. In alijs porrò venialibus peccatis, etsi consentias deliberate, non incurris in spiritualē mortem. Sunt nihilo minus infirmitas mentis, quia admittere illa est præter legē Dei, & eius charitatē: & quia leuicula hęc admittēs, sensim tepescit: & ideo flaccescit in eo Dei charitas, nō amittēdo gradus suos, sed nō exercendo seipsam in bonis, fit segnior ad bona: vnde solet parari ruina animæ, & lapsus in peccatum mortale.

Ex venialiū admissione lāguidior fit charitas.

¶Verūtamē, qui hæc admittit, & ex alia parte resarcit iacturā, ex bonis operibus, aut dolet se admisisse, infirmitas non est ad mortē, sed pro gloria Dei. Porrò qui se præcipitat ad hęc admittēda, & solutis habenis, illis incūbit, etsi non sit necessariū ob id admittere crimē quippe infinita venialia nō constituūt vnum mortale. Vnde necessaria nō sequitur ex hac infirmitate mors peccati. Cęterū quam plurimum accidit, huiusmodi infirmitates, si multiplicentur sine fræno compescente, animæ parere mortem.

¶Et quidē facilius est depellere infirmitatem præhabitā spiritualem, quā ipsam mortem. Etenim, prōptius est arcere hostem ne intret in domū, quam postquam irruerit, eundē abigere. Constitue enim hominem iustum laborantē tentatione, tunc sane præsidia habet diuinæ gratiæ, ad depellendū hostē antiquū, charitate nāque roboratur, fide viua munitur, spe erigitur, ne succumbat.

¶Porrò si semel succubuerit, charitatis desiderat vires, fidei viuacitas abest, Deū habet offensum: vnde, multo difficilius erigitur, multo difficilius viuificatur. Vt qui nō gustauit cibi alicuius dulcedinē, nō est tam auidus illius cibi, quā ille, qui semel voluptatem illius expertus est. In quem sane modū, si expertus fueris peccatum, ad semel gustata accenderis vehementius, & niteris in eadem propēsius, quæ aliās si non gustasses non tanti feciſſes. Quo circa summe conandum est, si infirmaris, morbum continuo depellere, ne succumbas morti. Quod si arduum est, à morte peccati, quæ est in solo consensu mentali redire ad gratiæ vitā, quid quod sit lōge operosius à morte, quæ est in opere, vel verbo viuificari: id quod est tertius peccatorum gradus? Qui enim cōsensit solum peccato, at expensa eius vilitate, à consensu cito resilit, mortuus sane fuit, at cito solutus est à mortis vinculis. Qui vero dulcedine peccati pellectus quod mente cōceperat, extra deprōpsit peccatum

Consensus, opus consuetudo.

peccatum hic magis est innodatus mortis peccati vinculis, quam prior: ideoque maiori negotio eget, vt viuificetur. Et enim, opus exterius seu factum, seu verbum, addit voluptatem maiorem voluntati consentienti, aut cõmoditatem vberiorem, quam solus consensus. Qua propter, difficiliorem habet pœnitẽtiam, vt viuificetur.

¶Constitue, vt rem hanc capias, hominem veneri consentientem, non tamen operantem, & alium consentientem, & experientem. Vtique, qui experitur maiorem percipit voluptatem, quam is qui solum venerem amat, sine experientia tamen.

Actus exterior voluptificus facit interiorẽ esse intensiorẽ, itẽque vtilitas ex actu exteriori prouenies.

¶Rursus fac hominem quendam amantem furta, sed qui desiderium opere non compleuit: & alium furantem. Ex solo quidem desiderio non refertur vtilitas, at ex furto reportat fur cõmodum tẽporale, etsi iniustum. Quo circa quia maior ex opere accrescit voluptas, maiorque commoditas, ideò difficilius est ab huiusmodi, peccatis exterioribus resipiscere, voluptate, aut commoditate impedientibus, quam à solo mentis consensu qui in momento accedit, & in momento recedere potest. Adde istis, quod peccatũ exterius, alijs noxium est, qui ex illo offendi possunt, at consensus solus cum sit inuisibilis neminen lædere potest, nisi autorem.

Quãdo actus exterior malus addat malitiam, supra actũ interiorem.

¶Non tamen animus meus est modo differere veterẽ illam quæstionem, si actus exterior addat malitiam, aut bonitatem supra actum interiorem, siquidem aliquando addit, vt prædiximus, vel cũ ex voluptate exteriori degustata fit actus interior vegetior, aut ex commoditate percepta. Et nescio quo modo tenacius hæret culpa, si operi mandetur, quam si intra mentis penetralia contineatur, vt quæ volumus altius defigere in memoria, non solum cogitatione, vel mente versamus, sed etiam verbo pronuntiamus, vel scripto mandamus, vt tenacior resultet memoria. Verum de re hac in disputationibus theologicis multa tradidimus in. 3. senten. libro.

4 peccati gradus.

¶Porro est quartus peccati gradus, cæteris enumeratis longe pestilentior, quãdo non solum mente concupitur, & opere absoluitur, sed longam trahens consuetudinem, obstinatione obduratur. Hoc namque peccatum est, cuius mentio fit Hieremiæ, decimotertio sicut Æthiops inquit, non potest mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum: discere enim malum, est malis assuescere. Non sanè est impossibile, hos obduratos in suis peccatis, peccata aliquando deponere, verum quia hoc est summi negocij opus, ideo scriptura huiusmodi obduratos cõfert Aethiopibus, & pardis, non mutantibus pelles, aut varietates suas, & est hyperbolicus sermo, qui familiaris est scripturæ. Vnde ob idem de eisdem dicitur, Cor durum male habebit in nouissimo. Enim vero, obdurata, & obstinata corda desperationem habent, aut præsumptionem, ideoque obdurantur. Et apte significatur obduratio hæc per lapidem impositum Lazaro mortuo.

Infirmitas, mors, sepultura, fœtor.

¶Hos porro gradus, quos prædiximus peccati, in Lazaro satis adumbrantur: primo enim ægrotauit, dein moritur, post hæc sepelitur, tandem fœtet. Quippe, quando obstinatione obdurescit peccatum, seu obdurata consuetudine, prolongatur, tunc sanè fœtet valde peccatum. Quoniam etsi hominis sit peccare, at verò diabolicum est obstinatissimo corde, peccatum ducere perpetuò. Quo fit, vt peccatum hoc fœteat valde non solum coram Deo, sed etiam apud homines. Huiusmodi enim homines, sunt damnatis illis, quos supplicia torquent æterna similes, qui obstinatissimo animo sub tormentis ipsis, sua amant peccata: ita isti adhuc in carne viuentes, illos iam defunctos ex obstinatione infernali in peccato referunt. Et quod deploratissimæ est calamitatis, si quatriduanam, agunt sepulturam.

Qui peccatores quatriduanam habent sepulturam.

¶Sunt enim quatriduanæ sepulturæ homines, qui adolescentes, & iuuenes, & viri, & senes, peccato hæserunt, & illi consueuerunt, neque ab eius conuersatione destiterunt: quatuor enim suas ætates, in peccatis triuerunt. Mortui sanè sunt in peccato isti, & non solum mortui, sed quatriduanam per quatuor ætates in peccato habent sepulturam.

¶Porrò autem, quia Christi clementia erga omnes se diffundit peccatores: ideo

ſuſcitat puellam mortuam, nondum elatam, quia peccata mentalia Deus relaxat & ſuſcitat, adoleſcentem vero iam elatum, quia peccata operis, & verbi, Deus etiam donat. Suſcitat quoque ſepultos iam & deploratos & fœtentes, & quatriduanam ſuſtinentes ſepulturam, vt Lazarum. Porrò puellam, & adoleſcentem Dominus minimo ſuſcitauit negocio, Lazarum vero maximo. Quoniam, peccatores obdurati difficile molliuntur, ſero enim medicina paratur, cum longas mala obtinuere moras. Huiuſmodi enim peccatores ſunt illi, quos Ioel. 1. Commemorat dicens, computruerunt, vt iumenta, in ſtercore ſuo. Sunt ſane iſti inſtar iumentorum, non enim aduertunt, quæ mala ob peccatū quod arcte amāt, eos maneat: & computreſcunt in ſtercore, obſtinatam ducentes in peccatis ſuis conſuetudinem. Et ſicut carnis vulnera ſi obcalluerint ægerrimè ſanantur, moleſtiſsimamque poſcunt medelam, ita mētis vulnera, vt cecinit ille. 3. Georg.

Non tamen Vlla magis præſens fortuna malorum eſt,
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Vlceris os: alitur Vitium Vuitá, tegendo.
Continuo culpam ferro compeſce, priuſquam
Dira per incautum ſerpant contagia Vulgus.

Vulnera vetuſta difficilem habent curationem.

Et Claudianus, Virgilio cōcinit, dicens.

Tunc decuit ſentire nefas, tunc ire recentes
Deterſum maculas, Veteri poſt obruta morbo,
Corpora pœonias nequicquā admoueris herbas
Vlcera poſſeſſis, altè ſuffuſa medulis.

Peccatum eſt vulnus inuiſibile.

Quo circa inſtar vulnerisviſibilis, quod corpora noſtra poſsidet, ſentiendum eſt de peccatis, quæ ſunt inſtar vulnerum: tametſi inuiſibilia ſunt, quia mentis vulnera ſunt: & ideo certiſsimè, ſi vetuſta fuerint, malè ſanantur. Quandoquidem aſſuetudo ſiue in bonis, ſiue in malis non mediocre, imo maximum habet momētum. Virtuti namque ſi aſſueſcimus, fit nobis quaſi nativa: & itidem ſi peccato aſſueſcimus, fit nobis quaſi naturale. Quæ autem naturalia ſunt difficile auelluntur, & putantur peccata aſſueta quātūcunque grauia, & immania ſint ducuntur eſſe leuia. Vnde dixit ille, Iam tēpus fecit illi ērūnas leues. Quī ergo fiet, vt antidotum exquirat morbi, quo premitur, qui putat ſanum ſe eſſe? aut ſi credit ſe ægrotum, at deſperat iam ſalutem, quia vetuſtam fert ægrotationem? Quī curabit obſecro expellere à ſe hoſtem, qui falſo credit hoſtē eſſe amicum? Tales enim ſunt omnes, qui vetuſtas nutriunt culpas, quas, quia alunt vt ſibi familiares, non ſtudent expellere, vt hoſtiles.

Aſſuetapeccata non putantur peccata, aut leuia eſſe ducūtur quāuis alioqui ſint grauia.

¶Porrò autem, ne in plura tēdamus ſtylum, in probationem huius rei, quod in manibus exēplum habemus affatim demōſtrabit nobis, ægerrimā eſſe vetuſtorum peccatorū medicinam. Adeſt Chriſtus omnipotens ad noſtras de cælo veniens ædes, ſuſcitaturus Lazarū, & quid fecerit, quidvè dixerit obſerua, lacryma tur, infremit ſpiritu, turbat ſeipſum. Neque ſemel lacrymatur, & infremit, ſed ſemel atque iterū, pergit videre defuncti quatriduani monumentū. Petit ſibi oſtē di monumentum, oſtenditur, referari iubet, dicens. Tollite lapidē, & lapis tollitur ſurſum cælum verſus beatos attollit oculos, & Deū orat, & gratias agit, dein voce forti clamat. dicens, Lazare veni foras. Et mortuus obediens vitę: continuo, mortem deponit, & rediuiuus vitales ab orco ſe ſubduxit in auras. Sed quid tu putas cauſæ ſubſtitiſſe, quod Dominus tanto apparatu, & rerum, & verborum, adornauerit Lazari reſurrectionem, cum alioqui aliorū quos ſuſcitauit mortuorū ſine apparatu aliquo, ſed ſimplici vtens verbo fecerit reſurrectionē? Vtique alia cauſa exhiberi nequit, niſi, quod nos admonitos eſſe vult magnæ molis eſſe conſeneſcētes in peccatis viuificari mortuos. Lacrymatur ergo Dñs non quia lacrymæ ei neceſſariæ erant ſuſcitando mortuo vel quatriduano, quandoquidem omnes ſuſcitabit mortuos ad diē nouiſsimum, non lacrymando, ſed imperio ſummo dicens, Surgite mortui ad iudicium. Sciebat equidem lacrymas nihil eſſe ad mortuos ſuſcitādos, Vnde dixit. Proper. lib. 4. Elegi. ad Paulum.

Cur Dominꝰ prǫābulis eſt vſus ſuſcitans Lazarum.

Deſine Paule meum lacrymis Vrgere ſepulchrū:
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum ſemel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato ſtant adamante Viæ.
Te licet orantem ſuſcæ Deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrymas littora ſurda bibent.

Lacrymę quibus ſepulchra irrigāturmortuis non proſunt.

Lacrymæ

Lacrymæ igitur noſtræ non poſſunt ſuſcitare mortuos, ideo etiam ſi non ſunt reprehendendę, ſi modum teneant, quippe Dominus eſt illacrymatus, ex compaſsione nãque naturali animi ad defunctos funduntur, ſi tamen exceſſerint modum, iam patent reprehẽſioni Paulo monente. Nolite cõtriſtari de dormiẽtibus, ſicut & gẽtes, quæ ſpem non habent.

¶Porró autem Chriſti lacrymæ, non fundebantur, quia illis Domino erat opus, vt fuſcæ aulæ fores paterent: ſiquidem non lacrymis, aut precibus Lazarum ſuſcitat, ſed imperio dicens, Lazare veni foras.

¶Plorat igitur Dominus & lacrymis nõ ſemel ſuffunditur ad Lazari ſepulchrũ, vt nos ad lacrymas fundendas hortetur, cum nos mortuos in peccato perſpexerimus. Et quamuis, omnia crimina noſtra fletibus ſunt noſtris abluẽda, at vero peccata, quæ lõgas obtinuere moras quæuè iam obrigauerunt obſtinatione, hæc plurimas expoſcunt lacrymas: ideoque Dominus nõ ſemel vultum ſuum diuinum fluentibus rigat lacrymis. Quippe non ſimplici, ſed vberrimo lacrymarũ fonte hoc genus ſunt detergenda peccata.

Peccata quæ obſtinatione obrigauerunt magno indigent lacrymarũ ablui fonte.

¶Vnde Hieremias. 6. luctum vnigeniti fac tibi, plãctum amarum. Talem enim poſcit vates à nobis pro huiuſmodi obduratione fletum, qualem mater pro vnigenito mortuo facit. Et Eccleſi. 22. Super mortuum plora, quoniã deficit lux eius. Quid quod tu ſuper te plores, quandoquidem longe abeſt à te vita, qui eſt Chriſtus, quando pondere peccati premeris. Audi vt flebat ille Dei vates. Exitus, inquit, aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam Pſalmo. 118. Iſtis, namque lacrymis rigabat lectum ſuum ſanctus Dei vates, vt diuinam impetraret miſericordiã. Quod ſi in mortuum lacrymas producere monet ſapiens. Eccleſi. 38. An non vere in nos ipſos has oportet producere lacrymas, cum nos morte peccati aduertimus affectos eſſe, & lapide obſtinationis obductos? Hoc mortis genere ſe mortuam ſentiebat illa, quæ ſedens ad Domini pedes, vt vitam reciperet lacrymis ſuis rigabat illos. Lucæ. 7. Ezechias Hebræorum Rex, accipiens ab Eſaia, ſe iamiam moriturum, conuertit ſe ad parietem, & Dominum precatur lacrymis abunde fuſis, vt deprecetur à ſe mortem. Eſaiæ. 38. Si Rex hic, vt mortem deprecaretur corporis, orat, & plorat, quid ni tu plorabis, vt mortem peccati qua opprimeris, à te abigas.

Pſalm. 6.

Lacrymarũ vtilitas.

¶Plorat igitur Dominus, vt tu plores, infremuit ſpiritu, vt tu infremas. Turbat ſeipſum, vt teipſum turbes? Adamantinum ſane eſt tibi pectus, ſi Dominum conſideras non ſua quę non habebat, ſed tua quibus abundas, deflentem peccata, & propter illa infrementem, ac ſe turbantem, at Domini lacrymas ſiccis pertranſis oculis.

¶At vero Dominus nõ mortem Lazari corporalem plorat, quam mox ipſe ſuo imperio erat à Lazaro depulſurus, ſicut neque Hieroſolymæ deuaſtationem faciendam per Titum, & Veſpaſianum flebat, quando vidẽs ciuitatem fleuit ſuper illam. Sed peccatum obſtinationis Iudaicæ, ob quod erat euertẽda illa ciuitas cauſa erat fletus Chriſti: ſicut & modo peccatum, vnde mors accidit Lazaro, & vniuerſis hominibus nõ mortem ipſam corporalem deflet Dominus.

Saxei ſumus & adamãtini ſi lacrymas obſeruantes Chriſti non collacrymemur.

¶Propter peccata igitur noſtra Chriſtus venit in orbem, eſurit, ſitit vexatur, plorat infremit, ſeipſum turbat, ſanguinem fudit. Quæ igitur ratio erit, vt nos parui faciamus, quæ ipſe tanti fecit? Quæ ratio erit, vt tam ſaxea ſint nobis pectora, tam duri oculi, tam perfricta frons, vt non ploremus, non lugeamus crimina noſtra, non fremamus contra nos ipſos, quod non turbemus nos ipſos, vbi tanta ſe offert turbationis cauſa, quod Chriſtũ noſtris erratis offendimus, quod noſtra errata adeò amamus, quod in illis conſeneſcere dignum ducamus.

¶Porro Chriſtus non ſolum plorat, vt nos ploremus, ſed vt lacrymas noſtras efficaces reddat ad remiſsionem peccatorum. Enim verò lacrymulæ noſtræ nullius momenti eſſent, coram Deo patre, niſi quia per fidem, & charitatem Dei, lacrymis Chriſti copulãtur. Ex lacrymis Chriſti noſtræ nos ſoluunt lacrymæ à ſuppliciis ſempiternis, & nos perducũt ad æterna præmia.

Lacrymæ noſtræ efficaces ex lacrymis Chriſti.

¶Dicebat ille, Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. Et quidem iſtud inſignis eſt muneris, quod lacrymulę noſtrę

Pſalm. 55.

sint in conspectu Dei. Esse enim lacrymas nostras in Dei cõspectu, nõ est Deo esse scitas, quippe scitas esse à Deo, commune est, & lacrymas bonorum, & malorum: at vero esse in conspectu Dei, est esse Deo gratas, atque ipsi acceptas. Christus autem illacrymans, nostras fecit lacrymas, quas fundimus dolentes de peccatis nostris propter Deũ, esse Deo gratas. Christus igitur est, qui ponit lacrymas pœnitentium in conspectu Dei patris. Quippe per pœnitentiã fideles vniũtur Christo, vnde lacrymæ pœnitentiũ sunt lacrymæ mẽbrorum Christi, & lacrymas hasce Deus pater acceptas habet quippe sunt membrorum Christi.

Christus ponit lacrymas pœnitẽtium in conspectu Dei patris.

¶At vero si obieceris mihi te lacrymas non posse fundere, quamlibet coneris, quia cerebrum tibi siccũ valde est, neq; potes stillare per oculos aquam, dixerim tibi, me non esse locutum de lacrymis visibilibus, quibus nihil arescit citius, sed de lacrymis inuisibilibus cordis, quę sunt verus mentis de peccatis dolor, veraque animi de eisdem contritio. Has lacrymas Deus ponit in conspectu suo, quia probatas eas habet: quibus submotis lacrymæ exteriores momentum non habent. Christus autem visibiles fudit lacrymas, nempe, vt per visibiles lacrymas suas, tuas inuisibiles admoneret.

¶Postquam autem Christus lacrymas fudit, & infremuit, & se turbauit, monumenti locum exigit sibi demonstrari, & deinde lapidem submouendum iussit. Quædam enim ante hoc celeberrimum miraculum per se facit, vt flere, fremere, turbare se, alia vero alijs cõmisit faciẽda, vt ostendere Lazari monumentum, & lapidem auferre. Et rursum sub ipso miraculo ipse solus orat, & clamat, Lazare veni foras. Absoluto vero miraculo, alijs mandat sepulchrales ligaturas, quibus Lazarus erat ligatus soluere.

In suscitãdo Lazaro quædam Christus per se fecit, quædam per alios.

¶In quibus omnibus Lazarus nihil operatur, sed solum suscipit diuinæ clementiæ largitatem. At vero etsi hæc ad rationem præscriptam gesta sint in resurrectione visibilis corporis, in resurrectione vero animorum, quæ est resurrectio spiritualis, & inuisibilis, non omnia visibili consentiunt. Etenim si vis à mortuis resurgere, & rediuiuam gerere mentem, necesse est te cooperari Deo. Christus sane solus tibi vitam gratiæ donat, & peccatum tuum tergit: verum non sine tuo labore, non sine tua cooperatione. Equidem vocat te Deus sine tuis meritis, iustificat te sine tuis meritis, quia peccatorem te vocat, & peccatorem te iustificat. Vbi igitur sunt tua merita? Verũtamen, etsi merita nõ requirat à te Deus vt voceris ad gratiam suam, & iustificeris requirit tamen tuam fidem, citra quam nullus iustificabitur, Requirit spem veniæ obtinendæ, nam si illam desperas, non iustificaberis: requirit dolorem ante actorum peccatorum: requirit animum non relabendi, in pristina scelera. Non sunt hæc merita. Enim vero gratia sunt destituta gratum faciente, ante iustificationem, at vero sunt cooperationes nostræ, ex quibus Deo iustificanti cooperamur. Habes ex Concilio Tridentino. Sessio. 6. capitulo. 8.

Vocatur peccator à Deo & iustificatur sine meritis, quia si ex meritis tam non gratis iustificamur.

Triden Sessio. 6. cap. 8.

¶Lazarus ergo non est cooperatus Christo, vt fieret rediuiuus, at mortui ex morte mystica, si non cooperentur non viuificabuntur. Legimus autem cæcum illum natiuum Ioãnis. 9. cooperatum esse Christo, in illustratione sui visus: siquidem postquam inunctus est diuino illo collyrio, iussit illi Dominus, vt iret in fontem Siloe, & ablueret lutum sibi impositum: & abijt, & lauit, & vidit.

Necessaria est nostra cooperatio, vt iustificemur.

¶Rursus à paralytico, Ioan. 5. exigit consensum in sanitatem illi conferendam diuinitus. Vis, ait Dominus sanus fieri, & ille, dixit, Domine hominem nõ habeo, quasi dixisset, salutis habẽdæ sum amantissimus, sed quid prodest mihi vehemẽs amor salutis, si hominem non habeo adiuuantem, vt illam mihi ex piscina conciliem? Et à cæco Lucæ. 18. alio, itidem exigit consensum, visus restaurandi: vt per hæc doceat cooperationem nostram esse Deo necessariam, si volumus illumi nari & iustificari.

Admiracula donanda exigit Christus cõsensum suscipientium.

¶A mortuis vero nõpoterat exigi, quod præstare non poterant, ideo hos excitat ad vitam, nihil ab illis exigens. Cæterũ sorores Lazari, si nõ verbo, lacrymis exigebant. Nam, istæ sine verbis, sæpe multa impetrant, vt cecinit quidã sæpe perhasflecti principis ira solet. Archisynagogus etiam se aduoluens pedibus Christi salutem filię petens, maiora accepit Marci. 5. scilicet, à morte suscitari filiam.

Solus

Solus adolescens qui in feretro defereba tur humandus non habet rogantē. Quip pe viduā matrē eius nihil petiuisse à Domino legimus. Lucæ. 7. sed solum Dominum flexisse viduæ lacrymas, & nihil illa petente, Christus misericordia motus, suscitauit eius filium, quem deflebat ex materno dolore, non ex suscitationis à Christo faciendæ spe.

¶Quamobrem si viuificari cupimus, nos ipsi defleamus labes nostras, nosipsi ostē damus sacerdotibus monumentum Lazari, hoc est, detegamus conscientias nostras, quæ sunt instar monumenti pleni ossibus mortuorum, hoc est, peccatis, quæ Paulus appellat opera mortua. ad Hebræos. 6. Suscitando Lazaro Dominus iubet alijs, vt monumentum Lazari prodant, at vero suscitandis nobis, nobis iubet, vt prodamus nostras conscientias clare, & distincte, apud confessarium. Rursum suscitando Lazaro, iubet Dominus circunstantibus, submouere à monumento lapidē: at vero suscitādo te à morte peccati, nō alijs, sed tibi iubet, submouere duritiam cordis tui, & impœnitentiam animi tui. Iubet tibi, vt mollefacias teipsum. Ipse Christus tibi offert patrocinium, tibi offert præsidium, vt mollefias, & obstinationē Pharaonicam depo nas. At vero, nisi tu velis, nisi coopereris, nisi adnitaris in tua obstinatione haud dubium persistes, & sub illa diem claudes extremum.

Hebr. 6.

¶Summæ clementiæ istud est munus, quod Deus velit nos illi cooperarios esse salutis nostræ. Nam nostro quę parta sunt labore suauiora nobis sunt, & multo cariora nobis, quam quæ solum aliunde conquisitam nobis esse gaudemus. Quo circa voluit Deus, quo sua munera nobis magis dulcescerēt, & quo carissima essent, vt ad illa Deo ipsi cooperaremur.

Cur Deus voluit nos esse sibi cooperarios salutis nostræ.

¶Si ergo te in profundum veniisse peccatorum aduertis, non ideo desperes. Memineris Lazarū sub tenebris quatriduanæ mortis in profunda spelunca iacentem, & Christi clamore viuificatum. Clamauit voce magna, & dixit, Lazare veni foras, & continuo foras exiuit, cur ita gestum putas? Nempe, vt discas si te consideras in profunda spelunca peccatorum delitescentem, si te aduertis, iam pridem tenebras versare mortis, clama voce forti, & dicito cum vate illo De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi orationem meam, fiant aures tuæ intendentes, in vocem orationis meæ. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ideo clamauit Christus, vt tu clames. Clamandum sanè tibi est, non enim segni, aut inerti studio tibi agē dum est, si vis profundum peccatorum Barathrum quod sponte ingressus es relinquere, & ad virtutis prosilire planiciem, & ad gratiæ diuinæ procedere lucem. Exibis foras sepulchrum hoc si clamas fortiter, si voce grandi non oris, sed cordis, diuinas pulsas aures. *Lazare veni foras.* En tibi vocem Christi. Quod perinde est ac si tibi dicat, Peccator, veni foras. Versas mortem, veni ad vitam, versas tenebras exi ad lucem, exi à te, & venies ad me. In te est mors, in me est vita. Egredere igitur foras, à profunditate tuorum peccatorum, & intra in gaudiū Domini tui. Cur igitur oscitas ō peccator! cur pigritia & segnitie torpes? Christus clamat ad te, cur nō audis? Clamat, quia ad ea, quæ à nobis longe sunt, clamamus vt audiamur, tu longe es à Christo, ideo ad te clamat Christus, vt audias vocem, suscitantis amici. Si clamant seculi vanitates, si clamant mundanæ pompæ, si clamant carnis illecebræ, continuo clamori obtēperamus: imo horum clamores, non expectamus, sed nos præuenimus eos, prædicta anxiè quærendo, & non clamati, illa propēso animo amamus. At Christi clamores, aure surda pertransimus, nedum non præuenimus eos. Et quod omnium nefandissimum est, clamat diabolus, vt mactet, & perdat obedientes sibi & etiam num illi moremgerimus, & clamat Christus, vt à morte suscitet, & ad vitam deducat, & nolumus eum audire. Talis est obstinationis in peccato conditio vt obstinatorum corda lapidea reddat. Et quod miremur amplius Deus pollicetur per Ezechielem. 36. hoc lapideum à nobis auferre cor, in hæc verba. Auferam cor lapideum, de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Hoc est, Auferam à vobis cor durū, cor indocile, cor præfractum, & dabo vobis cor molle, cor docile, cor morigerum mihi, at vero obstinatio humani cordis ea sæpe est

Qui in profūda spelunca peccatorū delitescunt clamare debent voce grandi, vt abea exeat

vt pollicitationem hanc diuinam, flocci faciat, & malit lapideo contra Deū agere quam docili corde eidem obtēperare.

Obstinationis duæ causæ.

¶Porrò autem obstinationis huius, si amas causam cognoscere, disce geminam esse causam. Etenim vel obstinatio proficiscitur ex præsumptione, aut ex desperatione. Sunt namque multi qui plusquam satis fuisset sibi in Dei misericordia gratulantur: sibique Deo non spondente spondent veniam suorum peccatorum. Hos subnotans diuinus sermo, inquit, Eccles. 5. Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

¶Istis quoq; aptatur satis cōcinnè, quod Esaiæ. 28. Scribitur, in hæc verba, Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactū, flagellum inundās cum transierit, non veniēt super nos: quia posuimus mendacium spem nostrā. Vtique qui præsumptuosi sunt, & vana spe diuinę misericordię suis peccatis blandiuntur, credunt se non torquēdos æternis supplicijs, quāuis in profundo peccatorum Barathro se considerant esse. Isti collocant in mēdacio spem suam, quia ocio torpētes, credunt, donādos esse Dei misericordia, cū alioqui Dei misericordia, nō impēditur ad desidiam fouendam in nobis, sed ad operam nostram excitandam pro vobis. Tales sunt omnes hęretici, quos hęc nostra tulit ętas. Omnes enim sibi gratulātur in sola fide Christi, sibi applaudūt, credentes solā fidem necessariā esse ad salutem consequēdam. Vtiq; præsumptuosi sunt hæretici isti, ponētes mendaciū spem suam. Sibi pollicētur mendose tamen pacē habere cum Deo, ex sola fide. Et dicentes, Pax, pax, non est pax, sed illis potius triste cū Deo imminet bellū: quippe dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. In quos in declamationibus ad Esaiam, multa disseruimus, & in disputationib⁹ theologicis nostris. ad. 3. & 4. Senten. satis sit dixisse modo tantopere istos præsumere de gratia Dei, quātopere detrahūt iustitiā Dei. Quia si nulla sunt humana merita ad præmia parāda æterna, vt isti garriūt, vbi est Dei iustitia, quæ vnicuique reddit secundum opera sua. Est igitur horū præsumptio nequissima. Eccle. 37.

Dei misericordia nō impēditur ad fouendā humanam desidiā.

Contra hæreticos neotericos.

¶Est porrò alia causa obstinationis humanæ desperatio. Etenim qui nō sperat se beandū ex gratia Dei, & ob bona merita sua nō est cur merita edat. Vnde desperatorū vox est, edamus, & bibamus, crastina die moriemur.

2. causa obstinationis est desperatio.

¶De huiusmodi dixit Apost. ad Ephe. 4 Qui desperantes semetipsos tradiderūt impudicitiæ, in operationē immūditiæ, omnis auaritiæ. Et apud Hieremiā. c. 18. istorū verba sunt, Desperauimus, post cogitationes nostras, ibimus, & vnusquisq; prauitatē cordis sui mali faciemus. Et capi. 2. Et dixisti, Desperaui, nequaquā faciā: adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo. Ex quibus testimonijs liquet satis quomodo ex desperatione obstinatio in peccato, dissultat.

¶Et quidem inter hæc duo mala, minus malum est præsumere plusquā oportet de Dei misericordia, quam illam prorsus desperare. Quippe minus malū est, excedere in confidendo, quā deficere in sperando. Qui enim excedit minorem iniuriam Deo irrogat, excedendo, quam qui deficit deficiēdo. Deficiens namque, infinitatem diuinæ misericordiæ detrahit excedēs autem non detrahit, sed plus illi tribuit, quā ipse Deus iusserit suæ misericordiæ esse tribuendum.

Minus malū est præsumere de misericordia, quam desperare Dei misericordiam.

¶Prę sumēs igitur, prę sumptione sua nō tollit infinitatē misericordiæ diuinæ, sed quantū est ex sua præsumptione illā nudat à iustitia. At desperans ex sua desperatione, infinitatem, diuinę misericordię tollit. Quippe desperando peccata sua excedere amplitudinem diuinæ clementiæ, se credere insinuat, & si non credat. Et facilius erit deducere ad rectam spem valde præsumentem, quam desperantē. Magis enim discedit ab spe recta, qui nul latenus sperat, quam qui sperat, sed non vt oportet sperat. Vt prodigus, minus declinat à liberalitate virtute, quam auarus. Et ideo minore labore, prodigus redditur liberalis, quam parcus seu auarus. At vero siue desperatio sit obstinationis causa, siue præsumptio obstinatio calamitosa semper est, & qui ea premitur, quatriduana fœtidaque morte laborat. Et fœtorē huius mortis neque Deus fert, neque homines. Et ideo summo discrimine vitā ducunt obstinati suā, thesaurizāt enim Dei iram in die nouissimū. Vnde Paulus hos obstinatos graphicè depingēs ad

Præsumptio curabilior morsus est quam desperatio.

ad Rom. 2. ait. An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitẽs cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.

Obstinati in periculo magno dãnationis ducũt dies suos.

¶Proprijs sanè coloribus depinxit Apostolus obstinatos, & in quanto periculo dies ducant suos apertè demonstrat. Etenim secũdum duritiam suã, & obstinatũ cor, thesaurizant sibi iram Dei.

¶Sed quid est thesaurizare iram Dei, nisi ad vetera, noua mala cumulare? Et Deũ iratũ, quotidie ad maiorem iram prouocare? vt rectè dixerit Abacuc de istis. capitu. 2. Vsquequo aggrauant contra se densum lutum? In dies enim peccantes, lutum peccatorum densius reddunt, vt indies, magis obcæcentur, vt qui in sordibus sunt sordescant adhuc.

¶Audiant igitur isti vocem Christi dicẽtis Lazare veni foras, hoc est peccator durissimi cordis, *Veni foras*. Et continuo obstinationem profligabunt. Christus clamat ad te obdurate homo, ad te clamat, qui iam in peccatis cõsenuisti, & ait, *Veni foras*. Exi à tua duritie, & veni ad meam blanditiem. Noli experiri seueritatẽ meę iustitiæ, quæ tibi imminet delitescẽti in sepulchro tuorum peccatorum, & in eo quiescenti, sed exi ab hoc sepulchro, & experieris dulcedinẽ meæ misericordię. Cur tibi miser male consulis? Si non me audieris modo, benignè te clamãtem, audies tandem me seuere contra te rugientem in die illo nouissimo, quando tibi, & obstinatis alijs dicam. Ite maledicti in ignem æternum.

¶Exi, exi, cito rumpe moras, quia periculum est tibi in mora. Si enim amas vitam, quid tibi cum morte? Si amas lucẽ quid tibi cum tenebricoso? Hodie quapropter, si vocẽ Christi audieris, noli obdurare cor tuũ. Neque est cur expectes crastinũ, iam hodie audis tonantem Christum, *Lazare veni foras*. Quod enim corpori Lazari tunc dixit, animæ tuæ modo dicit, Peccator obduratissime, veni foras de lacu miseriæ, & de luto fœcis, vbi detineris. Infixus iaces in limo profundi, non est in te substantia diuinæ virtutis, nam gratia à te abest diuina, supplicia atrocia, & sempiterna tibi imminent.

Pſal. 94.

Pſal. 39.

Pſal. 68.

Quæ igitur dementia te cepit, vt in tantis demoreris malis? Sed ais, peccata mea longam cõtra me contexuerũt catenam, me vel inuitum tenent, vellem venire foras, at praua vetus mea consuetudo, me ligatum tenet, vt non quod volo bonum agam, sed quod odi malum. Porrò autẽ audi Apostolum dicentem, ad Hebrę. 3. Ne obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Enim vero qui hæc obijciunt, sibi applaudẽtes in peccatis, ideo obijciunt, vt ex fallacia peccati illecti, in ipso obdurentur vehementius.

¶At vero expendant attentius isti num consuetudo peccati cogere potest eos, vt vel inuiti peccent? non sanè. Siquidem si ipse natiuus appetitus, seu natiua concupiscentia quam ad malum gerimus subditur libero arbitrio. Gene. 5. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: nunquid consuetudo, quæ alioqui natiua non est, sed nostro studio parta, cogere nos poterit ad peccandum? non arbitror. Si ergo tu Dominus es tuæ consuetudinis, quid causaris consuetudinem peccandi, ne à peccato desistas.

Consuetudo neminem cogit ad peccandum.

¶Equidem consuetudo introducta est per mala studia, & ideo per bona studia expelletur. Res enim per quas nascitur causas, per eas dissoluitur. Dissuesce igitur malis operibus, & assuesce bonis, & tum liber euades à tua obstinatione peccandi.

¶Arduum, scio, dices est assuetum malis studijs, bonis consuescere, fateor. Vnde etiam arduum est obstinatum in peccato mollefieri ad Dei gratiam suscipiendam.

¶Porrò si arduum est viribus humanis pensatis, pensatis diuinis non est difficile. Apud Deum enim non est impossibile omne verbum.

Diuinæ gratiæ nõ est difficile quamlibet obstinatissimos in peccatis à peccatis soluere.

¶Si doles, quapropter te esse coniectum iam pridem in peccatorum profundam spelunca, & cupis hanc relinquere, & libertate filiorum Dei gaudere, memoria repete, quid fecerit Dominus Iesus vt Lazarum in spelunca iacentem mortis, excitaret ad vitam. Plorat, infremit, turbat seipsum, orat, clamat vehementer dicens, *Lazare veni foras*.

¶Plora igitur tute ipsum, freme contra te ipsum, indignationem cape contra vitam tuam veterem, quod sponte nullo

cogente, sed fallacia diaboli suadente, te iniecisti in profunditatem peccatorũ. Desine indignari alijs, qui forte incentiuum tibi fuere, vt labereris in profundũ peccatorũ, indignare tibi ipsi, quod sponte in lacum miseriæ, te coniecisti. Turba teipsum, considerãs quod nisi cito te solueris ab hac teterrima spelũca, alia te manet longe tetrior, Gehẽnæ, scilicet, spelunca, vbi semel coniectus, eternò sine spe exitus manebis. Hoc te turbet, hoc te terrefaciat. Et ideo vt hãc infernalem speluncam euadas, cura sedulo obstinationem relinquere tuam. Ora cum Christo, & clama cum illo, & dicito, Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Psalm. 68. Instanter pete cum vate, Ne demergat te tempestas aquæ, & ne absorbeat te profundum peccatorum tuorum, ne vrgeat super te puteus os suũ. Iunge ergo tuum fletum, tuum fremitũ, tuam turbationẽ, tuam orationem, tuũ clamorem cum Christi fletu, cum Christi fremitu, cum Christi turbatione, cum Christi oratione, cum Christi clamore, & quamuis sexcentas patiaris mortes, ad vitam proculdubio reuocaberis. Nãque si infirmaris ex peccati delectatione, si mortuus es ex peccati deliberato consensu, si sepultus es ex consuetudine peccandi, si iam fœtens ex obstinatione in peccato, si tamen resurgere contendis, si ad vitam amas, gratiæ reuocari, nihil tibi remedij restat nisi fontẽ vitæ petere Christum. Hic enim solus poterit deploratã hãc, miserrimamque à te profligare mortem. Ipse clamat ad te dicens. Heus tu, qui in sordibus iamdiu versaris peccatorum, exi foras per condignam pœnitentiam. Pœnitẽtia necessaria ad resurrectionẽ animæ à peccato. Citra hãc enim nulli accidit à morte hac animi resurgere ad vitam. Et pœnitentiam quam ipse tibi faciendã monet, hanc ipse tibi volenti donabit. Iam vero, illud quoque non vacare à mysterio crede, quod Lazarus rediuiuus, à sepulchro, non solutus à vinculis, sed innodatus ligamentis mortuorum prodijt: quippe ligatum institis prodijsse à Ioanne cõmemoratur. Id quod alijs à Domino suscitatis mortuis accidisse memorię nõ est proditum. Solus Lazarꝰ ligatus, & rediuiuus prodijt. Puella namque Archisynagogi filia, nondum ligamentis mortuorum erat ligata, quippe quæ ante ligamina huiusmodi fuit reddita vitæ. Adolescens etiam viduę filius, ligatus ferebatur ad sepulchrum: at vero audita Christi voce, resedit in feretro. Vnde opinari licebit, simul cum morte deposuisse mortuorum ligamina autore Christo.

¶ At vero solus Lazarus ligatus ex sepulchro exit: ligamina enim non fuerunt illi impedimento exitui, vt in miraculo, esset miraculum. Erat enim grande miraculum quod mortuus esset rediuiuus, itẽ quod ligatus ligaminibus mortuorum si ne impedimẽtis de sepulchro prodijsset.

¶ Quale autem sit quod sub hoc gesto lateat sacramentum, non omnibus doctoribus conuenit. Sunt qui putent ligamina hæc denotare vinculum dãnationis æternæ. Censent enim, ex cõtritione solui interiora ligamina mentis, scilicet, excæcatio & obduratio: quę menti accidũt ob cõmissum peccatum. Et per contritionẽ hominẽ solutis istis internis vinculis, iam ex morte spirituali esse transiturum ad spiritus vitam. At vero adhuc restant vincula externa, scilicet, obligatio ad æterna supplicia ferenda: quæ vincula, Dominus soluit per ministros suos sacerdotes, priora enim ipse per se soluit. Namque per confessionem & absolutionem vel in re, vel in voto solum hæc vincula soluũtur. Hoc fuit placitum Hugonis Victorini lib. 2. de sacramẽ. parte. 14 cap. 8. Secundum quẽ per sacramentalẽ absolutionem non absoluitur quispiam à peccatis, sed per contritionẽ: at absoluitur à reatu æterni supplicij, is qui iam cõtritus erat. Quod si contingat mortẽ prę uenire absolutionem sacramentalem, sat fuisse id tẽporis excogitauit Hugo, si ex voto fuerit absolutio suscepta.

Ligamina duplicia & interna & externa

Hugonis placitũ differit, & refellitur.

¶ Porrò autem, si ante absolutionem sacramẽtalem, ex cõtritione homo fit Deo gratus, & amicus annuente Hugone, ex quirendũ restat, num tum est homo ille filius Dei? an filius diaboli? filius regni, an filius Gehennę? Non audebit quisquã asserere, filium esse diaboli, Igitur est id temporis filius Dei. Quod si filius Dei, igitur est hæres Dei, & cohæres Christi. ad Rom. 8. Qua ergo ratione defendi potest, hæredem Dei, & cohæredem Christi esse obligatum ad damnationem æternam, ante absolutionem sacramenalem? nulla sanè.

¶ Siquidem si obligatus est ad dãnationem

nem æternam, non est filius regni, sed filius Gehennæ. Et temerè Paulus doceret si ita accideret, ad Roman. 8. Nihil damnationis esse ijs, qui sunt in Christo. Hic autem, quem proponimus, iam est in Christo, quia est membrum viuum eius: igitur nihil damnationis in eo supereſt æternæ. Si autem adhuc obligatione æterni supplicij esset constrictus, vt Hugo autumat multũ sanè haberet damnationis, quam si nondum est expertus, est reus nihilominus illius ex Hugone.

¶ Magister autem Sentent. in. 4. Sent. distinctio. 18. aliam est ingressus viam, credens sacerdotes efficaciter non soluere vincula peccatorum, neque ipsas culpas, sed Deum solum hæc soluere & culpam, & culpæ reatum ad pœnam. Verum eatenus traditur soluendus pœnitens sacerdotibus, quatenus ostendant sua absolutione, pœnitentem esse absolutum, & eundem ob id Ecclesiæ conciliant. Quod ergo Dominus ait modo, *Soluite, & sinite abire.* Idem est ac si dixisset, secundum Magistrum, Ostendite vos sacerdotes solutum esse, quem ego per gratiam meam solui donando peccata.

Magistri placitum discutitur, & nõ probatur.

¶ At verò quis inficias ibit sacerdotem ministrando sacrum baptismum, donare peccata baptizati, & non solum sacerdos, quinetiam infidelis, si formam Catholicæ seruet Ecclesiæ, & ea intentione faciat qua fideles facere solent? Si ergo hoc nullus veretur concedere, neque audebit dicere tunc sacerdotem ostendere baptizatum esse ablutum, imò re vera abluere peccata fatebitur, cur formidabitur affirmare, per sacramentum pœnitentiæ sacerdotes nõ declarare solum, sed efficaciter absoluere à peccatis, non ex potestate humana, sed Christi, per sacerdotium illis ab ipso collata? Quocirca in Concilio Trident. Sessio. 14. canon. 9. traditur absolutionem sacramentalem esse actum iudicialem, & non tantum nudum ministerium declarãdi pœnitentem esse absolutum. Nos hæc profluentius disseruimus. 4. libr. Sentent. distinct. 18. Quapropter si hac supersedeamus tractatione, nemo mihi succensebit.

¶ Porrò nihilominus succincto sermone trademus, quale est hoc quod adũbrat domini gestum rediuiuum Lazarũ astãtibus soluere iubentis. Non legimus autem quod discipulis mandauerit soluendum, sed astãtibus: tametsi vulgarior est sententia, solutionem Lazari, à Domino iussam discipulis. Vnde theologizãt autores potestatem soluendi esse in discipulis, & successorib⁹ Domini, in Deo autem esse potestatem viuificandi, quia ipse solus viuificauit Lazarum, & ipse solus est autor gratiæ, quæ pœnitẽtibus conceditur.

Differitur vulgatũ theologorum placitum.

¶ Sed quid, dicet aliquis, si Dominus solus tunc viuificauit Lazarum, solus aliquando alios mortuos per suos Apostolos impetrantes, ad vitam reuocauit. Etsi iussit soluere astantibus Lazarum, aliquando suscitauit mortuum, quem non iussit soluere, à mortuorum quibus ligatus erat ligamentis: quia ipse forsan & mortem fugauit solus, & vincula huiusmodi rupit solus, vt de vnico filio viduæ dudum annotabatur.

¶ Quamobrem expendere non erit inutile, duplicem Christum suscitationem spiritualem facere quotidie, aliam quidem per lauacrum regeneratorium, aliã per sacramentum pœnitentiæ: quæ etiã quidam laboriosus baptismus patribus dicta est.

¶ Vtique ex baptismo homo surgit à morte animæ, quæ est culpa, ad vitã gratiæ, ideoque formam baptismi verbum Paulo est vitæ ad Titum. 2. Id quod idẽ Paulus luculenter satis docet ad Rom. 6. volens nos in baptismo, commori Christo, & per baptismum resurgere cum Christo. Rursus per pœnitentis sacramentum est alia resurrectio à peccato.

¶ At verò dispares sunt, & magno interstitio distantes istæ duæ resurrectiones. Prior namque nulli accidere potest nisi semel, posterior vero multoties accidit fidelibus. Toties, scilicet, quoties de peccatis suis condignam gerunt pœnitentiam.

Duæ resurrectiones spirituales quotidie à Christo fiunt.

¶ Præter hæc resurrectio prior, est plena resurrectio: viuificat enim baptismus mortuos in peccato. Et non solum viuificat, sed omnia vincula, & ligamenta tollit, quia nulla supereſt obligatio ad æternam, vel temporaneam pœnam, nullus deniq; à baptismo manet reatus.

Quanquã enim concupiſcentia maneat, non manet tanquam reatus, ſed tãquam natiua quædam inclinatio ad malum. Porro poſterior reſurrectio non eſt tanta fulgens maieſtate, vt prior, neque tanto micat ſplendore. Quippe tametſi reſurgat homo per pœnitẽtiam, ad vitam gratiæ, ſuperſunt ligaturæ quædam. Sunt autem ligaturæ iſtæ, obligatio quædam ad pœnas temporales, in quas Dei gratia commutauit æternas. Non enim ſtatim pœnitẽtia omnia abolet, & culpam & commeritas pœnas, ſicut baptiſmus. Quippe plerũq; ablata culpa per pœnitentiã, ſupereſt purganda pœna, nõ æterna, quia hanc pœnitentia aboleuit ſimul cum culpa, ſed tẽporalis. Niſi tanta fuiſſet pœnitentia interior quanta vniuerſæ purgandæ ſat eſſet pœnæ, id quod rariſsimum eſt. Hęretici autem neotherici, non hanc dicunt ſententiam, ſed diuerſam affirmant: ſimul cum culpa pœnitẽtiam abolere omnem pœnam. Ideo negant ſatisfactionum neceſsitatem, & purgatorium rident. At vero catholica fides eos anathematizat: vt habes ex concilio Triden. Seſsio. 14. Can. 12. Si quis, inquit, dixerit totam pœnam ſimul remitti ſemper cum peccato, ſatisfactionemq; pœnitentium non eſſe aliam, quam fidem qua apprehendunt Chriſtũ, pro eis ſatisfeciſſe, anathema ſit. Et Seſsio. 6. Cano. 30. Si quis dixerit, poſt acceptam iuſtificationis gratiã cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc ſeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam aditus ad regna cælorum patere poſsit, anathema ſit. Reatus igitur iſti ad pœnas temporales exoluẽdas, vel in hoc ſeculo vel in futuro, hæc ſunt ligaturæ, quæ ligant ſuſcitatos per pœnitentiam mortuos, adumbratæ, in ligaturis Lazari ſuſcitati, quas iuſsit Dominus diſcipulis ſoluendas. Soluuntur igitur per claues regni cælorum Eccleſiæ cõceſſas: ſiquidem Sacerdos iniungens pœnitentibus ſalubrem, & condignam pœnitentiam claue non errante, & pœnitẽs illam exequens, ſoluitur à reatu pœnæ exoluendæ, vel hic, vel in Purgatorio. Aliás, cum reatu hoc decedens ab hac vita in alterum ſeculum, in Purgatorio luiturus eſt, quouſque commeritas det pro peccatis donatis pœnas. Et vt ſemel dicam, nõnunquam per ſacramentum pœnitentiæ, pœnitẽti donatur gratia, & pœna ęterna cum peccato, vt ſi quis attritus abſolutionem ſacramentalem poſt confeſſorum peccatorum accipiat ſuperſtite tamen reatu temporalis pœnæ, abolẽdæ per ſatisfactionẽ. Nõnunquam vero pœnitens iam Deo gratus conuenit confeſſarium, & illi pandit peccata, quæ alioqui ſibi donata ſunt per contritionem, & tunc ſane per abſolutionem non deletur peccatum, quia iam deletum eſt. Sed iniungit ſatisfactionem Sacerdos quam ſi pœnitens abſoluerit ſoluitur à reatu pœnæ temporalis, ſoluendæ, vel in hoc, vel in altero ſeculo. Neque falſum, ideo eſt quod promit, Ego te abſoluo, ſiquidem ſe vt peccatorem exponit confeſſori, pãdendo ſua peccata, & illa reſpuendo. Et ideo ſacerdos, quẽ latet ſi à Deo iam ſunt remiſſa, iuxta cõfeſsionem verè ait, Ego te abſoluo. Iam vero, vt ad ſuũ exordiũ remeet oratio, omnes qui iam dudũ in ſepulchro veteri veſtrorũ iacetis peccatorum, quique vobis lapidẽ obdurationis in peccatis ſuperiacentẽ habetis, qui denique ex nimia veſtra obſtinatione putidi eſtis, Deo & ſanctis Angelis, & hominibus, audite iam Chriſti clamores. Clamat enim ad vos quotidie, & clamoris verba, hæc ſunt, ſurgite qui dormitis in ſceleribus veſtris, exurgite, qui delectamini in malefactis veſtris, exite foras, vt viuatis. Aures patulas igitur præbete huic clamori, & pœnitentiã agite de peccatis veſtris, & reuocabit vos Dominus ex morte veſtra ad vitam ſuam, & per eccleſiæ claues ſoluemini à veſtris reatibus omnibus, vt liberi poſsitis ad regna euolare cæleſtia. Hoc enim eſt, quod ait Dominus, Soluite & ſinite abire.

Neotherici hęretici refelluntur.

ENARRATIO I.
In caput duodecimum.

Ieſus ergo ante ſex diẽs Paſchæ, venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus.

ADuentante iam tempore quo Dominus, Hieroſolymis erat immolandus pro orbis ſalute, propior fit Hieroſolymæ immola-

molationis loco. Ideoque venit Bethaniam, quæ Hierosolymæ proxima erat. Describitur autem aduentum fuisse ante sex dies paschæ, hoc est, diebus sex ante festum paschalem agni, aut die sexto, ante aduentum diei paschalis.

¶ Qua autem ratione dies isti sint intelligendi, non omnibus conuenit. Namque sunt qui Dominum venisse Bethaniam Sabbato opinẽtur, ipso eodem die, quo cœnasse ibidem refertur, cum Lazaro, & Simone leproso. Est autẽ pro hac sententia Ioannis verbũ, infra enim subdit, quod in crastinum Dominus exierit â Bethania in Hierosolymam. Igitur Sabbato venit Bethaniam & die proximo Dominico ingressus est Hierosolymam, cum palmarũ & ramorum triumpho. Et secundum hanc rationem, quia id temporis pascha fuit feria sexta sequẽti oportet dicere, non esse connumerandos sex dies intermedios inter Sabbatũ, quo Dominus venit Bethaniam, & feriã sextam paschalem, quia solũ sunt quinque dies, sed oportet connumerare, ipsum Sabbatum, aut ipsam feriam sextã paschalem. Huic placito Albertus consensit, cui tamen obijcitur, quia Euangelista commemorat multam turbã venisse in Bethaniam, vt Dominum viderẽt & Lazarum. At verò si Sabbato Dominus venisset Bethaniam nõ possent tam citò conuenire ad videndum Dominum & Lazarum. Porrò facile huic obiecto amator sententiæ responderet Domini aduentum in Bethaniam rescitum fuisse à propinquis locis, antequam Dominus venisset: ideoque forte etiam præuenerunt multi Domini aduentum in Bethaniam præstolantes eum ibidem. Quòd verò Ioannes ait, cognouit autem turba multa quoniam illic est, & venerunt non propter Iesum tantum. Non aperte docet tunc venisse ad Bethaniam huiusmodi Iudæos, ideoque dicet aliquis, quod ibi in Bethania præstolantes Dominum venerunt ad domum vbi cœna celebrabatur, vt viderent Dominum & Lazarum. Etenim à prope sitis oppidis facile hoc poterat sciri. Maximè si vera Theophilactus dicit Iudæis morem fuisse celebrem faciẽdi cœnam nono die mensis primi. Siquidem decimo die illis iubebatur, vt pararent agnum immolandum decimaquarta die mensis, Exodi. 12. Et nona dies erat illis festus dies, & agebatur cœna, quæ, apud Theophilactum dies fuit tunc Sabbatum prope proximum Dominicæ palmarum. Vnde si hoc verũ est probabile videtur cœnam illam notam fuisse Iudæis propinquis Bethaniæ, quam Dominus celebraturus erat in Bethania: quam vel Dominus prædicere potuit, aut Martha, aut Simon leprosus, vel quiuis alius.

¶ Sunt autem, qui non hoc sapiant, sed aliud autument feria sexta Dominum venisse Bethaniam, & Sabbato cœnasse cum Lazaro, & Simone. Iuxta hanc autem expositionem, fuerunt sex dies intermedij ante paschalem feriã sextam. Huic tamen expositioni obstat, quod Ioann. ait, in die crastino Dominũ iuisse Hierosolymam. Fuit autem crastinus hic dies Dominicus, palmarum & ramorum insolita solennitate triumphalis.

¶ Porro, hoc dilui potest obiectum, si dicamus diem crastinum non esse referendum ad diem Aduentus Domini in Bethaniam, sed ad diem cœnæ, crastino, scilicet, die post diem cœnæ, venit Iesus in Hierosolymam. Græca habent, *Quem suscitauit Iesus à mortuis. Fecerunt autem ibi cœnam.* Quæ fuerit causa huius cœnæ ex Theophilacto dudum retulimus, tametsi non spectatum habeo hoc Theophil. placitum. Quippe verba non videntur innuere ex more celebrem tunc esse cœnam illam, sed nouam quandam cœnã, ex qua amici se solent inuicem inuitare, amicitiæ fruendæ causa. Ait enim, fecerunt cœnam, & non explicat qui fuerũt autores cœnæ. Et perinde est ac si dixisset, Facta est Domino, vel instituta est in gratiam Domini cœna. Veruntamen siue verum sit quod Theophil. narrat, siue quod alijs arridet, refert nihil. Certũ est Dominum in Bethania tum cœnasse, & fuisse conuiuam. Et Dominus probatum habuit conuiuium, vt veritas miraculi dudum facti suscitati Lazari magis proferretur, vnde discipulorum fides stabiliretur, & aliorum Iudæorum gigneretur. At obijciet quispiam si Sabbato fuit illa celebrata cœna, qua nam ratione Maria Magdalena, tum extersit pedes Iesu, & lauit, quippe in Sabbato quiescendũ erat, ab omni opere huiusmodi.

Adde,

Adde, quia si Iudæi, indignabantur Domino sananti morbos in Sabbato, multò vehementius indignarentur modo conuiuę assistentes Magdalenæ vngenti, & extergenti pedes Domini in Sabbato, quia Sabbato hoc exercebat opus: at vero non sunt ob hanc rationem indignati, vnde videtur non vnxisse Domini pedes Sabbato.

¶Sunt qui existiment cænam hanc fuisse biduo ante Pascha, & non sex diebus, Quippe Matth. 26. & Marci. 14. huius cænę fit cōmemoratio. Et Dominus ibi ait, Scitis quia post biduum Pascha fiet, & dein refertur Dominū cænasse in Bethania. Quod vero, contra hoc placitum pugnat est, quod Ioan. meminit Dominum venisse Bethaniā ante sex dies Paschæ, vel sexto die ante Pascha: igitur nō cænauit biduo ante Pascha. Soluitur ab assertoribus istis, Ioan. verba esse accipiē da per anticipationem, videlicet quod Dominus venit Bethaniā ante sex dies Paschæ: at vero cænauit ibi biduo ante Pascha.

Fabri opinio refutatur.

¶Veruntamen, quî respondebunt isti Ioan. dicenti quod crastino die, à die cænæ Dominus venit Hierosolymā? Cum ergo hic crastinus dies, tum fuerit dies, qui apud nos est Dominicus: nā fuit palmarum dies, vtique si biduo ante Pascha cænauit Dominus in Bethania, non potuit ingredi Hierosolymam Dominico Palmarum die, vt perspicuum est. Neque horum ratiunculæ sunt magni momenti, siquidem, lauare manus, non erat interdictū Iudæis die Sabbati, vnde neque pedes. Quid quod Matth. 5. insinuatur Iudęos in festiuis diebus caput vnxisse solitos. Ait enim, Tu autem cum ieiunas vnge caput tuū, & faciem tuam laua. Quod dixit, quia moris erat festis diebus se vngere. Ideoque nihil astantes obiecerūt de violatione Sabbati. Quod si nefas fuisset, obiecissent hoc in primis Magdalenæ, quod Sabbatismū violabat.

¶Quid quod Sabbata Iudęi obseruabāt, & cæteras solēnitates, à vespera ad vesperam, ideò cum cæna illa vesperi esset celebrata, iam cessabat tum obseruationis Sabbatinæ obligatio.

¶Vnde & argumentum aliud diluitur, quod cæna nō poterat tūc prępparari Sabbato. Siquidem & vesperi poterat Sabbati prępparari, aut ex feria sexta erat iam præparata, si solennis erat secundū Theophilactum. *Et Martha ministrabat: Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo.* Admiranda Marthæ sedulitas, in ministrando Domino: siquidem etiam si famulas, & famulos haberet, quibus hoc impertire potuisset ministeriū, quia nobilis erat, cæterū ipsa per se exerceret ex nimio Domini amore. Neque modo expostulat cū sorore, quod reliquerit eam solam ministrare, vt Lucæ. 10. at ipsa feruenter ministrat Domino, & Lazaro fratri: siquidē iam ex viso miraculo erga fratrem accensa erat magis in Domini cultum, & ministeriū. Lazarus vero ibi aderat vt omnibus esset conspicuus, sanus, & viuens, & opera vitæ exercens, scilicet, comedendi & bibendi. Vnde spectantes tantum in orbe prodigium, quantum nunquam esset hominibus ab orbe cōdito cōspectū, crederent spectatores Christū esse verū Messiam, quē lex adūbrabat suis inuolucris, & prophetæ apertissimo proclamabant sermone. *Maria vero accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus est impleta ex odore vnguenti.* Sorores has esse genere, aut opulentia nobiles, vel hinc colligere promptum est, saltem Magdalenam fuisse diuitem, siquidem emere libra vnguenti nardi pistici pauperes nō possunt, sed potentium & opulentorum est hæc emere.

¶Primū autem quod locus hic petit disserendum est, an vnctio hæc sit ea, quam Matth. 26. & Mar. 14. comemorant, an alia: siquidem Origenes, & Chrysostomus, aliam credunt esse. Neque credunt Mariam Magdalenam esse eam mulierē quæ Matth. & Mar. tradūt vnxisse Dominum. Primo quia hic exprimitur Mulieris nomen, apud Matthæ. & Mar. subticetur, quia innominata est apud illos. 1

¶Rursus Maria hic nō traditur alabastrū vnguenti adduxisse, at vero apud Matthæ. & Mar. innominata mulier vnguentum in alabastro defert, vnctura Dñm. 2

¶Præter hæc illa innominata vnxit caput Domini, hæc vero nominata vngit pedes. 3

¶Rursus Matthæ. & Mar. nō dicunt domum esse plenam ex odore vnguēti, neque quantitatem vnguenti esse libram, 4

quæ

quæ Ioannes de Maria commemorat.

5 ¶ Ad hæc apud Ioannem non exprimitur cœnã fuiſſe in domo Simonis leproſi, vt apud alios commemoratur.

¶ Accedit iſtis, quod apud Ioannem, Iudam Iſcariothem traditur moleſtè tuliſſe vnctionem Dominicredẽtem eam fuiſſe prodigam. At verò apud Matth. & Marcum, non Iudam hunc: ſed apud Marc. aſsiſtentes quoſdam, indignatos memoratur fuiſſe ex vnctione illa ſcribitur: apud Matthæ. verò diſcipulos ſcribitur non æquo tuliſſe animo, quod tanta vnguenti quantitas funderetur ad vngendum caput Domini. Vnde collegerunt duas eſſe has mulieres vnctrices, vt ſupra indicatum eſt. Vulgatior autem ſententia cui hæſit Auguſt. eſt eandem eſſe Mariam Magdalenam vnctricem & vnicam eſſe vnctionẽ, quæ ab alijs Euangeliſtis, & quæ à Ioanne modo refertur. Quia etſi quædam diſcrepantia videantur, alia videntur conſonantia. Et quod in Bethania celebrata eſt, & quod vnguentum erat nardum piſticum, & quod Iudas moleſtè accepit hanc vnctionem.

Syllepſis in ſcriptura. Quod enim Matth. ait diſcipulos ægre tuliſſe vnctionem hanc per ſyllepſin videtur accipiendum, vt & illud. Et qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, cum vnus tantum latro Domino improperaret ex crucifixis cum eo.

¶ Et quãuis nõ nominetur mulier ſingulari nomine, apud Matth. & Marc. ſatis eſt apud Ioan. nominari, qui edidit Euãgelium poſt alios Euãgeliſtas. Quocirca ipſe expreſsit, quod illi ſubticuerunt.

Diluuntur ratiunculæ probantes diuerſas eſſe vnctiones Ioan. 12. & Matt. 26 ¶ Quod ſecundo inducitur de alabaſtro, Ioann. equidem ſiluit, quia alij priores Euangeliſtæ expreſſerant.

¶ Tertio dices, quod item Ioann. nihil dixit de capitis vnctione, quia alij Euangeliſtæ indicarant. Vnde, quod ipſi ſupreſſerunt, de vnctione pedum, Ioann. expreſsit, itemque ſolues quod domum eſſe impletam vnguento, Ioan. expreſsit, quia cæteri non expreſſerunt. Itidẽque ſoluitur, quod proponitur de Simone leproſo, ſecundum eandem formam, & quod de Iuda Iſcariothe. 5. loco eſt propoſitũ, item ſolutũ eſt expræhabitis.

¶ Quocirca quod Matth. & Marcus, morantur hanc cœnam, poſtea quam dixerant quod poſt biduũ erat Dominus paſſurus per recapitulationem eſt ſumẽdum. Quippe Matthæ. & Marcus acturi de Domini paſsione, obiter indicant occaſionem paſsionis originem cepiſſe, ex cæna illa facta in Bethania, in qua cũ Domino cœnauit Lazarus. Ideoque cogitauerunt principes Iudæorum Lazarum etiam cum Domino interficere, quia multis perſuaſerat fidem Chriſti Lazari reſurrectio.

¶ Secundum autem diſſerendum eſt de nardo, quid nam ſit. Profertur autem in neutro & in fœminino genere, Nardũ, & nardus. Et eſt nardus radix odoratiſsima, & quæ vera eſt, multi pretij eſt, quę vero falſa, vilis eſt pretij, quæ vocatur lauendula, Hiſpanè *alhuzema*, ſiue *eſpliego*, qua barbitonſores vtuntur ad lotionẽ barbæ, & capitis. De hac autem nardo Galenus libr. de antidotis, meminit dicens, Iubet Andromachus adijcere nardum Indicam (ſubaudi conficiendæ theriacæ) ea verò eſt, quam ſpicam vocant. Non quod ſpica ſit, radix etenim eſt, ſed quod ſpicæ figuram habeat. Hæc Galenus. Vnde Plinius lib. 12. & cap. 12. non eſt audiendus dicens, nardum eſſe fruticem graui & craſſa radice, ſed breui ac nigra fragiliq́ue, quamuis pingui ſitum redolenti vt cyperi, aſpero ſapore, folio paruo, atque denſo, cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideo gemina dote nardi ſpicas, ac folia celebrant. Etenim, vt diximus ex Galeno nõ habet nardus ſpicas, aut folia, tametſi habet figuram ſpicæ vt ex viſu illius perſpicuum eſt. Vnde quod quidam dicunt eſſe duplex vnguẽtum nardinum, alterum ſpicatum quod ex ſpica, alterum foliatum, quod ex folijs, & hæc vnguenta inſignia eſſe, & eximij precij falſum eſt, quippe nardus, neque ſpicis eſt ornata, neq; folijs, ſed quibuſdam capillamentis, vel radiculis, eſt tota deſuper contexta, quæ videntur ſpicæ, & non ſunt ſpicæ, ſed radix. Neque precium, aut vſus eius eſt, ex ſpicis, ſed ex radice: quæ quia capillamentis multis eſt diſſoluta, ideò videtur ſpicata vt dicebam. Luſitani ex India hanc deuehũt in Luſitaniam, & eſt radix odoratiſsima, leuis, nigra, in rufedinem vergens, odore cyperi, ſapore ſuaui, diu in ore permanẽti, ad amaritudinem aliquantulum inclinante.

Nardũ hoc, nardus hæc.

Nardus vera & pſeudonardus.

¶ Ex

¶Ex hac autē radice fit vnguentū, quod nardinum appellatur. Hoc̄que vnguentum est in maximis delicijs, & eo solebant Romani capillos delinire. Vnde Tibullus libr. 2. Elegiarum, Illius puro distillent tempora nardo. Et Iudæis quoque in vsu fuisse delinire capita vnguentis, locus ille Euangelicus haud dubium documento est. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum. Volens enim Dominus Iudæorum ieiunātium dehortari hypochrisim, in aliud deduxit extremum, scilicet, vt dum ieiunia agebant festiui incederent delinitis capitibus vnguēto, id quod festiui gaudij erat. Et hinc Magdalena Domini caput vnxit, quia hoc indicium erat festiui, quod gerebat ex fratris resurrectione gaudij, & lauit Domini pedes, in signum festiui cōuiuij, quod tunc agebatur. Quia Palæstinis mos erat in huiusmodi festiuis cōuiuijs, cōuiuarum lauare pedes, vnde Dominus in nouissima cæna discipulorum lauit pedes.

Nardi pistici. Apud Marcum. 14. non pistici, sed spicati transtulit interpres, cum alioqui Græca litera habeat pistici, vt apud Ioannem, dicere poteris nardi pisticæ, aut nardi pistici. Verū interpres sensum pistici exponere volens trāstulit spicati, quia forte putauit, nardinum vnguentum spicatum, hoc est ex spica nardi concinnatum esse pretiosum, & non aliud cum tamen vnguentum ex radice præparetur eximium. Augustinus, existimat locum esse, Pistici, vbi nardus nascetur, aut vnde deueheretur. Theophi. in Marcum, speciem esse nardi, credit, aut pistici, significare non esse adulterinum vnguentum, sed purum, aut denique dictum nardum pisticum, ideſt, fidei, quia ex fide Magdalena illud confecit. Cæterum, qui pisticum interpretantur fidele fuisse illud vnguentū, hoc est, syncerum, & purum, quia Pistis, Græcis est fides, indeque Pisticos, idem est quod fidelis me latet, vt intelligant etymon hoc, quia Græcis, non Pisticos, est fidelis, sed Pistos.

¶Porrò hæsitat aliquis, cur Magdalena tam anxie curat Domini pedes vngere, siquidem, apud Lucam, & modo legitur inunxisse, etsi modo non scribitur, quod stans retro, neque pronoluta pedes vnxerit, sed solū quod vnxit pedes Domini. Et quid si pedes Dominus habebat calciatos, num discalciauit, & mundauit pedes Domini, id quod summæ audaciæ aliquis tribueret. Rursus num caput Domini, nudum erat, sine cooperculo pilei, aut alio quouis, quo vtebantur Iudæi? Nam si tectum erat tegumento vsuali, num Magdalena tegumentū hoc abstulit vt caput deliniret Domini? Ad hæc vnguentum ex sua pinguedine impinguat vestes, & carnem, num ergo Magdalena, impinguauit caput Domini? siquidem pinguedo hæc non facile aufertur, postquam affecerit. Et quidem qua ratione hæc gesta fuerint me fugit. Quod Domini nudos lauerit, & inunxerit pedes, indubitatum est, non enim lauit Domini calceos, sed pedes. Sunt qui existimēt Dominum pedibus nudis semper ambulasse. Quippe Apostolis præcepit ituris prædicatū, vt sine calceis irent. Matt. 10. & Lucæ. 10. at vero Mar. 6. hoc exponitur, calciatos ituros non calceis, sed sandalijs. Et iuxta hos, nō est multi negocij hæc differere, quia Magdalena pedes lauit à situ, vel luto pedibus Dñi cohærenti & lotos inunxit. At vero Apostolū Petrum calciatū ambulasse, histo. Act. 12. insinuat. Nam dixit Angelus Petro, Calcea te caligas tuas, at caligis nemo vtitur nisi calceatus incedat. At Petrus non ingrederetur calceatus, si magister eius ingrederetur nudis pedibus. Tu tamen cō sidera. *Vnxit pedes Iesu, & exterſit pedes.* Pro eo quod est exterſit pedes, & vnxit pedes Iesu. Siquidem prius terſit capillis pedes, à maculis ex terra contractis, quas simul, vt emaculauit capillis inunxit pretioso nardi vnguēto. Et fregit vas alabastrinum, in quo deportabat vnguētum, vt totum effunderet, & nihil super esset. Quia forsan vnguentū hoc est magnæ hærentiæ, & tenacitatis, & ideo vt aptius, totum effunderet, & nihil supereſſet, fregit vas, vt vel digitis educeret, reliquias vnguenti, & totum effunderet, in obsequium Christi. Erat enim Maria memor, quanto munere esset donata ad pedes Domini. Lucę. 7. accipiens, scilicet, remissionem peccatorum. Rursusq; memor erat doctrinæ cælestis, quam ex ore Christi decerperat: ideo Christi caput, vnde tam beatam hauserat doctrinā nardino pretiosissimo vnguento colit.

Et

Dominus nō est deliciatus ex vnctione, sed ex amore vngentis.

Et Dominus hanc permisit suorum pedum lotionem, & diuini sui capitis inunctionē, nō quia has delicias ipse amabat, non enim ad mundi delicias suscipiēdas venerat, sed potius ad cōtemnendas eas, & earum docere cōtemptum: cæterum, quia feruorem mulieris obseruabat & impensissimum erga se ipsum amorem, ideò hęc permisit, tanquam diuini amoris, qui erat in Magdalena exercitium, non vt corporis sui delicium. *Impleta est domus ex odore Vnguenti*. Duo significantur, & vnguentum fuisse opimum: quippe quod erat odoratissimum. Et secundo quod non erat modicum, siquidem multum ex se sparsit odorem. Neque mirum te, quod Domini pedes ex vnctione, manserunt valde ex lentore vnguenti humefacti, aut crassulenti, itidem & caput. Quia forsan hoc vnguentum illud etsi humefaceret, cito tamē exiccabatur. Quippe cum esset odoratissimum, exhalans odorem nimium siccaretur facilè, ex euaporatione multa. *Dixit ergo Vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum venditurus, Quare hoc Vnguentum, non venit trecentis denarijs, & datum est egenis?* Denarij valorem cap. 6. exposuimus. Iudas igitur Iscariotes, prodigalitati tribuit vnguenti effusionem, zelum habere se simulat erga pauperes, cum tamen nihil minus habuisset. Nam hoc non dixit, quia pauperibus consulebat, sed sibi. Voluisset enim vnguentum vendi, & pretium sibi conferri distribuendū pauperibus, vt sub tegumento pauperum, ipse sibi suffuraretur ex pretio, quòd aliás fœtitabat. Apud Matth. legimus Domini discipulos indignatos, & non solū Iudam ex huiusmodi inunctione, vnde dixerunt. Vt quid perditio hæc? Perditionem putantes esse, quod alioqui Christi erat sepulturæ sacramentum. At fieri poterat Iudam primo infremuisse in Mariam, dein alios discipulos eandem sententiam fouisse. Quanuis non ex eadem mente, quia Iscariotes, ex mala mente, vt, scilicet, haberet, vnde suffuraretur, alij verò discipuli ex amore pauperum, indignati sunt contra Mariam. Appellatur autem Iudas Iscariotes, ex loco natali Scariot. *Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur portabat.* Verba Iudę Iscariotis pia sanè videbantur, quia curam pauperum præferunt, at animus pessimus occultabatur verborum pietate, vt sæpè hypocritis & mendacibus hominibus accidit. Sed quid est dicet aliquis, quod furi Dominus marsupiū sui collegij Apostolici commisit. Videtur quod illi præbuit occasionem ad furandum? Imò sanè retrahebat à furtis marsupium illud, quia erat sacrum marsupiū, vbi mittebantur necessaria, pro Domini necessarijs parandis, & suorum discipulorum, ideo fuit furando sacrilegus. Sed cur Dominus, quem præsciuit futurum furem, & sacrilegum & tandem proditorem. At quæstio hæc habet multas similes, cur Dominus creauit angelos malos, quos præsciebat casuros. Cur arborem scientiæ boni, & mali in medio locauit paradiso, vnde sciebat hominem incitandum ad lapsum, cur homines dānandos, quos præsciuit damnandos. Et quidem Iscariotem præsumit furem: at eum vocans ad apostolatum, & habens eum, in apostolico subuectum honore dehortabatur eum ab omni facinore. Quid quod doctrina Domini, quam semper in auribus habebat sat illi debuisset esse, ne furaretur. Dñs igitur non compulit Iscariotem ad furandum, imò tum doctrina, tū apostolico munere, illū dissuadebat omne facinus. Creauit equidem angelos, non compulit malos ad malitiam, at eos fecit liberi arbitrij potentes peccare, & non peccare. At verò ne peccarent mentem eis contulit limpidissimā recta scientem & non recta. Imbuit eos gratia sua, & amore. Quæ vniuersa illis præstitit, vt libertatem arbitrij ad malum, commone facerent ad bonum. Verum ipsi abusi libertate, elegerūt ex superbia sua, à Deo se auertere. Idem dicito de protoplastis. Arborem condidit, quæ quidem non cōpellebat ad facinus, & mandatum dedit, ne ex ea vescerentur, nihil male inclinationis in ipsis Deus inseruit, vnde ad esum propenderent: sed rectissimum fecit hominem, ipse autem miscuit se in doloribus multis, & totam posteritatem suorum dolorum hæredem reliquit. Itaque alterutrum est concedendum, vel quod debuisset creare creaturas peccabiles, aut si eas creare expediebat suffecit Deo libertatis ad malum hortamenta, & leges

Vnguentum pretiosū plurimum exhalat odoramēti.

Verba eadem exanimo diuerso.

Marsupium collegij apostolici erat sacrum.

Deus dans libertatem arbitrij ad bene & male operādū dedit quoque præsidia ad bene operandum.

Deus si non creasset creaturas rationales esset vniuersum mutilum.

& leges præscribere, ne ad malum defluere. Expediebat autē creaturas rationales siue quod idē est liberi arbitrij creare, ad perfectionē vniuersi: mutilū enim esset vniuersum, neq; vniuersum digno nomine esset nuncupandū, si creaturę rationales non conderētur. Dices forsan, Cur nō condidit eas in gratia sua confirmatas, dixerim tibi, quia voluit eas exerceri in merito sanctorū operū, & ideo dimisit illas, vt vel vterentur rectè, vel sinistre abuterentur sua libertate. Hæsitat forsan quispiam, quid est quod Dñs Matthæ. 10. & Lucæ, 10. & Mar. 6. mittēs discipulos prędicatū, eos mittit sine pecunijs & prohibet, ne marsupiū deferant: at vero modo Apostolis adest marsupiū condendis pecunijs, quæ illis mittebātur. Nicolaus cēset, Dñm hoc permisisse se attēperando apostolorū infirmitati, sed cur nō se attēperauit discipulorum infirmitati, quādo eos mittebat ad prædicandū, quandoquidem, destitutos omni tēporali præsidio, eos misit ad prædicandū? Cæterū ex hoc loco promptū est colligere nō detrahere spirituālē perfectionem, habere in cōmuni tēporalia bona. Quandoquidē apostolica congregatio marsupiū habebat commune. At vero Caietanus putat collegio apostolico esse cōcessum hoc commune marsupiū, non tamen apostolis singularibus, quādo prędicatū ibāt. Quia, inquit, facilius prouidetur vni, quā multis: ideo multi egebāt marsupio. Porrò facilię prouidere sibi possunt, qui sunt apud suos, quam qui peregrinantur apud exteros. Quod autem ipse inquit verū est, cæteris paribus, sed nunc non sunt paria cætera, quia agentes apud exteros, nisi cōmeatū secum ferāt, aut pecunias non tam facile sibi prouident, quam ij, qui sunt indigenæ, etiam si isti plures sint.

¶ Fortasis igitur Dñs suo collegio apostolico se præsente marsupiū permisit, & singularibus apostolis quando eos binos misit ad prædicandum, non permisit, neque discipulis alijs, Lucæ. 10. vt videlicet permittendo marsupiū suo collegio, doceret ministros diuini verbi oportere curare cōmeatum, & temporalia necessaria subsidia, & negādo marsupiū discipulis proficiscētibus ad prædicandū, doceret, restringendā esse nimiā solitudinē in subsidijs huiusmodi quęritādis. Sed credere oportet, Deum esse, qui pręcipuā curam gerit suorū ministrorū: ideo apostolos destinat sine sacco, pera, pecunijs & pane, &c. Et istis nihilominus prouidit abūde, necessaria omnia. Vnde ait, Quādo misi vos sine sacculo, & pera, nūquid aliquid defuit vobis? Et respōderunt Apostoli, nihil, vt inde apostoli intelligerēt quod si apostolos, & discipulos egētes quando prædicabāt apud ignotos, Dñs tam opimè refecit, nō munitos alioqui tēporalibus præsidijs, nihil ergo illi opus erat si voluisset marsupium commune pro alimonia sui, & suorum. Cæterū permisit marsupiū ob causam cōmemoratā. *Nihil pertinebat.* Græcè non quia de egenis illi cura erat, vt supra iam annotauimus.

Dixit ergo Iesus, sinite illam, vt in diē sepulturæ meæ seruet illud, Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

Græca, nō sinite, sed sine, non habebitis, sed habetis, habēt. Et videtur cōcinnior lectio, quia ad Iudā Dominus loquitur. Quod si hæc lectio esset sectanda cum in alijs euāgelistis, in numero plurali legamus, Sinite, & sermo refertur ad discipulos videtur Dñm primū defendisse Magdalenā à reprehēsione Iudæ, & dein ab obiurgatione aliorū discipulorū. Quoniā vt diximus, Iudas Iscariotes, exorsus est inuectiuā in vnctricem mulierē, dein alij discipuli ex zelo pauperū moti, itidē obiurgauerunt mulierē. Et Dominus patronus fuit Magdalenæ, & cōtra Iudam, & contra alios discipulos. Cæterum si legimus cum vulgata editione, Sinite, ad omnes dirigitur sermo Domini discipulos qui simul cum Iuda inuecti sunt in Magdalenā: etsi Ioānes solum cōmemoret, Iudę inuectiuā. At Rupertus in singulari numero legit, Sine, & non, sinite, *Seruet illud.* Græca, pro seruet, habent, seruauit illud. Chrysostom⁹ legit fecit illud. Matthæus inquit, mittens enim hæc vnguentum, in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Marcus verò apertius, Quod habuit hæc fecit: præuenit enim vngere corpus meum. Ex duplici igitur causa Magdalenæ Dominus defendit vnctionem. Primo, quia quamuis modo vnxerat Magdalena corpus Christi, non propterea pauperes ex hac vnctione ferebāt noxam, quia pauperes semper adsunt, quibus qui volet poterit subuenire: at vero

Cur Deus pecabiles creauit creaturas

Nicolaus expenditur.

Caietanus differitur.

Cur collegiū apostolicum marsupiū habebat in commuui.

Non est iniustū ministros Dei cōmeatū quærere, & alia subsidia vitæ.

Iudas eorsus est inuectiuā in Mägdalenam, quippe qui impudē erat.

16

Ex duplici causa vnctio Magdalenæ defenditur à Domino.

ro Christus nõ semper præsens erat futurus. Quo circa, quia ascensurus erat ad patrem, ideo rationabile erat antequã ascẽderet, talibus eum delinire obsequijs.

¶Secũdo, illa vnctio erat cõmendãda, & non obiurganda, erat nãque signũ sepulturæ Dñi, hoc, significabat quod mox Dñs erat sepeliendus. Etenim post sepultum Dñm mulieres parauerũt aromata, vt vngerẽt Iesum. Marci. 16. *Seruet illud.* Quod Maria Magdalena vnguentũ effudit in pedes, & in caput Dñi, non poterat iam seruare, quia iam cõsumptũ erat. At vero hæc est suppositio simplex, vt illa, hæc herba nascitur in horto meo, idest huic similis. *Vt seruet illud*, hoc est, simile huic vnguento seruet, ad vngendum corpus meum postquam fuerit sepultum. Et quamuis Magdalena non intendebat vngendo sepulturam Domini, at vero illa vnctio, ex Dei ordinatione præueniebat secũdum rationem signi sepulturam Christi. Ideo quod ait Dominus apud Matth. Ad sepeliẽdum me fecit, perinde est ac si dixisset, ad significãdam sepulturam meam fecit. Non quod animus Magdalenæ hic erat, quia de sepultura Domini id temporis non memorabatur. At vero Deus Magdalenæ inspirauit illam facere vnctionem, ad præsignandam Domini sepulturam. Et Domino sepulto, mulieres, non potuerunt vngere Dominum, quia iam surrexerat, quando venerant vncturæ, at verò adornarunt vnguenta vt vngerent Dominũ. Porrò Deus præsignauit ex hac vnctione sepulturã Dñi. vt discipuli qui aderãt tunc Magdalenæ vngenti, cum memorarentur, post resurrectionem Christi, vnctionis huius, & verborum ad defensam Magdalenæ, persuasum habuissent Dominũ prænosse sepulturã suã, & vnctiones, quas fœminæ erant paraturę præsciuisse. Ideo voluit modo à Magdalena corã discipulis inungi. Et equidẽ mirãda est Dñi lenitas, in Iudam, & in cæteros apostolos. In Iudã, quia cũ vidisset corrupta viscera eius, tegi ab eo, sub pietate verborum, noluit pro merito suo eũ impẽsis in crepare, sed molli sermone Magdalenã à Iudæ accusatione protegit. Potuisset dicere, quid tu simulas te habere pauperũ curam, cũ sis ipse fur, & nõ zelas pauperes, sed tuum exfurto implere pecunijs scrinium. An nescis me multo præstare pauperibus omnibus quid ergo, existimas pauperibus, magis debita esse obsequia, quã mihi? Et cur quæ ad meũ honorẽ fiunt, prodigalitati tribuis, cũ sint potius iustitię attribuẽda, & quę sunt ad tuã cupiditatem satiandã, non tribuis auaritiæ? A postolos autẽ alios, etiam non durè increpat, cum potuisset dicere hęc vel similia. Si me creditis filium Dei, vt vos credere profitemini, cur existimatis prodigã fuisse hanc mulierẽ effundentẽ hoc vnguẽtum, in honorem meũ? Nonne satius est honorare filiũ Dei quam pauperes. An vos increduli estis, vel obliti estis quod nõ debuissetis obliuisci me corãvobis pauisse numerosam turbã in deserto, ex potentia mea: si tot in deserto pauian nõ possum pauperes omnes alere similiter? Si ego probo hoc mulieris factũ, si cõmendo hanc vnctionẽ vos cur reprehẽditis, quod ego probo? Si ego Magister & Dñs, non indignor mulieri me vngenti, cur vos discipuli, & serui indignamini? At verò neq; his: neq; alijs Dñs vtitur increpationibus, sed suaui eloquio, inquit, Quid molesti estis mulieri huic, vel, vt Ioã. refert, Sinite, &c, *Pauperes semper habebitis.* Offert se quęstio, nũ magis cõsulendum sit pauperibus, quã rebus sacris. Etenim Magdalena maluit vngere Dñi pedes & caput, quã vngẽti pretiũ pauperibus exhibere. Vnde videtur cõsultius sacras ędificare ędes, & vasa parare sacra, tapetibus, & aulæis ornare ecclesias, quam pauperibus prouidere: siquidẽ Dñs laudat factum Magdalenę. Bonum, inquit opus operata est in me, & inuectiuã reiecit apostolicam, quã contra eam apostoli texuerunt. Breui dixerim, cæteris paribus melius est consulere diuinis ornãdis, & augendis, quam humanis, quia simpliciter maioris meriti est cultus Dei, quam pauperũ subuentio. Cæterũ si cætera nõ sunt paria, puta, quia cultus Dei est satis exornatus, & pauperes fame pereũt, melius est subuenire pauperibus, aut si fideles sunt captiui, & in magno discrimine periclitãtur negãdæ fidei, *Me autẽ nõ semper habebitis*, quia paulopost erat moriturus. D. August. hunc edisserẽs locũ, homi. 50 verba quædã scripsit, quæ Ioãnes Calui. lib. instit. suarũ. c. 8. torquet in catholicos, vt neget præsentiã corporis Christi in sa-

Vnctio Magdalenæ typus sepulturæ Christi.

August. verba difficilia.

cramẽto Eucharistico. Ait, enim, Loquebatur Christus de prẽsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secũdum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiã, impletur quod ab eo dictũ est. Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Secundum carnem verò, quam verbum assumpsit, secundum id quod de virgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, &c. nõ semper habebitis vobiscum. Verum hic locus facilem habet intelligentiam. Christus enim est præsens, & non est prẽsens. Secundum diuinitatem sanè est præsens Ecclesiæ suæ, quia illam tuetur, & moderatur, defendit, & fouet, & non præsens, quia Deus ab Ecclesia modo nõ videtur, nisi per fidem. Christus etiã est præsens secundum humanitatem Ecclesiæ, quia vere & realiter est in Eucharistia, & non est præsens, vt erat quando in terris agebat, quia non videtur à nobis modo, nisi per fidem, quia præsentia, quam habet, est sane vera, at est sacramentalis, & non visu corporeo, sed sola fide visibilis. Hoc loco quoque Augustinus alia scripsit, quæ primo aspectu papali potestati videntur detrahere. Differens enim verba Domini. Matthę. decimo sexto. Tibi dabo claues regni cælorum, Si hoc, inquit, solum Petro dictum est, non facit hoc Ecclesia, si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ soluuntur in terra, in cælo soluantur, si hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit: sic in Ecclesię persona significati sunt in Ecclesia boni, &c. Vnde videtur ex Augustino apud omnes bonos fideles esse claues, id quod hæretici proclamãt. At vero Christus dedit Petro claues, non pro Petro solum, sed pro ipso, & successoribus suis, qui omnes significabantur in persona Petri. Ideo non omnes fideles, istis potiuntur clauibus, sed Petri successores. Sicut etiam Petro dixit Dominus, Pasce oues meas, non quia solus ipse, hoc erat munus obiturus, sed in nomine Petri pascendas cõmisit oues Petri successoribus. Qui omnes, si ex dilectione Christi pauerint optimè pascent.

Christ⁹ in eucharistia est præsens & nõ præsens.

Petrus nõ pro se solo accepit claues regni cælorum

¶At vero si ex temporali mercede solũ pascunt, si non præclarè pascunt, pascunt tamen, & ouibus sunt vtiles, si sibi sunt inutiles, quia gregẽ Christi ex mercede temporali, non propter æternam pascunt. Verum de istis hactenus, quia supra. 10. multa huc spectantia disseruimus, & de Petri potestate in disputa. nostris Theologicis satis superque egimus. *Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.* Si turba hæc quæ cognouit quod Dñs erat Bethanię, erat iam Bethaniæ præstolans Dñi aduentũ, & post quam Dñs venit Bethaniã, nunciatũ est illis iam adesse, quẽ præstolabantur, aut si ex vicinis locis sciuerunt Dñm venisse Bethaniã, vt ex Hierosolyma, videlicet quæ vicina erat Bethaniæ, qui cõtinuo, vt sciuerunt Dominum adesse Bethanię, illic venerunt, aut si modo vtroque res hæc contigit non exploratum habeo, neque exponitur à Ioanne.

Lege declamationem autoris ad Hiã de clauibus Petri.

¶Et obserua quanta fuit maiestas huius nouissimi miraculi resurrectionis Lazari quæ nõ solum fuit stupori fidelibus, sed etiam infidelibus. Multi nãque conuenerunt, vt viderent Lazarum suscitatum à mortuis, quod de alijs mortuis à Dño suscitatis non legimus, sicut neque legimus Iudęos tentasse occidere puellã, vel adolescentem, quos Dñs suscitauit. At vero Lazarũ tentarunt occidere, quia eius resurrectio maxime persuadebat fidem habere Christi, vt mox dicet Euangelista.

Fides exigit piam affectionem in credẽte.

¶Et obserua iterum, quam exigat fides piam affectionem in credente, siquidem neque credita etiam insignia miracula, cogunt ad fidem habendam. Principes namque isti Iudæorum, & Pharisæi, miraculum credebant Lazari suscitati, nihilominus, credentes miraculum longe pernicaciores fuerunt quam prius tantum abfuerunt à Christo credendo. Vnde subdit. *Cogitauerunt autem Principes Sacerdotum, vt & Lazarũ interficerent: quia propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.* Multi erant rebelles fidei ex Iudæis, qui visis tot ac tantis miraculis non credebant in Iesum, qui tamen persuasi sunt ad fidẽ Christi colendã, ex nouissimo miraculo resurrectionis Lazari. Quam rem cõtemplantes primores Iudęorum, actũ iam esse de illis putauerũt quãdoquidẽ videbant

videbant iam credere in Christum, qui tenaces fuerant propositi in non credendo. Vnde collegerunt apud se, si hos duros ad credendū Lazari resurrectio emolliuit, vt crederent omnes alij credent etiā in Christum. Ideoque decreuerunt interficere Lazarum, inde sperantes argumentū fidei excellentissimum si extinguerent, fidem extinctam iri.

Resurrectio Lazari argumentum fidei excellentissimum.

ENARRATIO II.
In caput duodecimum.

¶ *In crastinum turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Iesus, Hierosolymam, acceperūt ramos Palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabāt, Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.*

IESTVM Hoc erat paschalis dies & Dominus hūc diem paschalē agni immolandi præuenit suo aduentu. Namque quintò die ante agni immolationem qui tunc immolandus erat feria quinta, Dominus venit. Nam Iudæi ante festum Paschalem agnum præparabant, vt supra dictum est, siquidem decima die mensis primi accipiebant agnum, & 14. die ad vesperam occidebant, Exodi. 12. Vnde Dominus etiam decimo die mensis primi ingressus Hierosolymam, quatuor dies præuenit feriam quintam quæ tum fuit immolationis dies, & quintus dies fuit hic, quo Dominus est ingressus Hierosolymam, ante diem paschalem, qui tum incidit feria sexta, nam agnus paschalis immolabatur. 14. die ad vesperam. Ideoque voluit Dominus qui erat agnus verus, qui tollit peccata mundi correspondere typico agno. Nam ingressus triumphalis in Hierosolymam fuit quasi præparatio agni veri ad immolationē in cruce. Namque Pharisæi nō sustinentes Christi illustrissimum triumphum, continuo operi mandarunt Christi necē. Similiter quarta die ab ingressu triumphali, ad vesperam, Dominus incipit immolari, quia tunc fudit sanguineas in horto Gethsemani, ex sudore guttas, & capitur, & ligatur ab hostibus suis. Quinta vero die, in cruce immolatur agnus verus, & Pascha nostrum immolatus fuit Christus. Vnde etiam Iosue. 4. cum toto Israelitico populo Iordanem est ingressus & in terram intrauit promissionis decima die mensis primi, & 14. immolauit Phase. Teneban tur porrò Iudæi Pascha hoc, vt alia duo festa personaliter Hierosolymis celebrare: ideo venerant ad diem festū. Et quia illustrissimū factum fuit Christi nomen, ex magnitudine postremi miraculi, & creditus fuerat esse Messias expectatus in lege, à turbis, idcirco exeunt turbæ ouantes obuiā Christo, cum ramis trium phalibus, qui erant olim palmæ, vnde Latinis, deferre palmam, est victorem esse. Et quamuis mandatum dederant proceres Iudæorū, vt si quis confiteretur Christum esse verum Messiam, expelleretur à synagoga, & multa alia intentarant, vt nomen Christi, & gloriam obscurarent, sed quia Deo inuito agebant, ideo laterem lauabant. Vnde Pharisæis, & primoribus Iudæorum repugnantibus omnis turba occurrit Christo, illique acclamat ouantissimè, Hosanna filio Dauid, bene dictus qui venit in nomine Domini. Neque temere quæret quispiam, cur Dominus ante crucis ignominiam, hoc voluit gaudere triumpho? Vtique, vt qui iamiam erat moriturus in cruce demonstraret ex potestate non ex necessitate moriturum. Namque docuerat se potestatem habere ponendi animam suam, & iterum sumendi: etiam voluit igitur hoc, quod verbis docuerat, ex opere ipso comprobare. Quocirca nūc maximō triūpho ingreditur Hierosolymam, & mortis tristitiam, inæstimabili præuenit gaudio. Et præsentibus principibus Iudæorum, & Pharisæis, & omnibus hostibus suis, ipse ingreditur maxima Israelitarum stipatus caterua, illi acclamante, Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini. Et vt Matth. 21. traditur, quod Ioannes non scripsit acclamatio erat, Hosanna filio Dauid benedictus, qui venit in nomine Dñi. Bis enim repetitur apud Matthæ. Hosanna. Itidem apud Marcum. 11. Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid Hosanna in excelsis. Lucas vero aliter exposuit hanc acclamationem, Benedictus qui venit Rex in nomine Domini:

Immolatio typici & ritus immolationis, correspōdet immolationi agni veri.

Cur Dñs mortis suæ ignominiā, præuenit maximo honoris sui triumpho.

Pax in cælo, & gloria in excelsis. Et has acclamationes hostes audiebant, & neque sermone, neque opere illis obstare potuerunt. At neque Dominus armorum pompa, aut satellitum comitatu, aut equorum apparatu se obtulit hostibus suis terribilẽ, & minacem, quia man suetus ingreditur, sedens super asinam, & pullum asinæ, comitatus pauperibus, & despicatis à mundo discipulis. Quid ergo deterruit hostes tunc Christi, nisi Christi diuina potestas, quæ tunc voluit se proferre, vt cæci hostes intelligerent, se non habere potestatem contra Christum, nisi ex Christi permissu? Vnde suam iniquitatem sub blando sermone promentes dixerunt, Magister increpa discipulos tuos: quasi vero soli discipuli fuerant, qui Domino acclamabant, & non tota potius Hierosolyma. Et vt amplius suam diuinam potestatẽ demõstraret, à triumpho ingreditur templum & nullo potente contradicere, expulit ementes, & vendentes de templo, & mẽsas numulariorum euertit. Matthæi. 21. Id quod in exordio suæ prædicationis. Ioannis. 2. iterum fecisse commemoratur. Et pueri etiam in templo, propter insigne hoc suæ potentiæ opus, rursus in templo Domino acclamant Hosanna filio Dauid. Nicolaus credit hos pueros prophetasse non intelligendo prophetiam, sicut Caiphas. At vero non video cur hoc tradat, siquidem laudem hanc puerorum Dominus ait esse perfectam. Ex ore, inquit, infantiũ, &c, verum quomodo perfecte laudabant quod non intelligebant. Et adhuc mirabilem se ostẽdit Iudæis illuminans tunc cæcos, & sanans claudos. Tametsi non satis cõstat, si ipso eodem die, quo Dominus cum mirabili illa pompa est ingressus templum pro more suo, vt Deo gratias exhiberet, ipso eodem eiecerit ementes & vendentes, & illustrauerit cæcos, &c. iam sequẽti die. Quia Matthæ. insinuat eundem fuisse diẽ. Marcus vero, non eodem, sed sequẽti: ait enim. Et altera die cum exisset Bethaniam. Vnde si altera die rem hanc gesit, Matthę. est intelligẽdus per anticipationem, sic eodem Marcus per recapitulationem est legendus. Pharisæi autem attoniti, & stupefacti, nulla habita ratione tot, & tantorum mirabilium, solum infantilis acclamationis habẽt rationem. Audis, inquit, quid isti dicunt Matth. 21. Quasi dixissent apertius cur non compescis hos pueros tibi acclamantes, quæ tibi non congruunt, sed Deo. Dolebant quidem quod pueri, aperte clamarẽt, quod Christus erat verus Messias, feruentisimeque illi concinerent. Et equidem magis dolebant de acclamatione hac puerorum, quam de operatione miraculorum Christi. Siquidem hoc puerorum testimonium Pharisæi, & alij Christi hostes non poterant obscurare: imo quia erat dignius, & sublimius quã pro ætate puerili, ideo audientes turbæ, diuinæ inspirationi forte tribuebant.

Lucæ. 19.

Ioannis. 2.

¶Et vide quam imbecilles erant tunc coram Domino aduersarij eius, quia neque infantes compescere potuerunt, sed ad Dominum recurrunt pro auxilio contra infantium diuinas voces. Audis, inquiũt quid isti dicunt? Dominus autem infantiles probatas habet acclamationes, quia ex psalmo. 8. deducit illas probandas, ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam. Quod si dixeris pueri non laudabant in templo Dominum, sed clamabant dicentes, Hosanna filio Dauid. Cæterum ista acclamatio laudis erat eximiæ, vt liquet ex interpretatione Lucæ. Namque Lucas, non scripsit Hosanna, sed benedictus, qui venit Rex in nomine Domini: Pax in cælo, & gloria in excelsis. Hæc porro encomia erant Christi, quia per sanguinem eius Deus pacificauit, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt: ipse enim fecit pacem reconciliando mundum Deo patri. 2. Corinthiorum. 5. Vnde Paulus ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Sciendum est, quod, Anna, scribitur Hebræis, iam cum aspiratione, iam sine illa. Quod si scribatur cum spiritu, Hanna, significat, vt placet, quibusdam Hebraicè doctis laudem, vel gloriam, vel pacem. Vnde idem videtur à pueris significatum per Hosanna, quod in Psalmo. 8. scribitur, perfecisti laudem, & Hebraicè, pro laude habetur, Hon, ץע quod laudem significat. Lucas vero exposuit per pacem, quia vt diximus pacem potest significare, Anna cum aspiratione. Ad hanc rationem rem istam expendunt quidam inter-

Ad Colo. 1. Ad Ephe. 2.

terpretes huius loci, at vero dixerim Lucam sensum respexisse verbi, Hosanna, & non vocem. Et sæpe alias facit. Hosanna autem, illa includit omnia, quę Lucas commemorat, vt mox aperietur. De voce autem, Hosanna, scripsit Hierony. libellum ad Damasum Pontificem Romanum. Sunt autem duæ voces, & nō vna, Hos, & anna, Græcis ὡσαννά. Et quidem sunt, qui interpretentur, Hosanna, ideſt, hymnus laudis, alij redemptionem. Vnde Hilarius Hosanna filio Dauid, ideſt, redemptio domus Dauid. Verior autem interpretatio est, ex Psalm. 117. qui Christo aptatur. Vbi enim nos legimus ò Domine saluū me fac, vel, saluum fac (quia Hebraicè, non legitur, me.) Hebraicè legitur, Anna adonai hosianna, ideſt, ò Domine saluum fac nunc. Vnde D. Hieronymus, Hosanna, putat esse verbum vnū compositum ex duobus. Quorum alterum est Hosiah, & est imperatiuus tertię coniugationis Hebræorum, & significat saluum fac, aut saluifica. Alterum est, Na, vel Anna, & est interiectio obsecrantis. Vnde redditur Hosanna per saluifica obsecro, vt sunt etiam apud nos interiectiones dolentis, & indignantis, & apud Romanos, Iò, triūphe, erat ouantis interiectio, aut, Iò, Vnde credidit Augustinus, hoc loco dictionem totam Hosanna esse interiectionem obsecrantis, significans affectum, & non rem aliquam, vt apud Latinos, Heu, est interiectio dolentis, & vah, interiectio est gaudentis, & ò, interiectio est mirantis. At vero libro de doctrina christiana. 2. cap. 11. lætātis esse docet anna interiectionem, vt racha indignantis. Itaque secundum Augustinū tota dictio est interiectio, vel lætantis, vel obsecrantis. Verum iuxta Hebraicā veritatem, nō tota dictio est interiectio, vt diximus: quoniam significat saluifica obsecro. Verum quia lætissimi hoc petebant Hebræi: ideo quia obsecratio erat lætissima dixit Augustinus esse interiectionem lætantis, & obsecrantis.

De voce Hosanna vel Hosianna.

Hosanna includit interiectionē, sed nō tota dictio est interiectio.

¶ Fatebantur igitur turbæ ex hac lætissima obsecratione Christū esse verum saluatorē à Deo missum, vt saluaret Iudęos ab omni noxa. Vnde petendo saluationem petebāt pacem, vt exposuit Lucas. Et quod apud Marcum scribitur Benedictum regnum patris nostri, &c, testantur Messiam esse Regem, quem ipsi sperabant descensurum ex prosapia Dauid, iam adesse, ideo laudantes hunc Regem, dicūt benedictum regnum Dauid patris nostri. Quasi dixissent, Nunc liberabimur per Regem verum Christum filium Dauid, ab omni tyrānide Romanorum, & aliarum nationum, quibus iam pridē premimur: ideo clamabant, Hosianna saluum fac, vel saluifica quæso, à tot, & tantis, quibus diu examur malis. Hosanna igitur filio Dauid, ideſt, obsecrandus est à nobis, & intentissimè obsecramus filium Dauid, verum Messiam, quem sperabamus venturum & fruimur iam præsente, vt saluificet nos.

¶ Sunt qui existimant corruptè proferri, Hosanna, sed legitimè, Hosianna, at vero, cum Matthæus, Marcus, Ioānes, Hosanna scripserint auctint, non est corrupta, sed legitima prolatio. Fertur moris esse Hebræorū in festo tabernaculorū decerpendo ramos pro festi celebritate, dicere solitos Deo Hosanna, & hoc replicabant quā sæpissimè. Vnde credunt Hebræos modo excidentes ramos ab arboribus festiuū morem tabernaculorum obseruasse, Christo acclamando, Hosanna. Et sanè istud possibile est, sed mihi non constat. Hoc scio Hebraicas turbas acclamasse Christo Hosanna, bis in itinere ad Hierosolymam, & rursus in templo ab infantibus, vel pueris Hebræorū acclamatū esse Christo, Hosanna. Deus enim excitabat horū mentes, & linguā, vt diuinam veritatem faterentur publicitus, nullo repugnante. Turbæ igitur illuminantur, & pueri, & Pharisæi cæcātur. Et quia saluare maximè Dei est, qui est autor salutis primus, ideo acclamantes Christo, Hosanna, Christi deitatem implicitè profitebantur. Et implicite saluari petebant salute sempiterna, quæ est vera salus. Hoc idem prænuntiarat chorus ille Angelicus præcinens, Pastoribus, Annuncio vobis gaudiū magnum, quia natus est vobis saluator, qui est Christus Dominus, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Lucæ secūdo. Scribitur autem Hosanna, curiosius à quibusdā calchographis virgula interiecta, adhunc modum, Hos-anna, vt significetur, ex duabus componi vocibus, & non esse simplex verbum,

Legitimè profertur Hosanna, & si Hieron. priorem amat sententiam.

Turbæ & pueri illuminantur Pharisæi, & principes cęcantur.

Christi diuinitas insinuatur in verbo Hosanna.

Hosanna sumitur in hymno Ecclesiastico, Gloria in excelsis Deo, & petimus vt saluemur à Christo. *Benedictus qui venit in nomine Domini* Venit, est temporis præsentis. Venit ergo, vt solueret maledictionem humani generis, quæ erat ex primitiua culpa, & donaret hominibus benedictionem, ex sanguine suo. Vnde hoc adūbratum erat in verbis Dei ad Abraham habitis. Gene. 17. dicentis, quod benedicendæ erant omnes nationes terræ in Abraham & ad Galat 3. indicatur, idem Gene. 22. in semine Abrahę benedicendas omnes gentes terræ. Accepit autem sponte pœnę maledictionem, vt nos erueret Christus à maledictione culpæ, ideo Paulus Gala. 3. dixit Christū factum esse maledictum, quia se subiecit Crucis morti. Est igitur Christus benedictus, quia est fons benedictionis, vt Adam fons maledictionis. Per Adā enim subijcimur maledictioni culpę originalis, & pœnæ, & per Christū, ab hac maledictione leuamur.

Christus est fons diuinæ benedictionis.

¶ Venit ergo in nomine Domini, quia quatenus homo est, venit in orbem ex patris autoritate: ideo Apostolus ad Hebræos tertio vocat Christum Apostolum, christianæ confessionis, quippe apostolus idem est quod missus, Christus autem quatenus homo est legatus & apostolus Dei patris, vt componat pacem Dei cum hominibus. Quo circa nunquā non fatetur se venisse in nomine Domini, ideo & omnia tam verba, quam facta sua refert semper Christus, in Deum patrem suum, vt euangelicus processus demonstrat.

Christus quatenus est homo est, & apostolus & legatus Dei.

¶ Obseruabis porrò in diuinis literis benedictionem, nonnunquā esse secūdum verbum, aliquando secundum rem.

Bifariā vsurpatur benedictio in diuinis literis.

¶ Est autē benedictio secundū verbum, idem quod laus, quādo enim laudamus tum bona dicimus de eo, quē laudamus. Vt tūc maledicimus, quādo detrahimus famę proximi. Vnde Iacobus, 3. ait, nos lingua benedicere Deum, & maledicere homines. Porrò benedictio secundū rem est benefacere alicui, ideoque Abigail Dauidi offerens munuscula, ait. 1. Regum. 25. Suscipe benedictionem hanc, quā attulit ancilla tua tibi Domino meo & da pueris, qui sequuntur Dominum meum.

¶ Vtraque autem benedictione est Christus benedictus, & qua laudatus ab omnibus, & Angelis, & hominibus, Et quia quatenus homo, accepit spiritū, & non ad mensuram. Vnde est Christus benedictus supra omnes à Deo, quia benedictione infinita est benedictus. Quippe gratia vnionis hypostaticæ est donatus, per quā ipse homo cū sit, est Deus, & Deus homo, & idcirco hæc gratia dicitur infinita, quippe per eam Christi humanitas fruitur esse personali Dei verbi infinito, vt nos in tertio Sententiarū exactius disseruimus.

¶ *Rex Israel.* Credebant Messiam Iudæi venturum fore Regem Israel potentiorem cunctis Regibus terræ quamuis vulgus Iudæorum credebant regem temporalem futurum maximum, & potentissimum. *Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum.* Ante omnia prædicta hoc factum est, vt ex alijs Euangelistis liquet, Domino enim sedenti super asellum, occurrit turba, applaudens illi cum ramis arborū, & vocibus, Hosanna acclamans. Alij namque Euangelistæ, expressius, hæc memoriæ mandarunt quam Ioannes: qui succincte hæc trāscurrit, quia ab alijs Euangelistis, aduertebat in sacris esse iam reposita monumentis. Ioannes igitur præpostero ordine hoc enarrauit. Quoniam quæ sunt posterius gesta enarrauit primo, & quæ primo gesta posterius: & vsus est anticipatione.

¶ Est autem non prętereūdum dubium, quid est quod Ioannes, Marcus, & Lucas solum pulli, vel aselli meminerunt. Et hunc tradunt Marcus, & Lucas, esse à Domino iussum ab Apostolis adduci, & super pullum insedisse commemorant, nulla facta asinæ mentione: at vero Matthæus, asinæ & pulli commemoratur. Inuenietis ait Dominus, apud illum asinam, & pullum, & super asinam & pullum apostolos strauisse vestimenta sua, & Dominum desuper sedisse commemorat. Et rursus Zachariæ. 9. Ecce Rex tuus tibi veniet iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super filium asinæ.

Obseruandū dubium.

¶ Sunt autem qui existimant, non sedisse super duo hæc animalia, tametsi adducta fuerint duo, scilicet asina, & pullus & hunc solum conscendisse Dominum.

Quia

Quia turpe existimant, vel impossibile, quod in tam breui spacio successiuè, asinæ, & pullo insederit. At quia scriptura contrarium videtur docere, primo quia ait, apud Matthæum Christus, Inuenietis asinã, & pullum alligatum: soluite, & adducite mihi.

¶Secundo, quia mandat Dominus, vt si possessor asinę, & pulli, aliquid obiecerit soluentibus apostolis, è vestigio ipsi dicant, Dominus his opus habet, sed Dño erant opus, vt essent pro vehiculo.

Variæ sentẽtiæ de vectione Domini super asinam & pullum.

¶Et rursus quia Matth. refert apostolos, super asinam & pullum imposuisse sua vestimenta. Adduxerunt ait, asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimẽta sua, & eum desuper sedere fecerũt.

¶Respondẽt primo asinam venisse cum pullo, quia sequebatur pullus matrem suam, at vero Dominus non conscendit, nisi solam asinam.

¶Secundo respondent asinam esse opus Christo, pro vehiculo, & pullum pro mysterio. Denotabatur namque in asina Iudaicus populus, onustus vt asinus sarcina legis. In pullo vero gentilis populus indomitus, qui nullũ vexisset. Aut quod per sinecdochen sunt accipienda verba hæc, quia pullus solũ erat Christo opus, ait, Dominus his opus habet. Similiter tertium per sinecdochen soluunt, quia totum vsurpatur pro parte. Imposuerũt super eos vestimenta sua: quia super pullum filium asinæ imposuerunt vestimẽta. Ideo, traditur illis fuisse imposita. Et quod ait, eum desuper sedere fecerunt, non ad animalia referendum est, vt ait, Theophilactus, sed ad vestimẽta. Vnde clarius vertit interpres Theophi. Et imposuerunt super eos vestimenta sua, & collocarunt eum super illa, scilicet, vestimenta, seu pallia, aut togas, nam per vestimenta Erasmus vult intelligendas vestes superiores.

Hieronymꝰ, Eutimius, Remigius varij.

¶Hanc sententiam amplexus est Euthimius, & Hiero. non abhorret ab ea. cõm. ad Matthæ. dicens. Sed videtur quod super vtrunq; animal in paruo itineris spacio, Dominus sedere nequiuerit: ergo cũ historia impossibilitatem habeat, aut turpitudinem, ad altiora trãsmittitur, ideſt, ad mysticum sensum.

¶Remigius verò cõtra exponit posse fieri quod Dominus super vtrũque animal sederit. Et quidem quãuis breue erat itineris spaciũ, à Bethphage, vnde Dominꝰ tunc profectus est Hierosolymam, nam oppidũ hoc, vel vicus iste distabat à Hierosolyma, solũ iter Sabbati, Sabbato autem non licebat excedere viando mille passus, ideoque solum distabat milliario vicus Bethphage, seu mille passibꝰ, à Hierosolymis. Quãuis igitur modicum esset iter non propterea Dominus, nõ poterat in sui vectationem successiuè, ambobus iumentis vti. Etenim, non est vsus ambobus propter laborẽ itineris, quia maiora spacia Dominus sine vehiculo iumentorum peragebat, nam pedestri ambulationi assuetus erat, vt creditur. Cæterũ gratia implẽdi vaticinij Zachariæ, hoc fecit. Itaque neque impossibile videtur, neq; turpe, quod successiue, vteretur & asina in sui vectionem, & pullo. Vnde videtur mihi probabilior vulgatior sententia, cui Glossa ordi. astipulatur credens, Dominum successiuè vectum tunc, ab asina, & pullo. Et ratio quæ mihi suadet, est, quia historia sacra ex cõmuni regula quando nihil absurdi, aut impossibilitatis, præfert literaliter intellecta tunc, vt iacet est exponenda. Verum dicendo, Dominum vsum fuisse asina, & pullo, diuisim, & non coniunctim, successiue, & non simul nihil habet absurdi sermo hic, aut impossibilitatis. Quia, vt aiebam non fecit hoc ex prolixitate, seu itineris necessitate, sed ex sacramẽto prænotato. Quod vero tres euangelistæ solum pulli meminerunt, ideo est, quia iam Matth. asinam expresserat. Neque quia Lucas non meminit Hosanna, ideo cõtrarius est tribus exprimẽtibus Hosanna. Aut forsan tres euangelistæ mentionem fecerunt pulli asinarij, & non asinæ, quia pullorum est matres sectari, & ideo suffecit illis pulli meminisse, quia reliquum promptum erat, quod si pullus deferebatur ad Dominum, matrem asinam filiũ non deserturam. Alijs arrisit ideò factum, quia Dominus primo pullum supersedit, & dein asinam. Et hoc etiam fieri potuit. Adhęc cum pullus esset nescius vectionis, forte Domino non erat tranquilla sessio illa, maximè, quia pullus non assuetus vectioni, ex strepitu illo hominũ maximo turbabatur, ideo Dominus, relicto pullo, asinam supersedit.

Vulgata sententia de vectione Domini super asinã & pullum.

Euangelistæ aliquãdo supprimunt, quæ ab alijs aduertebãt expressa.

¶Erat autem mystica significatio, quod gentes adumbratæ in pullo, primo receperunt Euangelium quod Apostoli prædicarunt, at vero tandē Iudaica gens, recipiet Euangeliū Christi. Vnde Acto. 13 Paulus Iudæis inquit, Vobis oportebat prædicare verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, &c. cōuertimur ad gentes. Memini me audiuisse, nō procul ab istis diebus, quendam concionantem monachum, & dubium hoc trutinantem, cur Dominus nunc vtatur vehiculo iumentorum, qui aliàs semper pedestris erat, & solutionem dubij dicturus, captauit religiose concionis attentionem tanquam dicturus aliquid ex tripode. Ettādem inquit ex eo factum, quia Dominus aduertens, se modo ingressurum Hierosolymam ad passionem sustinēdam, ideò antequam ingrederetur prouidit sibi de iumento, intelligens, quod videndo modo Hierosolymā, vbi iā sibi instabat crucis mors, erant sui corporis defecturæ vires. Ideoque iumēti substerniculo voluit iuuari. Nam solent qui deferuntur ad suspendium, ex viso suspendij loco, exanimari, & vires eorum collabuntur.

Gētes primo receperunt euangeliū ab apostolis.

¶Porrò autem tanta dubij trutina indigna fuit huius rudis solutionis. Christo nāque nō sunt collapsæ vires tūc ex visa Hierosolyma, vbi mox erat cruci affigendus. Namque ingrediens, eodem die, vt Matth. 21. insinuatur tēplum, post triūphum magnavi eiecit ementes, & vendētes, & mensas trapezitarum euertit. Nō ergo erant Christo collapsæ vires ex viso crucis suæ loco, vt ideo opus habuisset iumentis.

¶Igitur Dominus opus habuit iumētis istis modo, vt impleret veterem Zachariæ prophetiam. Opus habuit rursus eisdem ad conciliandam fidem Iudæorum: siquidem Iudæi vaticinium hoc Zachariæ credebant in Christo implēdum. Vt ergo Dominus se ostenderet Iudæis esse verum Messiam, vaticinatum à Zacharia, ideo sibi adduci iubet asinam & pullum. Non ergo Dominus opus habuit iumentis istis propter se, sed propter Iudaicæ fidei veritatem firmandam: vnde nostra consequenter firmabatur. *Inuenit Iesus asellum.* Erasmus trāstulit, Nactus autem Iesus asellam. Verū quia Matth. 21. legimus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis, & non scribitur pullū fuisse filiā, ideo rectè vertit noster interpres, asellum etsi ὀνάριον. Græce asellū significat, vel asellā, quia est cōmune duorum, Erasmo autore. At Zachariæ. 9. itidē scribitur super asinam, & filium asinæ, quod Matthæ. expositum filium subiugalis. *Sicut scriptum est, Noli timere filia Sion: Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Demōstrat Christū esse verū Messiam, quia in eo impletum est vaticiniū Zachariæ, quod de Messia vaticinatus fuerat. Apud Zachariam autē non legimus, Noli timere filia Sion, sed, Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalē: ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ, Ioānes autem quædam omisit huius testimonij Zachariæ, & alia mutauit. Pro, Exulta, & iubila dixit, Noli timere. Matthæus vero, itē pro exulta & iubila, dixit, Dicite filiæ Siō alludēs ad Esaię vaticiniū. 62. Dicite filiæ Sion, ecce saluator tuus venit, &c. At apud septuaginta aliter est editus locushic, videlicet, Gaude vehemēter filia Sion: prædica filia Hierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluās ipse, māsuetus, & ascendens super subiugale, & pullum nouum. Ex qua editione idem apparet Dominum insedisse super vtrūque animal, & asinam, scilicet, & pullū. Non transtulerunt autem septuaginta, Venit tibi pauper, vt nostra habet editio, sed māsuetus. Quippe vox Hebręa. Ani, si per iod scribatur pauperem significat, si per vau, mansuetum. Porrò Vatablus in sua editione, non asinam transtulit, sed asinum. Et quamuis ὄνος, Græcis sit commune duorum, verum dictio Hebraica, quæ correspondet dictioni, asinus, chamor, significat asinum masculum non fœminam, vt asinus Latinis, nomen est maris. Vnde transtulit ille, Sedens super asinum, & pullum filium asinarum, ideo contendunt quidam, Dominum non insedisse, vt dicebamus, nisi super vnum tantum animal, scilicet, pullū. At vero quia pullus ex natura sua asinus est, ex ætate vero pullus, idcirco sedendo super pullum ætate, ascendit quoque super asinum specie. Porrò, hæc expositio magis spectat ad philosophicā, subtilitatem, quam ad germanam huius loci

Euangelistæ mutant verba vaticiniorū, sed non sensum.

Chamor significat asinū Hebręis, & videtur cōmune duorum.

Deus opus habet suis creaturis nō propter se, sed propter nos, quia ipse disposuit per eas voluntatē suā exequi.

ci intelligentiam. Quia tamen aliquãdo etiam chamor vſupatur in fœminino genere. 2. Reg. 27. ideo nihil mirum ſi ab interprete Latino, ſimiliter ſit acceptũ. Siquidem videtur etiam eſſe commune duorũ, etiamſi vſurpetur pluries in maſculino genere. Quocirca interpretes ſeptuaginta ſignificati obſeruantes potius qualitatem, quam naturam, communitatem vocis traduxerũt, ὑποζύγιον, hoc eſt, ſubiugale qualitatem iumenti ſignificantes.

¶ At verò quanuis ſit varietas Euangeliſtarum inuicem, in citando teſtimonio hoc, & ſeptuaginta ſatis varient ſecundum verba ab ipſis, cæterũ ſenſus idem eſt. Siquidem, quod vates monet Hieroſolymitas, vt exultent & iubilent, vtique ſi exultant non timebunt, vt neque timebunt ſi iubilant. Neque diuerſitas, verbi veniet, aut venit, quicquam officit ſenſui, cum ſit familiare Hebræis tempus vſurpare pro tempore. Cæterũ filiam Sion, exponit vates per filiã Hieruſalem, & filia Hieruſalem, ex phraſi Hebraica ſignificat, omnes Hieroſolymitas. Vt enim pertinentes ad regnum Dei, dicuntur filij regni & pertinentes ad gehennam dicuntur filij gehennæ, ita omnes pertinentes ad Hieroſolymam, dicuntur filia Hieruſalem. At omnes Iſraelitæ ad Hieroſolymam pertinebãt, & ad montem Sion, quatenus erat metropolis Iudæorum, & in monte Sion erat templũ Dei, & Sanctaſanctorum. Iubet igitur Iſraelitas vates exultare, & iubilare, & procul abigere timorem, in aduentu ſummi regis Chriſti, quia non venit in primo aduentu, vt damnet homines, ſed vt ſeruet. Non, inquit, miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mũdus per ipſum, Ioann. 3. Ideoque Dominus nõ venit timendus, ſed potius amandus. Et hoc, vt ſignificaret Zacharias, dixit, Venit tibi pauper ſiue manſuetus. Pauperes enim, & manſueti non veniunt timendi, ſed potius amandi. Vnde Dominus ſuam paupertatem ob hoc demonſtrans dicit. Matthæ. 5. & Luc. 9. vulpes foueas habent, & aues cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput ſuum. Et ſuam item manſuetudinem patefaciens, ait, Diſcite à me, quia mitis ſum. Matthæ. 11. Et Ioannes propterea citat teſtimonium, Zachariæ dicens, Nolitimere, &c. vt hæc inqueret. Hic namque ſenſus ex Zacharia colligitur. Dicens, namque, Venit tibi pauper, vel manſuetus manifeſtè dicebat, non eſſe timendum huius regis aduentum. Neq; ſolum ipſe rex Chriſtus venit pauper, quinimò ex induſtria aduentus eius pauperem habuit apparatum. Quandoquidem aſina, & pullus non erant Domini propria, ſed mutuo accepta ab alijs. Vnde poſtquam Dominus ingreſſus eſt Hieroſolymam, remiſit illa ad Dominũ ſuum, vt Chryſoſt. adnotauit. Adhæc quæ ſternuntur, in aduentu tanti principis, non ſunt ſerica, aut carmeſina, aut ex auro tapetes, vel ex argento contexti, ſed veſtimenta vilia turbarum. Neq; tubis, aut alijs muſicis inſtrumentis excipitur in Hieroſolymã Chriſtus, id quod in ingreſſu nouorum principum facere hominibus eſt in vſu. Sed vocibus ſimplicibus illis tantum celebratur aduentus, Hoſanna filio Dauid, &c. Neque proceres Hieroſolymitani, vt templi, & vrbis magiſtratus Dominum ingredientem comitantur, id quod ſolent præſtare magiſtratus principibus nouè ingredientibus vrbes, ſed pauperrimis comitatus Apoſtolis ingreditur. Imò nudati togis ſuis, apoſtoli ſicut & cæteri omnes comitantur Chriſtum. Quia Apoſtoli togas ſuas ſtrauerant ſuper aſinam, & pullum, alij ſuper pauimentum. Non erat ergo timendus aduentus hic tanti principis, ſed amandus & optandus potius. Non enim venit, vt tollat noſtra, vt ſolent mundani principes, ſed vt nobis largiatur ſua, quia diues eſt in miſericordia. *Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primũ, ſed quando glorificatus eſt Ieſus tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.* Hæc non fuiſſe, quæ retulerat Euangeliſta, caſu facta, demonſtrat modo, ſed ex Dei ordinatione, quam ſacri vates memoriæ prodiderant exequenda ſub Chriſto, & in Chriſto. Quanuis Apoſtoli non aſſecuti ſunt hoc myſterium, donec Spiritus ſanctus illos imbuit, glorificato Domino. Eſt autem Chriſti triplex glorificatio, alia ſecundũ animam, & hac ab exordio ſuæ conceptionis fruitus eſt. Alia eſt ſecundum

Varietas in verbis ſi non lædit ſenſum nõ eſt noxia.

Chriſtus pauper & pauperrimo apparatu ingreditur in Hieroſolymam.

Triplex Chriſti glorificatio.

corpus, & hæc ex resurrectione à mortuis sibi obtigit, alia denique secundum locum, quam ascendens in cælum, & deuehens corpus suum, supra cælestes globos consecutus est. Et de huiusmodi loquitur Ioan. & Glossa interli. ad resurrectionem retulit, Vt aliàs inquit, non erat spiritus datus, quia Iesus non erat glorificatus. Quamuis enim post resurrectionẽ suam, multa docuerit apostolos, Lucę. 24 & Acto. 1. cæterum, vt ex Ioãne modo liquet, non omnia mysteria illis fuerunt patefacta donec Spiritum sanctũ Christus de regalibus suis misit doctorẽ, apostolicarum mentium. *Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum a mortuis.* Turba Iudæorum, quæ aderat Domino suscitanti Lazarum, testata est magnitudinem, & euidentiam miraculi suscitati Lazari. Sensus igitur est, Quia turbæ, quæ viderunt Lazarũ suscitari à Domino, vulgarunt tanti miraculi maiestatem, apud Hierosolymitas, ideo omnes Hierosolymitæ obuiã venerunt Christo ingredienti in Hierusalẽ. Ideo sequitur. *Propterea, & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* Glossa ordinaria causam huius celeberrimi introitus in Hierusalem credit esse, vt Dominus maleuolos hostes suos excitaret, vt cito eum morti traderent. Vnde ait, ad Matth. 21. frequenter ingressus est ciuitatem Hierusalem, sed non cum his laudibus, non rex vocatur, quod semper fugerat, nisi modo quando ascendit passurus. Quod ideo factum est, vt amplius illorum aduersus se excitaret inuidiam, quia iam tempus passionis instabat. Porrò hoc quod glossa exposuit, sano sensu est donãdum vt veritate constet. Enim verò Christus si intẽdisset illorum excitare inuidiam, intẽdisset hostium suorum peccatũ, id quod prorsus ab omni veritate abhorret, Deus enim neminem pellicit ad peccatum, Iacobi. 1. Cæterũ ex facto hoc Christi consecuta est inuidię Pharisaicę summa exarsio. Est namque inuidia, ceu ignis, qui tantum crescit, quantum ligna crescunt, sic inuidia ex operibus bonis augetur. Cum ergo Dominus in ingressu suo, magno micauit apud homines splẽdore, vt quantum conderet, sub carnis infirmæ tegumento, maiestatis demonstraret, inde hostes Domini, tantam operum mirabilium lucẽ iam non ferentes, quia liuore obcæcati erant, decreuerunt rumpere moras, & iniqua sua desideria operi mandare. Nõ ergo excitauit Christus Iudęos aduersarios ad inuidiã, sed optime sciẽs, eos ex celebritate ingressus huius prouocandos in extremum furorem, suæ tamẽ obstinationi eos permisit, vt qui in sordibus erant sordescerẽt adhuc. Multa de re hac diximus in declamationibus ad Esaiã quę qui volet, poterit legere in declama. ad caput. 6. Quo circa hac disputatione interim missa tu considera, quam fallax, quamque inconstas sit hominis ingeniũ. Nam conferas Iudaicæ turbæ, si libet, ac clamationes & eximios, quos Christo obtulerũt modo honores, cum clamoribus quos mox feria. 6. porrigent Pontio Pilato, & miraberis si sapis. Nunc enim clamant, Hosanna filio Dauid, tunc clamabunt, Tolle, tolle crucifige eum. Proh, hominum miserandam, & plane deflendam conditionem, quam cito deflectit, à tramite recto, & in obliquum sese præcipitat. Proh Iudæorum perfidiam, quãuis mulcetur Christi blanditijs. O infelices Iudæorum turbæ currebatis benè, quis vos fascinauit, vt recederetis à via veritatis? Optimè feciſtis, Christum excipiendo, cum maximo triumpho, regemque esse vestrum iustissimè professi estis & clara voce, atque sonora veracissime prædicastis vestrum esse saluatorem, quid ergo miseri inueniſtis, in tam beato rege, vt contra clamaretis, Tolle, tolle, crucifige eum? Tam de repente abolita est memoria tanti signi, quod vidistis, & audistis, vt pro insigni gratia, pro egregijs operibus, quæ in vos immeritos collocauit Christus mortẽ sæuissimam, illi inferendam instanter efflagitastis? O ne quisimi retributores, qui innumera impensa in vos beneficia, morte non vulgari, sed turpissima rependitis. Cur nõ voluitis apud vos metipsos, quod is qui quatriduanum Lazarum suscitauit à mortuis, & alia enarrata signa fecit, poterit, sumere pœnas de vobis acerbissimas? *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis quia nihil proficimus, ecce mũdus totus post eum abit.* Videntes Pharisæi turbas concrepãtes vocibus, & gaudio, & Christo acclamantes, & post eum ardentissimè curren-

Glossa Glossæ

Deus neminẽ pellicit ad peccandum.

Fallax & volubile valde est hominis ingenium de bono in malum.

tes,

tes, & dixerunt inuicem forsan conuocato concilio suo, Videtis, quia nihil proficimus? hoc est, videtis quod nostræ calumniæ, nostræ fraudes, nostra mandata, quibus confitentes Iesum esse Christum, à nostra synagoga expellẽdos iussimus, nihil hæc omnia proficiunt, sed instar ignis, qui vegetior fit immissa aqua, sic multo ardentiores fiunt homines in fidem, & amorem Christi ex mandatis, & prohibitionibus nostris? *Ecce mũdus totus*. Hyperbole est, quia tunc non totus mundus sequebatur Christum verum ipsi, vt rem suam magis exaggerarent, hyperbolicè loquuntur. Quamquam rem veram extulerunt, quia totus mundus est Christum secutus. Et ne sequeretur totus mundus Christũ ipsi dederunt operam, vt crucifigeretur, & ex cruce sua nihilominus, totum ad se rapuit sine violentia orbem. Vt fratres Ioseph fugientes dominium fratris, vendiderunt fratrem, & ex venditione fuit Dominus fratrum suorum. *Mundus totus*. Totus non extat apud Græcam lectionem, neque apud Græcos interpretes Chrysost. & Theophilact. qui per mundum turbam intelligunt. *Videtis, quia nihil proficimus*. Vtinam non videretis, sed cæci essetis vt vos illuminaret Christus. Quia Ioann. 9. In iudicium, ait, veni in mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant: quia ergo videtis, ideò cæci estis, & in cæcitate vestra moriemini. *Nihil proficimus*. Sanè proficitis, sed ad impietatem. 2. Timoth. 2. At obsecro quomodo proficere potestis? Durum est enim vobis cõtra stimulum calcitrare. Quomodo proficietis, quia non est sapientia, non est prudentia contra Dominum? proficietis tantum, quantum profecit opera ædificãtium turrim Babel, ipsis ædificãtibus quorum opera in vanum illis cessit. Eorum enim diuisit linguam Deus, & eos dispersit in orbẽ. Vester quoque conatus contra Christũ cassus erit. Imò non solum cassus, sed etiam contra vos ipsos ipse dimicabit, & contra vos vertetur. Diuidet enim vos Deus à testamento suo, & templo suo, & in nationes dispersdet: vestram linguam cõfundet, quia si laudabitis Deũ, vestra laus iam non est speciosa more vestro. Quippe non est speciosa laus in ore peccatoris. Et sicut opus ædificantium turrim dissipatum est in manibus ædificantium, ita consilia vestra, & opera cõtra Christum in vobis ipsis dissoluentur. Conatus namque vestri, in vestrum reciderunt caput. Quippe confusi & abominabiles facti estis, postquam Christum interfeciistis, & contritio, & infœlicitas est in vijs vestris. Hoc rursus proficiet vobis vestrum contra Christum studiũ pessimum, quod profuit consilium Achitophel Gilonitæ, ad euertendum Dauidis regnum. Profecit sanè illi ad suspendium itidem & vobis, vnde & Iudas Christum vendens se laqueo suspendit. Et vos, qui emistis si non visibili tor quimini suspendio æterno, multo grauiori supplicio detinemini. *Nihil proficimus*. Vobis nihil proficitis, vestris cruẽtis mentibus nihil proficitis, imò multũ deficitis & officitis. At verò orbi multũ proficitis, quia Christi mors, quam sanguinolento corde expetiuistis, salus & vita mundi est.

Acto. 9. Prouerb. 21. Genes. 10.

2. Reg. 15. 17

ENARRATIO III.
in caput duodecimum.

Erant autem quidam gentiles ex his, qui ascẽderant, vt adorarent in die festo: ergo acceßerunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes, Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ, Andreas rursus & Philippus, dixerunt Iesu.

Gentes motę ex celebritate templi Salomonici illo concedebant adoraturæ Deum.

EAmiliare erat Gentilibus, & ijs, qui prope erant, & ijs qui longe à Hierosolyma, Salomonicum visere templum. Erat enim celeberrimum hoc templũ, & clarissimum etiam apud gentes. Vnde Eunuchus ille reginæ Candacis vt gesta memorãtur Apostolica, capit. 8. ab Æthiopia venit adorare Deum, in templo Salomonis. Et nunc idẽ legimus de Gentilibus istis. Admittebantur autem adorare gentes, non tamen edere paschalem agnum, nisi essent proseliti. Exod. 12. Sunt qui credant hos fuisse proselitos, at vero, etiam nõ proselitis patebat accessus ad tẽplũ, vt Deum adorarent: adoraturi autem veniebant. Et qui a non ait venerunt, vt se san-

sanctificarent, vt supra.11. sed, vt adorarent insinuat hos non esse proselitos, sed esse gentes barbaras, quibus moris erat semper ascendere, maxime festis, gentiles quosdam ascendisse Hierosolymam, vt adorarent Deum in templo diebus festiuis, & maxime solennitate Paschalis agni, cuius meminit modo Ioannes. Atum duo concurrebant, vt gentes venirent Hierosolymam, & ratio adorationis, & rursus ratio videndi Iesum. Crebruerat enim illustrissima Christi fama apud gentes vicinas, scilicet, Aegyptios, & Arabes, ideò tenebantur desiderio videndi Christi. Vnde Dominus Ioan. 4. dixerat, Videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem subdenotans, gentiũ vocationem in promptu esse. Id quod modo etiam significatur in aduentu hoc gẽtium desiderantium videre Iesum. Hoc namque desideriũ, iam præparabat gentes ad fidem Christi, Incertum autem est quoto die istæ gẽtes venerunt visum Dominum, an scilicet, eodẽ, aut altero die,

¶Miratu dignũ quod alienigenæ tenentur desiderio videndi Christi, ex auditu duntaxat desiderantes videre. Et indigenæ Iudæi videntes Christum non videndi, sed occidendi Christum desiderio tenentur. Et tantum aberat, vt desiderarẽt videre, quod visum fastidiebant.

¶Vnde Iudæi, qui pertinebant ad populum fidelem discesserunt à fide, & gentes infideles, & idololatræ fidem Christi susceperunt, vt iam hinc expendere liceat, plus obesse prauam affectionẽ cordis suscipiendæ fidei, quam idololatria, & infidelitas. Gentes igitur rogarunt Philippum, vt admitteret eas, ad videndũ Christum (subaudi etiam, ad colloquium etiã cum Christo ineundũ) forsan, quia hunc ad manum magis habebant, quem possent precari.

Mala cordis affectio summum præstat obstaculũ fidei suscipiendæ.

¶Philippus verò, non est ausus rem hãc tentare, forsan, quia gentes erant, quæ hoc petebant, quæ erant odio Iudęis, aut forsan, quia solus, duxit non impetraturum, ideò Andream accersit, qui simul cum eo Dominum precentur, vt admitteret deuotarum gentium visum, & colloquium. Andreas autem vocarat Philippum, ad notitiam Christi, & ideò, vt sibi familiarem, & aliàs notum, Andreã sumpsit in precum coadiutorem.

¶Vox autem Græca, cui respondet hęc, gentiles apud interpretem nostrum, Grẽcos significat, & non alios gentiles, sed nationem Grẽcorum, ἑλληνισ, enim scribitur, non ἐθνικοι. Nam hoc secundum nomen omnes gẽtes denotat Græcis, primum verò solum Græcos. Vnde Theophilactus docet hos Græcos fuisse propinquos regioni Iudæorum, & ascendisse, vt fierent proseliti. Et probabile etiã est à remotis etiam regionibus conuenisse Salomonis templum, illectos religione, & pulchritudine templi, vt fideles, à remotissimis partibus veniunt Romam, & infideles etiam visendæ Romæ gratia. Quippe quæ celeberrima est apud omnes nationes. Iam hinc considera deliros esse nouos hæreticos, sanctos non esse rogandos blasphemantes. Namque gentes non ausæ sunt ex primo congressu adire Iesum, sed primo conueniunt Philippũ, & Philippus Andream coadiutorem poscit. Et si viui sunt precandi, & imploranda est eorũ auxilium quidquod mortui? Thomas autem cõm. ad Ioannem credit hoc loco hunc Philippum esse eum, qui missus fuit Samaritis prædicaturus genti illi, Acto. 8. Et qui Eunuchum Candacium baptizauit qui vocatur Philippus diaconus, cui refragantur autores. Siquidem Eusebius lib. 2. Eccle. histo. cap. 1. & Chrysostomus, homil. 18, in acta Aposto. credunt fuisse hunc Philippum alterum ex septẽ diaconis, secundum ab Stephano. Et Beda in cõm. actu. idem comprobat, & est vulgata sentẽtia, quia Philippus hic solum baptizauit Samaritas, quia non erat Apostolus, Apostoli autem eos confirmarunt. Nam Petrus, & Ioan. Samaritis manus imposuerunt, vt acciperent Spiritum sanctum, quem Philippus, non potuit cõferre, quia erat diaconus, & non Apostolus. Verum hæc interim missa faciamus, & ad priora recurrat oratio. Quæres forsan, cur noster interpres trãstulit Gentiles, & non Græcos? dixerim, quia Gentes est genericum nomen comprehendens sub se Græcos. Posuit igitur nomẽ generis pro specifico.

Deliriũ hæreticorum sanctos non esse precandos.

Iesus autem respondit eis dicens, Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert. Euãgelista

non

non commemorat, Christum annuisse petitioni Andreæ, & Philippi dudum expositæ, sed ad alia diuertisse Christũ sermonẽ, scilicet, vt doceret gentium vocationem ad fidem in procinctu iam esse, quare respondit. *Venit hora.* Quod namque proximè speratur futurum adesse iam sermo communis dicere habet in vsu. Ideò Dominus ait, *Venit hora*, qua sermonis phrasi supra quoque est vsus. Clarificationem vocat, suum eximium honorem. Perinde igitur est acsi dixisset venit hora, vt insigniter honorificetur filius hominis: fuit namque manifestatus, & insigniter honoratus à patre, cum esset cruci appensus. Quia totum vniuersum, tunc non loquendo, sed se se concutiendo, & obscurando Christi crucem, honorauit, & de Christi passione quo ad licuit condoluit. Et rursus resurgens à mortuis fuit manifestata Christi diuinitas: & in die Pẽtecostes, & in conuersione gentium.

¶ At forsan obiecerit quispiam, quomodo clarificetur, quãdoquidẽ nulli potest fieri clara Christi diuinitas, interindũ hic agimus in hoc graui exilio: fides namque si clara esset euidens sciẽtia esset, & non fides.

Quod fides credit, est obscurum quod verò sit credibile quod creditum est clarũ.

¶ Oportebit dicere, ex Christi miraculis, etiam ijs, qui illa spectabant, & oculis videbant, nunquam patuit diuinitas Christi clara, & euidenti notitia, quia diuinitas à nobis videri nequit modo. Vnde, neque illis patuit, neq; nobis, quod hæc, homo Christus erat Deus, & homo sanè, quod esset homo, oculi demonstrabãt, at quod esset Deus absconditũ erat.

¶ Potuerunt tamen illi, qui tot & tanta videbant Domini miracula, clarè videre Christum, esse virum summæ sanctitatis, & à Deo esse missum: videre, inquã, ex summis eius operibus colligentes, hominis summam virtutem & potestatem. Et quod iniustissimè occidebatur, & iniustissimè persequebatur. Et demum vt dicunt Theologi, fides secundum quod credibilis est euidens est. Nam euidens erat quod quæ Dominus docebat, tantis firmans, & probans miraculis, credibilia erant: verum secundum quod credita obscura est. Explicat autem quod dixerat, *Venit hora, &c.* docens clarificationem suam ex morte sua sibi prouenturam, & inducit exemplum quoddam defrumẽto naturale. (Theologia enim, & naturalibus, & moralibus exemplis vtitur.) Sicut enim granum frumenti, siue tritici, siue ordei, siue siliginis, non multiplicatur & abundat, nisi sepultum in terra emoriatur, siue corrumpatur: tunc enim ex corrupto grano generãtur multa grana, quod si non corrumperetur, solum & non multiplicatum esset: mors igitur grani, ipsum multiplicat. Instar cuius Dominus per mortem suam, multiplicauit fidem suam in omnes gentes. Vnde, vt inquit Augustin. mortuum est hoc granum in infidelitate Iudæorum, & multiplicatum est in fide gẽtium. Hoc autem granum frumenti, æternus agricola ille cuius ipsummet granum meminit dicẽs, Pater meus agricola est, misit in terram. Namque missio eius, est casus eius in terram. Et ideò Esaiæ. 9. verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Siquidem personaliter non venit Christus, nisi ad oues, quæ perierunt ex Israel. Tũc cecidit hoc granum, quando fatum est in vtero beatæ Mariæ virginis, & verbum caro factum est. Vtiq; cecidit granum, quia exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Tunc autem est mortuum hoc granum, quando humiliauit semetipsum, vsque ad mortem, mortem autẽ crucis, tunc autem multum fructum attulit, quando prædicatum est gentibus, & creditum est in mundo. 1. Timoth. 3. Matthæ. 13. dixerat Christus verbũ Dei esse instar seminis, nunc autem se vocat granum frumenti, frumentum autem etiam semen est, at non omne semen est frumentum. Cæterum Dominus, non se omni semini confert, sed solum grano frumenti. Namque etiamsi omnia semina sata, se multiplicant, at verò solius frumenti multiplicatio necessaria est vitæ humanæ, nam alia semina non sunt adeò vitæ necessaria, sed potius ad delicias seminantur. Vt ergo Dominus se esse necessarium insinuaret vitæ humanæ spirituali, ideò se contulit frumento. Vnde consecrauit panem frumentaceũ, in corpus suum, vt vinum in sanguinem suum, quia ipse est granum frumenti, & vitis vera nos autem palmites. *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suã in hoc mũdo, in vitam æternã custodit eam.*

Corruptio vnius est generatio plurium.

Ioan. 10.

Missio verbi, est casus in terram.

Ad Philip. 2.

Semen est genus ad frumẽtum.

Frumentum est humanæ vitæ necessarium.

Fructum

Fructum suæ mortis, multum futurum, satis ostenderat ex collatione sui ad granum frumenti, nunc autē fructum mortis suorum subdenotat dicens, *Qui amat*. Et non dixit, qui amat animam suam in hoc mundo, sed, qui odit animam suam in hoc mundo: siquidem omnes homines amando animas suas in hoc mundo amant. Est enim natiua hæc propensio amandi seipsos. Vnde hoc generale est omnibus viuentibus, vitam amare propriam. Iob. 2. Pellem pro pelle, & cūcta, quæ habet homo dabit pro anima sua. Et Apostolus, Nemo carnem suam odio habet. Sed nutrit, & fouet eam. Odire igitur vitā naturalem nullius est, at amare est omnium: quia natiuum est. At vero quod Dominus modo monet, est propriæ naturalis vitæ odium, hoc namque est contra naturalē inclinationem. Amare igitur animam, est se amare, & hoc est naturæ, odire verò animam in hoc mundo, est se abnegare in hoc mundo, quod Dominus iubet Lucæ. 9. & hoc gratiæ est. Adiecit autem Dominus in hoc mūdo, quia in altero mundo, non locus est abnegandi seipsum, sed vbi ceciderit lignum ibi permanebit, Eccles. 11. quia à morte, ita bona, vt mala merita cessant.

¶Porrò odire animam seu vitam temporalem, seu abnegare seipsum multifariā accidit, aut benè odire, bene abnegare & malè, sunt male odientes, qui seipsos interficiunt, vt ille Cleombrotus fecit qui legens Platonis Phędonem de statu venturo animarum beatificantem, lucē hanc prorsus semetipsum præcipitio in mare dedit, vt beatitudinis esset cito compos. Alij vero, diuexati miserijs vitæ, & curis præsentibus, atque vitę molestijs, sibi sui vltrices iniecerūt manus, vt Cleopatra illa fecit, victo apud Actium Antonio, aspidibus se commisit necandam. Isti & omnes alij, similes istis, se odio habēt, & seipsos negāt, sed pessimè se odio habent, pessimèque se negāt. Vnde Dominus Satanæ suadenti præcipitium nō assensit. Nemini nāque licet sibi manus inijcere funestas, imo neque sua detruncare, aut euellere membra. Ideo Empedocles Poeta, Siculus malè se odiuit qui ex fastu inani diuinitatis gloriā ambiēs, ardentem frigidus Æthnam insiluit, vt ait Horatius, vt etiam Democritus contemplationis rerum naturaliū plusquam satis auidus nè, visio rerum eum distrahe ret à contemplatione luminibus se orbauit suis, male se odiuit.

Cicero Tuscu. 1. libro. & August. lib. 1. de ciui. Dei. cap. 22.

Horati. de arte poeti. ad finem.

¶Bene autem se odire bifariam accidit, aut frænando concupiscētiæ insultus, & hoc sanctum est Apostolo, Roma. 6. monente, Mortificate mēbra, quæ sunt super terram. Nam qui Christi sunt crucifixerunt cum vicijs, & concupiscentijs ad Galatas. 5. Istud crucifigere, est odire carnem suam: & odire carnem suam, est odire animam suā, hoc est, vitam carnalē & sensualem. Verūtamen est aliud odiū etiam bonum, sed longe difficilius isto, etiam si inclusum in prę habito, videlicet quod quando articulus necessitatis exegerit, vitam subdamus nostram morti, ob amorem Christi. Quamuis qui sine causa necessaria hoc feciſſet nō bene odit animam suam, aut qui se in periculum mortis fidei prætextu, congesserit, non vocatus à fidei necessitate, sed ex propria moriendi libidine stimulatus. Qui ergo ne lædat fidē Christi, aut ne Deum offendat mortē patitur, hic optime odit animam suā, quia pluris facit, quod plurisfaciendum est. Maius enim bonū est obseruantia fidei, aut diuinæ legis custodia, quam propriæ vitæ temporalis columitas.

Aul Gel. noct. atti libro 10. cap. 17.

¶At vero sibi cōscisere mortem, est male suam animam odire. Neque Christus præcipit, vt nobis inferamus mortem, qui iussit persecutores declinare. Si vos, inquit, persecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam. Matthæ. 10. sed quando necessitas se dederit, sed præcipit inferēdam patienter sustinere. Vt Ecclesia de sanctis martyribus canit. Cæduntur gladijs more bidentium. Non murmur resonat, non querimonia, Sed corde tacito mēs sibi conscia, Conseruat patientiam.

¶Fuere quidam, quos memoria prodit sacra, qui sibi mortem intulerunt, vt de Sanſone cōmemoratur. Et Eusebius virgines quasdam, quas Ecclesia retulit in albo sanctorum martyrū refert seipsas interemisse, in rapidos fluuios, aut in vastū se præcipitantes mare, aut in paratos rogos ignis se coniecisse, vt Apollonia.

Iudi. 16.

Lib. 8. cap. 12

¶At, istæ nō male seipsas oderunt, quæ diuino spiritu edoctæ hoc feciſſe creditur. Lege August. 1. lib. de ciuitate Dei, cap.

'Apollonia, Pelagia, Sophronia virgines & martyres etsi ipsę sibiipsis parauerũt mortem.

cap. 26. Et Ambros. libr. 3. de virgin. vbi Pelagiam, & Sophroniam indicat, se interfeciſſe, & nihilominus in numero eſſe martyrum. *In vitam æternã cuſtodit, &c.* Quanti meriti ſit ſic odio habere vitam, & affectus noſtros, oſtendit Dominus, quia hoc odium temporale remuneratur mercede æterna. Vnde, qui ad hãc rationem perdit temporalem vitam propter Deum, perdit, non vt æterno perdat, ſed potius damnum hoc temporalis vitæ recompenſatur ingenti lucro æternæ vitæ. Hæc autem verba à Domino dicũtur, vt nobis addant animum perdendi temporalia bona, quando fuerit neceſſe propter Deum. Nam ſi quod maximũ bonorum temporalium eſt, ſcilicet, vita naturalis, hæc odio habenda eſt, propter Deum, quid quod & alia longe viliora ſint odio habenda. *Siquis mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Chriſtus fideles monet, vt ſequantur exempla, & veſtigia eius, ipſe enim mortuus eſt ob ſalutem orbis, ideò vult etiam fideles ſuos, vt hoc ipſi ſequãtur, ſi opus fuerit, mortem pati, propter Chriſtum, vt illam ſubeant. Quanuis non ſubibunt pro ſalute mundi, quod ſolius Chriſti eſt, ſed pro propria ſalute. 1. Petr. 2. Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Remuneratio autem huius ſequelæ erit, quod addit. *Et vbi ego ſum, &c.* Chriſtus ſecundum humanitatem in terra erat, at ſecundum diuinitatem in cælo conſpiciebatur ab angelis: ideoque ſubdenotat miniſtros Chriſti, qui veſtigia Chriſti ſectantur, collocandos eſſe in ſedibus cœleſtibus. Quocirca ait, Vbi ego ſum de præſenti, illic erit de futuro miniſter meus, quia vſque ad aſcenſum Domini ſuper æthera nullus ſanctorum fuit in cælo. *Si quis mihi miniſtrauerit honorificabit eum pater meus.* Quoniam Chriſtus quatenus Deus, eſt idem ſecundum ſubſtantiam diuinitatis quod pater, ideò neceſſe eſt, vt qui honore proſequitur filium, honore eodem & patrem proſequatur. Quo fit patrem honoraturum miniſtros filij, quia miniſtrans filio, etiam patri miniſtrat. At verò fieri nequit, vt qui miniſtrat Deo patri, miniſtret, ſine grandi retributione, quæ eſt æterna retributio. Deus enim cum ſit æternus plus amat æterna, quam temporalia, ideoque Chriſti miniſtros, non temporalibus dotabit præmijs, ſed æternis: ideò ait, *Honorificabit eum pater meus.* Summus autem honos miniſtrorum Chriſti eſt, eſſe in cœleſti regno, vbi eſt Chriſtus. At verò quia Chriſti mos eſt, vniuerſa referre in patrem ſuũ, idcirco honorationem ſuorum miniſtrorum Deo patri tribuit, vt in omnibus ſe Deo patri concordem oſtendat. Ideò ſubiecit, *Si quis mihi miniſtrauerit honorificabit eum pater meus.* Quaſi dixiſſet honorẽ qui conferendus miniſtris meis eſt, non leuis, & vulgaris eſt, quippe à patre meo eſt conferendus. *Si quis mihi.* Rem difficilem, & raram eſſe inſinuat Chriſto miniſtrare. Ideo ait, Si quis. Enimuerò cũ ſit hoc miniſterium ſupernaturale, accliue eſt hominibus, propriam ſuperare naturam: ideoque maxima pars hominum infidelium eſt, & fidelium bona pars non miniſtrat Chriſto, vt oporteret miniſtrare.

Deus plus amat æterna quam temporalia.

Honor qui à Deo tribuitur quia à maximo Domino tribuitur maximus eſt.

ENARRATIO IIII.
in caput duodecimum.

℣ *Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc, Pater clarifica nomen tuum.*

POST honorificentiſsimas illas acclamationes, Hoſanna filio Dauid, poſt triumphalem illum introitum in Hieroſolymã, qualem nullus terrenorum principum obtinuerat, videns ſe iam proximum paſſioni, & crucis morti, in hæc erupit verba, Anima mea turbata eſt. Neque ſecus turbatur modo, quam cap. proximo ſuſcitaturus Lazarum, quando turbauit ſe ipſum. Enimuerò, non turbatur ex præſentia mortis, iam imminentis, vt nos turbamur: at turbatur ſponte, & non coactus. Turbatur demum ſub dominio ſuo habens turbari, quando volebat, & non turbari quando nolebat. Rurſus turbat ſe modo, vt etiam ſe turbauit in horto, quando cœpit tædere, & pauere, & factus in agonia prolixius orabat, Pater auferà me calicem iſtum. Has namque turba-

Turbatur Chriſtus non coacte, ſed ſponte.

turbationes humanę naturę natiuas, ipse habuit vere, & ideo demonstrabat illas, quando opus facto erat. Nunc autem instante morte opus erat illas patefacere, ne si contra feciſſet, hominem non verũ eum esse, sed phantasticum homines crediderent. Vt non obstante hac demonstratione suæ humanitatis Manichæi hę retici phantasticum, & non verum hominem Christũ esse putauerũt. *Quid dicam.* Verba sunt turbatis hominibus familiaria: at Dominus, sciebat quid esset dicturus, scilicet, quod subdit, Pater saluifica me ex hac hora. En tibi quid dicit, scilicet, patrem precari, vt saluet eum ab imminente mortis hora. Est namque natiuum hominibus mortem fugere, & vitã appetere. Et quia Christus verus erat homo, hoc inculpatè, & naturaliter optabat: & proinde suũ desiderium patri manifestat. At vero, etsi hoc erat naturale Christi desiderium mortem non subire, deliberatum tamen desiderium, non hoc sed contrarium erat, scilicet, mortem subire. Vnde alibi, hoc deliberatum expo suit desiderium, dicens, Lucæ. 12. Baptismo habeo baptizari, & quo modo coarctor, donec baptizer illo? proprij sangui nis effusionem, quo erat aspergendus baptismum vocans,

Christ⁹ vt homo suapte natura refugiebat suã mortẽ deliberata voluntate, illam appetebat.

¶Desiderium igitur naturale, Christus nunc promit dicens, Saluifica me ex hac hora, hoc est, libera me à mortis hac hora iam mihi instante. At vero, quia certum erat Christo, subiturũ esse mortem, ideo ait, sed propterea veni in horam hanc, vt scilicet, moriar. Vtrumque ergo demonstrat Christus, & naturalem appetẽtiam ad seruandam vitam, & suam deliberatam voluntatem, ad patiendam mortẽ, dicens. *Sed propterea, &c.*

¶Quia igitur sibi constabat se passurum mortem, subiecit, Pater clarifica nomen tuum, ideſt, siquidem mihi moriendum est ex tuo æterno decreto, restat, vt in morte mea clarifices, seu glorifices nomen tuum, hoc est, manifesta te esse patrem meum. Est enim etiam nomen Dei esse patrem Christi. Hoc autem nomen absconditũ erat ab initio: at sub Christo manifestatum est hoc nomen.

¶Erat sanè manifestum, ante tempora Christi Deum esse vnum, & omnipotentem, & patrem vniuersorum ex generali prouidentia, circa creata omnia, at vero esse patrem ex personali proprietate paternitatis occultissimũ erat sacramentũ.

Deũ esse patrẽ ex personali paternitate sacramẽtum recondi tum fuit à seculo.

¶Porrò post Christi aduẽtum, Deus pater manifestauit se esse patrem Christi. Etenim sub baptismo Christi in Iordane Matth. 3. & sub transformatione in monte Tabor. Matth. 17. Deus manifestauit se esse patrem Christi. Petit ergo Christus Deum patrem, vt hoc manifestet, se esse patrem eius. Namque si Deus, pater est Christi ex personali proprietate paternitatis, Christus est filius Dei, ex personali proprietate filiationis. Et non potest manifestare nomẽ hoc suũ Pater, nisi manifestet Christũ esse filium suũ. Vnde ex hac manifestatione cõsequetur, quod Christi mors erit mors, nõ peccatoris, vt nostra, sed mors filij Dei. Vnde si mors erat filij Dei, innocentissimi mors erat. *Venit ergo vox de cælo dicens. Et clarificaui, & iterũ clarificabo.* Christus petit patrem, vt clarificet nomẽ suum, & hoc idem quod poscit, annuit patris vox respondens se feciſſe iam, & dein facturum. Clarificauit sanè pater suum nomẽ, in baptismo, & in transfiguratione. Et etiam excitans Christum filium suum à mortuis rursus clarificauit filium suum Iesum Christũ: & hunc clarificans seu glorificans, Deus pater glorificabat nomẽ suum. Ideo ait, Et clarificabo, scilicet, nomen meum, clarificando tuum, subaudi. Quinimo, & sub Domini passione pater clarificauit nomen suum: quia ostendit tunc se esse patrem Christi crucifixi: siquidem parẽtum est iniurias sentire filiorum. Sensit autem Deus iniurias factas filio suo tũc, ideo, & concussit terrestria, & confudit cælestia, pendente Christo in cruce: quia terra tremuit, petræ scissæ sunt, & ordo cælestis alioqui inuiolatissimus, cõfunditur. Quia sol cõtra natiuum suũ cursum lumine linquitur.

Pater manifestauit se in multis.

Matthæ. 27. Lucæ. 23.

¶Et rursus Spiritu sancto delapso in apostolos Christi, manifestauit Deus pater mittens illum, nomen suum. Et extendens denique Christi gloriam per omnes gentes, etiam manifestauit nomen suũ.

¶Vox hæc totius sanctæ Trinitatis erat quia erat effectus totius Trinitatis, at vero Patri tribuitur, quia Patris personam repræsentat. De cælo autem venit non quod ex cælo exierit, sed quia ex sublimi

mi aere ſonabat, ideo dicitur, venit de cælo, more cõſueto ſcripturæ vocantis aerẽ cælum. Non tamen petit Chriſtus, Pater carifica nomen meum, ſed clarifica nomen tuum, ex conſueta ſibi humilitate, omnia referendi ad Patrem, vt principium non ſolum vniuerſorum, ſed etiã in. S. Triade principium. Græce, non habetur dicens, adiectum tamen claritatis gratia.

Patris & filij manifeſtationes ſunt correlatiuæ.

¶Filius ergo manifeſtauit nomen patris hominibus, Ioan. 17. hoc eſt, docuit Deum eſſe Patrem ſuum, & Pater item manifeſtauit Chriſtum eſſe Filium ſuũ: & iſtę manifeſtationes ſunt correlatiuæ. *Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum, alij autem dicebant, Angelus ei locutus eſt.* Vox hæc inſtar tonitrui vehemẽter ſonuit. Vnde veriſimile eſt, quoſdã ex aſtantibus terrefactos à voce non percepiſſe vocis ſignificantiã, ſed ſolũ credidiſſe eſſe tonitruũ. Alij vero, non tam terrefacti perceperũt vocis ſignificatum, ideoq; dixerunt Angelicã eſſe vocẽ: quia vox erat maieſtatis vox. Vnde colligebant, vocem nõ eſſe hominis, ſed Angeli colloquentis cum Chriſto. Didicerant enim ex lege Angelos collocutos eſſe ſanctis hominibus. Idcirco exiſtimarunt nũc Angelum, Chriſto eſſe locutũ propter Chriſti ſanctitatẽ. Græce nõ legitur autẽ. *Reſpõdit Ieſus, & dixit, Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.* Sciebat optime Chriſtus omnia facta & vẽtura. Ideoque quod vox dicebat, nõ erat ignotum Chriſto, etiã vt homini, antequã vox ex ſonuiſſet: at vero propter turbã prẽſentẽ voxilla inſonuit: vt, ſcilicet, voxilla teſtaretur hominibus, Chriſtũ eſſe filiũ Dei. Idẽ dixit Ioã. 11. Ego ſciebã, quia tu ſemper me audis, ſed propter populũ, qui me circũſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti. *Nunc iudiciũ eſt mundi, nunc princeps huius mũdi eijcietur foras.* Quod proximũ erat, vt fieret, iam fieri dicit Dominus. Quia ergo poſt mortem, reſurrectionem & aſcenſionem Domini, & Spiritus ſancti aduentum ex prædicatione apoſtolica gentes obedierunt Euangelio, & facti ſunt Dei populus, & Chriſti Eccleſia, Iudæi autem repugnantes euangelio facti ſunt ex Dei populo ſynagoga Satanæ, vnde Iudæis acceſsit dãnatio, & gẽtibus ſalus, vt Apoſt. luculẽter proſequitur. ad Ro. 9

Ideo ait, Nunc iudiciũ eſt mundi: vocãs iudiciũ mundi, hanc ſegregationem Iudæorũ à Chriſti eccleſia, ex ſuis malis meritis, & aptationem gẽtium ad eandẽ ex gratia Chriſti, & obediẽtia ipſarũ. Nam hos aggregare ſibi, & illos à ſe reijcere iudiciũ eſt non illud finale, ſed iudiciũ prę ueniens illud finale: quia eſt iudiciũ diſcretionis horũ ab illis. Id quod alibi dixerat implendũ. Multi venient ab oriente, &c. Et filij regni eijciẽtur foras. Matth. 8 *Nunc princeps.* Diabolus vocatur in ſcriptura princeps mundi huius non natura, ſed tyrãnide. Ipſe enim eſt rex ſuper omnes filios ſuperbię. Iob. 41. Nãque, qui facit peccatũ ſeruus eſt peccati, Ioãn. 8. Peccatores igitur omnes ſunt ſerui diaboli, cui ſe ſponte peccantes tradiderunt, vt iam ſupra diſſertum eſt. cap. 8.

Iudæi qui erant populus Dei repugnãdo euangelio facti ſunt ſynagoga Satanæ, gentes autẽ, quæ erant cubile draconis obediẽdo euangelio facti ſunt thalamus Chriſti.

¶Per mortẽ autem Dñi diabolus amiſit ſuũ quod habebat in homines imperiũ, quod late patebat inter gentes, quia omnes idola colebãt: ideoq; ait, Nunc princeps mũdi huius eijcietur foras. Latebat equidẽ in cordibus hominũ, quę poſsidebat per fraudẽ, & nequitiã: detecta autẽ fraude eius per apoſtolos, iectũ fuit à ſuo cubili draco ille doloſus, & antiquus. Id quod Dñs apud Lucã. c. 11. inſinuans inquit, Cum fortis armatus cuſtodit atriũ ſuũ in pace ſunt omnia quę poſsidet. Cũ autẽ fortior illo ſuperueniẽs vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, & ſpolia eius diſtribuet. Chriſtus igitur veniẽs in mũdum per mortẽ ſuam vicit diabolum, & fraudes, & iniquitates, quæ erant arma diaboli, diſſoluit. Iſtud igitur eſt quod ait modo, *Nunc princeps, &c.* Sed obijciet quiſpiam, Quid ergo ſi mũdi huius princeps iectus eſt foras, qua ratione infideli buſeſt plenus mũdus? quomodo tot hęreticis infeſtatur eccleſia? & quomodo fideles plerique multi peccatis abũdant? Sane iectus eſt foras, quia nõ habet diabolus in homines poteſtatem, quam ante Chriſti aduentum habebat. Etenim totus mundus erat idololatra, & ignorans Deum, at vero per virtutem crucis Chriſti, idola abiecerunt homines, & conuerſi ſunt ad Principem, & paſtorem animarum ſuarum Chriſtum. Et non ſolum idola abiecerũt homines, ſed iugula ſua patefecerunt carnificibus, propter euangelij veritatem. Et demum in omnem

Per Chriſti mortem diabolus amiſit principatum quẽ in homines gerebat.

Satanas est eiectus foras, quia adest virtus Christi potens illum eijcere à volẽtibus eum à se expellere.

terram exiuit sonus apostolicæ vocis, & vbique est Christus prædicatus, & credi tus. Quod si etiam num multi sunt infideles, multi hæretici, multiq; peccato res, non propterea mundi princeps non est eiectus foras. Est namque eiectus foras, quia adest iam in mundo virtus Christi hominibus volentibus ea frui, vt à se depellant principem mundi. Adsunt enim sacramenta, adest Christi euangelium, per quę Satanas eijcitur foras, hoc est, expellitur ab obsessis fraude & nequitia, ab eo mentibus. Cæterum Christi virtus, etsi omnes hortatur ad salutẽ, neminem tamen cogit. Volentes igitur suscipere adiuuat, nolẽtes deserit. Quod si adhuc dixeris, iusti quoque grauissimas diaboli ferunt tentationes, vt ergo Satanas eiectus est foras? Vtique à iustis eiectus est Satanas per virtutẽ Christi, nihilominus, curat sedulo Satanas lapsum iustorum tentans si posset, regredi in domum, vnde vi Christi eiectus est, *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum.* Græca lectio nõ omnia, sed omnes habet quã lectionem sequuntur Chrysosto. & Theop. Augusti. vero lectionẽ sequitur, quã vulgata editio habet: & credit aptiorem. Siquidẽ Christus non traxit omnes homines, at traxit omnia: quia ad se traxit spiritũ hominis, & animã, & corpus: tametsi lectionem Græcam nõ despicit. Quippe verũ habet sensum: traxit enim omnes prędestinatos, traxit homines ex omnibus nationibus & linguis: ideoque dici potest, traxit omnes homines: quia ex omni diuersitate hominum plures ad se traxit. Cæterũ, cum Ioan. 1. legamus, Erat lux vera, quę illuminat omnẽ hominem venientẽ in hũc mundum, eundem sensum subit locus hic, omnes traham ad me. Est enim distributio accõmoda, aut distributio pro generibus singulorũ, nõ pro singulis generũ vt. c. 1. enucleauimꝰ. ¶Dixerat igitur prius Dominꝰ, Nisi granum frumenti, &c. Exponit modo huius grani mortẽ, dicens, Si exaltatus, &c. Vocat enim exaltationem, mortem crucis. Quæ sane mors est ad literam exaltatio corporis, nam omnes cruci confixi, sunt pendentes in aere, & eleuati à terra. Porro in Christo fuit exaltatio singularis, quia propter eam quã passus est ignominiã, exaltauit illum Deus, & dedit illi nomẽ, quod est super omne nomẽ, ideſt, patefecit Deus, Christi diuinitatem, quę omnes creaturas superat. *Si exaltatus.* non est dubitantis suam exaltationem, quia certissima erat Christo. sed quia non necessario mortuus est, sed sponte Esai. 53. ideo ait. *Si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Namque in omnes gentium nationes, siue Asiaticorum, siue Africanorũ, siue Europęorum in omnẽ sexum, siue virorum, siue fœminarum in omnẽ ætatem, siue adultorum, siue parunlorum: in omnem statũ, siue cælibum, siue coniugatorum, siue magnatũ, siue plebeiorum, in omnem qualitatẽ, siue pauperum, siue diuitũ, siue sapientum, siue insipientium, &c. Diffusa est gratia Christi. Idque significatur apud Matthę. 13. vbi confertur regnum cælorum Sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium cõgreganti. Vbi cõsidera verbũ genere, vt genera singulorũ significet. Vocat autẽ genus nationẽ, statum, sexum, &c. & nõ sumitur dialectice, vt apud Porphyriũ in Ysagogico. Hoc idem Ioannes refert se vidisse in Apocaly. Post hæc vidi turbam magnam ex omnibus tribubus, & linguis, & populis, &c. Non traxit equidem omnes ad se Deus ante Christi mortem, sed post Christi mortem. Commendat enim Deus, suã charitatem in nobis, quia cũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. ad Roma. 5. quo circa si pigebat homines amare Deũ iam non pigeat redamare. Vnde, lex Mosaica lata est vni populo, vniq; nationi, solum, quia nondũ Christus erat mortuus pro nobis. Iam vero, in vniuersum mundum effunditur gratia Spiritus sancti. *Traham ad me.* Fit hic tractus ex diuina gratia iuuãte, at repugnante mundo, carne, & diabolo: hæc enim pelliciunt, hominem ad se, Deus autem etiam repugnãtibus omnibus istis aduersarijs volentes trahit ad se.

Christi gratia vniuersalis est ad omnes siue acceptione personarum.

Virtus christianæ legis in tractu hominũ ad Christum satis apparet.

¶Et quidem potentia legis Christianæ, satis lucet in hoc tractu. Quãdoquidem negare visibilia omnia, & seipsum, propter ea, quæ non videtur, & spem precio emere, eximiæ virtutis, diuinæ, scilicet, plusquã humanæ est. Vt autem magnes trahit ad se ferrũ graue, & ponderosum, reclamante tamẽ eius pondere, ita Christus suo sanguine traxit ad se omnes.

ad Phili. 2.

Non

Non trahit tamen coactè, sed sponte. Consentiente sanè libero arbitrio, at nostra reclamante sensualitate. Supra dixerat, Patrē trahere, *Nemo ait, venit ad me nisi pater meus traxerit eum.* Modo vero se dicit trahere omnia. Quippe, vt Deus trahit effectiue omnes quatenus homo trahit eos meritorie. Et nō ait, modo traham ad Patrem, sed trahā ad me ipsum, vt se verū Deum facile testetur. Et si vnquā aspexisti hominē in puteo profundo demissum, quem plures homines per demissam restim, non languidū, sed fortem magna vi supra trahūt. Et quidem ipse qui in puteo latet, cooperatur trahē tibus, nā inijcit fortiter manus in restim demissa, & reptās per scopulos putei, summa efficacia adnititur ad ascensum, tractores item, quo possunt conatu leuā tes restim ipsum extrahunt. In quē prope modū considera homines omnes ex se iacere in profundo puteo tenebrarum & peccatorū suorū, at vero Christus per sacramentorū ministerium, tanquā per fortissimos restes, & per prædicatorum clamores, ipsos extrahit à puteo suorum delictorū, operante quidem Deo qui trahit, at cooperantibus etiam ipsis, qui trahuntur. Et quidem magna vis est hæc, quæ ex hoc profundissimo puteo in quē homo se sponte coniecit peccatorē extrahit: siquidem non satis est generale auxiliū huic extractioni, sed adiutoriū speciale desideratur, ad tantum absoluendum op⁹. Et quid si ex nostra parte conatus nō segnis exigatur, quando ex diuina parte auxiliū generale nō sat est? *Respōdit ei turba, Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternū, quo modo tu dicis, oportet exaltari filiū hominis? Et quis est hic filius hominis?* Cauillo sa videtur hæc redargutio: nāque in valore collectio hæc est, ex lege Messias non est mortalis: tu es mortalis, vt fateris, ergo tu non es Messias. Et quanquā Christus nihil modo meminerit se esse filium hominis, at vero non ex præsentibus verbis, sed ex præteritis, quibus frequenter se vocat filium hominis inferunt. Quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis. Et forte Iudæi fallebantur, quia non conferebant scripturas: quandoquidem immortalem, aliquando scriptitāt prophetæ Christum, vt Esaiæ. 9. Vocabitur Deus, fortis, &c. & Daniel. 2. Post hæc suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternū non dissipabitur. In quem locum alluſit Gabriel archangelus, dicēs, Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Lucę. 2. Veruntamen, sunt etiam alia oracula Messiam mortalem futurum protestantia, Daniel. 9. Occidetur Christus, & non erit populus, qui eum negaturus est. Et Esa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam. Præter hæc in Michæa. 5. Christi æternitas pronuntiatur, & humanitatis temporalis generatio præsignatur. Et tu Bethlehem, Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Quæ verba si pensitate obseruās duplicem naturam ostēdunt in Christo, alteram secūdum quam exitus eius erat ex Bethlehem, scilicet, natiuitas temporalis eius. Nam de hac natiuitate Pharisæi, & Scribæ intellexerunt Michæę vaticiniū istud, alteram vero secundum quā egreditur ab initio & ante secula à Deo patre. At vero arbitror, quod etiam si contulissent Iudæi hæc testimonia non collimassent tunc cum veritatis scopō, videlicet, vt colligerent ex veteri scriptura Messiam futurum Deum, & hominem. Enim vero, hoc existimabāt impossibile, & hoc ipsum est, quod obiectabant Domino, quod homo cum esset, se Deum faciebat. Audierant sane ex lege Christum esse ęternum, sperabant enim Messiam futurū immortalem, non quod Deus esset, & homo, sed quod esset immortalis, vt Adam factum à Deo immortalem ex scriptura didicerant, ex sua autem culpa, se reddidisse mortalem. In Messia autē cum nulla prorsus erat culpa, immortalitas erat sibi collata. Adde tamen istis, prophetas, & alios illius populi, illustratos à Deo viros, ex scripturis veritatem assecutos, Messiam futurum, Deum, & hominem. Namque prophetarum oracula hoc insinuant, vt annotauimus. *Ex lege.* Consuetum est Hebræis, legem codices sacros appellare, quamuis lex nōnunquam libros Mosaicos solum significet. Verum quandoque etiam ad cæteros sacros codices nomen legis extenditur.

¶ *Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicū lumen in vobis est. Ambulate dū lucem habetis, vt nō vos*

Locus probās Christi diuinitatem.

In veteri testamēto vtraque natura Christi exprimitur.

Vt homo traharur ad Christum auxiliū generale non sufficit, sed exigitur speciale vide autorē. 2. & 3. lib. senten.

tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris nescit, quò vadat. Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis sitis. Græca sunt diuersa ab istis, siquidem Græca sic habent, Adhuc modicum tempus lumen vobiscum est. Et est sensus, Breui temporis spacio me habebitis vobiscũ. Hic autem Christus se vocat lumen: & quia proximus erat morti, ideo aiebat, per breue tempus, lumen vobiscum est. Et cætera consentiunt quæ sequuntur, Ambulate dum lucem habetis, ideſt, credite in me, quandiu vobiscum sum, ne tenebræ infidelitatis vos occupent. Infideles enim nesciunt, quo vadant, quippequi lumine fidei orbantur. Et quod sequitur, Credite in lucem, dum lucem habetis concinit cum prioribus. Hoc est, credite in me, quandiu præsentia mea corporali gaudetis, & mea prædicatione, & miraculis fruimi. Vnde, quia ait, Adhuc modicum, non est referendum ad lumen, quasi sensus sit, modico lumine, estis illustrati vos Iudæi, quia non intelligitis scripturas, ideo ambulate, hoc est, curate, vt maiori donemini lumine, vt intelligatis ex scripturis Messiam esse mortalem, & immortalem: sed referendum est, ad temporis moram, vt sit sensus. Adhuc modicum, ideſt, tempore modico, vobiscum lumen est, vnde Græca sic habent, ετιμικρον χρονον τὸ φῶς μεθ'ὑμῶν ἐστι, ad modicum tempus, lumen, vel ipsum lumen vobiscum est. At vero, vulgo interpretes modicum, non referunt ad tempus, sed ad lumen, vt sic Dominus respõdeat obiectæ quæstioni, Nos audiuimus ex lege, &c.

¶Respondet enim Dominus, Adhuc modicum lumen in vobis est, ideſt, Nihil mirum est, si legem non calletis, quia modicum in vobis est lumen, & cætera quæ sequuntur,

¶Porrò si modicum breuitatem temporis significat, vt textus Græcus habet, satis liquet sensus. At verò dicet aliquis liquet, vtique textus: at non respondit Dominus, ad quæstionem propositam, de immortalitate Messiæ. Et quidem expresse non respondit, sed solum iubet vt credant in ipsum. *Credite in lucem. &c.* Et virtualiter hoc est responsum, vos credite in lucẽ, & eritis filij lucis, & tunc infidelitatis tenebræ quibus offuscati estis soluentur, & intelligetis, qua nam ratione verum est vtrunque, & quod ex lege didiciſtis. Messiam, nõ moriturum, & verum etiam est ipsum esse moriturum. At quæret aliquis, quid ergo credere eos iubet quandiu ipse erat in mundo: nonne & credere oportet, postquam Christus sublatus est in cælum? Vtique, etsi verba Domini præferãt esse ei credendũ quandiu viuebat apud homines. Cæterũ sensus intimus verborum est, Adhuc breui tempore, lumẽ vobiscum est, scilicet, breuis est meta humanæ vitæ sub qua potestis credere, quia sublata vita, non restat habendæ fidei locus: ideo qui vult illuminari à Christo, contendat illuminari cito dum viuit, quia post mortem non illuminabitur. Ambulate, inquit, dum lucem habetis. Hoc est credite in me, dum potestis credere, quia ne tenebræ vos occupẽt infidelitatis sub morte. *Hæc locutus est Iesus, & abijt, & abscondit se ab eis.* Abscondit se modo non ex infirmitate, vt sæpe supra dicebamus, sed, vt daret locum iræ Iudaicæ. Sed dices forsan, nullam causam enarrat Euãgelista, cur se absconderit Dominus modo, vt supra. 8. & 9. refert Christum se abscondisse, quia eum lapidare volebant, aut contra eum insaniebãt. Dixit Chrysostomus, Christo quia patebant Iudaica viscera, & Iudæorum mentem callebat, ideo non propter exteriora quæ ipsi obijciebant modo, sed propter internũ furorem, quem Christus videbat, se abscondit. At verò hæc absconsio, non fuit miraculosa, vt ea quę cõmemoratur Ioã. 8. & 9. sed fuit discesio à Hierosolyma in Bethaniã, quia diebus istis mane erat Hierosolymis, & vesperi, discedebat in Bethaniã dormitum, vt ex Matthæ. vigesimoprimo, & Marci primo, habetur.

ENARRATIO V.
In caput duodecimum.

¶*Cum autem tanta signa fecisset, coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur quem dixit, Domine quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorũ, vt videant oculis, & non intelligant corde, & cõuertantur, & sanẽ eos.*

Multa

MVLTA & præclara retulerat miracula Christi Euãgelista, & omnium longe præclarissimum quatridui Lazari suscitatio. At vero tanta maiestas signorum, non fregit lapidea Iudæorũ corda. Quia tametsi quidam crediderunt in Dominum, verum quia pauci erãt cõllati ad multitudinem non credentium, ideo asserit Euãgelista Iudæos non credidisse in Dominum.

Miracula nõ possunt conuincere fidẽ esse veram.

¶Vbi vides, miracula non sufficere ad fidem, quippe non cogunt mentem ad credendum: semper enim fides perseuerat in sua obscuritate, quamlibet miraculis illustretur. Intellectus enim humanus conuincitur rationibus demonstratiuis, aut facti experientia fides autem demonstrari nequit experiri non potest, quia periret ratio fidei. *Vt sermo.* Equidem Ioãnes modo duo testimonia Esaiæ citat, & illa duo ad eundem finem, vt Iudæorum doceat ferrea pectora contexuit. Ex capitulo, scilicet. 53. accepit primum, Domine quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Reliquum vero ex Esaiæ. capitu. 6. quamuis septuaginta adiecerunt Domine, quæ dictio apud Esaiam non habetur. Verum septuaginta, claritatis gratia, ne putarentur esse verba Deo attribuenda, scilicet, ne in persona Dei putentur dicta: ideo vt Esaiæ attribuantur, adiecerunt, Domine.

¶Per auditum autem nostrum, aut intelligi potest, id quod prophetæ, occulta reuelatione aure interna à Deo perceperunt, aut oportet intelligere per auditum nostrum prædicationem propheticam, quam Iudæi audiebant. Vt enim visio in scriptura vsurpatur pro re visa. Esaiæ. 1. visio Esai. ita auditus, pro re audita. Vnde Paulus Romano. 10. Fides est ex auditu, idest, ex prædicatione Euãgelica. Per brachium autem Domini Augustinus filium intellexit Dei, quia per ipsum cuncta pater operatur, vt homo per brachium suum. Itemque Chrysosto. & Theophil. Neque hinc sequitur filium esse cum patre eundem secũdum rationem personæ, vt colligebat Sabellius, dicens, Si filius est brachium patris, brachium tamen, & is, cuius est brachiũ vna persona est, non plures.

Sabellij error refellitur.

¶Porrò Christus appellatur brachium patris, secundum translationem, non secundum vocis proprietatem. Deus namque spiritus est, & non constat ex brachijs, vt nos. Aut oportet dicere ex scripturis brachium significare virtutem alicuius & potentiam. 2. Paralipo. 32. cum illo, scilicet, Senacherib, est brachiũ carneum, nobiscum Dominus Deus. Exercitnũ, Senacherib exercitus vocatur ibi brachium carneum, quia ex hominibus infirmis coallitus. Et apud Hieremi. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, hoc est totam fiduciam suam reponit in homine, qui vocatur caro, propter eius fragilitatem. Et hęc expositio satis cõgruit, Brachium Dñi, hoc est, virtus, & potentia Christi, cui reuelata est? quasi dicat, nemini, aut quã pauciss imis. Perinde igitur est acsi dixisset, potentia diuinitatis Christi, ex qua edet miracula nusquam audita, quando veniet in orbem cui reuelata est? Hoc est cui credita erit? Namque cum Dei reuelatio sit ratio formalis fidei, reuelationem, posuit pro ipso actu credendi, qui est à fide reuelata. Et similiter est hyperbolicus sermo. Non enim omnes latet hæc potẽtia diuinitatis Christi. Verũ, quia pauci sunt cõparati ad nõ credentes, ideo ait, cui reuelatum est. Et quidem si de Iudæis agatur pauciss imi receperunt Domini fidem, si vero de gẽtibus plurimæ receperunt, at sunt paucę si referantur ad numerosam infidelium turbã. Significat igitur sermo iste Esaiæ, ad credendum, vt oportet credere, esse necessarium Dei auxilium speciale.

Reuelatio Dei ratio formalis fidei.

¶Porrò autem, si consequens testimonium euoluere satagimus, maioris est negocij. Enim vero primo videtur non cõcinnere Euangelistas cum Esaia, neque inuicẽ. Si legis enim Matt. 13. sic refertur hoc testimonium, vt adimpleatur in eis prophetia Esaiæ dicentis. Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatũ est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierũt, & oculos suos clauserũt, &c. Vbi nihil traditur, quod cæcitas Iudæorũ sit à Deo, aut obduratio, sed ab ipsismet Iudæis claudentibus oculos mẽtis, ne crederẽt in Christũ. Et Mar. 4. nõ admodũ variat à Matt. in citãdo loco isto, sicut neq;

Ad credendũ vt oportet est necessarium Dei particulare auxiliũ.

Lucas.8. Verum Ioānes admodum videtur dissidere à tribus indicatis Euangelistis. Siquidem præfert sermo eius, cæcitatem Iudaicam & obdurationem, Deū habere autorem, id quod est impossibile. Ait enim, Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, Excæcauit, &c. Ad hæc non solum alijs Euangelistis nō videtur cōsonus, sed neque Esaię, quem citat. Quippe verba hæc apud Esaiam, sunt Dei loquentis ad Esaiam: at vero apud Ioannem, vt videtur sunt Dei inferentis cæcitatem Iudæis. Vnde in Esaia legimus. Vade, & dic populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, &c. Deus igitur, hoc iniunxit Esaiæ, vt excæcaret cor populi Iudaici. At Ioannes ad Deum retulit ex testimonio Esaiæ, istam excæcationem: quia iterum ait, Dixit Esaias excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c. Adde istis, quia sermo Ioannis asperrimus videtur. Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, &c. Igitur dicent neohæretici liberum arbitriū est resolo titulo. Etenim si non poterāt credere, quia dixit Esaias, igitur necessario non credunt, ergo non credere non est culpādum, quia necessarium est. Et omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium peccatū non est. Et tum quid amplius sequetur, mortem Domini fuisse necessariam, quia etiam prædicta est ab Esaia, & ab alijs sacris vatibus.

Argumenta difficilia.

¶ Ad hæc, si quia dixit Esaias, ideo necessario eueniet, & idem est de alijs prophetis, igitur si prophetia imponit necessitatem rebus venturis, præscientia Dei multo vehementius illam operabitur. Prophetiā namque, ex diuina præscientia habet originem: cum ergo omnia ventura Deus præsciat, omnia ventura necessario euenient, & nulla erit contingentia in rebus.

¶ Præterea tāta veritas est in verbis Christi, quanta in verbis prophetarum. Si ergo quia dixit Esaias, ideo necessario non crediderunt Iudæi, ergo quia dixit Dominus Iudæis, in peccatis vestris moriemini, necessario mortui sunt Iudæi in peccatis suis, & non potuerunt agere pœnitentiam.

¶ Et quia dixit Dominus Petro, Ter me negabis, necessario negauit: quæ omnia sunt impia. Græci, vt Chrysosto. & Theophila. & Latini, vt Augusti. tricam hanc, extricarunt, dicentes, sensum esse Ioānis, non poterant credere, quia nolebant credere. Nam vehementer aliquid nolle, est illud non posse. Iuxta vulgatum loquendi modum. Qui enim vehementer odit cibum aliquē, ait se non posse illum comedere: & qui vehementer odit aspectum inimici, ait, se non posse illum videre.

¶ Veruntamen, non soluitur argumenti nodus si hac ratione enodare contendas. Etenim, colligā similiter. Namque sensus erit Ioānis, Ipsi nolebāt credere, quia dixit Esaias. &c. Igitur vel nolebant Iudæi credere, necessario, vel cōtingenter. Si necessario, laberis, in incōmodū quod fugere conaris. Si contingēter, igitur nō obstante, quod prædixerat Esaias poterant ipsi velle credere: igitur non quia dixit Esaias ipsi nolebant credere, sed ex suo arbitratu. At vero Ioannes reclamat dicens. Ipsi non poterant credere, quia dixit Esaias, & videtur argumentum dilemmaticum vtrinque feriens.

¶ Porrò autem meminisse oportebit, vt ab hoc vltimo exordium capiamus: quędam esse necessaria in sensu composito, quæ simpliciter sunt contingentia. Quo circa postquam Esaias prædixit cæcitatem Iudæorum hæc est necessaria propositio, Esaias prædixit, igitur necessario erit in sensu composito. Quippe non poterat Esaias ex diuina instructus reuelatione falsum prædicere, ideoque vt prædictum, est necessarium, quod prædictū ab ipso est. At vero, quamuis vt prædictum sit necessarium, vt ens tamen est contingens. Quippe simpliciter loquendo, poterant Iudæi credere, quia liberū fuit eis credere, vel non credere.

Prædicta à prophetis dei & præscita à Deo quo sunt necessaria, & quomodo cō tingentia.

¶ Porrò si supponis, Iudæos credidisse, siquidem possibile erat, imò & contingens, admittam suppositionem tuam, verum tunc non fuit prædictum ab Esaia Iudæos futuros incredulos. Est sane necesse hominem moueri si currit, ex hypothesi enim quod currit, necesse est ipsum moueri. Cæterum simpliciter est contingēs: quia homo potest currere, vel non currere.

¶ Quod

¶Quod ergo Ioannes ait, non poterant credere, quia dixit Esaias in sensu composito est accipienda hæc impossibilitas. Quippe incredulitas Iudaica, quatenus prædicta erat, necessaria in sensu composito erat. Non enim fieri poterat Esaiam prædixisse, & quod Iudæi non forent increduli.

¶Porrò incredulitas simpliciter fuit contingens, quia poterat esse, & non esse. Itidem præscita à Deo, vt præscita sunt necessaria, quippe hæc duo pugnant, quod Deus præsciat venturum, & quod non veniat: falleretur enim Deus, si hoc admittis, id quod est impossibile.

¶Cæterum præscita cõtingentia, quatenus entia, simpliciter sunt contingentia.

Prædictio prophetica, aut Dei præscientia non imponunt necessitatem rebus contingẽtibus.

¶Prædictio igitur prophetica, aut præscientia non imponunt necessitatem rebus simpliciter, neque peruertunt contingentium naturam, sed solum imponunt infallibilitatem venturis, quæ est necessitas quædam illationis, non necessitas effectiua. Hoc est hæc consequentia est necessaria, si prædixit futurum propheta erit, si Deus præscit futurum erit: at vero Deus potuit non præscisse, & res contingens simpliciter potest non fore: vnde antecedens, & cõsequens sunt contingentia, etsi illatio est necessaria.

¶Per hæc patet responsio, ad omnia obiecta. Nolo autem in istis diutius immorari, quia in primo Sententiarum, multa de re hac disseruimus, & in declamatione de excæcatione cordis, ad Esai. capitulũ. 6 iam vero nunc liquida est, Ioãnis intelligentia, scribentis. Propterea non poterant credere, quia Esaias, &c. Cõiunctio hæc, quia, hoc loco nõ significat causalitatẽ effectiuam, vt apud Physicos, sed causalitatẽ Dialecticam, vt apud Dialecticos, Verbi causa, quia impœnitens est hic, damnabitur, cõiunctio, quia, non efficientiã denotat, quippe impœnitentia cum sit priuatio, non est efficiens damnationẽ, quam solus Deus infert: at vero est causalitas illationis necessariæ: etsi antecedens huius cõsequentiæ est cõtingens, vt & cõsequens. Porro autẽ dissonantiã prætactam apparẽtem Ioan. & Esaiæ, oportebit redigere ad cõsonãtia verã. Quod ergo in Esa. legimus, vade, &c. Excæca cor populi huius significat, vade & prædic (me docente) huius populi cæcitatẽ: siquidẽ sæpe vnum vsurpatur pro alio, scilicet, excæca, pro prænũcia populum Iudaicũ excæcandũ. Legimus enim Iob. 9. Sordibus intinges me, ideſt, docebis me esse sordibus intinctum, & rursus, Ego cõtaminaui principes sanctos. Esa. 4 ideſt. Ostendi vos esse contaminatos, Itaque hoc non semel venit in vsum sanctarum scripturarum, vsurpare verbũ significans actionẽ realem, pro verbo significãte actum intellectus, vt est prædicere, aut prænuntiare, aut declarare. Et quoniam Esaias, declarauit suo prophetico sermone populũ Iudaicum esse excæcandũ, & hoc fecit diuina autoritate, & non ex proprio spiritu, nam declarauit multo ante cæcitatem teterrimam, qua obuelandum erat cor Iudæorum præsente Christo secundum carnem, & etiam postquam sublatus est supra sidera, & quia hæc cæcitas ex iusto Dei iudicio, Iudæis contingit, ideò Ioannes hoc exprimens, scilicet, hãc cæcitatem esse ex iustissimo Dei iudicio, & non esse ex casu, ait, Esaiam dixisse Deum excæcasse oculos Iudæorũ, vt vidẽtes oculo carnis miracula Christi, & audiẽtes prædicationẽ Christi, neque ex illis cognoscerent Christi diuinam potentiam visu interno fidei, neque in ista Dei verbum, quod se prædicabant. Quãuis ergo formaliter Esaias non dixit, vt Ioannes indicat, at Ioannes sensus vatis explicat.

¶Sed restat expendere qua nam ratione veritate constant verba Ioannis, scilicet, Deus excæcauit oculos, &c. Et quidem multi multũ sudant in eruendo vero sensu horum verborum. Ego vero, vt paucis te absoluam dixerim, in scripturis inuenimus, quod homo se excæcat. Sapien. 1. Malitia excæcauit corda eorum. Rursus inuenimus diabolum excæcare homines 2. Corinthiorum quarto, Deus huius seculi excæcauit corda infidelium. Et denique Deus excæcat, vt Ioannes, nunc nos docet.

Homo se excæcat, & diabolus hominem excæcat & Deus hominem excæcat

¶Porrò quamuis sermo videatur idem, est tamen longe diuersus. Quandoquidẽ hõmo se excæcat effectiuè, volendo persistere in suo peccato. Diabolus autẽ excæcat hominem, nõ immittẽdo animum ad peccãdum, sed excitãdo ad peccatũ faciẽdũ, & postquã illi paremus: suasionibus diabolicis obstinationem suadẽdo, Deus

vero longe aliter excæcat: si quidem, nõ excæcat vt homo se cæcat, nam similiter Deo odio est impius, & impietas. Sapiẽ. 14. vnde Psalm. Non Deus volens iniquitatem tu es. Neque excæcat, vt diabolus, siquidem Deus ad hoc nos incitat vt in sanctitate, & iustitia coram ipso viuamus.

¶ Aliter ergo, est intelligendum Deum nos excæcare, quam de cõmemoratis intelligimus. Non ergo nos excæcat Deus effectiuè, quippe Deus non est autor nostræ mẽtalis cæcitatis. Perditio enim nostra ex nobis est, non est ex Deo: à quo tamen salus nostra est, vt in Osea legimus. 13. Perditio tua Israel ex te est, salus autem ex me.

Deus excæcat non effectiuè, quod est positiuè excæcare, sed solũ priuatiuè,

¶ Porrò excæcat nos priuatiuè, scilicet, non illuminando. Quemadmodum Sole eclipsato, non possumus videre res sensibiles, recte dicere possumus Solem nos cæcare tunc, quia absconsum est suum lumen, per quod fit visio. Et rursus dixit Ambrosius, Pasce fame morientem, si non pauisti occidisti. Quid est occidisti? quandoquidem qui non pascit fame morientem, non iugulat eum, quomodo ergo occidit? Vtique, quia non subministrat necessaria vitæ, occidit quidem non effectiuè, sed priuatiuè. Instar horũ Deus subtrahendo gratiam suam ex qua homo illuminaretur, excæcare dicitur.

Deus neminẽ tenetur illuminare ob tenebratos in culpis, & obstinatos in eis.

¶ Est autem diuersa horum ratio, quippe homo tenetur subuenire famem patienti, ideo in culpa est qui non pascit hunc famelicum, si aliàs pascere potest. Deus autem non tenetur illuminare mentem obtenebratam in culpis suis, ideoque si relinquit illam versare suas tenebras, iustitiæ præstat opus, si vero illuminat misericordiæ est munus.

¶ At dicet aliquis, Deus præsto est semper, vt illuminet nos, igitur neque priuatiuè excæcat, quia nunquam subducit præsidia sua, vt illuminemur. Vnde Dominus ait, Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. & ego reficiã vos. Matth. 13. Rursus quia Christus lux est, quæ illuminat omnem venientem in hunc mundũ, igitur omnibus adest vt illuminentur, si voluerint. Est sanè verum istud quod argumentum exigit Deum adesse cunctis hominibus, vt illuminentur, veruntamen intelligere oportet nõ ex eodem, sed longe diuerso gradu, nam quibusdam adest, multa suæ misericordiæ exuberantia, vt Paulo: alijs vero mediocriter, alijs quantum illis sufficit si velint excitari, & illuminari. Istud autem omnibus adultis hominibus est cõmune. Verum quia multi sunt indigniissimi corã Deo, & digniissimi, qui relinquantur in suis tenebris peccatorum hos relinquendo Deus vehemẽtiora præsidia, illis tribuendo, vt lumen, quod offertur excipiant, excæcare eos Deũ scriptura tradit. Sed cur hac phrasi quæ aspera videtur scriptura vtitur? Nẽpe, vt intelligamus iusto Dei iudicio relinqui huiusmodi homines in suis, quas amant criminũ tenebris, & ideo scriptura excæcationem hominis Deo tribuit, nõ quatenus culpa est, sed quatenus pœna est ex iusto procedens iudicio. Habet autẽ se priuatiuè tantũ Deus in huiusmodi, vt diximus deserendo, non inferendo. *Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Tu intellige de visione prophetica, non tamen faciali, quã tunc non habuit Esaias. Hic locus porrò apertè videtur indicare Dñi nostri Iesu Christi diuinitatem. Namque si Esaias testante Ioanne, hæc dixit, quæ hactenus sumus prosequuti, scilicet, excæca cor populi huius, &c. Quando videt gloriam eius, & eius, refertur ad Iesum, ergo Christus est verus Deus. Namque Esaiæ. 6. Esaias dicit Deum eleuatum, & sublimatum in throno excelso, & duos Seraphinos circunstantes thronum, clamãtes, Sanctus, sanctus, sanctus, & reliqua. Si ergo hæc Esaias videns vidit gloriam eius, & refert Iesum, Christi diuinitas apertè docetur à Ioãne.

Esaias nonvidit clare gloriam Dei, vt modo videt, sed vidit gloriam Dei prophetica visione.

At verò dicet aliquis nõ esse cõsequens, quia Origenes, per Seraphinos, exposuit Christum, & Spiritũ sanctũ, vt Hiero. illi tribuit lib. 3. cõm. in Esaiã. Vnde dicet aliquis, quia vidit Esaias Christum sub forma Seraph, ideo vidit gloriam eius. Verum hæc expositio Esaiæ, est hæretica, & fauens Arrio, dicẽti Christum esse patre minorẽ, & Spiritum sanctum patris esse ministrum. Quoniam fides catholica credit patrem, & filium, & Spiritum sanctũ, vnum Deum esse eiusdem autoritatis & maiestatis.

Expositio Origenicaue nenola.

¶ Sunt qui volunt Origenem exponere Christum Esaiæ, visum fuisse sub forma Seraph, non secundum de[illegible]tatem, ex qua

est

est idem patri, sed secundum humanitatem, ex qua est minor patre, sed quomodo aptabunt formam alterius Seraph spiritui sancto?

Seraphini vsi ab Esaia totam militiã sanctorũ angelorum denotabant.

¶Ideò dicamus Seraphinos illos, neque Christum, neque Spiritum sanctum significare, sed totam angelorum sanctorum militiam, quæ ex parte nobilissima denotabatur in Seraphim. Seraphim namque est nobilissimus angelorum ordo. Et quia omnes angeli Deo assistunt, & illi seruiunt mirabili ordine, ideò Esaias videns Deum eleuatum in throno excelso, & duo Seraphim circunstare thronum. Cum ergo ait, Ioan. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, de Christo oportet intelligere. *Et locutus est de eo.* Quippe, quæ prædixerat Esaias in capitulo illo. 6. impleta sunt omnia sub Christo, ideò ait, Et locutus est de eo. At ais, hæc non dixit de Christo, sed de populo Hebræorum. Propterea aliter expones locum istum, *Et locutus est de eo.* Dixit enim Esaias se vidisse Dominum super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus maiestate eius, &c. Hæc enim vera sunt de Patre, & de Filio, & Spiritu sancto. Vnde verè dixit Ioannes, Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius. *Excæcat cor.* Faustus Manichæus, vt est videre apud August. lib. 9. contra eundem Faustum ex hoc, ex alijsque non paucis locis cõtendebat Deum veteris instrumenti autorem, esse malum Deum, qui dedit præcepta non bona Ezech. 20. & quoniam excæcabat, & indurabat humanas mentes, & immittebat in eas malas concupiscentias: & ob alia plura, quæ in scripturis veteribus commemorantur, quæ videntur præferre Deum esse causam quorũdam peccatorum, quæ à nobis fiunt. Quale quoque est quod apud Hieremiam. 4. scribitur, Ergone decepisti populum tuum? Et rursus, Seduxisti me Domine, & seductus sum. Et Ezech. 3. Si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, ponam offendiculum coram eo.

Faustus Manichæus refellitur.

¶Veruntamen, quid dicit Faustus, Domino dicenti. Ioan. 9. In iudicium veni in mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant? An non hoc idem est, acsi diceret, Ego hoc iudicium faciam in homines, puta videntes homines cæcabo, & cæcos illustrabo? Sicut ergo istud est, non malitiæ opus, sed iustissimi iudicij, retributio: ita & illud, quod apud Esaiam commemoratur. Sicut etiam in Paulo legimus, tradidit eos Deus in passiones ignominiæ, & tradidit eos in reprobum sensum.

¶Vniuersæ igitur locutiones huiusmodi, non significant Deum esse autorem peccatorum, id quod est implicatio contradictionis. Cæterum scriptura, vt nos doceret vniuersa, quæ sub sole geruntur, geri, vel Deo volente, aut permittente, nihilque fieri posse quod exeat, aut consensum diuinum, aut diuinam permissionem, ideo peccata videntur etiam tribui Deo autori, cum tamen peccatorum non sit autor. Quanuis autem non sit autor eorum ex eius tamen iustissimo iudicio descendit, quod peccatores excæcentur quando superbia tument, & quod dimittantur in suis deceptionibus, & fallẽtijs, & quod suum ament reprobum sensum, & quod decipiantur, &c.

Cur scriptura videtur quædam peccata hominũ in Deum referre.

¶Est autem obseruandum excæcationẽ non solum denotare actum intellectus infidelitatis, vt est discredere, aut non credere, quando est opus credere, verum etiam denotat volũtatis obstinationem, videlicet, repugnantiam ad ea, quæ sunt fidei recipienda. Qui namque citra obstinationem, non credit, nondum est excæcatus corde, quia fidei non habet animum obsistentem. Verum qui ex animo repugnante, non credit, hic excæcatus est. Tales erant Iudæi Domino repugnantes, ideò excæcatos eos scriptura fatetur. Et Acto. 7. Stephanus Iudæorum obstinationem prosequitur luculenter dicens, Vos Spiritui sancto semper restitistis.

Excæcatio duo importat scilicet, actum intellectus & voluntatis.

¶Obseruabis secundo Apostolũ Acto. vltimo. hunc commemoratum Esaiæ locum, tribuisse Spiritui sancto, quæ à Ioanne videntur attribui filio. Quia bene inquit, Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam, ad patres nostros dicens, Vade ad populum istum, & dic, Aure, audietis, & non intelligetis etsi paulo secius citat locum Paulus, quam Ioannes: siquidem non meminit Paulus excæcationis, neq; obdurationis. Et rursus in Esaia habetur, Audite audientes, & nolite intelligere. Apud Paulum ve-

rò vbi supra non ita, sed aure audietis, & non intelligetis.

¶Cæterum supra iam monui Euangelistas, & Apostolos vetera testimonia indicare, non ad verbum, sed ad sensum, at sensus idem est, Aure audietis, & non intelligetis, qui ab Esaia prætenditur per excæcationem.

¶Rursus, *Nolite intelligere*, ex phrasi Hebraica idem est quod, non intelligetis: vt nolite iudicare, idem est, atque ne iudicetis. Quod vero Spiritum sanctum Paulus commemorat, misisse Esaiam, vt annunciaret populo Hierosolymitano obstinationem illi venturam, & Esaias non hunc commemorat legasse Esaiam, sed Dominum Deum in excelso solio sedẽtem misisse Esaiam refert, nullius discrepantiæ est: quia Dominus ille sedens in solio illo excelso, est Dominus Deus, vnus in substantia, & trinus in persona. Vnde Seraphim, hoc clamabant, dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabbaoth, &c. Igitur tota beata Trinitas Esaiam misit, quo circa etiam Spiritus sanctus, Esaiam misit.

¶At forsan dices, misit sanè ad denuntiãdam cæcitatem Iudaicam, illius æui, sub quo viuebat Esaias, non tamen, ad denũtiandam cæcitatem illam, quam passuri erant Iudæi sub Domini aduentu. Imo, quod scias, Spiritus sanctus hanc cæcitatem, quam Iudæi passuri erant sub Domini aduentu insinuabant, sub alia priori. Et ideo Paulus, vt nos doceret, verba Esaiæ, etiam esse referenda ad cæcitatem Iudaicam cuius Ioan. & Apostoli meminerunt, dixit, Benè Spiritus sanctus, &c.

Coniũctio vt non semper causam, quia aliquãdo euẽtum solum significat.

Vt non videant oculis. Coniunctio hęc, vt, vt frequenter admonent sancti, nõ denotat semper causam, sed sępe euentum. Quod ergo ait modo, vt non videãt oculis, euentum denotat. Etenim postquam sese obstinarunt Iudei contra Dominum ad obstinationem cõsecutum est, ne videndo oculis externis miracula Christi intelligerẽt, autorem miraculorum esse verum Deum: Imo quo magis Sol iustitiæ Christus radiabat radios suæ omnipotentiæ, miracula edendo, illi præfractiores euadebant, atque duriores instar luti, ideo se insanabiliores reddebant, quod quãto calefit à Sole vehementius, tanto magis durescit. Iam verò exploratum tibi erit Theologiam veram admittere Deum excæcare, hoc tamen solo sensu, quia iusto Dei iudicio, excæcantur peccatores à seipsis nolentibus obedire diuinę veritati. Similiter admittit Deum iuxta Hieremiam decipere, hominẽ Deum rursus in reprobum tradere sensum, & in passiones ignominiosas hominem trahere, eiq́ue ponere offendiculum, vt cadat, in eoq́ue miscere spiritum vertiginis, sub hoc vno sensu, quia Deus nostris exigentibus malis meritis, sinit nos in erroribus nostris perpetuò versari, & in reprobo nostro perpetim detineri sensu, & in nostris semper nos ardescere cõcupiscẽtijs. Et scriptura hac vtitur phrasi, vt commonefaciebam dudũ, nempe vt doceat nos, Deum esse vindicem peccatorum nostrorum, etiam num antequam externa veniant supplicia, ideoq́ue peccata nostra, vel peccatis alijs accedentibus grauioribus, vel priorum peccatorum obstinatione permissa, punit. Quo circa Faustus non habet, quod iustè opponat Deo veteris testamẽti, tanquam iniusto, dicens, quod ad peccata homines impellit siquidem Deus est infinitè bonus, & quidquid facit est bonum. Quare, fieri nequit quod ad peccatum Deus nos impellat. Si impellit Deus, non est peccatum, ad quod impellit, sed bonum: vidit enim Deus vniuersa, quæ fecerat & erant valde bona. Quod vero ab Ezechiele commemoratur, Deum dedisse illi populo præcepta non bona, nihil est quod lectorem conturbet: malum enim non significat semper malum culpæ, sed etiam, quæ molesta sunt, & pœnam inferunt, mala appellantur. Vnde cibus amarus malus appellatur, & vestes laceræ, vel pannosæ vestes, malæ dicuntur. Vnde Dominus solicitudinem diei, vocat malitiam. Sufficit, inquit, Matthæ. 5. diei malitia sua. Et Sapiens studium literarum pessimam docet esse occupationem. Eccles. 1. & sępe aliàs. Quia ergo, præcepta legalia molesta erant factu, Actor. 15. ideo dicuntur non bona, sed de his hactenus. *Veruntamẽ & ex principibus, multi crediderũt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, Vt è Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Obuius hic videtur sermo priori dicenti, cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant

Propositiones sacrę scripturę subquo sensu sunt intelligendæ.

Deo repugnat nos ad peccatum impellere, nam ad quod impellit, ipso facto bonũ est, etsi alias peccatum fuisset vt de furto Israelitarũ ab Aegyptijs & de homicidio quod intẽtauit Abraham, &c.

bant in eum. Hic verò ait, Ex principibus multi crediderunt in eum. At verò de principibus hîc sermo habetur, & supra de Pharisæis, & scribis, qui tam multa videntes Christi signa, non credebant in eum. Et nunc Ioannes ostendit Pharisæos mentitos fuisse supra dicentes, nũ quis principum credidit in eum Ioan. 6. Vt supra ergo tradebamus, quidam credebant in Dominũ, tunc ex Iudæis, alijs non credentibus. Demonstrat autem Ioannes horum principum fidem fuisse imperfectam, quia pauida fides erat, nõ audens extra promere, quod intro concipiebat, impediente mundano timore. Enimuerò principes timentes non ejici à synagoga Iudaica à Pharisæis, ideò nõ confitebantur Christi fidem. Et tu confidera ex hoc loco non sat esse credere interius, nisi adsit & fides exterior. Vnde isti principes à Ioanne, vituperantur, quia propter mundanam gloriam, non audebant confiteri fidem Christi. Et supra. 5. Dominus gloriæ mundanæ affectum impedimento esse fidei nos docuerat dicens, Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ad inuicem accipitis, &c.

¶ Hinc quoque discres contra Lutherum non omnia esse tribuenda actui fidei interiori, sed etiam esse exteriorem necessarium, cætera quæ de re hac essent dicẽda, ex cap. 5. haurienda tibi erunt.

Mundanus affectus gloriæ, & timor opprobrij mũdani impedimẽto sunt diuinis.

¶ Interim tamen obserua, quanta fuerit id temporis Pharisæorum autoritas, quorum censura ejciens credentes in Christum extra templi & sacrificiorum communionem, quæ erat quasi quædam excommunicatio, erat tunc magnæ formidini, non solum plebi, sed etiam primoribus Iudæorum.

¶ Quandoquidem, principes amantes seipsos plusquam satis fuisset, probrum hoc ejectionis extra synagogam pertimescendo non audebant confiteri Christum, quem alioqui credebãt. Apostoli verò, & discipuli Domini, & multi ex turbis Iudaicis fortiores se præstiterunt in fide Christi, quam principes isti: quãdoquidem Christum sequebantur, & cõfitebantur, spretis Pharisaicis censuris.

Viliores homines se præstantiores exhibuerunt in credẽdo Christo, quã proceres Iudæorũ.

¶ Diligere igitur gloriam mundi, quando Dei præcepto non obstat fas est, atsi diuinis nostra obstat gloria spernenda est, vt isti principes debuissent sperne-

re, quia tenebantur confiteri Christum non obstãte opprobrio ejectionis ex synagoga. *Iesus autẽ clamauit & dixit, Qui credit in me, nõ credit in me, sed in eũ qui misit me, & qui videt me, videt eũ qui misit me.* Fidei in Christũ quãta sit maiestas hoc loco, vt sẽpe aliàs ostenditur. Quippe credere in Christum, non est credere in purum hominem, sed credere in ipsum Deum. Credere autem in deum summæ est autoritatis fides: quippe quæ est diuina fides. Vt ergo Dominus demonstraret, quod credere in ipsum, non erat, vt apparebat credere in hominem solum, ideò ait, Qui credit in me, non credit in me, subaudi solum, sed credit etiam in Deũ patrem, qui misit me. Quasi dixisset apertius, Non vos terreat, quod frequenter vos moneo, vt credatis in me. Durũ enim forsan vobis videbitur, cum videatis me esse hominem, quod exigam fidẽ vestram in me, id quod solius est Dei, ideo dico vobis, fidem quam à vobis exigo in me habendam, esse fidem in Deũ, qui me misit: quia vos credentes in me non in me solum creditis, sed in ipsum Deum. Non ergo pili faciatis fidem, quã habetis in me, acsi esset humana & vulgaris hominum fides, cum non sit humana, sed planè diuina de Deo fides. Proinde qui videt me, nõ putet, quod hominem purum videt, quales sunt alij, qui videntur homines: imò qui videt me, videt Deum, qui misit me. Infra dicet, Philippe qui videt me, videt & patrem meum Ioann. 14. Et supra. 7. dixerat, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. Hoc autem idem testatur modo, etsi alijs verbis eodem tamen sensu.

¶ In cœlesti sanè patria, qui videt patrẽ, videt necessario (saltem secundum ordinem à Deo præscriptum) filium, & Spiritum sanctum. Quia beatissima Trinitas vnius est substantiæ diuinæ, non secundum speciem, sed secundum rationẽ indiuiduam. Vnde fit, vt qui videt vnã personam, videbit & reliquas. Nõ enim potest mens creata visione sua diuidere, quod vnius indiuiduæq; substantiæ est.

Qui videt beata visione vnã personã videt reliquas, & qui videt recta fide vnã personã, & reliquas videbit.

¶ Porrò hoc exilio videmus sanè per speculum in ænigmatè, nihilominus visio nostra, quæ est visio fidei itidem non potest separare à se diuinas personas, qui enim credit in filium, videt filium visione

ne fidei, & videndo Filium, videt Patrem eadem visione, atque Spiritum sanctum vna namque est fides. S. Triadis.

¶ Arrius sanè videbat Patrem, quia credebat in Patrem, at non videbat Filium, quia non credebat in Filium, neque videbat ob eãdem rationem Spiritum sanctum. Cæterum in sua visione diuidebat personas, quia non recte, sed lippiẽter videbat Patrem: si autem, visione rectæ fidei vidisset Filiũ, vidisset quoque patrem, & contra.

Diuinitas Christi ostenditur.

¶ Demum per hæc verba Dominus subdenotat se esse filiũ Dei, & verũ Deum, ideo ait, qui videt me, videt & Patrem meum. Vtique qui videt creaturas videt creatorem: at obscure, quia Rom. 1. inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. At vero ex verbis Domini, Qui videt me, videt eũ, qui mi sit me ad altiorem sensum excitamur, videlicet, quod videndo clara visione Christum in cælesti patria, videbitur Deus Pater, clara etiam visione, quia Christus quatenus Deus, est Deo Patri consubstantialis, creaturæ autem non sunt Deo consubstantiales, ideo clare visa creatura clare non videtur Deus. At modo videns Christum credendo rectè, videt Patrem, quia credit Patrẽ æternum genuisse Iesum Christum ex propria deitate, ante quam secula conderentur. At dicet aliquis an non dicere possemus, qui credit in Ecclesiã, credit in Deum quia aliquando fidei professio testabatur credo in sanctam Ecclesiam catholicam. At vero, etsi admittebatur illa fidei professio, non tamen creditur in sanctam Ecclesiam, amissa loquẽdi forma, sicut in Christum, quia hunc credentes, Deum credimus, quia ipse est Deus, & Patrem credimus esse Deum generantem Christum. In Ecclesiã autem si admittas nos credere, solum est, vt in proponentem fidei documenta, non tamen tanquam in obiectum fidei proprium. *Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Philosophi omnes, & alij omnes, qui mundanam buccinant sapientiam, si non credunt in Christum, inuoluti tenebris sunt ignorantiæ. Quia etsi varia norint de rebus naturalibus, atque moralibus, nesciunt tamen viam salutis æternæ. Quippe hæc sciri nequit, nisi

Credere in sanctã ecclesiam quomodo sic sumendum.

per fidem Christi. Quo circa Christus se vocat lucem mundi huius, quia hanc viã cælestem reserauit docendo, & parauit hominibus moriendo, hæc supra cap. 1. exposuimus. *Et si quis audierit verba mea, & non custodierit ego non iudico eum, non enim veni vt iudicẽ mundum, sed vt saluificem mundũ.* Demonstrarat dudum Dominus fructũ fidei eximium esse nos liberare ab errori bus noxijs auertentibus à vita æterna. Ostendit modo contemptores fidei, etsi in tenebris sint mentalibus, at vero modo non puniuntur, ob suam infidelitatẽ, vt videmus Saracenos, Iudæos, & alios omnes, infideles, vita, salute, honoribus, diuitijsque gaudere in hoc seculo, sicut & fideles. Christus enim non venit primo aduentu, vt homines iudicet, seu dãnet temporali iudicio, sed potius venit, vt quantum est parte sua omnes saluificet. Vnde obtẽperantes Christo, Christus saluabit, reliquos vero, etsi modo non puniat ob suam inobedientiam, puniet tamẽ in extremo iudicio. Vnde Paulus inquit Christum esse autorem salutis obtemperantibus sibi, ad Hebræ. 5. reliquis igitur non obtemperantibus, erit autor damnationis æternæ, quamuis huiusmodi bonis tẽporalibus eos interim non destituat. Et hoc est, quod ait, Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, sermo, quẽ locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Dixerat, Ego non iudico eum, subaudiens, modo non iudico eum, quia non condẽno modo iniquos, pro merito suæ infidelitatis. Verum ne credant homines, infidelitatem, & nequitiam suam remanſuram citra vltionẽ, ait modo, eam iudicandam quidem esse, & damnandã æterno, à sermone suo. Et primo dixerat, Qui audierit verba, & non custodierit, & modo ait, Qui spernit me, & non accipit verba mea. Vnde audire verba Domini, & non custodire, est Christum spernere, & non accipere verba Christi, est idem quod non custodire.

Omnes infideles reputãtur audire euãgelium, & non custodire.

¶ At dicet aliquis, Quid ergo Sarraceni non audiunt verba Christi, ergo si non custodiũt, non est illis imputandũ, quippe Dominus ait, Qui audierit, & non custodierit, at illi non audiunt euãgelium, vt neque Iudæi, neque alij innumeri barbari

Matth.25. barbari, audierunt. Cæterum, quia in omnem terram diuulgatum est Christi Euangelium, & in omnes nationes spar sa est fama fidei Christianæ, ideò ignorantia Euangelij qua premuntur, est illis imputabilis admodum. Si qui verò non potuerunt audire non illis imputabitur, quod non audierunt, quia per illos non stetit, at damnabuntur propter alia peccata: supra de hac re nõnihil tetigimus, & in disput. Theologicis vberius meminimus. *Sermo quẽ ego locutus sum, &c.* Christus per Euangelium suum dãnabit iniquos, quia dicet, esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. & per Euãgelium suum saluabit sanctos, quibus dicet, esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Christus igitur verè tum iudicabit viuos & mortuos: dicet enim sanctis, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c. at damnatis, ite maledicti in ignem æternum.

Christus iudicabit secũdũ Euangelium.

¶ Cæterum quia per legem Euangelicã suam, quam in mundo ipse prædicauit, & Apostolis & eorum successoribus prędicandam mandauit, ipse damnabit impios, ideò ait, sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum, sermonem suum vocans Euangelicam legem suam. Et haud dubium voluit docere suum iudicium futurum iustissimum, quia erit per legẽ suam, iustissimam Euangelicam. Iudicium enim omne, quod fit secundum rationem iustæ legis, iustum est, siquidem quod secundum huiusmodi legem fit iudiciũ, non ex affectu fit iudicãtis, sed ex iustitia legis fit. *Quia ego ex meipso, nõ sum locutus, sed qui me misit pater, ipse mihi mandatũ dedit, quid dicã, & quid loquar.* Legẽ, quam ipse docebat Euangelicam, esse iustissimam ostendit, quare iudicium secundũ illam, erit quoque iustissimum, ideò ait, legem hanc esse à patre Deo acceptam, quare esse prorsus Euangelicam legem, diuinam legem, quia diuinitus accepta. Ideo ait, quia ego, subaudi quatenus homo sum, non edixi hanc legem, neque humana adinuentione excogitaui, vt principes terreni suas excogitant leges: at hanc legem accepi à Deo patre, qui me in orbem misit, vt illam docerẽ homines ex patris autoritate, illam euulgarui. *Et scio quia mandatum eius vita æterna est.* Sciebat Christus, quod lex Euangelica quæ illi à patre fuerat commissa, vt euulgaretur in Iudeam primo deinde in omnes nationes, erat vita æterna. Hoc est, quod adimpletio legis Euangelij, hominibus parat vitã æternam. Hoc igitur sciebat Christus, & quatenus Deus, per scientiam infinitam, & quatenus homo per infusam scientiã, quã simulatq; conceptus fuit in virginis vtero obtinuit. *Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi pater sic loquor.* Insinuat obseruandum esse valde Euangelicam legem, quia non est lex humana, sed lex planè diuina, quia quanuis viderentur Christi verba hominis esse verba, erant nihilominus Dei verba, quia totius S. Trinitatis erant verba. Christus autem suo more in patrem omnia refert, quia pater principium est in Beatissima Triade. Violator ergo, & contẽptor verborum Christi, nõ erit inultus, siquidem diuina verba cõtemnit, & istud est scopus horum Christi verborum. Notandum autem Christum iudicaturum per sermonem suum in nouissimo die, non omnes, sed solum eos, qui audierunt sermonem Domini, & non custodierunt. Eos verò qui non audierunt distinguere oportebit, aut præcesserunt tempora Christi secundum carnem, vt gentes omnes, & Iudæi, qui fuerunt prius quã verbum caro fieret. Et huiusmodi non sunt iudicandi seu damnandi, quia non obseruauerunt sermonem Christi, siquidem non audierunt, neque potuerunt audire, ideò inculpatam ignorantiam Euangelij habuerunt: Euangelium enim nõ obligabat homines antequam extaret.

Iudicium secundum legẽ iustã est iustũ

Lex Euangelica diuina non humana est lex.

¶ Sunt alij, qui non audierunt, potuerunt tamen audire: & per illos stetit, quo minus audirent. Et huiusmodi, iudicabũtur à Christo, quia noluerunt Euangeliũ audire, quod potuissent, & debuissent audire. Et horũ ignorãtia siue ea crassa, sine affectata fuerit, culpabilis valde fuit.

¶ Sunt alij, qui audierunt, & non custodierunt, & isti sunt omnibus prædictis culpabiliores exceptis his, qui ex affectata ignorantia non crediderunt. De quibus expressè sunt intelligẽda verba Domini, Si quis audierit verba mea, &c. At dices, siue audientes, & non custodiẽtes, siue non audientes omnes eodem sermone damnat Dominus dicens, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Quomodo ergo

Euãgeliũ est vita æterna qua ratione dicitur.

Discrimen eorũ qui non audierũt Euãgelium.

ergo Dominus de solum audientibus,& non custodientibus sermonem Domini, modo verba facit,dicens,hos esse condēnandos ab ipso sermone Christi,siquidē omnes damnabit impios sermo Christi. Respōdebis, verba Dei excellentiora cū ctis esse Euangelica verba. At vero lex naturalis item est sermo Dei, quem ipse Deus nobis loquitur, scribens legem naturę in tabulis cordis nostri:& lex vetus, item est sermo Dei, quem locutus est nō omnibus, sed Iudæis tantum: ideoque audientes legem Euangelicam, & non custodientes ij condemnabuntur, & maximè omnium pœnas sustinebunt cæteris paribus. At vero alij omnes,etiam si non audierunt Euangelium audierunt tamen sermonem Dei,siue lex naturalis sit, siue lex Mosaica:quo circa non observantes, à sermone Christi, qui est sermo Dei damnabuntur. Non enim Christus solum dānabit infideles, qui voluerunt obedire Euangelio, aut solum peccatores fideles, sed etiam omnes impios. Et tu obserua verba Christi, dicentis, *Qui audierit verba mea, & non custodierit.* Vbi non de sola fide loquitur,sed etiam de alijs euangelicis præceptis,non ergo sola infidelitas est peccatum.

Non sola infidelitas est peccatum cōtra neohæriticos

MORALIA.

¶Vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.

MIHI Contemplanti Magdalenæ huiusmodi, quod Ioānes gestum denarrat, & quod Lucas etiā in suo Euāgelio cōscripsit, admodum mirari subit ob duo, primo quidem, cur Dominus Iesus, qui ab exordio suæ secundum carnem natiuitatis blanditias, & delicias mundanas exhorruit, vt vitæ discursus Dominicæ testantur abundè si quidem crucem quam monet ferendam, ipse semper tulit ab infantia ipsa, ab ipsisque primis suis incunabulis. Nam in præsepio infans, iacens, animalium foue batur calore, qui illi erant pro delicijs regijs: & deniq́ue vitā quam cruce inchoarat, cruce consummauit, clauis in cruce confixus expirans. Quid obsecro istis, cum vnguentorum delinitionibus, quas modo videtur amasse? Præsertim quia non semel, sed semel: & iterum has ex vnguento delinitiones Dominus permisit. Neque ex vulgatis vnguentis,quod mireris amplius, sed ex optimis,quia ex nardino vnguento. Adhæc neque parcā habuit vnctionē,sed opimam, siquidem pyxidem vnguentariam Maria Magdalena fregit totam, & effudit super Domini caput, vt nihil remaneret,vel vnguenti, vel pyxidis: totum enim insumptum est in Christi cultum. Namque fracta pyxis iam nulli poterat esse vsui.

Christus vitā suam cruce inchoauit & cruce cōsummauit.

¶Alterum autem quod me in admirationem adducit est, quî factum est, vt Magdalena se impelleret ad Christi delinię dos & tergendos pedes, Lucæ.7. nam de delinitione.2.apud Ioānem posthæc diss feretur. Quis enim dubitabit,si rem accuratè expendit hanc Magdalenam secum reputasse,esse peccatricem,& pollutam, & immundam? Et non solum ex occultis peccatis, quæ Deum solum offendūt, sed ex publicis, quæ famam peccantis lędunt, & oculos spectantium & aures audientium offendunt. Qua igitur ratione pollutam cum se cerneret,mulier hęc audebat sanctum, innocentem impollutum, & segregatū à peccatoribus Dominū Iesum manibus suis contaminatis pedes Christi tangere,& ore suo polluto exscortationibus, & alijs immundicijs eosdem pedes Christi oscolari? Vnde offensus,Pharisæus. Lucæ.7.dixit. Si hic esset propheta,sciret vtiq́ue quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est? Pharisæus hoc apud se reputat,& secum voluit nefas esse mulierem peccatricem tangere prophetam. Quid quod nefas videri posset Dominum tangere,prophetarū, peccatricem publicam, & ore, osculando pedes,& manibus tergendo? ¶Vnde ergo tanta tibi audacia, ò Magdalena, quæ sanè rectè sciebas Moysem prohibitum esse, Exo. 3. à Deo,ne accederet calceatus, ad rubum flāmantem, citra sui combustionem. Vnde ei à Deo iubetur,vt calceamenta pedum deponat suorum ad rubū accessurus: cur ergo tu ad Christum accedis, carnalibus onusta affectibus,quod longe indignius est,quā calceatis ad rubum accedere pedibus? ¶Porrò autem si causas horū scrutemur diligentius, cessabit admiratio omnis.

Et,

Et, vt eo ordine rem differamus istam, quo eam proposuimus, Christus sanè vnctiones Magdalenę sibi permisit non ob delicias carnis, quas ipse semper spreuit, sed propter sacramentum spiritus, quod insinuare nobis volebat. Scire autem oportet, Iudaicam antiquitatem vnxisse sacerdotes, reges, & prophetas, sanctaque sanctorum, & mortuos item vngebant Iudæi, Gene. 50. Iacob conditus aromatibus sepelitur. Et Ioan. 19. hunc esse morem Iudæorũ traditur, cum aromatibus mortuos suos sepelire. Christũ autem vngendum fore prædictum fuerat longe ante eius natalia ex sanctorum vatum vaticinijs. Habes in Esaia, Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me, &c. Et Daniel. 9. Donec vngatur, inquit, Sanctus sanctorum. Et in Psal. 44. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Enimuerò Christus fulget regia, pontificali, & prophetali dignitate, ideò etiam vnctus est. At verò, quia regia eius dignitas antecellit omnem regiam dignitatem, quippe regnat in domo Iacob, & regni eius non erit finis, Lucæ. 2. Et pontificatus Christi summus est super omne pontificium, quippe sanguine suo hic pontifex cœlestia regna sibi obtemperantibus reserauit, & prophetalis dignitas, infinitis partibus omnem propheticam aliorum excedit celsitudinem, siquidem Christus, est principium prophetarum, & finis, quia omnes prophetæ Christum habẽt in scopum, Actor. 10. huic omnes prophetæ testimonium perhibent. Hac ratione ergo conficitur, vt Christi vnctio sit longe præclarior, quam omnes commemoratæ vnctiones.

Leuit. 8. Iudi. 9. 1. Reg. 10. 3 Reg. 19. Exod. 30. Exod. 40. Esai. 6.

Christus rex pontifex propheta.

ad Heb. 5. 6. 9

¶ Est namq; Christi vnctio inuisibilis, quia est vnio illa ineffabilis hypostatica, vnde verbum caro factum est. Hæc sanè vnctio spiritualis, non corporalis est vnctio, quam sola fides percipere potest, non enim est visibilis vnctio, quam oculi carnei intueri valent. Ex qua vnctione Christus, est rex cæli & terræ & pontifex summus supra omnes pontifices, & prophetarum, & sanctorum omnium princeps & caput, non solum hominum sed & angelorum, ad Colos. 1. & 2.

¶ Hanc autem sacerrimam vnctionem, quæ oculis patere nequibat, ex visibilibus vnctionibus, nobis vtcunque patere voluit Christus: ideò se permittit vngendum à Magdalena ex vnguẽto optimo, vt excellentissimã vnctionem, quã gerebat intus occultam, illa exterior nobilis vnctio subnotaret.

¶ Nicodemus autem non vnxit Dominum viuum, vt Magdalena, sed vnxit Dominum mortuum, idemque denotabatur, siue ex vnctione viui, siue ex vnctione mortui. Siquidem defuncto Domino, vnctio illa inuisibilis, quam prædicebamus esse vnionem hypostaticam, non destitit, sed perstitit. Quippe diuinitas Christi, mansit adhuc vnita cum Christi corpore mortuo, vt etiam cum anima Christi à corpore Christi sub morte diuisa. Duas igitur legimus Christi vnctiones viuentis Christi in carne mortali, quas Magdalena illi exhibuit, & tertiam, quam Nicodemus occultus Domini discipulus eidem præstitit mortuo: vt ex trina hac vnctione, consummatissimam & longe preclarissimam vnctionẽ Domini interiorem, qua est inũctus per Spiritum sanctum inuisibiliter in dic incarnationis, subintelligamus. Et quid miraris tot vnctiones, siquidẽ Christus Græcè, est vnctus, & Hebraicè est Messias, hoc est, vnctus, si nomen vncti non est cur miremur si interius fuerit oleo inuisibili vnctus, & exterius vnguẽto fuerit delinitus. Admonemur autẽ & nos, vt inuisibilem vnctionem Spiritus sancti curemus summopere, siquidẽ Iesus, Dominus & caput nostrum, ipse vnctus est, nos ergo, qui sumus membra eius, oportet esse vnctos inuisibili etiam vnctione. Vnde ex nomine Christi, deriuatur nomen nostrum, quia omnes fideles appellantur Christiani. At quid obsecro est esse Christianum, nisi esse vnctum? Ab ipsoq; Christo, vt deriuamus vnctorum nomen, ita, & vnctionis efficaciã. Enimuerò ex inuisibili vnctione, quam ab ipso sortimur, ipsius summi regis filij sumus, & eiusdem summi sacerdotis membra & propheticæ denique doctrinæ participes. Vnde dixit Petrus vos autem genus electum rẽgale sacerdotium, gens sancta, populus acquisionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris, vos vocauit in admirabile lumen suum. 1. Petr. 2. Sunt ergo fideles ex inui-

Vnctio inuisibilis mansit in corpore Christi mortuo.

Christiani vt nomẽ vnctorum à Christo deriuãt, ita & vnctionis efficaciam.

inuisibili vnctione Spiritus sancti gens sancta: quippe vnum Deum vere colunt secundum euangelicam veritatem, sunt regale Sacerdotiũ: non quia fideles omnes sint Sacerdotes, sed quia sunt membra supremi sacerdotis Christi: sicut dicuntur regales, nõ quia reges sunt omnes fideles, sed solum quod supremi Regis Christi filij & membra sunt.

¶Hanc autem vnctionem inuisibilẽ fideles omnes obtinuimus, quando aqua saluberrima baptismi sumus intincti, & postmodum eadem vnctione sumus stabiliti, quãdo sacramentum confirmationis suscepimus. At vero ex desidia nostra, per peccata, quę patramus hanc amisimus. At in baptismo vngimur exterius vt discamus per baptismum inungi interius: itemque in cõfirmatione ob eandẽ causam, & vt roboremur contra Satanã vnctionum harum hostem.

¶Admonemur autem ex vnctione visibili nos oportere sapere Christi mores, qui mitis est, & mansuetissimus, misericors, & suauissimus in omnes qui inuocant eum in veritate. Nos quoque eosdẽ est necesse gerere mores. Namque si truces sumus, si crudeles in fratres, vbi nam vnctio nostra? nullibi sane. Nam quæ vnguntur, eò vnguntur, quo mollescant, si nos autem dura gerimus corda, & immites sumus in fratres, non sumus vncti, sed aridi, & duri sumus: ideoque temerè christiani appellamur. Solertissime igitur custodienda est hęc vnctio inuisibilis, vt id pręstemus in opere, quod gerimus in christiani nomine.

Christiani truces, & crudeles solo nomine christianorum gaudent.

¶Iam vero vt secundũ expediam, quod proposueram, non diffiteor equidem audacem fuisse Lucæ. 7. Magdalenam, ad Christũ accedendo, at vero audacia hæc non illi vertenda vicio, sed laudi: quia ex audacia hac vitam æternam reportauit. Fluctuabat satis, quantum coniecto Magdalena, priusquam ad Dominum accederet. Enim verò, peccata quæ fecerat, horum multitudo, horum assiduitas, horum turpitudo horum publicitas, dehortabantur accessum, considerãtem, Christi sanctitatem summam, voluebat nanque non semel, atque iterum intra se, dicens quî audebo manibus istis impudicis tangere carnẽ pudicissimã? Patiar infœlix repulsam, quia mihi indignabitur Christus, & merito, quod nõ erubuerim impudica cum sim mundissimum tangere Dominum. Hortabatur porrò accessum ad Christum, quod ipsum audierat non semel concionantem, & pro concione dicentem, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tantis igitur freta verbis sibi calcaria adijciebat, animum inducebat, vt ad fontem misericordiæ Christum accederet, vt inueniret gratiam in tempore opportuno.

Magdalena freta verbo Christi, accedit ad Christum.

¶Aiebat enim intra se, Ego laboro peccatis, onusta sum iniquitatibus meis: vadam igitur ad diuinum refectorium, vt ibi reficiar. Tandemque spes misericordiæ diuinæ, vicit in Magdalena timoris diuinæ iustitiæ magnitudinem. Proinde iam timet, nihil quod peccatricem se considerat, nihil retrahit ab accessu ad Christum, quod sese pollutam aduertit, sed affectans, & sperans mundationem suã eximia in Deum spe ducta accedere ad Christi pedes prorsus deliberat.

¶Deponit autem accessura ad Christũ ad remissionem obtinẽdam suorum peccatorum murenulas suas, torques, armillas, annulos, specula, vnguenta, vestes olosericas, carmesinas, & aureas, totumq; mundum suum contemnit muliebrem, quibus ipsa solebat sua exercere amatoria: & vestes viles induit, pœnitente dignas, quibus induta audacior redditur se prouoluendi ad pedes Domini.

Magdalena mũdanum ornatum deposuit antequã veniret ad Christum.

¶Namque si ornata istis ingrederetur ad Christum, & amatorijs pigmentis delibuta, non vt pœnitens ingrederetur, neque, vt pœnitens admitteretur, sed vt lasciua depelleretur.

¶Quo circa petitura veniã suorum peccatorum, ornatum seculi mũdanamque exuit pompam, & taliter se gerit in vestibus, & exteriori corporis cultu, qualiter se gerebat in animi coram Deo deiectione. Accedit tandem ad Christum primoque retro stans, verita Christi vultum lacry mas fundit dein accedit ad pedes Christi, & profluuio lacrymarum suarum lauat Domini beatos pedes, & lotos capillis suis tergit, lacrymarum humorem, tersos deosculatur pluries. Tandem vnguẽto optimo vnxit eosdem: hoc idem præstans, quod Paulus pœnitentibus præstandum iubet, ad Roma. 6. Humanum, ait,

Pœnitentis Magdalenæ habitus exterior consonus animo interiori depectatis pœnitẽtiam agenti.

ait, dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra, seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatē: ita nunc exhibete mēbra vestra, seruire iniustitiæ in sanctificationē.

¶Enim vero Magdalena oculis seruiebat immunditiæ conniuendo salaciter: eisdem oculis seruit modo iustitiæ. Flendo enim, & abluendo pedes Domini, maculas mentis suæ abluebat. Et capillis suis pulcherrimis iniustitiæ item seruiebat, eorum enim lenocinio, amantium oculos detinebat, istis autem seruit modo iustitiæ, spargens illos supra Domini beatissimos pedes, tergensque eos à lacrymarum suarum stillicidijs. Vnguentis rursus seruiebat iniquitati, quia se deliniens vnguentis optimis, fragantia odoris suauissimi, amasios pelliciebat, & ad suum trahebat amorem: eisdem vero modo seruit sanctificationi suæ, fundens vnguentum supra Domini pedes. Denique ore suo seruiebat libidini amasios osculans, & lasciua loquens, hoc tamen eodem ore seruit modo Christo, deosculans semel, atque iterum Domini pedes. Vnde rectè dixit sanctus Gregorius in homilia ad Lucā, Quot in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Atque hinc discant pœnitentes, cum confiteri vadunt sua crimina, non eo ornatu ad confitendum eant, quo solent ad nuptias se ornare. Est sane videre fœminas, maximè cultas, & comptas, confessionem facere suorum peccatorum, & quidquid sit de cordis pœnitentia, quæ Deo soli nota est, ex habitu tamen externo istæ, non profitentur se esse pœnitentes, sed potius esse nubentes.

Magdalena quæ impēderat in carnis obsequiū cōmutatin Christi ministeria

Eos qui accedunt ad sacramentū pœnitentiæ nō decet nitidos, cultos & comptos accedere

¶Porrò autem istis expositis, nondum cesso admirari, quid causæ est, quod Magdalena, tempus conuiuij obseruauerit, pro sua celebranda pœnitentia: quando quidem indecentes sunt lacrymæ conuiuijs, lætitiam namque conuiuiorum fletus interturbat.

¶Adhæc admirationē meam auget cur Magdalena, ad domum alienam Pharisæi, voluerit ire, vt fleret peccata sua, quā doquidem in domum sororis Marthæ frequenter hospitabatur Dominus: cur ergo illo non concesit, vbi sine Pharisæi scandalo, posset Domini lauare pedes & cętera exhibere, quę in domo Pharisæi exhibuit. Quid quod domus sororis, Magdalenæ propria reputabatur, vnde ibidem secreto rem suā absoluere posset, absque eo qnod conuiuium deturbaret, & Pharisæi offenderet animum: & conuiuas demum molestia ex suis lacrymis, ibi non afficeret.

¶Veruntamen lacrymæ Magdalenæ lauacrum fuerunt pedum Christi, lacrymę Magdalenæ, antidotum fuerunt vulnerum animæ, eiusdem lacrymæ Magdalenæ reconciliatio fuerūt Dei, Christiąque propitiatio, & spectantibus mirabile pœnitentiæ contulerunt documentum.

Lacrymę Magdalenæ eximiæ fuerunt efficaciæ.

¶Quo circa lacrymæ istæ non interturbabant, sed potius illustrabant conuiuiū illud. Sat vtiq; erat illi conuiuio illustrā do Christum habere conuiuam, vt nihil aliunde posset tanti conuiuij obscurare splendorem, vbi ipsa lux cōuiua aderat. Cæterum lacrymæ Magdalenæ, hanc lucem non obscurabant, sed magis clarificabant, quia ex lacrymis suis beata fuit illa voce donata, Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum, & peccatoribus patuit, quod misericors, & miserator est Dominus.

¶Quod si Pharisaicus est offensus animus, temere est offensus, siquidem Pharisæus præterita mulieris obseruabat mala, & præsentia eiusdem negligebat bona. Errata ante acta aduertebat Magdalenæ, & pœnitentiā præsentem eiusdē negligebat. Errabat autem Pharisæus, quia peccatricē eam nuncupabat ob prętérita delicta, opinionē, & nomē debuisset corrigere, propter prętentē pœnitentiā: quę sane deleuit peccatricis nomē, & indidit nouū iustæ nomen. Non ergo iam peccatrix est, Pharisæe, mulier hæc sancta est: ideo desine à tua cæca cogitatione: vnde obmurmurabas, Si hic esset propheta sciret qualis est hæc mulier. Imo quia propheta est & prophetarū Dominus: ideo nouit, quæ & qualis fuerit olim hæc mulier, quia in ciuitate erat peccatrix, & etiā quæ & qualis est modo nouit, quia sancta & iusta modo est. Ideoq; Christus se illi permittit tangendū, quia per Christi tactum mulier hæc sanctificatur.

Iniuste est offensus Pharisæus ex Magdalena.

¶Tu Pharisæe tumes sanctitatis supercilio, & despicis, mulierē hanc quā existimas esse peccatricē, at quam tu despicis, Deus aspicit, & te despicit, quia tuā super

biam nõ aſpicis. Quod vero Magdalena in domũ Phariſæi voluerit venire, vt illu ſtriſsimũ ederet pœnitentiæ opus, & nõ diuertit in domũ ſororis, ex eo puta factũ eſſe, quia publica ſua trimina publica quoque voluit pœnitentia diluere. Ideo nõ erubuit conuiuas ſiquidem non pude bat eam coram cõuiuis pœnitere, quam non puduerat publice peccare.

Magdalena publicam pœnitentiã egit.

¶Hinc autem factum eſt, vt Phariſaica deprimeretur elatio, & pœnitentium eri geretur ſubmiſsio. Nam Dominus Phariſæo ex ſanctitate turgido, prætulit Ma gdalenam ex peccatis humilem, vnde ait Chriſtus, Aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos &c. Lucæ. 7. vides ne vt prælata eſt humilis peccatrix, iuſto ſuperbo? Et hæc altera cauſa eſt, cur Deo diſponente, in domo Phariſæi: & cõuiuij tempore, Ma gdalena pœnitentiam celebrauerit ſuorum delictorum.

¶At quæret aliquis, quid eſt quod nihil loquitur Magdalena? vtique tantus erat internus peccatorum ſuorum dolor, vt verba abſorberet, & totus in lacrymas ſolueretur: vnde ſi lingua ſilebat, lacrymæ clare loquebantur, ardore doloris, quo vrgebantur, vnde Gregori. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubeſcit.

¶At vero quis expendere librate poterit, quantum, quamque vberrimum ex acceſſu ad pedes Chriſti Magdalena retulerit fructum? Nemo ſane, niſi fallor, iſtud exacte noſſe poterit: at vero vtcun que ex ipſa Magdalena diſcemus, quam fructuoſiſsimus fuerit ei hic ad pedes Chriſti acceſſus. Quandoquidem non modo ſolum, ſed pluries frequentat Chriſti pedes. Nam Lucæ. 10. Sedentem eam legimus ad Chriſti pedes. Et Ioan. 11. videns Ieſum cecidit ad pedes eius, fratris ſui Lazari mortui mortem dolens. Et Ioan. 12. in Bethania, cænanti Domino, procidit ad pedes Domini, vngendo pedes eius. & Ioan. 20. quando primo illi apparuit poſt reſurrectionem Dominus, ad pedes Domini prouoluta eſt. Sexto denique ipſo die reſurrectionis, ipſa cum alijs mulieribus ſe deuoluit ad pedes Domini. Sẽſerat enim ſe ad pedes Domini, in domo Phariſæi ereptam fuiſſe à faucibus Satanæ Deoque fuiſſe reconciliatã, ſpiritualibuſque dotibus exornatam: ideo pedes Domini frequẽtabat, vt inde ſemper ad gratiarum maiora conuolaret incrementa. Hactenus de vnctione prima, ex qua vnxit Domini pedes beata Magdalena in domo Phariſæi. Lucæ. 7.

Fuit autem altera vnctio pedum Domini, quam Magdalena exercuit, in Betha nia Sabbato ante Dominicam palmarũ, quãdo Dominus iam proximus erat paſſioni ſuę cuius Ioãnes, cap. 12. meminit. Hæc autẽ poſtrema vnctio, diuerſa fuit à priore: ſiquidem prior vnctio, fuit ſociata lacrymis, fuit ex dolore peccatorũ procedens, & veniam eorundem obtine re procurans. At vero poſtrema, non ſociatur lacrymis: Euangeliſtæ enim hãc cõmemorantes, nullam lacrymarum fe cerunt mẽtionem. Hæc namque vnctio fuit exultationis, & eximij gaudij, fuit namque in gratiarum actionem. Quippe exultans Magdalena, quod ſe ſecundum animam ſuſcitatam, à peccatorum morte viderat, & quod fratrem ſuum rediuiuum, ex quatriduana morte conſpexerat, accidit ad pedes Domini in Bethania, & terſit à puluere pedes, non linteis lineis aut ſericis, ſed capillis proprijs. Fœminæ autem in ſummo precio habẽt capillorum pulchras habere comas. Suã igitur Magdalena, in tergendo Domini pedes impendit, capillorum pulcherrimam comam. Et re vera ex nullo linteo quamuis delicatiſsimo, & pretioſiſsimo, ſic honoraret Dominum, ſi ex illo tergeret pedes eius, vt honorauit propria capillorũ coma illos tergẽs, ſordeſq; ex puluere contractas, aut ex luto, quod Dominus calcabat pedibus, in proprijs capillis excipiens. Pluris namque faciẽdum eſt, ſi Deo nos ipſos impendimus, quam ſi noſtra. Magdalena igitur ſi linteo terſiſſet pedes Domini, ſua impendebat in Chriſti cultu: at capillis ſuis tergens ſe impendit, quod multo dignius eſt. Neque te moretur quod Burgenſis contendit Apoſtolos & Dominum calceatis in greſſos fuiſſe pedibus, ſiquidẽ huiuſmodi lotiones pedum, nõ erant tunc tergendis ſordibus pedum, ſed ad ſolatium hoſpitum adminiſtrabantur, cuius rei nos

Collatio duarum vnctionũ ex quibus Magdalena dominũ vnxit.

ſupra

ſupra mentionem fecimus. Burg. probat ex Gene.18. de Angelis hoſpitio receptis ab Abraham, qui calciati erant, & Gene. 24.

¶Et rurſus, quia Mar.6. traditur neferrẽt Apoſtoli calceos, ſed ſolum ſandalia deferrẽt. At ſandalium eſt ſpecies quædam calciamẽti, & Matth.10. prohibetur apoſtolis vti calceamentis, id quod videtur non nihil colliſionis præſeferre. Ideo inquit, Dñm nunquam prohibuiſſe calceamentorũ vſum Apoſtolis, qui conceſſus erat Iudęis, Exo.12. quãdo exituri erant ex Ægypto. Siquidẽ expeditius agitur iter ſi calciatis pedibus viãtes ſimus, quã ſi nudis pedibus incedamus.

¶Quo circa exiſtimat, prohibuiſſe dñm ne ferrent calciamenta in virga, vel pera, vt ſolent viãtes pauperes facere: hæc nãque calceamentorũ geſtatio oneri eſt, & non leuamini. Ideo volens Chriſtus ſuos apoſtolos expedite facere ad prædicandum iter, hoc prohibuit.

Verum hæc locorũ conciliatio, citra cauſam, & gratis dicitur & ſine probatione: ideo, qua facilitate dicitur, eadem facilitate negatur.

¶Et quidẽ puto cum ſandalia Dominus permiſerit Apoſtolis, quod ſi Apoſtoli ea vnquam detulerunt in pera, non feciſſe contra Dñi pręceptum. Nam ſi illa poterant geſtare in pedibus, cur non in pera, vel virga, ſi neceſsitas ad hoc vocaſſet, vt conſumptis verbi cauſa ex itinere prolixo quæ geſtabãt in pedibus, alia illis ſubrogarentur.

Burgenſis nõ probatur.

¶Mihi probabilius videtur, ſolũ permiſſa eſſe ſandalia Apoſtolis, quę tamẽ non ſunt calceamenta perfecta, ſed ſolũ dimidiata calceamẽta. Plantã namque pedis tegunt, pedũ ſuperficie retecta. Verũprohibitio calceorũ ſolum legitur facta Apoſtolis à Chriſto quãdo illos deſtinabat ad prędicandũ, non tamen, quando Chriſti aſſeclæ erant: ideo res adhuc dubia ſub hoc vertitur articulo. Etſi eſt ſatis veriſimile, huiuſmodi ſandalijs ſemper eos vſus fuiſſe poſtquam aſciti ſunt ad Chriſti Apoſtolatum. Quidam colligunt eos ambulaſſe diſcalciatos ex Diony.15.cap. Cæleſt. Hierarc. vbi, inquit, quod nudi, & diſcalciati ſcribũtur Angeli, & in margine indicatur locus, Gene.18. ibi tamen nulla fit huius rei commemoratio. Forte tamen ſe angeli illi diſcalciarunt, vt lauarentur.

¶Porro hoc vnum certum eſt in re hac Dominum & apoſtolos cęnantes legaliter, quæ erat vltima cæna, cænaſſe calciatos iuxta legalem ſanctionem. Exod.12. vt autẽ à Dño lauarentur, diſcalciarũt pedes ſuos. Si vero ſe calciarũt tunc cęnæ religione, & prius erant diſcalciati, aut ſandalijs calciati, aut calciamentis alijs, iſtud nõ eſt apertũ. Et ſi Acto.12. Gręcè habetur, Subliga tibi ſandalia tria pro caligas tuas, vt nos legimus. Et contra Burg. eſt, quia ex ſuo placito cõſequitur Dñm ſuperfluè mãdaſſe apoſtolis ne ferrẽt calciamenta, quia ipſe Bur. intellexit in pera vel ſacculo, at cũ iam mandaſſet, nõ ferati ſ perã, neq; ſacculũ, ſuperfluũ eſſet hoc alterũ mãdatũ, non portetis calceamẽta in ſacculo. ¶Porrò his miſsis ad priora regrediamur. Prior ergo vnctio pedũ Domini fuit ad pœnitentiã, & peccatorũ remiſsionẽ, vt lacrymętum fuſæ ſatis teſtãtur, & Dñi verba conteſtantur, Remittũtur illi peccata multa, quia dilexit multũ Remiſsionis autẽ peccatorũ in poſtrema vnctione non meminit Chriſtus.

¶Adde iſtis vnctionẽ poſtremã, præcellere priorẽ, ſi quidẽ non ſolũ vnxit in poſtrema pedes Dñi Magdalena, ſed etiam vnxit caput: prior autẽ ſola vnctione pedũ fuit contẽta. Enim vero in priori vnctione reatus cõſcia proprij Magdalena, non auſa fuit, verticẽ tangere Domini, ſi bi ſuffeciſſe credebat, quod ad pedes dñi vngendos admitteretur. At vero in ſecũda vnctione ſanctificatione noua fruens, non ſolũ pedes vnxit, ſed audet etiã vngere Dñi caput. Conueniunt autem iſtę vnctiones, quod ob vtrãque vnctionem Magdalena iniuria afficitur. Etenim à Phariſæo tacitè vituperatur, & de peccatrice taxatur, & à Iuda, & à diſcipulis alijs Domini, itidem carpitur, quod vnguentum pretioſum fuderit, ad delinien dos pedes, & caput Domini, quod alioqui fundi debuiſſet, in ſubuentionẽ pauperum. Cæterum beata eſt Magdalena, quæ ab hominibus vituperata, & ab hominibus reprehenſa, à Chriſto tamen aſſeritur, & laudatur: & ſi accuſantes habet homines, Deum habet in patronum. At vero, ſi Deus iuſtificat, quis eſt qui condemnet? ad Roma.8.

Magdalena ab hominib' reprehenſa à Deo commẽdatur.

¶ Expediet autem tractare, quidnam istæ vnctiones sibi velint, quid ve adum brent nobis? At vero caput, est supremum quod in homine est, pedes autem sunt infimum. Rursus, nihil vilius in homine quam pedes, & nihil diuinius quã caput. Denique pedibus quidem terram calcamus, capite autem cælum spectamus. Hinc iam patet latus, & spaciosus campus, allegorijs, & moralitatibus.

Allegoriæ variæ & moralitates.

Enim vero, diuinitas est Christi caput, at vero humanitas est ceu pedes Christi. Fuerunt igitur hæretici qui vnxerũt Domini caput credentes, Christum esse verum Deum, at vero nõ vnxerunt Domini pedes, blasphemantes Christum fuisse hominem phãtasticum. Oportet autem secundũ fidem catholicam, & caput vngere Christi, eiusdem credendo diuinitatem, & vngere etiam pedes Christi, eiusdem credẽdo veram fuisse humanitatẽ.

¶ Ad hæc Christus est caput ecclesiæ, ad Colo. 1. & ecclesia est tanquã pedes eius. Sunt igitur hæretici, qui vngũt caput ecclesiæ confitentes Christũ, secundũ fidei articulos & diuinitatis, & humanitatis, at vero nõ vngũt pedes, quia ab ecclesia discesserũt. Quales sunt huius æui hæretici, qui iactãtes Christi fidẽ, & de ea sibi oppido gratulantes, ecclesiã contẽnunt, & illi subdi respuũt. At vero si vngis caput, necesse tibi est salutẽ, si cupis æternã vngere etiã Christi pedes obediẽdo ecclesiæ, vt oportet obedire.

¶ Prẽter hæc sunt qui Christũ amare profitentur, atq; colere obseruãtissime. Cæterum opem indigentibus non submini strant, imo proximos despicãtur, vt ille Pharisęus faciebat, qui gratias agẽs Deo, Luc. 18. publicanũ despiciebat. Isti sanè etiã vngunt caput Christi, quia diuinitatẽ colunt, & se amare iactitãt, at vero pedes nõ vngunt, quia proximis nõ subueniũt, neque solũ non vngũt, imo exasperant, eos despiciẽdo, & illis improperando. Verũ hoc instituit diuina sapiẽtia, vt qui nõ vnxerit hosce pedes Dñi, si vnxerit caput Dñi se diligere Deũ, vtique mẽdax est. Quoniã testãte Ioã. 1. Ioan. 4. Si quis dixerit, Quoniã diligo Deũ, & fratrẽ suum oderit, mẽdax est. Qui enim nõ diligit fratrẽ suum, quẽ videt, Deũ, quẽ non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat fratrem suum. Necesse igitur est volenti vngere caput Domini, quod vngat, & pedes Domini, nam qui non vngit pedes caput Domini vngere nequit. Imo ab vnctione pedum est nobis inchoandũ, vt inde ascẽsum habeamus ad vngendũ Domini caput. Magdalena enim primo vnxit Dñi pedes, postremo caput. Etenim per opera misericordiæ, quæ fratribus impẽdimus, tam corporalia, quã spiritualia Deũ promeremur, Paulo testãte. Hebræ. 13. Beneficiẽtiæ inquit, & cõmunionis nolite obliuisci, talib⁹ enim hostijs promeretur Deus. Ideoq; Ioãnes aiebat dudũ, si fratrẽ quẽ videmus, nõ diligimus, Deum, quẽ non videmus quomodo diligemus?

Nõ possumus vngere caput Domini, nisi vngamus pedes.

Per opera misericordię sẽ dimus ad Dei amorem.

¶ Amor igitur Dei & proximi, vnguentum est nardinũ, valde pretiosum. Hoc igitur vnguẽto vngẽdus est Dñs, diligendo ipsum propter seipsum: & vngendus proximus, diligẽdo eum propter Deũ.

¶ Contingit autẽ amare Deum non propter se, sed propter nostra cõmoda, vt & proximum non propter Deum, sed propter nostrã vtilitatẽ, vel propter nostrã voluptatem, authorẽ. At hic amor, nõ est vnguentũ nardinum, pisticum seu fidele, sed potius est vile, & adulteratum vnguentum. Huius igitur vnguenti vnctionem, non amat Dominus. Est nam que hic amor concupiscentiæ, non charitatis amor, Deus autẽ charitate sua, quã ipse infundit in corda nostra per Spiritum sanctum vult diligi, & proximum eadem charitate instituit diligendum. Quoniam Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4.

Charitas est vnguentũ nardinũ, & fidele

¶ Porrò Magdalena lauit pedes Dñi, & tersit, & vnxit, at vero caput Domini neque lauit, neque tersit, sed solum vnxit. Enim verò, in Deo nihil est, quod lauari, aut tergi possit, quia sanctus est ipse, & fons totius sanctitatis, vnde omnes petimus sanctificationem, sed est vngẽdus, quia amãdus super omnia, & amore placatur, siquidem amicos suos, & se diligentes diligit, in vitam æternam. Aduersus autem non diligentes se, plurimũ irascitur, quia illos afficiet supplicijs ęternis. At vero, in nobis est plurimũ quod lauetur, est plurimũ quod tergatur, est deniq; quod vngatur. Tũc autẽ lauamus fratres quando

Quid sit lauare pedes.

quando illis donamus iniurias cõtra nos admissas, idcirco Dominus ait. Ioan. 13. Et vos debetis alter alterius, lauare pedes. Et rursus, Lucæ. 4. & Matth. 6. citra ænigma clarè docet, nos oportere lauare inuicem pedes, dicens, Dimittite, & dimittetur vobis. Tunc autẽ tergimus fratres, quando optimis quibusque exemplis, ad pœnitentiã erratorum suorũ prouocamus. Denique vngimus eosdem quando illis opera misericordiæ impendimus, opem indigentibus, sub ministrãdo. Prælatorum autem præsertim est lauare Domini pedes, quia inferiorum peccata, & verbo sanctæ prædicationis purgare debent, & sacramentorum administratione purificare inferiorum sordes, & eos denique vngere debent, ipsis benefaciendo, eorumque indigentias leuando quo ad licuerit. Vt etiam inferiorũ est vngere capita sua, hoc est, prælatos suos, eisdem obediendo, in licitis & honestis.

Prælatorum est lauare, & tergere, & obliuire pedes Christi, qui sunt inferiores in ecclesia.

MORALIA.

¶ *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant, Hosanna.* & reliqua, Ioan. 12.

EA Fuit quatriduani Lazari à monumento suscitati miraculi maiestas quę suffecit, ad mollefaciẽda durissima alioqui Iudæorum corda, ad honores diuinos exhibendos Christo. Fecerat siquidẽ & alia quã plurima Christus miracula, nã mortuos alios ad vitam ex morte reuocarat: at vero nullum adeò feruidos fecit animos Iudaicos, vt miraculum suscitationis Lazari, vt honoribus eximijs Christum prosequerentur.

Miraculũ suscitationis Lazari excitauit maxime Iudæos ad honorandum Christum.

¶ Neque solum huius miraculi maiestas, Iudæos adultos iam & prudentes, sed etiam num infantes tetigit. Nãque ipsi quoque Christo acclamabant, Hosanna filio Dauid.

¶ Domino igitur ingressuro Hierosolymã in Dñica palmarũ, discipuli adducũt asinã, & pullum, quæ soluerunt à vinculis, quibus tenebantur, & soluta adduxerunt ad Dominum, quibus cum interpollatis insedisset vicibus Iudæi occurrunt ei lętissimo, & festiuissimo occursu, & togas suas prosternunt in via, & pręcidunt ouantes, & summo lętantes gaudio ramos ex palmis, & ex alijs arboribus. Neque solum ramos, manibus gestabãt, sed & frõdes sternebant per viã, per quã Dominus erat iturus Hierosolymã. Et illi acclamabãt dicẽtes, Hosanna filio Dauid. Itaq; nõ solum voce, sed etiã opere Christũ honorabãt. Voce quidẽ acclamãdo, Hosanna, opere autẽ occurendo, & sternendo togas suas per viã à Christo, & apostolis calcandas. Et pręcidẽdo ramos dearboribus, vt ramis animi profiterẽtur lętitiã. Primus igitur honos qui fuit tũc exhibitus Christo, fuit ab apostolis, qui implẽtes iussa domini soluerũt ligatam asinã, & adduxerũt ad Christum. Et palia sua posuerũt super illã, & Dñm super sedere fecerũt, vt molliorem sessionem, seu æquitationẽ haberet.

Honores eximij Christo exhibiti ab apostolis, & turbis Iudæorũ in Dominica palmarum.

¶ Secũdus honos fuit exhibitus à turbis occurrẽtibus, seu venientibus obuiã Christo. Tertius honos fuit ab eisdem turbis Christo impẽsus, quãdo pallia sua, vel togas suas, deposuerũt & strauerũt per viã per quam Dñs erat ingressurus, cum apostolis suis. Hoc enim cupiebant, vt pedes saltem asinę, cui insidebat Dñs: itemque pulli, calcarent vestimenta ipsorũ. Quartus honos fuit, præcidere ramos ex arboribus, quos gestando manibus obuiã procedebant lætabundi Domino, frondes, etiam excindebant, vt Marcus testatur, quas sternebant in via, vt illam vernantem redderent, Dominoq; gratissimam. Quintus honos fuit Christo exhibitus ab infantibus, concinentibus ipsis viris, & conclamantibus, Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini. Et hac beatissima acclamatione infantes prosecuti sunt Christum, in templum Salomonis, vsque vbi primum est Dominus ingressus pro more suo, post occursum turbarum festiuissimum, & post triũphales acclamationes turbarũ, & infantium commemoratas. Et quis inficiabitur, mulieres quoque se immiscuisse tanto Christi triumpho, etiam si scriptura eas non expresit, quod est sibi familiare fœminas in huiusmodi non exprimere.

¶ Primi igitur, qui Dominum sunt honore eximio prosecuti, Apostoli Christi fuerunt. Id quod adumbrat, haud dubiũ

Apostoli sunt qui primum honore prosequuntur Christum, quia prælati primas partes oportet tenere fideliũ in colendis diuinis.

prælatos ecclesiæ, qui Apostolorũ sunt successores, honoribus Christo impendendis, maxime inuigilaturos.

¶Vt autem Apostoli soluerunt iumenta illa, & soluta Christo adduxerunt, & eum desuper sedere fecerunt, sternentes vestimenta super iumenta, vt molliorem Christus habeat equitationem, ita propemodum, Prælatorum est soluere plebes sibi commissas, quæ sunt instar asinarum, vel iumentorum, propter ignorantiam, qua tenentur agendorum. At vero Prælati doctrina salutari suas plebes imbuentes, soluunt eas à vinculo ignorantiæ, & per claues Ecclesiæ, ipsis concreditas soluunt sibi subditos à peccatis suis, & aptas faciunt mentes subditorum, vt Christus illis supersedeat. Enim vero, quando ligatæ sunt mentes peccatis Christus non amat super has sedere mentes.

Mens ligata culpis non Deũ, sed diabolum habet sessorem.

¶Primũ igitur mẽtes sunt soluẽdę à peccatis, vt Christi sessione dignę reddãtur.

¶Sternunt autem tunc vestimenta sua super plebes, vt Christo sit mollior insessio, quando incorruptis vitæ gerendæ exẽplis, plebes sibi subditas corroborãt ad bona opera prẽstanda cum hilaritate. Etenim si corruptis fœteant Prælati exẽplis, vtique plebes sibi cõmissas, hoc valde contristat, & cum tædio & ob murmuratione recte operantur, & non mollem, sed duram Christo parãt insessionẽ. Sed habent se instar iumentorũ succussantiũ, quæ sane succussatio molesta est sessori, propter inæqualitatem iumenti gressus. Quod autẽ sternebant vestimẽta sua, & nudati vestibus, hoc est, vt sæpe aiebam pallijs, vel togis Christo processerunt obuiã, si ad allegoriã referre libet, sane figni fĩcat, fideles Christũ colere iam nudatos à põdere legis, & ab inuolucris illis typicis, quibus Mosaica lex abũdabat. Enim

Fideles nudati sunt ab inuolucris veteris legis, quia reuelata facie Dñi gloriam speculantur.

vero iam patefacta est sanctorũ via, quæ sub lege Moy si nõ erat propalata, Paulo testante, ad Hebr. 9. Significãte Spiritu sancto, nondũ propalatã esse sanctorum viã. At vero sub Christo propalata est iam, quę olim erat obtecta sanctorũ via, idcirco Domino pendente in cruce, velũ scissum est in partes duas, à summo vsque ad deorsum: & Sancta sanctorũ, quę erant obuelata populo, solisque summis patebant pontificibus, nudata fuerunt suo velamine, & patuerunt cunctis.

¶Id quod insinuabat, quod dudũ aiebamus, fideles non inuolucris typorum in Christi sacramenta credere, vt Iudæi quondam credebant, sed depositis inuolucris, & veteribus vmbris reuelata facie gloriam Dñi speculamur. 2. Cor. 3.

Qui obuiam ire Christo satagũt, ab omnibus secularibus sarcinis se exonerant

¶Quod si ad moralẽ sensum, locum hũc referre malumus, vtique viantes, vt expeditiorem habeant viam, togas deponunt, quippe huiusmodi vestes, quia laxæ sunt, & prolixæ, obstaculo sunt viantibus, quo minus expedite iter faciant. Quo circa si acceleranda est via, à vestibus se isti exonerant, vt sine onere, cursum suum absoluant. Qui igitur obuiam procedere cupiunt Christo, & hoc expedite, & citra impedimentum facere satagunt, pallia seu togas, quæ significant seculi impedimẽta consequendæ vitæ ęternæ à seipsis proijciunt. Eligentes potius nudos obuiã ire Christo, quam vestitos, retardari ab hoc beato occursu.

Sarcinæ seculares sunt visibiliũ bonorum affectus.

¶Sunt porrò seculi impedimenta visibilium bonorum affectus. Vnde Apostolus. 1. Corin. 7. coniugalem vitam impedimento asserit esse obsecrando Domino, & rem esse solicitudine plenã vitam eandem, quo minus diuina sedulo expediamus, ibidẽ testatur: ideoque ait, Volo autẽ vos sine solicitudine esse. Et Dominus solicitudinem huius seculi, & fallaciam diuitiarũ, docet suffocare Dei semẽ quod est Dei verbum, Matthæ. 13. Et Ioãn. 5. Quomodo vos potestis credere, qui gloriã ab inuicẽ quæritis? Vnde perspicue etiam demonstratur, honoris ambitionem impedimento esse, quominus Christum credamus, & diligamus.

¶Igitur carnis cõcupiscentia, vitæ superbia, & oculorũ concupiscentia, hæc sunt obstacula tria. 1. Ioan. 2. & illa quidem maxima, quæ hominibus obsistunt, ne Domino occurrãt, fide credendo, & charitate amando.

¶Quo circa, qui volunt expeditissime Deo obuiã ire, hæc impedimenta deponunt, vt religiosi viri faciunt, religiose vitam degẽtes. Enim vero ex votis tribus, quæ Deo nũcupant solẽnibus, exonerãt se à sarcinis istis secularib⁹. Quãdoquidẽ per votũ continẽtię decutiũt à se venerea & per votũ paupertatis abdicãt à se temporalia bona, sicut per obedientiæ votũ, ambi-

ambitionem, & vitæ mũdanæ faſtum ſe deponere profitentur. Quod ſi hæc non obſeruant reos ſe conſtituunt ſuorum vo torũ, & fedifragi inueniuntur corã Deo: & non ſolũ non procedunt obuiã Chriſto, ſed retrocedunt ne obuiẽt Chriſto.

¶Porrò autem, quia non omniũ eſt cœlibatus. Matt. 19. Neque omniũ hæc perfectio vitæ, ſcilicet, omnia ſecularia abdicare, vt expeditiſsime Chriſto obuiã procedam⁹: ſunt alij fideles, qui ſi nõ tam expedite, vt cõmemorati, at vero quãtum ſat eſt Chriſto, etiam læti obuiam eunt. Sunt iſti, illi quos Apoſtolus cõmemorat. 1. Cor. 7. Hoc itaque ait, Dico fratres tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habẽtes, ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mũdo, tanquã non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Quo fit, vt omnes fideles, qui viſibilibus iſtis vtuntur bonis, ſi ad eam rationẽ, eiſdem vtantur, ſecundum quam, Dei præcepta non violant, ſed iſtis inuiolatis, bonis ſeculi vtuntur, huiuſmodi cenſentur deponere etiam veſtimenta, de quibus ſermo agitur, ſi non ſecundum effectum, certè ſecundũ affectum, ſecũdum quem Deũ, præponunt creatis cunctis, creataq; vniuerſa bona in vſum vitæ, non in ſcopum vitæ vſurpant. Porrò autẽ legimus apud Matth. 25. virgines decem illas obuiam vẽturas in die nouiſsimo Chriſto. At vero quamuis, omnes Chriſto occurrent, diſpari ſatis occurſu. Quædam namque illarum rectè occurrent Chriſto, nam earum occurſus Chriſto ſponſo, erit quam gratiſsimus. Aliæ vero infauſto occurrent occurſu, quippe quæ repellentur ab ſponſi thalamo.

¶Cęterum cauſa ex euangelio redditur, quia quædã ex illis fatuę erant, & improuidæ, ideo nõ ſumpſerunt oleũ in lampadibus ſuis. Aliæ vero fuerunt prudẽtes, quippequæ lampadibus accenſis, & non extinctis venerũt obuiam ſponſo. Quæquidẽ parabola ænigmatice docet, non omnes qui procedunt obuiam Chriſto, aſſecuturos eſſe Chriſtũ, imo plures horum obuiantiũ Chriſto, perdẽt Chriſtũ. Omnes autẽ fideles cenſentur, obuiã proceſſuros Chriſto, in die illo nouiſsimo: ſi quidem qui nõ credit, iam iudicatus eſt: ideo infideles tanquã Chriſti hoſtes non ibũt obuiam Chriſto: id quod ſubditorũ eſt procedere obuiã Domino ſuo, itẽq; amicorum eſt. Cæterũ non omnes fideles rectè procedent obuiã Chriſto: ſiquidẽ. quia Chriſtus lux eſt mũdi, amat obuiam illi proceſſuros procedere cum lãpadibus accẽſis. Sunt autem lãpades iſtę, myſticę intellectus, & voluntas, quas imbuũt fides, & charitas. Qui vero intellectũ habent ſane ornatũ fide, ſed fide mortua, lãpadem ſane habẽt, ſed extinctam: ideo huiuſmodi occurſus Chriſto Domino venienti iudicare viuos, & mortuos, erit minime placidus, ſed potiꝰ infeſtus. Namque dicet illis, Ite maledicti in ignẽ æternum. Quod vero, ex euangelio proponitur plurimam turbam Domino proceſsiſſe obuiam, veſtimenta ſternendo, vt via, per quam Dominus erat ingreſſurus ſtrata eſſet veſtibus, idem eſt, atque quod Matthæus de virginibus prudentibus cõmemorat, quæ accenſis lãpadibus Domino occurrent in die nouiſsimo. Siquidem, vt dicebam, proſternere veſtes, eſt impedimenta diuini obſequij, amouere, vt ſine impedimento Chriſto ſeruiatur: & ſanè qui hoc præſtãt, fide, & amore Chriſti præſtant. Vnde lampadibus accenſis Chriſto occurrent, & non extinctis, vt fideles ij occurrent, qui ſarcinis peccatorum onuſti diem clauſerunt extremum.

¶Eſt autem annotatione nõ indignum, quondam Iſraeliticas fœminas, occurriſſe gaudibundas Dauid regreſſo à cęde gigantis illius formidabilis Goliath. Quæ omnes ob præclaram victoriam, & inſigne, quod Dauid reportabat ex immaniſsimo hoſte, triumpho, in choris & timpanis obuiam proceſſerunt Dauidi. Neque ſolum muſicis inſtrumentis trophæum celebrabant mirabile, ſed & vocibus concinendo, Occidit Saul mille, Dauid autem decem millia. Vnde Saul liuore corroditur letifero, & inde perpetuas parat inſidias Dauidi. At vero Chriſto hodie Iudæorum turbæ tam virorum, quam fœminarum, quam puerorum, occurrunt, Chriſto eunti in Hieroſolymam, reportaturo maximum, & plane diuinum triumphum, non de Goliath, homine, & ideo imbecillo hoſte, 1. Reg. 17. 1. Reg. 18.

sed de tota phalange inferni, quam solũ Dei virtus superare potest. Vnde tam quod imminebat referendum à Christo de diabolo, & angelis eius tropheum, insinuabant occurrentes turbæ triumphatori Christo, quia palmas, quas gerebãt in manibus occurrentes Christo, Christi aduentantem victoriam facile adumbrabant. Palma enim triumphalis arbor est, quia nulli cedit, vt Gellius ait. libr. 3. c. 6. & pressa pondere nõ deprimitur, sed extollitur. Vnde Strabone cõmemorante in Persida contignationes domorum, ex Palma compinguntur, quæ si forte frangantur, non deorsum deprimũtur, vt cęteræ arbores, imo sursum extolluntur. Acclamant autem Dauidi, Saul percussit mille, Dauid decem millia inde se seruatos esse, à Dauide profitentes. Acclamant item Christo, Hosanna filio Dauid, seruatorem hominum profitentes, hac acclamatione esse Christum. Sicut autem Dauidis ille triumphus, fuit Sauli inuido incentiuũ, & seminarium odij contra Dauidẽ: ita etiam Christi hodiernus triumphus, fuit intestini odij contra Christum consummatio, vnde Ioan. 12. Videtis aiunt Phari sęi, quia nihil proficimus, mundus totus post ipsum abijt.

Palmæ natura.

¶ Aduertendum autẽ, nos obuiam procedere Christo, & Christus nobis obuiã venit, imo nisi prius ipse nobis fuerit obuius, nos illi non erimus obuij. Legimus autem hæc duo in Eccles. cap. 15: Qui continens est iustitiæ, apprehendet illam. & obuiabit illi, quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Itaque obseruatori iustitię, ipsa iustitia obuiabit, quasi mater honorificata. Et rursus adiecit paulo infra, Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obuiabunt illi. Cum ergo Christus sit iustificatio fidelium, non quod ipse sit formalis iustificatio nostra, vti malè cõmentãtur hęretici huius æui, sed quia ipse nos facit iustos per sanguinem suũ delens nostra delicta: ideo ipse primo occurrit nobis præueniens nos, & excitans nos, vt iustificantem, quam offert gratiã suscipiamus. Et homines stulti, qui vel nolunt iustificari, aut si volũt procrastinant suam iustificationem, isti non exeunt obuiã Christo amãdo, quod ipse amandum esse à nobis offert. At vero homines sensati obuiam exeunt Christo, proijcientes vestimenta sua, hoc est, secularia contemnentes, vt expeditius Christo seruiant. Sensatis igitur, & timoratis hominibus, quasi mater honorificata occurret Christus, eos præueniẽdo, illuminando, & dirigendo, at vero infidelibus, vt stultis hominibus, & fidelibus in peccati animo obstinatis, occurret, quasi vrsa raptis catulis, & dirumpet interiora iecoris eorum, & consumet eos, quasi Leo, bestia agri scindet eos. Oseæ. 13. Et quidem occursus huiusmodi vrsæ, atrocissimus est, & adeo hunc in medium protulit, vt ex hoc occursu, intelligamus, Christum vindicem peccatorum futurorũ exactissimum, & pœnas sumpturum de hostibus suis acerbissimas. Cum ergo vocamur à Christo, ipse nobis occurrit cum verò illi assentimus, nos illi occurrimus. Si verò non morẽ gerimus vocanti, tum retro cedimus, & occurrenti non occurrimus, sed Christum occurrentem potius spernimus.

Timoratis Christus se offert, vt mater honorificata obstinatis, vt vrsa illis occurret raptis catulis.

Christus obuiã venit nobis, & nos Christo.

¶ Quod vero cõmemoratur turbas Christo obuiam euntes, ramos ex arboribus decerpsisse, vt ramos gerentes manibus occursum festiuiorem redderent, non vacat, nisi fallor, à mysterio. Enim vero Christo obuiam euntes turbæ per montem Oliueti transibant. Mõs autem Oliueti autore Hiero. est mõs consitus multis fructiferis arboribus, & quia mons oliuarum appellabatur, oliuis esse refertum, indubitatum est: & quia Ioãnes ait. Palmarum ramos habuisse obuios Christũ, item & Palmas in eo monte fuisse, est argumentum. Vnde, & oliuarum ramos, & aliarum arborum à monte illo fuisse tunc decerptos, non est cur inficiemur. Quibus obuiam venerũt turbę Christo, in descensu montis Oliueti. Lucæ. 19. Christus igitur venit tum, ad Hierosolymam, per montem oliuarum, & turbæ obuiantes Christo, item per eundem mõtem obuiant, & ab eodem monte sibi capiunt ramos, oliuarum & palmarum. Et per eundem montem turbæ, quæ prę cedebant, & quę sequebantur clamabãt Hosanna filio Dauid. Quæquidẽ omnia si accuratè pensitẽtur farraginẽ non modicam suppeditant mysteriorum. Siquidem Dominus per montẽ Oliueti vadit modo Hierosolymã passurus pro hominibus.

nibus. Etenim, quia oliuarum mons, est mons, vnde oleum exprimitur, quia ex oleis, quæ sunt fructus oliuarum, oleum cõcinnatur, oleum autem miseri cordiam subdenotat, ob suam insignem mollitiem, inde aptè dicere possumus, Dominum feciſſe transitum modo per montem oliuarum ad crucem subeundam, quia non ex operibus nostris, sed secũdum suam misericordiam saluos nos fecit. Et enim propter nimiam charitatem ex qua dilexit nos, tradidit seipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis, ad Ephes. 5. Per viscera namque suæ misericordiæ nos visitauit, & nobiscum est conuersatus, oriẽs ex alto., Lucæ. 2. Et misericordia motus Samaritanus ille, videns hominem quẽdam miserrimum, saucium, iacentem in itinere, & spoliatum à latronibus, appropians illi alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum. Lucæ. 10. Siquidem Christus videns humanum genus ex primitiua, & alijs culpis iacẽtem sub diabolica potestate, non ex meritis nostris, sed misericordia sua motus, appropiauit se nobis, nostram induens humanam naturam: & vulneratur pro nobis, vt vulneribus suis nostra alligaret: & moritur pro nobis, vt per mortem suam, oleum diuinæ misericordiæ nobis infunderet sanãdis, vino tamen temperatum: siquidem etsi misericorditer agit Deus donans peccata, at verò pœnitentibus peccata donat.

Christus ex misericordia se fecit homi nem, & ex mi sericordia factus homo, redemit hominem.

¶ Quocirca cum suauitate diuinæ misericordiæ, miscenda est auctoritas nostræ pœnitentiæ.

¶ Præterea, qui obuiam processerunt Christo, per montem hunc processerũt: siquidem misericordiæ diuinæ fuit munus, quod ipsi à Deo tãgerentur, vt irẽt obuiam Christo. Et ab hoc monte, ramos accipiũt, & oliuarum, & palmarũ, vtique in ramis oliuarum admonentur omnes qui volunt rectè procedere obuiã Christo, vt sint bellicosi atque pugnaces, contra vicia omnia, & aduersus viciorum caput, Satanam.

Quod rectè obuiã eamus Christo diuinæ est misericordiæ.

¶ Oleum namque, quod ex oliuis paratur, quondam palæstritas descensuros ad arenam, alioqui nudos armabat ad cõgressum, cum aduersarijs: siquidem per oleum, elabebantur à potestate aduersarij, quando cum illo manus erant conserendæ. Nos quoque oleo alio digniori multò, sumus vngendi, vt manus conseramus cum vicijs, & concupiscentijs, & cum Satana. Sunt autem hoc oleum dona Dei, & diligentia nostra. Idcirco sæpè admonemur, vt simus fortes in bello hoc inuisibili, & quod pugnemus cum antiquo serpente, vt accipiamus regnũ æternum. Et Petrus huius quoque nos admonet ardui belli, dicens, Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Et ad hoc bellum Domini, quod est difficile bellum gerendum, nos instruit Apostolus ad Ephesios vltimo. Armorum enim inuisibilium genera exponit, scilicet, salutis galeam, spiritus gladium, fidei scutum, &c. Accipite, ait, armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo. State ergo succincti lũbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumẽtes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere. At hæc arma omnia, quid sunt nisi dona Dei, ex eius eximia misericordia nobis elargita? Ideoque hæc arma sunt oleum, quod vngit Christi milites, vt possint bellare bella Domini. Ignaui igitur, & qui bella bellare Dñi nolunt, non possunt Christo obuiam ire, quia oliuarum ramos gestare nequeunt, qui ad arenam cum Satana, descendere non audent.

Obuiã ituri Christo pugnaces oportet esse cõtra peccata.

¶ Porrò autem, quia non sat est bellum committere cum Satana, nisi ex bello reportemus victoriam: quippe si illi succũbimus, commodius fuisset cum illo nõ bellasse: ideo rami palmarum admonẽt, obuiam ituros Christo, victoriam esse reportaturos, de antiquo humani generis hoste. Inquit namque Aulus Gellius, vt dudum indicabam, lib. 3. c. 6. Perherclè rem mirandam, Aristoteles, in. 7. Problematum, & Plutarchus in. 7. Sympo siacorum dicit, si supra palmæ arboris lignum, magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, onereſque, vt magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec infra flectitur, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur, recuruaturque. Propterea q; inquit

Nõ sat est bellare cũ diabolo, nisi eundẽ debellemus.

Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniã natura eiusmodi ligni est, vt vrgentibus, opprimentibusque non cedat.

Palma cur signũ victoriæ

¶Non tamẽ me latet quẽdam herbariũ insultasse istis autoribus, dicẽtem palmã esse debilem arborẽ, & non gaudere hac natura, quod illi tribuũt Arist. & Plutar. & Strabo. Ego vero huic herbario refragor. Non enim illustres isti autores, hæc de palma temere scripserũt. Neque quia debilis est arbor, & frangibilis inde colligitur, nõ esse verũ quod cõmemorati autores tradiderũt: quia ex proprietate natiua hoc habet nõ cedere deprimenti, etsi alioqui cedat facile frangenti. Et quale, quale hoc fuerit palmæ magna ratio habetur in scriptura, & tanquã insigne victorię beatis tribuitur à Ioãne in Apoc. 7. Et palmæ, inquit, erãt in manibus eorũ: cur ergo tribuitur palmæ in sacra scriptura esse signũ victoriæ, nisi ob causam cõmemoratam? Neque tamẽ intelligas, in cælo futuras palmas, sed victorias & triũphos sanctorum ex palmis scriptura denotat. Vnde canit Ecclesia, Cum palma peruenerunt sancti ad regna cælestia, & coronas decoris accipere meruerũt. Et in Deu. 25. Quẽ iustum esse perspexerint illi iustitiæ palmã dabunt. Primoq; Macha. 13. contaminatã arcem purgauerũt Machabæi, & intrauerunt eãm cũ laude & ramis palmarum. Non ergo solũ apud gentes erat palma signũ victorię, sed etiã apud Iudęos. Et Nehemię. 8. Festũ tabernaculorum celebrabant Iudæi, cum frõdibus oliuarum, & myrthorum, & ramis palmarũ. In templo quoq; Salomonico sculptæ erant palmæ, & cherubim: siquidem sancti Dei, ex plenitudine sapientiæ qua sunt imbuti diuina, palmas victorię obtinent triumphantes de mundo, & pompis eius.

Dotes Palmæ.

¶Palma igitur est arbor, vita longæua, aspectu pulchra, fructu suauissima, & natura indomita. Vnde rectè diuina scriptura palmæ confert iustos, dicẽs iustus, vt palma florebit. Recte sane sancti palmæ conferũtur. Sunt enim vita non temporali, sed æterna longæui. Ideo Iob. 29. Sicut palma multiplicabo dies meos. Iusti quoque sunt pulcherrimi ante Domiũ. Etenim pulchrũ est amabile, qui ergo à Deo amãtur pulchri sunt, iusti autẽ à Deo amantur. Ego, inquit, diligentes me diligo, iusti autẽ Deum diligũt, ergo abeo diligũtur, sunt ergo pulchri interna pulchritudine. Palma itẽ ob suã pulchritudinẽ, cęlabatur in Salomonico tẽplo.

¶Habent quoque palmæ fructus suauissimos, quos dactilos vocant. Iustorum item fructus sunt Deo suauissimi: siquidem merita sanctorum Deo sunt quã gratissima: quando quidẽ, illa coronat Deus vita sempiterna. Demum, palmę natura est esse indomitã, quippe qñ deprimẽti non cedit: sanctorũ quoque ingeniũ est, non cedere mũdo, neque carnalibus blanditijs, neque secularibus fastibus, imo neque fraudibus diabolicis, quibus sæpe vrgentur, non cedunt. Sed potius viriliter omnibus illecebris carnis, & fraudibus diabolicis repugnãt: vt verè dixeris esse sanctos indomitos, instar palmæ.

Sanctorũ ingeniũ indomitum est.

¶Cedunt solum cui iure cedendum est, scilicet, Deo iubenti: & mouenti eos per inspirationes suas: ideo solum vniuersali Dño, se permittunt domãdos, at vero cęteris cunctis resistunt viriliter.

¶Et palmis autem istis Dñica, quæ celebrat hoc Domini trophæũ, vocatur Dominica in ramis palmarũ, & nõ, in ramis oliuarũ, aut aliarum arborũ. Etenim solũ Ioãnes expresit speciem palmę, cæteris euangelistis nullã speciem arborũ explicantibus contẽtis dicere, exiuisse turbas obuiã Christo excisis ramis ex arboribꝰ, & si Marcus non solos ramos, sed & frondes arborum cõmemorat, non explicata tamen arborũ aliqua specie. Et forte frõdes istæ erant oliuarũ, vt lib. 2. Esdrę. c. 8, paulo ante retulit. Cæterũ vt aiebam dudũ non est cur inficiemur tum nõ interfuisse ramos etiam oliuarũ, & aliarũ arborum, propter rationem indicatam.

Cur appellatur Dominica in ramis palmarum.

¶Quod vero turbas præeuntes, & sequẽtes, item acclamant Dño, Hosanna filio Dauid, haud dubiũ significabat, omnes iustos, qui præcesserũt tempora Christi secũdum carnẽ, & qui secuti sunt, omnes fidẽ habuisse vnã Christi. Priores enim credebãt in venturũ Christum, & posteriores etiam credũt in eundẽ Christum, quẽ priores venturũ sperabãt in mundũ. Quem tamen iam non sperant venturũ, sed gaudent iam adesse præsentẽ. Quanquam autẽ fides posteriorũ, sit longe explicatior, quã fides priorũ, cæterum substantia

Iusti primi & nouissimi vna fide Christi gaudent.

ſtantia, vna fides eſt: vt eadem eſt manus compreſſa, quæ expreſſa. Omnes igitur ſiue priores, ſiue poſteriores in hunc per fidem ſpectant Chriſtum, omnes illi acclamant, Hoſanna, ſcientes ex fide Dei, ſaluatorem mundi hunc eſſe Chriſtum, & non eſſe datum aliud ſub cælo nomẽ, per quod omnes ſaluentur homines, niſi nomen Ieſu Chriſti. Actor. 4.

¶ Deniq; non arbitror exigui eſſe ſacramenti, pueros acclamaſſe Chriſto filio Dauid, & Dñm probaſſe puerorũ acclamationem, aduerſus Phariſaicũ inſultũ.

¶ Res ſanè miratu quã digniſsima, rudes pueros & prorſus amuſos, ſaluatorẽ mũdi laudaſſe, & cognouiſſe, & literatiſsimos ſcribas, & Phariſæos, prorſus ignoraſſe. Vnde rectè dixerit aliquis pueros hoſce, inſtructos fuiſſe ab Spiritu ſancto, vt Chriſti promerent laudes. Quod ſi occinat quiſpiam dicens, pueros iſtos nõ ex inſtinctu Spiritus ſancti acclamaſſe Chriſto, ſed imitantes turbas, eandem vocem emittebãt, quam ex turbis acclamantibus excipiebant, eſt nam q; puerorum ingenium facile mobile, qui in omnibus publicis ſpectaculis interſunt, & clamores excitant, quos vident ab alijs excitatos, imò & ipſi ſæpè clamorũ ſunt autores. ¶ At verò, ſi ex imitatione pueri acclamaſſent, non probaſſet Dñs eorũ acclamationem dicens, Ex ore infantiũ, & lactẽtium perfeciſti laudẽ tuam. Si ergo perfecta fuit laus Dei ex ore puerorũ, nõ fuit ex imitatione, quippe laus hęc nihil haberet perfectionis, pythaci enim, & ſturni hac ratione etiam Deũ laudare poſſunt. Quocirca ſi perfecta laus fuit ex ore infantiũ, vtiq; quia ex Spiritu ſancto fuit profecta, ideò fuit perfecta. Spiritus enim ſanctus mouit puerilia corda, & pueriles linguas, vt Chriſtum ſonora voce confiterentur. Quod ſi forſan rogitas, ſi infantes erant, & lactentes, qua ratione fari potuerunt, lactentes enim fari nequeunt. Sunt qui ſecuti Caſsiodorum ſuper Pſal. 8. ſoluãt dubiũ hoc, dicentes, lactentes eſſe intelligẽdos eos de quibus Petrus ait, Quaſi modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo. 1. Petr. 2. lac concupiſcite. Verum tropologicus hic ſenſus, nihil huic inſtituto ſeruit: ſiquidem ſenes iam & valde prouecti ætate à baptiſmo ſunt infantes dicendi iuxta Petri ſententiã. At verò modo ſolum ſermo eſt, de ijs, qui ætate erant infantes. Dicito igitur huiuſmodi pueros Chriſto acclamantes, nõ eſſe infantes recèns natos, aut adhuc pendentes ab vberibus matris, ſed quia, nõ longe aberant ab infantia, & modico diſtabant tẽpore, ab ablactatione ſua, ideò vocãtur infantes, & lactẽtes, quia erant admodum paruuli: ſiquidem quod modicũ eſt nullius habet rationem. ¶ Et quidẽ pueri modo videntur grates referre Dño, pro amore ab ipſo, illis impẽſo. Et enim Dñs ſe amare pueros non ſemel inſinuat. Sinite, ait, Matt. 19. paruulos venire ad me. Et rurſus Matth. 18. vocans paruulum, ſtatuit in medio, & dixit. Niſi efficiamini, vt paruulus iſte non intrabitis in regnũ cælorum & ſæpè aliàs. Nunc igitur paruuli quaſi rependentes vicem Chriſto, laudes eidem concinunt mirabili lætitia dicentes, Hoſanna filio Dauid, &c.

¶ Et equidem tunc noſtra laus Deo erit grata, quando, inſtar infantium, & lactẽtium nos geſſerimus. Siquidem lex Dei ſapietiã præſtat paruulis. Pſa. 16. & 118. Deus intellectum dat paruulis. Et Dñs confitetur myſteria ſacra eſſe abſconſa prudentibus, & ſapientibus, & reuelata eſſe paruulis, Matth. 10. ¶ Sunt autem paruuli quidam ætate, vt qui infantiam gerunt. At hæc infantia non eſt, quam ſcriptura commendat, quia ætas naturæ eſt, non virtutis. Sunt autem alij paruuli non ætate, ſed ſenſus imperfectione, ſed neq; iſti cõmendantur admodũ, vt ſunt ij, qui adhuc rudes ſunt in diuinis ſacramentis. Quorũ Paulus meminit ad Hebræ. 5. Omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonũ iuſtitię: paruulus enim eſt: vocat enim modò paruulũ, qui prima rudimenta tenet fidei, & ad altiora penetranda nondum eſt prouectus.

¶ Sunt autem paruuli alij, qui reprobantur, quippe cum adultam ſint iam aſſecuti ætatem, mores adhuc geſtant pueriles. In quos Eſai. inuehitur dicens. 3. Dabo pueros principes eorum. Et ſapiens hos etiam increpat dicens, Vſq; quo paruuli diligitis infantiam, &c. Prouer. 1.

¶ Sunt autem alij pueri, malitia, quã pueritiam, ſeu infantiam Petrus cõmendat. 1. Pet. 2. dicens, Quaſi modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac cõcupiſcite.

Pueri in die palmarũ fuerunt ab Spiritu ſancto moti vt Chriſto acclamarent Hoſanna.

Paruuli Chriſto acclamantes viſi ſunt illi vicem repẽdere.

Paruulorum varij modi ex ſcripturis.

Oportet nos esse paruulos vt laudes nostræ sint Deo gratæ.

te. Et Paulus ad eandem hortatur infantiam, scribens Corinthijs, vt sint paruuli nõ sensu, sed malitia. 1. Cor. 14. Nos ergo si laudes Deo gratas cõcinere satagimus hãc pueritiã nosectari opportunũ est: nẽ pe, vt sim⁹ paruuli malitia. Paruuli enim quippe nondũ experti seculi vaframẽta, alieni sunt à malitia, qua adulti abũdant. Tũc sane si tales paruulos nos præstiteri mus, nõ solũ cũ pueris Hebrẽorũ, sed angelis Dei nostras miscere poterimus Christi laudes. ¶ At verò, quis fideliũ est, qui quæ diximus, secũ considerãs, nõ cupiat Christo obuiã ire, & illi, jvt Hebræi fecerũt, cũ arborũ ramis occurrere, & vestimẽta Christo sternere, & illi Hosanna cũ illis ardẽti animo & sonora voce canere? Cẽterũ si hoc cupimus nõ segni, sed ardẽti desiderio, & si corporaliter idem præstare, quod illi non possumus, porrò spiritualiter melius quã illi poterimus. Enim verò si sarcinas seculares, quę animũ nostrũne respiret ad diuina deprimunt, deposueri mus, poterimus Christo ire obuiã, & multo vtilius, quã illi iuerunt. Non autẽ sufficit, sarcinulas has deponere, vt Christo obuiã eamus: quãdoquidẽ Philosophos, huiusmodi secularia deposuisse onera legimus, qui alioqui Christo nõ iuerũt obuiã. Nõne Democritus ille Abderites, cũ cta neglexit terrena, imo & seipsum, quia oculos sibi eruit, vt physica contemplatione sine visus distractione frueretur? Et Anaxagoras Clazomenius, terrenã substantiã suã à se abdicauit, vt Philosophię liberius vacaret? Porrò isti & omnes hoc genus alij, deponebãt vestimẽta sua, hoc est secularia omnia, nõ vt procederẽt obuiam Christo: sed potius, vt philosophiã haberẽt obuiam. ¶ Quo circa non solum Hebræi deponunt vestimenta obuiaturi Christo, sed ramis suas ornãt manus, oliuarũ, & palmarũ, vbique rami oliuarum opera misericordiæ significare in propãtulo est. Isti oliuarũ rami Deo sunt probatissimi. Beati, ait, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matthæ. 5. Et contra nos dicemus, Infelices, truces, & immisericordes, quoniam seueritatem diuini iudicij experientur.

Fideles quo pacto spiritualiter ibũt obuiã Christo.

Philosophi amore Philosophiæ, non Dei, secularia à se abdicarunt.

¶ At vero sunt pleriq; multi, qui ex operibus misericordiæ, sibi gratulãtes in peccatis nihilominus carnalibus, aut alijs cõquiescunt: spondentes sibi veniam, quia misericordes sunt in fratres, ideò sibi persuasum est, Deum futura circũ ipsos misericordẽ. At isti non considerant. Paulũ clamantẽ, etsi distribuero omnes facultates meas in cibos pauperũ, charitatẽ autẽ non habuero, nihil proteſt. 1. Cor. 13. ¶ Ideoque Christo obuiãtes, non solum ramos gerebant oliuarum, quos non memorat scriptura, etsi consonũ eos gestasse Hebræos illos sit scripturæ, at ramos ferebant palmarum. Non enim sat est misericordẽ esse in alios, si tibi sis crudelis. Eris autem crudelis, si peccatis succũbis, idcirco palmæ ramus hoc admonet, vt vicia tibi subigas, vt de peccatis tuis victoriã reportes: tũc namque Christo placebit, te habere obuiũ. Enim vero nulli gratum est inimicũ obuium habere, imo est cuilibet hoc admodũ molestum. Christo autẽ infesti sunt peccatores omnes amãtes quietem in peccatis suis, quare nõ amat horũ occursum, sed solum iustorũ. Si ergo victores sumus nostri, & triũphatores nostrorũ affectuũ, qui sunt truculentissimi nostri hostes, quippequi, animæ, non corpori insidiantur, & suauiter, & citra mortis sensum, nos morte spirituali afficiunt, tunc sane gratissimus erit Christo, noster occursus. Obseruato interim Dominum sub tanto triumpho, & sub tanto ouantium gaudio fleuisse videns Hierosolymam, in quam triumphans tunc ingrediebatur, Lucæ. 19. neque flet, quia ibi dirã, erat subiturus mortem, sed ciuiũ miserias, quas videbat venturas. Neque ob has flet præcipue, sed ob teterrimam Hierosolymitarum cæcitatem, quia non cognouerunt Christũ. Eo, inquit, quod non cognoueris tempus visitationis tuæ, Lucæ. 19. Gaudijs igitur temporalibus, & illis quidem maximis Christus lacrymas suas miscet, quoniam extrema gaudij luctus occupat. Prouerb. 14.

Opera misericordię non sufficit exhibere, Deo vt grati simus, nisi peccata per pœnitentiam subigamus.

PRIMI TOMI FINIS.

INDEX ENARRA-tionum, huius primi voluminis.

ENarratio prima, in caput primũ. Super illis verbis. *In principio erat Verbũ, &c.* pagina prima.

Enarratio. 2. in cap. 1. *In principio erat Verbum, &c.* pag. 7.

Enarratio. 3. in caput. 1. *In principio erat Verbum, &c.* 8.

Enarratio. 4. in caput. 1. *Et Verbum erat apud Deum, &c.* 11.

Enarratio. 5. in caput. 1. *Verbum erat apud Deum, &c.* 12.

Enarratio. 6. in caput. 1. *Et Deus erat Verbum, &c.* 14.

Enarratio. 7. in caput. 1. *Hoc erat in principio, &c.* 17.

Enarratio. 8. in caput. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, &c.* 20.

Enarratio. 9. in caput. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, &c.* 22.

Enarratio. 10. in caput. 1. *Et sine ipso factum est nihil, &c.* 25.

Enarratio. 11. in caput. 1. *Et sine ipso factum est nihil, &c.* 27.

Enarratio. 12. in caput. 1. *Quod factum est in ipso, &c.* 28.

Enarratio. 13. in caput. 1. *Et Vita erat lux hominum, &c.* 31.

Enarratio. 14. in caput. 1. *Et Vita erat lux hominum, &c.* 33.

Enarratio. 15. in caput. 1. *Et lux in tenebris lucet, &c.* 34.

Enarratio. 16. in caput. 1. *Et lux in tenebris, &c.* 35.

Enarratio. 17. in caput. 1. *Lux in tenebris, &c.* 35.

Enarratio. 18. in caput. 1. *Fuit homo missus à Deo, &c.* 36.

Enarratio. 19. in caput. 1. *Fuit homo missus à Deo, &c.* 38.

Enarratio. 20. in caput. 1. *Hic Venit, Vt testimonium, &c.* 40.

Enarratio. 21. in caput. 1. *Vt omnes crederent per illum, &c.* 42.

Enarratio. 22. in caput. 1. *Non erat ille lux, &c.* 43.

Enarratio. 23. in caput. 1. *Erat lux Vera, &c.* 44.

Enarratio. 24. in caput. 1. *Erat lux Vera, &c.* 46.

Enarratio. 25. in caput. 1. *In mundo erat, &c.* 48.

Enarratio. 26. in caput. 1. *In mundo erat, &c.* 50.

Enarratio. 27. in caput. 1. *In propria venit, &c.* 51

Enarratio. 28. in caput. 1. *Quotquot autem receperunt, &c.* 52.

Enarratio. 29. in caput. 1. *Qui non ex sanguinibus, &c.* 55.

Enarratio. 30. in caput. 1. *Et Verbum caro factum est.* 60.

Enarratio. 31. in caput. 1. *Et Verbum caro factum est.* 61.

Enarratio. 32. in caput. 1. *Vidimus gloriam eius, &c.* 70.

Enarratio. 33. in caput. 1. *Gloriam quasi Vnigeniti, &c.* 72.

Enarratio. 34. in caput. 1. *Plenum gratiæ & Veritatis.* 73.

Enarratio. 35. in caput. 1. *Ioannes testimonium, &c.* 75.

Enarratio. 36. in caput. 1. *Et de plenitudine, &c.* 78.

Enarratio. 37. in caput. 1. *Et de plenitudine eius, &c.* 79.

Enarratio. 38. in caput. 1. *Quia lex per Mosem, &c.* 82.

Enarratio. 39. in caput. 1. *Deum nemo Vidit, &c.* 84.

Enarratio. 40. in caput. 1. *Et est testimonium Ioannis, &c.* 86.

Enarratio. 41. in caput. 1. *Miserunt Iudæi, &c.* 88.

Enarratio. 42. in caput. 1. *Dixerunt, quis es, &c.* 91.

Enarratio. 43. in caput. 1. *Vox clamantis in deserto, &c.* 92.

Enarratio. 44. in caput. 1. *Et qui missi fuerant, &c.* 95.

Enarratio. 45. in caput. 1. *Respondit eis Ioannes, &c.* 97.

Enarratio. 46. in caput. 1. *Altera die Vidit Ioannes, &c.* 99.

Enarratio. 47. in caput. 1. *Ecce Agnus Dei, &c.* 100.

Enarratio. 48. in caput. 1. *Hic est, de quo dixi, &c.* 105.

Enarratio. 49. in caput. 1. *Ego nesciebam eum, &c.* 107.

Enar-

Enarratio. 50. in caput. 1
Et teſtimonium perhibuit, &c. 108.
Enarratio. 51. in caput. 1.
Et ego neſciebam eum, &c. 110.
Enarratio. 52. in caput. 1.
Hic eſt qui baptizat, &c. 112.
Enarratio. 53. in caput. 1.
Altera die iterum, &c. 116.
Moralia.
Inuenimus Meßiam, &c. 126.
Enarratio. 1. in caput. 2.
Et die tertia nuptiæ, &c. 133.
Moralia.
Tertia die nuptiæ, &c. 139.
Moralia.
Erant lapideæ hydriæ, &c. 142.
Enarratio. 2. in caput. 2.
Hoc fecit initium ſignorum, &c. 147.
Enarratio. 3. in caput. 2.
Prope erat paſcha, &c. 150.
Enarratio. 4. in caput. 2.
Aſcendit Ieſus Hieroſolymam, &c. 152.
Moralia.
Cum feciſſet quaſi flagellum, &c. 157.
Enarratio. 1. in caput. 3.
Erat autem homo, &c. 161.
Enarratio. 2. in caput. 3.
Et ſicut Moſes exaltauit, &c. 176.
Moralia.
Quod natum eſt ex carne, &c. 187.
Enarratio. 3. in caput. 3.
Poſt hæc venit Ieſus, &c. 193.
Moralia.
Illum oportet creſcere, &c. 199.
Enarratio. 4. in caput. 3.
Qui deſurſum venit, &c. 205.
Enarratio. 1. in caput. 4.
Vt ergo cognouit Ieſus, &c. 207.
Moralia.
Veri adoratores adorabunt, &c. 224.
Enarratio. 2. in caput. 4.
Poſt duos autem dies, &c. 231.
Enarratio. 1. in caput. 5.
Poſt hæc erat dies feſtus, &c. 234.
Moralia.
Tolle grabatum tuum, &c. 254.
Enarratio. 1. in caput. 6.
Poſt hæc abijt Ieſus, &c. 260.
Enarratio. 2. in caput. 6.
Cum ergo vidiſſet turba, &c. 273.
Moralia.
Caro mea vere eſt cibus, &c. 299.
Enarratio. 1. in caput. 7.
Poſt hæc autem ambulabat, &c. 314.
Enarratio. 2. in caput. 7.
In nouiſſimo autem die, &c. 329.
Moralia.
Siquis ſitit veniat, &c. 336.
Enarratio. 1. in caput. 8.
Ieſus autem perrexit, &c. 344.
Enarratio. 2. in caput. 8.
Hæc illo loquente, &c. 364.
Moralia.
Amen, amen dico vobis, &c. 385.
Enarratio. 1. in caput. 9.
Et præteriens Ieſus, &c. 395.
Moralia.
Vade, laua in natatoria, &c. 410.
Enarratio. 1. in caput. 10.
Amen, amen dico vobis, &c. 416.
Enarratio. 2. in caput. 10.
Facta autem ſunt, &c. 435.
Moralia.
Ego ſum paſtor bonus, &c. 443.
Enarratio. 1. in caput. 11.
Erat quidam languens, &c. 453.
Moralia.
Lazare veni foras, &c. 478.
Enarratio. 1. in caput. 12.
Ieſus ergo ante ſex dies, &c. 490.
Enarratio. 2. in caput. 12.
In craſtinum turba, &c. 499.
Enarratio. 3. in caput. 12.
Erant autem quidam gentiles, &c. 507
Enarratio. 4. in caput. 12.
Nunc anima mea, &c. 511.
Enarratio. 5. in caput. 12.
Cum autem tanta ſigna, &c. 516.
Moralia.
Vnxit pedes Ieſu, &c. 526.
Moralia.
Acceperunt ramos palmarum, &c. 533.

INDEX COPIOSIS-simus rerum,& verborum notabilium,

quæ in hoc primo volumine continentur ordine alphabetico distributus.

A, primam columnam, B, secundam denotat.

A.

ABraham humilitatis amator. 204.a
Abrahæ opera præclara. 371.a
Abraham primus habuit fidem explicitam in Christum. 383.b
Abstractiua nomina Deo cõgruunt. 30.a
Accidentia dupliciter substantijs necessaria. 230.a
Acrides Nicephoro quid. 10.b
Actorum locus, De voce diuina audita, vel non audita à socijs, &c. exponitur. 112.a
Actorum locus, De cælorum apertione in Ascensione Dñi, exponitur. 126.a
Actus exterior voluptatem & malitiam interiori addit. 481.a
Adam naturali beatitudine fuisset beatus. 337.b
Adoptio filiorum Dei, filiatio supernaturalis. 57.b
Adoptentur in Dei filios qui. ibidem.
Adoptio Dei, an sit communis Christianis cum Israelitis. 58.b
Adoratio dupliciter dicitur vera. 225.a
Adoratio falsa vnde orta. 225. a
Adorare in spiritu, & veritate qd. 226.a
Adoratio diuina charitatis gradus habet. 226.b
Adoratio peccatorum in spiritu, non in veritate est. 226.b
Adoratio corporalis, & spiritualis. 227.a
Adorationes exteriores creaturis impendi possunt. 229.a
Ænon quid. 194.a
Æternitas principium simpliciter. 6. a
Affectus nostri terreni euertendi. 229.a
Agnus Dei per seipsum peccata tollit. 102.b
Agnus Dei quorum, & quomodo peccata tollit. 103. a
Agni sacrificium vsq; ad finem mundi. 103. b
Agni Dei duplex natura, & immolationis status. 103. b
Agnus Dei quæ peccata primò, & secũdariò expiauit. 104.b
Angelus, an possit incarnari. 38. a
Angeli mysteriorum Christi nũcij. 38.b
Angeli bifariam docent homines. 38.b
Angeli ex spiritu renati. 165. b
Angelorum creationis cur Genesis non meminit. 227.b
Angeli quomodo vim sanatiuam habeant. 236. b
Animæ ante corpora non sunt. 37.b
Animæ sanctorum statim à morte beantur. 59.a
Anima Christi prima omnium Deum vidit. 79. a
Anima Christi suapte natura, an possit videre diuinam essentiam. 86.a
Animæ purgatorij non vrgentur fomite contra Lutherum. 395.a
Anima pro vita sæpè sumitur. 435.a
Animæ resuscitatorum, an sint factæ impeccabiles. 471.a
Annæ quot fuerint viri, & liberi. 149.a
Antichristus coluber, & cerastes. 251.b
Antichristꝰ pestilẽtissimus futurꝰ. 251.b
Apollinar. hæreticus confutatur. 155.a
Apoplexia morbus morti similis. 468.a
Apostoli de plenitudine Christi principaliter acceperunt. 79.a
Apostoli non ob merita electi. 124. a
Apostolorum paupertas qualis. 223. b
Apostoli cur habebant bona in communi. 486.a
Apud, præpositionis significantia. 12. b
Arbitrij actiuitas, cõtra Lutherũ. 274. a
Arbitrij libertas indicatur. 281. a
Arrianorum peruersitas. 14.a.b
Arrius ex Euangelio Ioannis confutatur.

tatur. ibidem. a & 383, a
Arrij blasphemia. 21. a
Articulus emphaticus Græcus aliquando nihil significat. 90. b
Ascensio Domini angelis stipata. 126. a
Ascēsio Domini omnium mysteriorum complementum. 333. b
Audire aliquando est mente percipere. 247. b
Azymorum dies primus, & septimus valde festiui. 156. b

B

BAptismus illuminat. 46. a
Baptismus, & pœnitentia viæ necessariæ. 94. a
Baptismus Ioannis qualis. 97. b
Baptismus Christi, & Ioannis, vt differant. 112. b.
Baptismus duplex. 114. b
Baptismi potestas in Christo, in sanctis ministerium. 115. a. 205. a
Baptismus primam sedem habet in doctrina christiana. 162. b
Baptismi hostes. 166. b
Baptizati paruuli ex Christi merito in regnum Dei admittuntur. 167. a
Baptismus lauacrum aquæ, & Spiritus sancti. 167. b
Baptismalis regeneratio ex toto reparari non potest. 167. b
Baptismi formam cur Dominus Nicodemo non expressit. 168. a. b
Baptismus cur in aqua. 168. b
Baptizat⁹ aliquādo nō renascitur. 171. a
Baptismo duo necessaria. 188. a
Baptismi aqua cur dicatur habere vim regenerandi. 188. a
Baptismi dies, natalitius est. 192. a
Baptismi prærogatiuæ. 192. a
Baptismus vitia natalium corrigit. 193. b
Baptismus Christi, & Ioannis cur simul concurrerunt. 194. a. & seq.
Baptismo Spiritus sancti inuisibilis missio. 195. b
Baptismus Domini, an offenderit Pharisæos. 195. b
Baptismus Christi an aliquando non regenerauerit. 196. a
Baptismum, an Christus ministrauerit. 209. a.
Baptismus in voto infantibus non prodest. 287. b
Baptismus cæcitatem mentis, & voluntatis purgat. 414. b
Baptismus characterem dat. 444. a
Beatitudo, in visione Dei locatur. 167. b
Beatitudo sola sedat humanam sitim. 213. a. b
Beati in patria maximi adoratores Dei. 227. a.
Beatitudo summum bonum. 337. a
Beatitudo in contrarijs ad sensibilia constituta. 338. a
Beatitudo poëtica Euangelicæ consonat. 338. a
Benedictio duplex. 268. a
Benedictio in sacris bifariam sumitur. 502. a
Bethania, & Bethabora quid. 99. a
Bethaniæ duæ. 461. a
Bethania Marthæ, Magdalum Mariæ. 464. a
Bethsaida, Bethesda, quid, 237. a
Bonorum spiritualium, & temporaliū distantia. 212. b
Bona visibilia desiderium humanę mentis non sedant. 212. b
Bona spiritualia necessaria omnes recte petentes impetrant. 407. a
Brentij argumenta probātia scripturam sacram omnibus esse claram, ostendū tur, & refelluntur. 66. a. cum seq.

C

CÆcitatis nostræ collyrium. 413. b
Caiphas præsidens, & eius verba. 475. a. b
Caiphas, nō est dicēdus propheta. 475. b
Calumniatorum peruersitas. 322. a
Caipharnaum celebre emporiū. 148. b
Caro in scriptura variè sumitur. 62. a
Caro & sanguis mentem non viuificant. 294. a
Caro, & sanguis Christi ex se prosunt. 294. b. & sequen.
Caro, & sanguis Christi, vt sint in Eucharistia. 309. b
Caro Christi sublimiorē existendi modū habet in eucharistia quā in cælo. 310. a
Caro Christi spiritualis, & diuina ex modo essendi. 310. a
Ceph, Cepha, Cephas synonyma. 120. b
Charitas ex se nos securos reddit. 304. b
Charitatis diuinæ in Eucharistia symbolum. 211. a

Cha-

Charitas fons voluntatis. 341. b
Charitas vnguentū nardinum. 458
Christi nomenclationes. 5. a. 13. a
Christi diuinitas miraculis admonebatur. 41. b
Christus doctrinā Ioannis perfecit. 42. b
Christus lux vniuersalis. 46. b
Christi diuinitatem alij Euangelistæ latenter, alij clare docent. 60. b
Christi naturarum idētitas, & diuersitas ex Ioanne probatur. 69. b
Christi gloriā videre, vt intelligatur. 71. a
Christus operibus, & verbis gloriosus. 72. a
Christus in carne maiorem gloriam ostēdit quàm omnes prophetæ. 72. b
Christi epitheta in sanctos transferuntur. 74. a
Christus quî plenus gr̄a, & veritate. 74. a
Christi plenitudinem omnes participāt. 80. a
Christus apertius se docuit, quam prophetæ. 86. b
Christus naturaliter scibilis non est. 98. a
Christus à baptismo desertū petijt. 99. b
Christus cur se baptizari permisit. 100. a
Christus quomodo à Ioāne demonstratus. 100. a. b
Christo ex creaturis nomina attributa. 102. a
Christus in vtroque testamento vir dictus. 105. a
Christi potestas excellentiæ vnde colligitur. 114. b
Christus omnibus valde intuēdus. 116. b
Christ⁹ quādo in Galilęā discesit. 122. a
Christus cur Nazarenus dictus. 123. a
Christus via recta. 127. a
Christus, vt fructuosè inueniēdus. 128. b
Christum inuenire vel perdere quid sit. 129. a
Christum qui, & quomodo inueniunt. 129. b. & 130. a. b
Christus cur se humiliauit. 132. a
Christi opera inuisibilia Ioannes denarrat. 133. b
Christus quo die natus. 134. a
Christus quando se manifestauit. 137. b
Christus optimus medicus. 151. b
Christus legis strenuus obseruator. 152. b
Christus quos despiciat. 157. a
Christus prius publicauit miracula quā doctrinam. 162. a
Christus ex semine Mariæ non est conceptus. 176. a
Christus cur nouissimus homo à Paulo dicatur. 176. b
Christi mors vberius influit in baptismo 177. a
Christi mors vnica geminam nostram destruxit. 178. a
Christi mortis virtus per media sacramēta impartitur. 178. a
Christus ex mortis veneno salubre fecit antidotum. 178. b
Christi passio diuinæ dilectionis argumentum. 180. a
Christus an discipulos suos baptizarit. 194. a
Christi caro qua ratione terrena, & cælestis. 205. b
Christi in Galilęā aduētus triplex. 208. b
Christus in cōmuni pecunias habebat. 211. a. 285. a
Christi sermonis efficacia. 218. a
Christus ex visibilibus ad inuisibilia promouet. 219. b
Christus an mendicauerit. 222. b. 224. a
Christus cur voluit esse pauper. 223. b
Christus latriæ cultu patrem adorauit. 229. b
Christus quomodo omnia, quæ pater operatur. 241. b
Christus, vt homo causa meritoria gratię vt Deus efficiens. 243. a
Christ⁹ vocis imperio mortē fugat. 245. a
Christus cur in forma hominis iudicabit. 246. a
Christ⁹ fili⁹ Dei quatuor probatur. 250. b
Christus cur se legi subiecit. 262. a
Christi regnum spirituale. 269. b
Christi, vt hominis duplex voluntas. 278. b.
Christus, vt Deus descēdit de cęlo. 279. b
Christi mortis virtus. 282. b. cum seq.
Christus cur obscure docebat. 297. a
Christus non vnitur naturaliter cum comedentibus eucharistiam. 313. a
Christus à conceptione sua omniscius. 320. a
Christus cur Galilæus putatus. 334. a
Christus legis veteris scopus. 334. b
Christum esse Deum, & hominem plurima testantur. 353. b
Christus qua ratione persona. 356. a
Christi humanitas an vnquam à diuinitate relicta. 363. a. & seq.
Christus quomodo impeccabilis. 441. b

Christus quomodo affectus humanos habuit. 465.a. b.
Christus apud Gentes viando, non morando fuit. 478.a
Christi glorificatio triplex. 505.b
Christus sponte turbatus. 511. b
Christi vtraque natura in veteri testamẽto exprimitur. 515. b
Christianæ religionis primordia. 124.a
Christianę religionis virtus vnde dignoscitur. 514. b
Christiani à Christo nomẽ, & efficaciam deriuant. 528. a
Christiani cur veteri lege nudati. 534
Circuncisio olim iustificabat. 82.a
Claues sine mensura Petro datæ. 256.a
Cœlũ Empyreũ Dei tẽplũ. 157.b. 391.b
Cœlestia quædam visibilia, alia inuisibilia 205. b
Columba Spiritus sancti an fuerit vera. 108. b.
Cõmunio sub vtraque specie laicis prohibita. 285.a
Conceptionis humanæ tempora, & progressus. 156.a
Confessio peccatorũ sub baptismo Ioannis qualis. 113. a
Contritio, & attritio donum Dei. 300. a
Cophini fragmentorum in memoriã miraculi collecti. 268. b
Corporum desiderium gloriam non minuit. 394. b
Corrigendi quomodo subditi. 446. a
Creaturæ sunt verba à Deo creata. 2.a
Creaturę quędã philosophis ęterna. 12.a
Creaturæ, vt habeant esse in Deo. 4.a
Creatura dupliciter habet esse intelligibile. 30. b
Creaturam esse in Deo creatricem essentiam quid significet. 31.a
Creaturæ non necessario à verbo productæ. 31. a
Creatura rationalis gemina fruitur vita. 190. a
Creatura propria virtute Deum videre non potest. 281. b
Creaturis quomodo Deus opus habeat. 504. a
Creaturæ non est sacrificandum. 229.a
Credere in scriptura quomodo sumatur. 55. a. b
Credere vt oportet actus fidei. 182.a
Credere in sanctam ecclesiam quomodo sumendum. 524.a

D

Dæmon miracula quomodo facere possit. 262. b
Dæmonium habere, & insanire aliquando idem in scriptura. 379.b
Denarij valor. 264. a
Desiderium generale omnium quod sit. 126. b
Desiderium generale idem, paricularia diuersa. 127. a
Desperatio præsumptione peior. 486. b
Deuteronomij locus, In ore duorũ, aut trium, &c. cap. 19. expon. 355. a
Deus iam personam diuinam, iam essentiam denotat. 13. b
Dei appellatio creaturis nonnunquam impenditur. 15. a
Deus nõ significat naturã specificã. 16. a
Deus extra omne genus. 16. b
Deus agit per spiritum suum. 23. b
Deus ab homine incomprehensibilis. 34. b
Dei circa genus humanũ dispensatio mirabilis. 48. a
Deus quinq; modis se manifestat. 115. b
Deus non est de substantia creaturæ, nec è conuerso. 170. b
Deus in reparando homine sensibilibus vsus. 188. a
Deus non habet vocem animalẽ. 250. a
Deus se solo optima facit. 397. b
Deus plus amat æterna temporalibus. 511. b
Deus Pater in multis se prodidit. 512. b
Diabolus ab exordio mundi iudicatus. 181. b
Diabolus primus peccati seruus. 388. a
Diabolus cur dicatur peccatum. 393. a
Diabolus primus fur, & homicida. 425. b
Diabolus Christi morte principatũ amisit. 513. b
Dicere, & clamare quid. 93. b
Discipulorum Christi, & Ioannis contentio. 196. b
Discipulorum Ioannis error. 197. a
Discipuli quidã hęreticorũ typus. 297. b
Discipuli Christi veri qui sint. 364. b
Diuinitas realiter, nõ formaliter est verbum. 4. b.
Diuinitas cur semper colenda. 49. b
Docilis, & doctus quid significent. 281. a
Doctrina supernaturalis, supernaturaliter probatur. 156. b
Doctrina clancularis suspecta. 187. a

Domi-

Dominica, in ramis palmarum, cur dicatur. 538. b

E

Ecclesia prorsus inuisibilis. 118. b
Ecclesia Christi sponsa. 141. a. b
Ecclesiarum dedicationes quotannis faciendas. 158. a
Ecclesijs Forensia non tractanda. 158. a
Ecclesiæ etiam non consecratæ, immunitate gaudent. 158. b
Ecclesiæ documenta sacræ scripturæ germanæ. 185. b
Ecclesia primitiua locupletissima. 331. b 333. a
Ecclesia cur ab illiteratis, & vilibus personis fundata. 335. b.
Ecclesiæ autoritas tãquam iudex. 349. a
Ecclesia peccatores tolerat. 392. a
Ecclesia ouile, non stabulum. 443. b
Ecclesiast. cap. 12. Antequam conteratur hydria, &c. expon. 144. b.
Eleemosynæ præceptum quomodo impleatur. 142. b
Eleemosyna omnibus necessaria. 301. a
Eleemosyna, vt sit Deo grata. 302. a
Eleemosynæ in iudicio maxime habenda ratio. 302. a
Ephrem ciuitas. 477. a
Episcoporum scopus. 445. a
Episcopi viribus subditorum se attemperent. 445. b
Episcopale regimen virgæ amygdalinæ confertur. 446. b
Episcoporum officium, & sollicitudo. 447. a. & 449. b
Episcopi quæ scire reneantur. 448. a. b
Episcopi Theologi, Canonistis aptiores 449. a
Episcopus cur baculo vtitur. 450. a
Episcoporum instrumenta. 450. a. b
Erat, non semper æternitatem denotat. 7. a
Esaias quomodo gloriã Dei vidit. 520. b.
Esse in principio quid. 7. b.
Euangelica lex ius confert beatitudinis adipiscendæ. 59. b
Euãgeliũ aure cordis audire quid. 244. b
Euangelium obsonium legis antiquæ. 268. b
Euangelium Hebræorum, & Tatianorum. 349. a
Euãgelica lex diuina, nõ humana. 525. a
Euangelium quomodo vita æterna dicatur. 525. b
Euangelij auditorum discrimen. 525. b
Eucharistiam infideles sumere non tenentur. 284. b
Eucharisticæ perceptionis præceptum. 288. b
Eucharistia mysterium fidei. 292. b
Eucharistia quomodo carnem, & sangui nẽ Christi spiritualiter cõtineat. 306. b
Eucharistiæ maiestas. 312. b
Eucharistiæ Christus præsens, & nõ prę sens, quomodo. 498. a
Eunomij hæresis. 18. b
Excæcatur homo à se, à Diabolo, & à Deo diuersimode. 519. b. cum seq.
Excæcatio duo importat. 450. b
Excommunicatio quid sit. 392. a
Excõmunicatio an fuerit apud Iudæos. 405. a

F

FAmes, & sitis metaphoricè tribuuntur appetitui intellectuali. 276. b
Fatalis necessitas nulla est. 136. b
Fides oppugnatione augetur. 36. a
Fides testimonijs non rationibus nititur. 41. a
Fides per visibilia à Deo iuuatur. 71. b
Fides aliquando scientia dicitur. 163. b. 462. a
Fides quibus nititur. 164. a
Fides vera quæ sit. 181. b
Fides supernaturali ope indiget. 206. b
Fides nuda non sufficit. 221. b. 371. a
Fides non est scientia. 222. a
Fidei puritas purificando animo non sufficit. 226. b.
Fides donum supernaturale. 248. b. 280. a
Fides spontanea quomodo. 253. b
Fides miraculis suadetur, non cogitur. 261. b
Fides, Charitas, & Spes, supra naturam. 274. b
Fidei doctor Deus est. 282. a
Fides quomodo nos trahat. 296. a
Fides cur non omnibus communicetur. 296. b
Fide omnis veritas Christiana constat. 321. a
Fides mortua, & viua. 382. b
Fides infidelibus videtur cæcitas. 409. b

Fides ad peccatorum remissionem necessaria. 409.b
Fides, & charitas simul, ostium sunt. 423. b
Fides cur à principio omnibus gentibus non fuit promulgata. 432. a
Fides exigit piã affectionẽ. 441. b. 468. b
Fides ad resurrectionem necessaria. 463. a
Fides mala cordis affectione impeditur. 508. b
Fides obscura, at credibilis. 509. a
Fides miraculis non conuincitur. 517. a
Fidei ratio formalis, reuelatio. 517. b
Fides particulari auxilio indiget. 517. b
Fideles cur filij lucis dicantur. 249. a
Fideles in via non omnino à peccato liberi. 368. b.
Fideles cur ouibus comparantur. 417. b
Fideles mali non intrant per ostium. 424. a
Filius, vt sit virtus, & sapientia patris. 23. a
Filiatio adoptionis, vt contingat adultis. 53. b
Filij in potentia omnes, in actu iusti. 54. a
Filiatio adoptiua, & naturalis. 55. b
Filiatio Dei in adultis non ex sola fide. 58. a
Filiatio Dei non est sola non imputatio peccati. 58. a
Filij Dei ex Euangelio generati. 58. b
Filiorum Dei dignitas nunc maior. 59. b
Filius necessario à patre generatur. 85. a
Filium hominis, cur se Christus nominet. 175. b
Filij Dei quidam secundum præsentem iustitiam, alij secũdum æternam Dei electionem. 476. b
Finis vltimus executione, intentione primus. 260. a
Flagellum Dei duplex. 159. b
Flagello temporali quomodo vtentur prælati. 160. a
Fratres Domini qui vocari. 148. b
Frumentum homini necessarium. 509. b
Fur, & latro quid differant. 417. b
Furis officium. 425. a

G

GAlilæa quid significet. 140. b
Galilæi multi prophetæ. 336. a
Garizin mons quis fuerit. 124. b
Generatio duplex. 190. a
Gehinnon quid. 194. b
Genesar regio. 272. a
Gentes, ad quas non volauit Euangelium non damnabuntur ob infidelitatem. 184. a
Gentium superstitiosus diuinorum cultus. 205. b
Gentium conuersio in Samaritis adumbrata. 222. a
Gentes primum ab Apostolis euangelizatæ. 504. a
Gloriæ nomen varie vsurpatur. 71. b
Glorifico ambiguæ significationis. 382. a
Grabatus quid. 239. a
Gratia miraculorum, & prophetiæ non semper adest. 110. a
Gratum se esse Deo nemo scit. 171. a
Gratiæ noua vita, noua natiuitas recte dicitur. 191. a
Gratia Christi secundum efficientiam & efficaciam. 206. b
Gratia Dei de communi lege occulta. 213. b, 391. b
Gratia prima qualis. 217. a
Gratia ad iustificationem necessaria. 243. b
Gratia Dei vnde fluit refluit. 332. b
Gratiæ mysteria nobis occulta. 352. a
Gratia præueniens, & sequens. 421. b
Gratia sine acceptione personarum datur. 514. b
Gratia specialis, vt homo trahatur ad Christum requiritur. 515. a

H

HÆreses variæ contra Euangelium Ioannis. 18. b. & sequen.
Hæretici sibi Christum arrogant magistrum. 164. a
Hæretici semen diuinum corrumpunt. 188. b
Hæretici omnes superbi. 203. b
Hæreticorum mores. 216. a
Hæretici falso spiritu Deum colunt. 226. b
Hæretici simoniaci, intrusi, dolosi. 419. a
Hæretici vocem Christi non audiunt. 422. b
Hæretici fures. 425. b

Hæretici lupi. 429. a
Hydriæ sex mysticæ ex Alberto Magno. 142. a. & seq.
Hydria. 4. in seculo impleri non potest. 144. a
Hierusalem sub Iudæa comprehenditur. 153. a
Hypostasis quid significet. 63. a
Hypostatica vnio quid sit. 173. b. 174. a
Hominis ingenium varium. 269. b
Homo excæcatus, & spoliatus. 411. a
Homo ad malum procliuis. 506. b
Horæ. 12. mysticæ. 118. b
Hosanna, quid significet. 500. b. cum sequentibus.
Humilitas Diabolo infensa. 130. a
Humanitas Christi templum Dei. 154. b
Humani generis principia duo. 176. b
Humilitas donata conseruat, & donanda parat. 199. a
Humilitas exaltat superbia deprimit. 200. a
Humilitas cuncta bona format. 201. a
Humiles à Deo eliguntur, superbi reprobantur. 235. a

I

IDolum cur dicatur nihil. 28. b
Idololatria fornicatio spiritualis. 225. b
Ignis, & aqua elementa viua. 212. a
Ignorantia duplex. 302. b
Illuminatio naturalis & gratuita. 47. a
Imagines sanctorum, vt adorãdæ. 228. a
Immunda animalia mysticè mores immundi. 388. b
Incarnationis sacramentum incomparabile. 65. a
Incarnatio diuina, gratiarum maxima. 82. a
Incarnationis mysteriũ occultum. 134. a
Incarnatio diuina charitatis symbolum. ibidem.
Incarnatio diuina spem nostram constituit. ibidem.
Inexistẽtia mutua patris, & filij. 442. a. b
Infantes, & adulti in via spiritus, qui. 129. b
Infantilia Saluatoris miracula apochrypha. 147. b
Infantes non baptizati igne non torquebuntur inferni. 183. a
Infantes non baptizati cur inter infideles computentur. 183. b
Infantes nullo præcepto ligantur. 184. b
Infantes qua ratione Eucharistiam communicant. 286. b
Infantes baptismo interius reficiuntur. 287. a
Infideles, Dei veritatem euertunt. 206. a
Infidelitas culpata, & inculpata. 410. a
Infidelitas cæcitas maxima. 413. b
Infidelitas miracula impedit. 414. b
Infirmitatis vocabulũ late patet. 479. a
Ingratus quis dicatur. 439. b
Intelligentia carnalis, & spiritualis Paulo quid. 146. a
Inuidus malorum excogitator. 208. a
Inuidorum ingenium. 240. a
Inuidus nunquam quieuit. 437. a
Ioannes solus expressit Dei filium genitum à patre. 8. a.
Ioannes an fuerit Angelus. 37. b
Ioannes insignis Dei legatus. 38. b
Ioannes dotibus præclarissimis exornatus. 39. a
Ioannis nomenclationes. 40. a
Ioanni Christi diuinitas reuelata. 75. b
Ioannis Baptistæ, de Christo testimonia. 87. a
Ioannis B. ex Leuitico, & Dauidico genere. 87. b
Ioan. B. cur putabatur Messias. 88. a
Ioan. B. celebris apud Iudæos. 89. a
Ioan. B. cur vox dicatur. 91. a
Ioannes Baptista, & prophetæ cur clamantes. 91. b
Ioan. B. vox qualis. 92. a. b
Ioan. B. humilitas. 96. b
Ioan. B. quando, & quomodo Christum cognouit. 106. a. b
Ioan. B. à Spiritu sancto doctus. 107. b
Ioan. B. discipuli primi sequuntur Christum. 117. a
Ioannes, quid significet. 120. a
Ioannis Euangelistæ sponsalia. 133.
Ioannis locus, Tres sunt, qui testimoniũ dant, &c. expon. 254. a
Ioannis locus. 1. Ioan. 2. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c. exponitur. 421. b
Iob locus cap. 3. pereat dies, &c. exponitur. 191. a. b
Ismaelem Abrahã domo expulit. 367. b
Israëlita verus quis sit. 123. b
Iudæi ante Christi aduentum illum receperunt. 59. a
Iudæi quomodo serui, & filij. 59. a

Iudæorum castigatio prima, mitior secunda. 151. b
Iudæorum non credentium peccatum. 184. a
Iudæi Christo cur infensi. 184. a
Iudæorum vestes fimbriatæ. 211. a
Iudæorum ad credẽdum durities. 213. b
Iudæis cæremoniæ suæ vtiles. 216. a
Iudæorum hypocrisis. 240. b
Iudæorum ad credendum impedimenta. 277. b
Iudæi an cognouerint Christũ esse Deũ. 325. a. & seq.
Iudæi ob multa damnati. 362. a
Iudæorum abiectio. 367. a
Iudæorum carnalis de verbis Domini intelligentia. 384. a
Iudæorum magistratus fures. 418. a
Iudæi cur in tabulis lapideis legem acceperunt. 441. b
Iudææ regionis situs. 458. b
Iudaicas cæremonias obseruare superstitiosum. 147. a
Iudas cur in Magdalenã inuectus. 486. b
Iudiciũ varie sumitur in scriptura. 180. b
Iudicium visibile, & inuisibile. 181. a
Iudicium quomodo ferendum, 323. b
Iudicis est iudicare non accusare. 252. b
Iudices peccatores esse possunt. 348. a
Iudicium duplex. 354. b
Ius naturale humano potentius. 211. b
Iusti vtæ æternæ hæredes. 244. b
Iustitiæ sitis quæ, & qualis 339. a. b

L

Lacrymæ nostræ ex Christi lacrymis efficaces. 483. b
Lacrymarum vtilitas. 483. a
Laici ad lectionem scripturæ non obligantur. 69. a. 68. b
Laici nõ habent vnctionem Spiritus sancti ad intelligendas scripturas. 68. b
Latria, & dulia ex proprietate significationis idem significant. 228. a
Lauare pedes quid sit. 532. b
Lazarus quis. 454. b
Lazari suscitatio summum miraculum. 469. a
Lazarus suscitãdus cur nomine proprio vocetur. 470. b
Lazari anima vbi nam fuerit in quatriduo. 470. b
Lazari anima exiens à corpore an fuerit facta impeccabilis. 471. a
Lazarus qualis resurrexit. 472. b
Lazari suscitatio fidei excellentissimum argumentum. 499. a
Lazari suscitatio Iudæos in Christũ bene animauit. 533. a
Legem obseruare, & non obseruare olim quid efficiebat. 80. b
Legis veteris transgressio olim damnabilis. 83. a
Lex vetus cultores non iuuabat vt noua. 83. a
Lex vetus via ad nouam. 83. b
Legis veteris Christus scopus. 83, b
Legem veterem prophetæ, & psalmi elucidant. 83. b
Legis veteris curatio inefficax. 140. b
Lex, & euangelium non concurrunt simul. 146. a
Lex vetus Iudæorum accusatrix. 253. a
Leges præmio, & pœna recte constituũtur. 303. b
Lex vetus non liberabat à pœna alterius seculi. 367. b
Lex non semper pro quinque Mosaicis libris sumitur. 440. a
Liberum arbitrium, & gratia Dei conueniunt. 342. a
Libertas prima â peccato, secunda à pœna æterna. 394. b
Libertas christiana neminem liberat à virtutis studio. 395. a
Liberum arbitrium debitis à Deo præsidijs fouetur. 495. b
Lingua vulgari tantum celebrandum est sæ hæreticum. 69. a
Lingua vulgari sacra scriptura aliquando vtilis. 69. b
Litera occidens, & spiritus viuificans secundum Origenem. 146. a
Litera in quibus occidit. 147. a
Locutio, & verbum quid differant. 19. a
Lucæ locus, De ignis baptismo exponitur. 114. a
Lupi contra oues actiones duæ. 429. a
Lupus in scriptura quid. 428. b
Lutherus, & Pelagius vsum rationis præbent infantibus. 46. a
Lutherani magis amant tenebras, quam lucem. 186. a
Lutherus Germanorũ scandalum. 257. a
Lux, & tenebræ, vt accipiantur. 34. b
Lux, & lumen philosophis diuersa, theologis non item. 4. b

Lucis ſpecies. 44.b
Lux increata vniuerſa comprehendit. 45. a
Lux creata tenebroſa. 45.b
Lux increata ſplendidiſsima. 45. b
Lux malefactoribus odioſa. 186.b

M.

MAgdalenæ duæ. 455. a
Magdalenæ conuerſio, & vnctio. 456.b
Magdalum oppidum, vbi ſitum. 461.a
Magdalena maior natu, & fide feruentior Martha. 464. a. b.
Magdalenæ vnctio defenditur. 486. b
Magdalenæ vnctio typus ſepulturæ Chriſti. 497.a
Magdalena Chriſti verbo freta ad ipſum accedit. 528. b
Magdalenæ ad Chriſtum accedentis ornatus, & cultus. 528.b
Magdalena publicè pœnituit. 530.a
Magdalena ab hominibus carpitur, à Deo laudatur. 531. b
Magiſtratibus mali affectus nocent. 474. b
Malachiæ locus. c. 3. Ecce ego mitto angelum meum, &c. exponitur. 89.b
Manichæorum hæreſis, omnia viuere. 29. a
Manichæorum væſania. 50. a
Manichæi Ioānis Euangelij hoſtes. 66. b
Manna dignè comedentes, quid ſint conſecuti. 289. a
Manna antiquum & nouum. 291. a
Manna euchariſtiæ typus. 307. a
Marcionis hæreſis. 61. a
Maria mater diuinitatē Domini nouit. 135. b
Maria Cleophæ matertera Dñi. 149. b
Mariæ virginitatis hoſtes. 150. a
Marthæ ſolicitudo, & imperfecta fides. 461. a
Martiani hæreſis. 293. a
Marſupium Apoſtolorū ſacrum. 485. b
Matrimonij inſtitutio, & confirmatio. 134. b
Matrimonium quinque oppugnant hæreſes. 134. b
Matthæi locus cap. 4. Non in ſolo pane, &c. exponitur. 10. b
Matthæi locus, De ignis baptiſmo exponitur. 114. a
Melchiſedec rex. 194. b
Menoceba quid. 251. b
Meſsias vox Hebraica, & Chaldaica. 119. b
Meſsias verus, vel fictus. 127. b
Meſsiæ inuentio duplex. 128. a
Meſsiam qualem putabant Iudæi futurum. 218. a
Meſsias futurus Iudæorum rex ſperabatur. 474. b
Meſsio, & meſſores in duplici differentia. 219. b
Metreta, cadus, congius, cantharus quid. 138. a
Miraculorum cauſæ. 137. a
Miracula à Deo magnificētiſsimè eduntur. 138. a
Miracula intelligibilia, & ſenſibilia. 148. a
Miracula bifariam penduntur. 150. b
Miracula duo prima Domini myſteriosa. 151. a
Miracula non ſemper à iuſtis fiūt. 163. a
Miracula in duplici differentia. 242. a
Miracula Chriſti exteriora interiora ſignant. 254. b
Miracula quomodo Chriſtus, & ſancti faciebant. 398. a
Miracula Chriſtus cur magis in pauperes, quam diuites fecit. 402. a
Miraculorum verorum Deus ſolus autor. 403. b
Miracula quædam diabolus poteſt facere. 403. b
Miracula Chriſti vitæ teſtabantur ſanctitatem. 404. a
Miracula, vt facere poſſunt peccatores. 404. a
Miraculorum Chriſtus autor non miniſter. 441. b
Miracula Chriſti in Iudæa, & Galilæa qualia. 453. b
Miraculorum Chriſti ſplendor. 454. a
Miracula conſenſum ſuſcipientium petunt. 484. b
Miſericordia in quibus conſiſtat. 142. b
Miſericordes ſolum ad regni cōſortium vocandi. 142. b
Miſericordia diuina omnium bonorum cauſa. 263. b
Miſericordia iuſtitia dignior. 344. a. & 475. a
Miſericordia Dei, deſidiam noſtram nō fouet. 486. a

Misericordiæ operibus ad Deum scandimus. 532. b
Morte rota capitis confringitur. 144. b
Mors certa, & incerta. 144. b
Mors si certum haberet diem temperatius esset malum. 203. a
Mors pernicies malis, salus bonis. 391. a
Mortem sibi conscisere quando liceat. 510. b. cum seq.
Mulier in Ecclesia docere prohibetur. 217. b.
Mundus Aristoteli quid. 49. b
Mundi variæ acceptiones. 50. a
Mundi senectuti Deus opem tulit. 210. b
Mundana cælestia impediunt. 252. a. & 452. a

N

NArdus vera, & falsa. 493. b
Natalia sanctorum quatuor. 192. b
Natalia carnis celebrare carnalium est. 193. a
Natanael præcipuus Domini discipulus 122. b
Natanaelis confessio cur non beatificata. 125. a
Natũ, & generatum, vt differunt. 164. b
Natiuitas carnalis, & spiritualis. 169. b
Natiuitas spiritualis vera, sed occulta. 107. a. b
Natiuitatis spiritualis origo, & finis abscondita. 171. a
Naturæ facultas quid possit. 138. b
Naturæ, & arbitrij mala Deus corrigit. 398. a
Necessitas duplex. 284. b
Nestorius, & alij hæretici conuincuntur. 64. b
Nicodemus vir potens, sapiens, & religiosus. 161. b
Nicomedes idẽ quod Nicodemus. 162. a
Nominis noua impositio quid denotet. 121. a.
Noua videre, & audire cur homo desideret. 233. a
Numerus pro numero in scriptura. 101. b
Nuptiæ ad diuina frigefaciunt. 139. b
Nuptiæ mysticæ. 139. b
Nuptiæ diuinæ particulares. 142. a

O

OArticulus emphaticus. 11. a
Obstinationis causæ duæ. 486. a
Oculi substantia secundum Platonem, & Aristotelem. 401. b
Odio habere Deum omnium scelerum pessimũ. 185. b
Opera supernaturalia triplicia. 398. a
Operatio nostra ad iustificationem necessaria. 484. b
Orationes iustorũ sibi, & alijs prosunt. 407. b
Orationes Christi secundum partem rationalem impletæ. 469. b
Orandos non esse sanctos hæretici delirant. 508. b
Origenis in Ioannem commentaria supposititia. 22. a
Origenes ab Arrianis depranatus. 32. a. 34. b
Origenis tria asserta refelluntur. 37. b
Originale peccatum seruitus habitualis peccati. 392. a
Originale peccatum infectio habentis. 397. a
Originalis culpa mortis causa. 408. b
Ostium in scriptura varie sumitur. 419. a
Oues in duplici differentia. 421. a
Oues Christi varie dicuntur. 429. a
Ouile temporale, & æternum. 444. a

P

PAlmæ natura. 536. a
Palma cur signum victoriæ. 538. a
Palmæ dotes. 538. a
Panis vsualis non dat, sed seruat vitam. 276. a
Panis pœnitentialis. 299. b
Paruulorum ex scripturis modi varij. 464. a
Paschalia festa quatuor Dominus celebrauit. 234. b
Pascha Iudæorum quãdo celebrabatur. 458. b
Pastoris Euangelici signa. 420. a
Pastoris proprij, & alieni symbola. 422. a
Pastoris conditiones. 425. b
Pastoris officium. 426. b
Pastor pro grege mori tenetur. 426. b
Pastor bonus, vel mercenarius quomodo dignoscantur. 428. a. b
Pastor fugiens sine causa iusta mercenarius est. 430. b
Pastoris boni, & mali signa. 421. b
Pastoris boni requisita. 445. a
Pater non intelligit per filium. 2. b.

Patri

Patripaſsiani hæretici. 19.b
Pater cur non dicatur virtus, aut ſapientia filij. 23.a
Patrem agere per filium quid denotet. 24.a
Patrini ex Euangelio. 119.b
Patrini non ſunt neceſſarij neceſsitate ſacramenti. 287. b
Paternitas in Deo duplex. 357.a
Pater cur dicitur homines trahere, filius adducere. 433.a
Patris & filij manifeſtationes correlatiuæ. 513.a
Pauli locus, ad Hebr. 1. Angelos non apprehendit, &c. expon. 61.b
Pauli locus. 2. Cor. 1. Quotquot promiſſiones, &c. expon. 84.a
Pauli locus, ad Heb. 7. Talis decebat, vt nobis eſſet pōtifex, &c. expon. 440.b
Peccatum non eſt factum à verbo. 27. b
Peccatum, an ſit nihil. 28.a.b
Peccato originali parentum iuſtiſsimorum proles inficitur. 57.a
Peccatū originale aliorum cauſa. 102.a
Peccatū originale aliquatenus eſt actualia. 102.b
Peccati venialis nemo expers. 109.b
Peccati morſus occultus, ſanatio occulta. 179.a
Peccatorum, & iuſtorum mores diuerſi. 199.b
Peccatorum differentia. 215.a
Peccator nullus deſperet. 254.b
Peccatum aliquod eſſe irremiſsibile hæreticum. 255.a
Peccata quæ retinenda. 256. a
Peccatum peccatoris grabatum. 258.b
Peccatorum & iuſtorum ambulatio diuerſa. 259.a
Peccati ſeruitus mors ſpiritualis. 365. b
Peccatum ſolo conſenſu fit. 366.b
Peccatum omne mendacium. 375.b
Peccatores vinculis iuſtitiæ conſtringi nolunt. 387. b
Peccatum primum omnium malorum cauſa. 396.b
Peccatores quæ petunt ſæpè ſuo malo impetrant. 407.a
Peccatorum gradus. 478. b
Peccata venialia aliquando mortalia. 480.a
Peccata venialia charitatem debilitant. 480. b
Peccatorū quatriduana ſepultura. 481.b
Peccatum vulnus inuiſibile. 482.a
Peccata vſu leuia videntur. ibid.
Peccatorum obſtinatio difficile curatur. 483. a
Peccator à Deo gratis iuſtificatur. 484.b
Peccatoris obſtinati periculum. 487.a
Peccati conſuetudo peccare non cogit. 487. b
Peccati Deus non eſt autor. 506.a
Pericula vitare prudentiæ eſt. 477.a
Petrus Apoſtolici ſenatus perſonā ſuſtinebat. 298. a
Petri fidei confeſsio apud Euangeliſtas. 298.b
Petrus non pro ſe ſolo claues cæli accepit. 498.a
Petrus quando Simon vocatus. 120.b
Petri nomina ſecundum myſticos ſenſus. 121. a
Petrus & Andreas quando ad apoſtolatum vocati. 121.a
Phariſaica ſecta inter quatuor Hebræorum præcipua. 95.b
Phariſæi in Ioannem inuehuntur. 96.a
Phariſæi, & iuriſperiti Ioannis aduerſarij. 116.a
Phariſæorum ignorātia, & culpæ. 354.a
Philoſophi vnum Deum eſſe nouerunt. 1.a
Philoſophi amore philoſophiæ non Dei ſecularia abdicarunt. 540.a
Philippus primus ad Apoſtolatum vocatus. 122.b
Piſcina quid, piſcinæ. 235.b
Piſcina Chriſtianæ Eccleſiæ, quam ſynagogæ nobilior. 237.b
Pneumatomachici hæretici. 27.a
Pœnitentia via recta. 94. a. 65.b
Pœnitentia ſub baptiſmo Ioann. diſpoſitio quædam. 113. a
Pœnitētia omni viatori permiſſa. 255.b
Pœnitentes remiſsionem peccatorū expectent. 256.a
Pœnitētes auxilio iuuantur neceſſario. 256.b
Pœnitentia donum Dei. 300.a
Pœnitendi modus antiquus. ibid.
Pœnitentia diuinæ gratiæ tribuenda. ibidem.
Pœnitentia opera miſericordiæ præcedit. 540.b
Porphyrij hæreſis. 19.b
Præceptum colendi Deum, quomodo apertum. 67.a

Prædestinatos Christus scietia infusa no uit. 244. a
Prædestinatio Christi meritis, & operibus nostris certificatur. 278. a
Prædestinatio nõ imponit necessitatem salutis consequendæ. 438. b
Prædicatores pronubi Christi, & Ecclesiæ. 198. b
Prædicatoribus stipendium debitum. 223. a
Prædicatoribus documentum. 345. b
Prælati suis stipendijs vtentes non sunt mercenarij. 427. b
Prælatorum munus præcipuum. 428. b
Prælati mercenarij bifariam dicuntur. 429. b.
Prælatorum officium. 533. a.
Principium omnium rerum vnum. 26. b
Principia religionis Christianæ secundum hæreticos quatuor. 66. b
Principium varie sumitur. 5. a
Prophetiæ mysteriorum Christi nuncij. 38. b
Propheta proprie quis sit. 96. b
Prophetæ à Deo magistri. 205. b
Prophetarũ promissa quomodo à Deo impleta. 219. a
Prophetæ legis veteris interpretes. 253. a
Prophetæ vani ex suo loquuntur. 321. b
Prophetæ, & philosophi nõ fuerunt lex mundi. 350. b
Prophetæ radij vibrati. 353. b
Prophetæ per ostium intrarunt. 425. a
Propheticæ visiones aliquando malis hominibus dantur. 476. a
Prophetia quomodo necessaria, & contingens. 518. b
Prophetia non imponit necessitatem rebus. 519. a
Prouerbiorũ locus, cap. 8. cum ipso erat. &c. expon. 6. b

R

RAbbi, cur Christus dictus. 163. b
Reguli fides minor, quam Centurionis. 235. b
Relationis oppositio quid efficiat. 111. b
Religio vera antiquior falsa. 225. a
Renascentia spiritualis quibus prodest, vbi vide plura. 189. a. b
Renatus nemo perfecte sub lege veteri, nec ante illam. 193. a
Resurrectio Domini maxime diuinitatem declarat Christi. 155. a
Resurrectio vitæ, & iudicij. 446. b
Resurrectio iustorum plenissimæ redemptionis ac libertatis. 395. a
Resurrectiones spirituales duæ quotidie à Christo fiunt. 489. b
Roboam superbia regnum Israel diminuit. 200. b

S

SAbbati obseruantia Domino à corrigitur, & explicatur. 240. a
Sabbati obseruantia pia opera non vetabat. 324. a
Sacerdotium gratia gratis data. 299. b
Sacramenta quædam viæ. 94. b
Sacrificiorum modi duo. 144. a
Sacrificia in Ecclesia incruẽta sunt. 229. a
Sacrificia antiqua nouorũ typus. 499. b
Sadducæorũ de metapsycosi error. 90. a
Samariæ situs. 209. b
Samaritanæ misericordia facta expenditur. 210. b
Samaritanæ ruditas. 213. b
Samaritarum de diuinitate error. 215. b
Samaritæ Cuthæi. 209. b. 216. b
Samaritas quid Dominus docuerit non constat. 221. b
Sanguis in scriptura quid. 57. a
Sanctificare varie sumitur. 440. a
Sapientia Dei cur dicatur creata. 6. a
Sapientiæ locus, cap. 18. omnipotens sermo tuus, &c. expon. 10. a
Sapientiæ locus. c. 7. candor lucis æternę expon. 4. a
Sapientia cur filio tribuatur. 4. b
Sapientiæ locus. c. 8. veni in corpus coinquinatum, &c. expon. 47. b
Sapere optimus vitæ actus. 33. a
Sapientia mundana qualis. 127. b
Scenopegia duobus diebus insignis. 229. a
Scripturæ sacræ simplicitas. 53. a
Scriptura sacra panis vitæ. 145. a
Semen viri, & fœminæ quid. 56. b
Semel varie sumitur. 61. b
Semen virtualiter est caro. 169. b
Semen diuinum quando fructificauit. 220. a
Semen genus ad frumentum. 509. b
Semen duplex. 188. b
Sensus historicus, mysticus, analogicus, & ethiologicus quales. 146. b

Sensus metaphoricè in mentem transferuntur.247.a
Seraphim visa ab Esaia quid denotabāt. 521.a
Serpens æneus in deserto, an ægros sanabat. 177.b
Seruitus animi pessima.366.b
Seruitus animæ, & iustitiæ duplex. 385.b
Seruitus peccati durissima.386.a
Seruitutem peccati solus Deus soluit. 386.a
Seruitus exterior ab interna oritur. 386.b
Seruorum conditiones. 386. b
Seruitus iustitiæ à Deo honoratur.387.a
Seruitus iustitiæ, & peccati contraria. ibidem.
Seruitus diuina naturalis.388. a
Seruitus omnis peccati Christo liberāte indiget. 392.b
Siloe aquæ nullum cæcum poterant illuminare. 400.a
Sitis vera, & non vera. 340.a
Somnus ægrotis salubris quando.459.b
Spes fons saliens in vitam æternam. 213.a
Sperare in Domino saluberrimum. 239.a
Spiritus non est verbum.9.b
Spiritus sanctus quomodo requiescit in Christo & sanctis. 109. a. b
Spiritus sanct. non fuit columba, vt verbum Dei homo. 109. a
Spiritus sanct. cur supra caput Christi apparuit.110.a
Spiritus sanct. non est minister Christi. 111. a
Spiritus sanct. cur in forma columbæ. 111. b
Spiritus in plura se distendit, quam caro. 169. b
Spiritus sanct. ostiarius est. 424.a
Superbia omnis stultitia.200.b
Superborum indicia.201.a
Superbia ruinam minatur.201.b
Superborum imperia infirma. 201.b
Superbi Deum non respiciunt. 201. b
Superbia detestanda. 202. a
Superbia contra naturæ clamorem. 203. a
Superbia contumeliarum parens. 203. b
Superbi multis ærumnis subditi. 203.a
Superbia mentes excæcat. 413. a

T.

TAnquam, aduerbium similitudinis. 73.a
Templum Dei semper Christus coluit. 153. a
Templa sunt honoranda. 153. a
Templum secundum. 46. annis ædificatum. 155.b
Templi ingressu qui arcebantur.157.b
Templa profanare infidelium est.158.b 159. a
Templorum iura ab ecclesia constituta. 158.a
Templum in monte Garizim ædificatum. 214. b
Templa ad cultum Dei tantum erigenda. 229.a
Templi Salomonici dedicationes, & festiuitates.436.a
Templum Salomonis à gentibus visitabatur. 507. b
Tentatio post gratiam manet.415.b
Tentatio vinci non vitari potest. 479.b
Tentationes in gloriam Dei & vtilitatē nostram cedunt. 479. b
Terra dicuntur omnia non supernaturalia.205.a
Terræ sanctæ descriptio. 399. a
Testimonij dicēdi requisita.108. a. 353. a
Testimonia externa interna illuminatione indigent. 124.b
Testimonia euidentia, & ineuidentia. 253.b
Testimonia de Christo publica, & priuata.254.a
Testari falsum Deus non potest.408.a
Testamenta aliqua septem testibus indigent. 355.a
Tiberiadis mare. 260.b
Timor pœnalis omnibus congruit. 302.b
Timor seruilis donum Dei. 303.a
Timor Dei ostium. 418. b
Trinitatis motio duplex. 2. b
Trinitas non est conspicua ex creaturis. 49. b
Trinitatis personæ simul, creduntur, & videntur beatis. 523.a

V

VEndentes, & emētes, cur de templo eiecti. 152.b

Vẽdere iniuſto pretio furtum palliatum 152. b
Verbum Dei æternum. vbi plura. 1.b
Verbum Dei per noſtrum indagandum. 2. a.
Verbum Dei per ſe ſubſiſtit. 2.b
Verbum humanæ mentis non eſt de ſubſtantiæ illius. 5.a
Verbum Dei notis verbis noſtris indagandum 3.a
Verba mentalia noſtra nos in cognitionem diuini verbi ducunt.3.a.
Verbo Dei verbum ſenſibile, & mentale aſsimilantur.8. b
Verbum diuinum forma formatorum. 9. a
Verbum Dei praxim,& ſpeculationem comprehendit.9. b
Verbum varie ſumitur. 10. a
Verbum diuinũ intelligentiam loquentis adæquat.3.b.
Verbum Dei dicitur intra ſubſtantiam dicentis.4. b
Verbũ Dei germen diuinæ mentis.ibid.
Verbum Dei æternum, & æterno Deo coniunctum. 15. b
Verbum à dicente patre nunquam diuiſum.17. a
Verbum notionale non eſſentiale nomen. 17. b
Verbum proprie de diuino dicitur.19.b
Verbi diuini quidditas, & qualitas ex Ioanne. 25. b
Verbum increatum ex Ioanne. 26. b
Verbum nota æternitatis.30.a
Verbum ſecundum diuinitatem, an luceat in tenebris.32. a
Verbum angelos,& homines de naturalibus docet. 33 .a
Verbũ Dei cur ſe mortalitate noſtra obduxit.35.a
Verbo incarnato, quæ nouitas ſecuta. 64. a
Verbum fieri carnem congruentiſsimũ. 65. a
Verbi vnionis myſterium. 65.a
Verbi vnio humanam naturam extulit. 75. a
Verbum ad quid incarnatum. 411.a
Veritas,& lux Dei contra fraudes humanas prævalet. 35. b
Veritas Dei obſcurari non poteſt. 36.b
Verum triplex.44.b
Veritas fidei amor,& ſpiritus.215.b
Viæ Dñi exteriores,& interiores. 94. a
Vita æterna,& regnum cælorum malè a Pelagianis diſtinguuntur.167. a
Vita duplex.190.b
Vita ſpiritualis ex ſolo arbitrio non pendet. 190. b
Vita humana laborioſa. 202.a
Vitam à ſeipſo nihil præter Deum habet. 245. a
Voluntas pro potentia, & pro obiecto vſurpatur.279.a
Vox quomodo prior, & poſterior verbo. 93. b
Vox in ſcriptura variè ſumitur.197. b
Vt,in ſcriptura quid ſignificet.397.b
Vt, bifariam ſumitur. 522. a
Vulgata editio cur ſemper obſeruanda. 51. a

Z

ZElus ſanctus, & culpabilis.154.a
Zelus triplex.154.a
Zelare diuina ex affectu quibus datur. 154. a

FINIS.